LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN

xq271.12
Sa7c



RARE BOOK ROOM

~~In XXII 122516~~ FOL. 39
Sartorius
106/5021
M 262

CISTER=
CIUM
BIS-TER=
TIUM.



I. C. Lisca del: Bal: von Westerhaut Sculp:

Ex libris Danielis Josephi Mayer, Sanctæ Metrop. Ecclesiæ Pragensis ad S. Vitum Præpositi

CISTERCIUM BIS-TERTIUM

SEU

HISTORIA ELOGIALIS,

In qua

SACERRIMI ORDINIS CISTERCIENSIS

***ANNO DOMINI* 1698**

à Sui origine

SEXIES, ſeu BIS-TER SÆCULARIS

Primordia, Incrementa, Præclara Geſta, Merita in Eccleſiam, Orbémque Chriſtianum, Prærogativæ, cœlitùs humanitúſque conceſſæ, Connexiones cum Religioſis Ordinibus, Cœnobiorum Series per Terras Auſtriacas.

Atque etiam

Perſonæ Sanctimoniâ, Martyrio, Laboribus Apoſtolicis, Dignitatibus Eccleſiaſticis, Proſapiâ, Gloriâ militari, Doctrinâ ac Laureis illuſtres, intermixtis ubique Elogijs, novâ methodô recenſentur.

AUTHORE,

Admodum Reverendo in Chriſto Patre

AUGUSTINO SARTORIO,

Sac: Ord: Ciſterc: Monaſterij B. V. M. de Oſſeco Profeſſo, nuper ibidem Philoſophiæ, Theologiæ Moralis, ac Controverſiarum Fidei Profeſſore, ac Suppriore: nunc Vicariatûs Bohemo-Ciſtercienſis Secretariô, ac Notariô Apoſtolicô.

VETERO-PRAGÆ,

Typis Archi-Epiſcopalibus in Collegio S. Norberti apud Wolffgangum Wickhart,

Anno M. DCC.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/cisterciumbister00sart

SUB
RELIGIOSISSIMIS ac FAVENTISSIMIS AUSPICIIS REVERENDISSIMORM, ac AMPLISSIMORUM DOMINORUM, DOMINORUM

ABBATUM,

AC

VENERABILIUM DOMINARUM,

DOMINARUM

ABBATISSARUM,

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS PER VICARIATUM BOHEMIÆ.

Reverendiſsimi Domini, Domini

BENEDICTI, ABBATIS

De Oſſeco, per Bohemiam, Moraviam, & utramque Luſatiam Viſitatoris, ac Vicarij Generalis, nec non Venerabil: Virginum S. M. Magdalenæ de Pœnitentia in Civitate Pontenſi Viſitatoris.

Reverendiſsimi Domini, Domini

HENRICI, ABBATIS

de Sedlecio, Vicariatûs Aſſiſtentis.

Reverendiſsimi Domini, Domini

WOLFFGANGI,

Abbatis de Aula-Regia, Vicariatûs Aſſiſtentis.

Reverendiſsimi Domini, Domini

EUGENII, ABBATIS

de Plaſſio.

)()(Reve-

Reverendiſsimi Domini, Domini
FLORIANI, ABBATIS
de Wellehradio.
Reverendiſsimi Domini, Domini
PETRI, ABBATIS
de Nova-Cella.
Reverendiſsimi Domini, Domini
EDMUNDI, ABBATIS
de Fonte Beatæ Virginis ad Zaram.
Reverendiſsimi Domini, Domini
STANISLAI, ABBATIS
de Alto-Vado.
Reverendiſsimi Domini, Domini
MATHIÆ, ABBATIS
de Sancta Corona.
Venerabilis D.D. THERESIÆ,
Abbatiſſæ de Porta-Cœli ad Tiſchnovium.
Venerabilis D.D. MARTHÆ,
Abbatiſſæ de Valle S. Mariæ.
Venerabilis D.D. OTTILIÆ,
Abbatiſſæ de Stella S. Mariæ.
Venerab: D.D. CONSTANTIÆ,
Abbatiſſæ de Valle-Virginum.
Venerabilis D.D. BARBARÆ;
Abbatiſſæ de Sala S. Mariæ ad Brunam.

Venerandiſſimorum Provinciæ Antiſtitum, Reverendiſſimorum ſuorum Mecænatum ac Patronarum.

Reve-

REVERENDISSIME, ac AMPLISSIME DOMINE,

D. VISITATOR AC VICARIE GENERALIS,

REVERENDISSIMI, ac AMPLISSIMI DOMINI, DOMINI

ASSISTENTES,

Cæteríque

REVERENDISSIMI, ac AMPLISSIMI DOMINI, DOMINI INFULATI

PRÆSULES,

VENERABILES, ac RELIGIOSISSIMÆ DOMINÆ

D. ANTISTITÆ,

MECOENATES OBSERVANDISSIMI, PATRONÆ GRATIOSISSIMÆ.

TAm Opus hoc Veſtrum eſt, quàm ego Veſter ſum, Antiſtites Reverendiſſimi. Ciſtercij namque imago in Eo adumbrata, vix tam ad alios ſpectat, ac ad Ciſtercium, quod eſtis Vos. Diviſi in Titulos Librum, omnibus Titulis unà mecum omninò Veſtrum. Paſtorales Veſtri Baculi ſunt mihi in argumentum tutelæ: Abbatiales Veſtræ Inſulæ in teſſeram protectionis. In uno fortè peccare potui, quòd officij mei rationem ex eo minùs videar adimplevisſe, utpote qui ad Provinciæ Veſtræ Munus Secretariale adſumptus, Secreti nunc minimè tenax, publicô hôc Opere propalare auſus ſim Ciſtercij Secreta, quæ hactenùs ignorabant non pauci. Verùm dabitis veniam, Præſules Ampliſſimi; Vos enim juſſiſtis loqui & ſcribere: Veſtrô imperiô ac au-

ſpicio

ſpiciô calamum ſumpſi, tam cæteroquin Secreti amantem, quàm hìc Gloriæ Ciſterciæ per Orbem evulgandæ ſtudioſum. Neque enim malè ea publicè enuntiantur, quæ bene facta fuerunt. Res Veſtras, id eſt, Ciſtercij, loquor & pando, & quidem Veſtrô nutu: quídni Veſtrum faciatis, cui Auctoritatem Veſtram tam gratiosè impertimini? Inclytam Auſtriaci Orbis portionem quis neſciat Provinciam Veſtram? Amavit ſemper Auſtria Bernardum, atque in Bernardo Vos, Domóſque Veſtras, per retro-acta ſæcula Clementiſſimâ Suâ Protectione aut præſervatas à naufragio, aut vindicatas, Ordiníque reſtitutas poſt turbinem. Neq; amare Vos, aut Veſtra potuit, Domus Auguſtiſſima ac Pientiſſima, niſi Meritis Veſtris, Veſtrorumque Amor ille Auguſtus, Cæſareis Regijsque Gratijs fœcundus, priùs provocaretur. Reddidit ſemper Provincia Veſtra Cæſari, quæ Cæſaris, fidelitatem ac pietatem, hâc pro Regibus ſuis DEO ſupplex, illâ erga Patriam, Patriæque Patres, Cæſares, turbatis rebus, fida ac devota. Ejecit è Sedibus nonnullos ex Anteceſſoribus Veſtris Hæreſis atque temporum calamitas, ut ſcilicèt Auſtria haberet, quos ingenti beneficiô poſtliminiò reponeret. Luſtrate Factos Domuum Veſtrarum Optimi Antiſtites, & unô pectore conclamabitis in verba mea, per quæ Vicariatui Veſtro Auſtriacis auſpicijs ſuperſtiti ac florenti feſtivâ devotione applaudo. Ijsdem porrò funiculis, quibus Auſtriæ, ſimul cohæretis Eccleſiæ: quoniam utriuſque cauſa una eſt & eadem, neq; ab Eccleſia amari quis dignior, quàm is, qui Auſtriaci amoris prærogativam meruerit. Prædeceſſorum Veſtrorum Merita, titulô hæreditariô Veſtra, cùm privata, tum publica, ſed magìs poſteriora hæc, quibus illi ſub tumultuantis olim hæreſeos luctuoſa tempora inclaruerunt, aureis characteribus in ſcrinio pectoris ſcripsêre Pontifices Maximi, à poſteris legenda Pontificibus, atque favoribus coronanda. Commendat præterea Provinciam Veſtram, Præſules Ampliſſimi, literarum commune Studium in Bernardæo Pragenſi Collegio Celeberrimæ Carolinæ Univerſitati omninò coævum, è qua illuſtri literaria Palæſtra Viri per ſuperiores ætates prodiêre, qui Ciſtercio, qui Regno, qui Publico lucem non privatam attulerint, quorum Vos eſtis, nuper ex eodem Collegio egreſſi, faculæ parallelæ, atq; nunc ſuper Candelabrum poſiti, inclyta Regni luminaria. Eapropter lucem publicam viſura præſens hæc mea lucubratio, in lumine Veſtro è prælo emergit, clarior ſub tam cumulatis Nominum Veſtrorum futura fulgoribus. Suſcipite Librum, Mecænates Reverendiſſimi, ex eo non ampliùs liberum, qui Veſtrum, id eſt, devinctum: Imò tum maximè liberum, cùm Veſtrum, quandoquidem Libri tum potiſſimùm ſunt Liberi, cùm intra Paterna auſpicia, ceu brachia collocantur. Peperit

haud

huic Operi Titulum haud ingrata verborum affinitas, temporúmque computus, ut ob Bis-tertiam, id eſt, ſextam Ordinis Sacerrimi ætatem, feliciter nunc exa-ctam, Ciſtercium Bis-Tertium *nuncuparetur. Porrò hunc ipſum Titulum, atque Libri frontiſpicium ænigma illuſtrat portentoſæ cœleſtis Dexteræ, Henrico Cæſari inſcribentis,* Poſt ſex, *eíq; poſt ſex annorum evolutiones Imperij portendentis Coronam. Omnipotentis Dextera Vos protegens, Vos vindicans, Vos conſervans, pariter Vobis, totíq; Ciſtercio Ordini,* Poſt ſex, *in ſæculis ſenis inſcripſit. Repetat, opto, ſæpiùs characteres iſtos Divinus Scriba! Et quemadmodum portendit Henrico Cæſari Imperium, ita Ciſtercio Veſtro præſagiat Cæſarum Auſtriacorum perennaturos favores, quos ad numerum annorum, ſeu præcedentium (quos jam exegimus) ſeu ſubſequentium (quos Superi pariter felices faciant!) Sexcentos, aliósq; Sexcentos advoveo! Tu interim per vota mea, ac Numinis indulgentiam, Tu, inquam, Reverendiſſime ac Ampliſſime D.D. Vicarie Generalis, Pater Abba, ac Operis præſentis per exhibita liberaliter pecuniaria ſubſidia munificentiſſime Auſpex, atque etiam Vos Provinciæ Bohemo-Ciſterciæ Antiſtites Digniſſimi, Patroni Obſervandiſſimi, vivite ad Tituli præfixi genium* Bis-Ter *feliciter, atque Melliflui Inſtituti nova rurſùs ſæcula ſapientiſſimis Veſtris gubernaculis quàm fortunatiſſimè auſpicemini: quatenùs finitô in ſæculis numerô unô Bis-Tertiô, numerus non deficiat alter, quem rurſus poſt ſera tempora numerus novus novúſq; excipiat, ac uſque ad Sæculi finem, DEI, Divæ, Cœlitúmque, atque in Regum, Principúmque favore quàm beatiſsimè provehat! Ita vovet, & quoad vivet, vovebit, qui Gratioſiſsimis Veſtris, unà cum præſenti Opere foveri, defendíque cupit Auſpicijs ac Patrocinijs,*

REVERENDISSIMORUM, ac AMPLISSIMORUM DD. ABBATUM,

Ac

VENERABILIUM DD. ABBATISSARUM,

Mecænatum Gratioſiſſimorum

Devotiſſimus Filius ac Cliens

Fr: AUGUSTINUS.

)(X)(

FACULTAS ORDINIS.

NOS Fr: Benedictus, Sac: Ord: Ciſt: Abbas Monaſterij B. M. V. de Oſſeco, per Bohemiam, Moraviam, atque utramque Luſatiam Viſitator, ac Vicarius Generalis: ut Liber, cui Titulus eſt (*Ciſtercium Bis-Tertium*) à R. P. Auguſtino, ejuſdem Ordinis & Monaſterij Profeſſo, accuratè compoſitus, à Viris Religioſis Ordinis Noſtri, & Hiſtoriæ gnaris, quibus ipſum revidendum & examinandum commiſimus, recognitus & approbatus typis mandetur, & in Lucem prodeat, tenore præſentium licentiam concedimus. In quorum fidem, præſentes Manu Noſtrâ ſubſcripſimus, & conſuetum Officij Noſtri Sigillum appreſſimus. In Monaſterio Noſtro Oſſecenſi, die 18. Decembris. Annô 1699.

(L.S.) *Idem qui ſupra.*

CENSURÆ ORDINIS.

EX gratioſa commiſſione Reverendiſſimi ac Ampliſſimi Domini Domini BENEDICTI, Sacri Ciſtercienſium Ordinis Inclyti Monaſterij Beatæ MARIÆ Virginis de Oſſeco Abbatis, & per Bohemiam, Moraviam, ac utramque Luſatiam Viſitatoris, ac Vicarij Generalis, perlegimus Librum, cui Titulus, *Ciſtercium Bis Tertium*, ab Admodum Reverendo Patre Auguſtino Sartorio, eundem Ordinem in dicto Monaſterio Profeſſo Religioſiſſimo, Sacro-Sanctæ Theologiæ Profeſſore, Notario Apoſtolico, & Vicariatûs Bohemo-Ciſtercienſis Secretario compoſitum: in quo nihil puritati Orthodoxæ fidei, Sanctorum Patrum menti, aut bonis moribus contrarium invenimus, imò illum opus glorioſum deprehendimus, utpotè in quo Ciſtercij exorientis intima myſteria, progredientis præclara geſta, prærogativæ & gratiæ, exactè, rectô judiciô, & ſpecioſô ſcribendi genere recenſentur, itâ ut nihil contineat non utile, vel quod Profeſſorum Ordinis ejuſdem voluntates ad Majorum ſuorum imitationem, & Exteros ad Eorum amorem non inflammet, aut quod Authoris ſolidam in ſcholaſticis & hiſtoricis eruditionem non redoleat. Proinde eum impreſſione & publicatione digniſſimum judicamus, Plaſſij 8. Decembris Annô Domini 1699.

Fr: FERDINANDUS MAJER,
Ordinem Ciſtercienſem Profeſſus in Plaſs,
Sacro-Sanctæ Theologiæ Profeſſor.

Fr: FRANCISCUS SPEER,
Ordinem Ciſtercienſem in Oſſek Profeſs:
Sacro-Sanctæ Theologiæ Baccalaureus.

Cenſura Venerabilis Conſiſtorij Archi-Epiſcopalis Pragenſis.

OPUS hoc à me diligenter perlectum, eruditione inſigne, rebus recenſitis ſingulare, & moribus Religioſis perutile, dum *Ciſtercium* Antiquitate *Bis-Tertium* amœniſſimô calamô deſcriptum exhibet: inviolati Inſtituti ſanctitate, doctrinæ excellentiâ, ac ſpecialibus prærogativis per tot Sæcula fuiſſe Primum oſtendit. Cœlum profectò eſt, quod in deprædicatione Ciſterciæ Virtutis Gloriam DEI fideliter enarrat: Præclara in ipſo Elogia, manuum Authoris Eximij, omníque laude digniſſimi opera, annunciant Illuſtriſſimi hujus Ordinis Firmamentum, Stellis Catholicæ Fidei zelô, & devotionis fervore igneis, nec non ſapientiæ ſplendore fulgidiſſimis, ſemper extitiſſe ornatiſſimum. Ut itaque laudetur Dominus in Sanctis ſuis, laudetur per Univerſum Orbem in Firmamento Ciſterciæ Virtutis, & in multitudine magnitudinis Geſtorum Grandium celebretur, præli ope pandatur hoc Cœlum cunctis utili curioſitate ſpectandum, ut pulchritudine ſuâ non minùs mentis oculos recreet, quàm animos ſalutaribus Exemplorum influxibus paſcat:

Pragæ Die 2. Februarij 1700.

JOANNES MARIA HLOZEK, C. R.
Theatinus, Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Pragenſis Aſſeſſor, & in Collegio Archi-Epiſcopali Controverſiarum Profeſſor.

Imprimatur.

DANIEL JOSEPH MAYER,
Sacræ Metropolit: Prag: Eccleſiæ Præpoſitus,
pro Domino Officiale.

APPLAUSUS
METRICUS atq; AFFECTUOSUS,
Quô Admodum Reverendo Patri
AUGUSTINO, BERNARDO, ALEXIO SARTORIO,
Comprofeſſo ſuo dilectiſſimo, CISTERCII BIS-TERTII Authori, animitùs adjubilat infrà ſignatus

PIngo *Auguſtinum*, luménque decúsque *Tagaſta*,
Quem genuit felix *Africa*, pingo Virum.
Cor gerit una manus, dextram tenet altera *pennam*,
Non *color*, at *calor*, & *flamma character* erit,
AUGUSTINUS. Auguſtine, *tua* eſt Sancti Doctoris *imago*,
Ardet enim in *calamo flammula* ſacra tuo.
Eſt ſatìs, ut ſcribendo alij, *moveántque trahántque*,
Sed tibi non ſatìs eſt: ampliùs ipſe facis.
Scriba *moves*, & Scriba *trahis*, Scriba *elicis ignes*,
Cogíſque ut quivis Te, Tua; Lector amet.
Flammeus ingeniô, geniô, calamóque probaris;
Clarus ab his *flammis* quid niſi *Scriptor* eris?
Sed neque, cum *flammas* ſpargis, Tibi *flumina* deſunt,
Das utrumque ſtylô, quô fluis, atque flagras.
Ignes jungis *aquas*, iterum *Auguſtinus* ad *undas*,
Quem *Puer Angelicus* ponè docebat *aquas*:
Mortales animos haud Numinis eſſe capaces,
Cùm *Mare* ſit Numen, *Foſſula*, parvus homo.
At verò ipſe tuus *calamus*, *labor* hic, *Liber* iſte
Et *Pueri* dictum, & *cochlear* evacuant.
Hoc *Opus* eſt parvâ vaſtum *mare ſcrobe* coërcens,
Foſſa tuus *Liber* eſt, & ſacer *Ordo mare*.

Alluſio ad Genium S. Auguſtino apparentē, ſorbentémq; cochleari mare in parvā foſſulam.

Auguſtine, tua eſt hæc laus, tua gloria, honórque,
Omni Te poſthàc tempore fama canet.
BERNARDUS. *Mellifluì* ſimul es fauſtô omine *Nominis* hæres,
Nec ſine felici hoc omine Nomen habes.

Dulce

Dulce tuis verbis mel ineſt, apis inſidet ori,
Et linguæ & labijs imprimit ipſa favos.
Campanile melos ſonat Alma *Alexio* in Urbe !
Cùm ſuper aſtra ſuum ſpiritus *iret iter.*
At Tibi per vitam, ſimul & poſt fata ſonabit,
Et decus, & laudes inclyta Fama tuas.
Luſu anagrammaticô cupis eſſe *Roſatium*, undè
R demptô, florum gloria, dúxque *Roſa.*
Es *Roſa* nunc ſpecioſa *tuis*, es ſuave *Roſetum*,
Quod mille Oſſeco *florida ſerta* ferat.
Gloria es Oſſeco, Tibi *Gloria*, *Gloria* toti
Bernardo Auſtriaco, Mellifluíſque Viris.
Pro meritis nunc ergo tuis quid, quæſo, repoſcis?
Ipſe *D EUS merces* ſit Tibi *magna nimis*!

ALEXIUS.

SARTORIUS *abjq; unô R. fit Anagr:* ROSATIUS. *Item* ROSA TUIS.

Itá cecinit

Addictiſſimus Conventus B. M. V. de Oſſeco.

STUDIOSA ACCLAMMATIO IN
Admodum R. P. Authorem Operis
CISTERCII BIS-TERTII.

M*Ellifluas* nunc Praga vocat *ſtudioſa* Camœnas;
Ipséque Apollo novô carmine plectra movet.
Auguſtine tuos Chorus hic depromet honores,
Cujus nuper eras *Pars* bene docta *Domûs.*
Te fert *Oſſecum* in *gremio*, tu férſque viciſſim
Os ſecum tecum, doctus in eloquio.
Suada tuis ſparſit labijs *aurúmque favúmque*:
Aureus ore Vir es, *Melleus* ore Vir es.
Mutas nunc *lingua* munus cum munere *penna*,
Fors quia tu pennâ longiùs ire potes.
Vix namque egreditur privatos ſermo Penates,
Vix fluit ore ſonus, *vox* oritur, *moritur.*
Litera ſcripta manet, calamíque typíque perennat
Gloria, quæ totô te feret Orbe Virum.
SORS præclara Tibi eſt, VITRA ſunt, tua penna, libérque,
Clariùs è *Vitris Sol*, Sacer Ordo, micat.

Author abſolvit Philoſophica & Theologica Studia in Collegio Sancti Bernardi. Oſſecij Profeſſ. Nuper Eccleſiaſtes, nunc Secretarius.

Programma: SARTORIUS *Anagramma:* SORS, VITRA.

)O()O(

Sors

Sors, *Vitra*, res aliàs fragiles; *ſolidantur* at in Te,
Et *ſolidô* hôc Librô tempora multa ferent.

Item. ROS TU ARIS.

ROS ARIS TU mi Author eris, cadet humida *roris*
Gutta Tuo è calamo, *dos* bene *grata Dijs.*
Mellifluis tua penna Viris fluit inclyta laudes,
At totæ hæ laudes *roris* ad inſtar eunt.
Thura crement alij *Superis*; Tu *rore* madentes
Hiſtoricos offers *Cælitibus* calamos.
Illuſtres *Roris* foetus ſunt *Unio*, *Gemma*,
In calamo ergo eſt *Ros*, *unio*, *gemma*, tuo.
Cùm laudas Superos, *Gemmâque* & *Rore* coronas;
Nónne Tibi in Coelis *debita ſerta* dabunt?

Item: STA VIR ROS.

STA VIR, ROS! etenim bene *ſtat* Ciſtercius Ordo,
Et Librô & calamô, cùm bene Tu *ſteteris.*
Stare *Viri* eſt, & *Virtutis*, nè cede labori!
Aſtra *ſedere* Tibi pro *ſtatione* dabunt.

Ciſtercienſis Ordo dicitur à Clemente IV. Fons.

Sta Vir, *Ros!* magìs euge Tuo conjungere *Fonti*,
Fontiſque & *Roris* plurima gutta fluet.

Item: ARIS STRUO.

Nominis eſt tua vox: ARIS STRUO: Nónne Beatis
Tot Tu Templa ſtruis, quot *pia facta* refers?
Ædificant alij *ſaxis prægrandibus* ædes,
Qui *calamô mores extruat*, Ipſe Vir es.
Eſt ſaxum *gravius pennâ*; *labor* attamen *alter*
Ipsô ſaxosô pondere fit *gravior.*
Extruis, ædificas, Sanctorum exempla docendo,
Major ubi *labor* eſt, *gloria major* erit.

Item: ASTRORIUS.

Conjunctus porrò es rutilis ASTRORIUS *Aſtris*,
Magna tuo Libro *portio lucis* ineſt.
Stelligerum ùt *Cœlum* fulget *Ciſtercius Ordo*,
Stant *Clari*, hôc cælô *Lunáque*, *Sólque*, *Viri.*
Stas ſtellas inter *præclarum*, *Aſtrorius*, *Aſtrum*,
éque tuo calamo ſidera mille micant.
Hæc tua Lux, noſtra eſt, noſtra eſt hæc *gloria Libri*;
Nam qui Noſter eras, quid nisì Noſter eris?

Ità honoris ergò acclamavit

Pragenſe S. BERNARDI
Studioſorum Ciſt: Collegium.

Applauſus Anagrammaticus

AD AUTHOREM

Admodum Reverendum Patrem

AUGUSTINUM SARTORIUM.

Programma.

PATER AUGUSTINUS SARTORIUS

Anagramma.

UT SIS AUTOR, PATES VIR GNARUS.

QUod quis jus alijs tulit, hôc utatur & ipſe, (*a*)
Quod quis jus petijt, debet id ipſe pati. (*b*)
Quod quis in alterius perſona credidit æquum,
In propria cur non id quoque juris erit? (*c*)
Cùm laudes alios, ab ijs quoque ſuſcipe laudes,
Quas (*d*) programma notat, quas (*e*) anagramma refert.
Quem labor, hunc honor, hunc & laus comitatur, & inde (*f*)
Æquum eſt te meritis condecorare tuis.
Nam licèt in Sacro vulgaverit Ordine fama
Te *gnarum Autorem*, téque ſcientificum:
Plenáque nulla licèt virtus augmenta requirat, (*g*)
Jus tamen accreſcens Alluvionis habes (*h*)
Nam per Ciſtertiûm Bis-Tertiûm (*i*) laude perenni
Noſtram in *Ciſternam* (*k*) cum Alluvione fluis.
Profluit ipſe tuus Liber, (*l*) & ſimul omnis ab alto
Fluctuat ingenio ſplendor, & omne decus.
Splendore illuſtras, quos ſcribis, laude perenni ❊
Tangis: & hinc *Pius*, hinc *Rarus* & *Autor ades*. (*m*)
Autor es, & gnarus, quem tanta ſcientia prodit,
Ut quaſi Caſtrenſi totus ab arte mices:
Legibus es ſacris, velut armis, condecoratus, (*n*)
Armatus rutilas, luce, togâque nites.
Auguſtâ Auguſtus Mavortis veſte togatus
Dici Auguſtinus non ſinè jure vales.

(*a*) *L. 1. ff. Quod quiſque Juris.*
(*b*) *L. 3. ff. Eadem.*
(*c*) *In Summario L. 1. ibidem*
(*d*) *Pater Auguſtinus Sartorius.*
(*e*) *Ut ſis Autor, pates Vir gnarus.*
(*f*) *Arg: Reg: 55. de Reg: Jur: in 6. & L. 10. ff. de diverſis Reg: Juris.*
(*g*) *Can. 7. VI. q. 1. & Can. 1. diſt. 96.*
(*h*) *Argum L. 7 ff. de acqui: rerum domin:*
(*i*) *Id eſt per hunc Librum*
(*k*) *Uſque Matrem noſtram C... cium.*
(*l*) *A... 6. de digeſt.*

❊ *Programma*: Pater Auguſtinus Sartorius. (*m*) *Anagramma*: Tu tangis, es pius, rarus Autor. (*n*) *Argum: Juſtir Inſtit: in prœmio.*

Præclarus miles, qui militiæque togatæ
Profeſſor Armati tuleras ſtrenuus arma Ducis.
Philoſophiæ, Te Fraterna phalanx, te Oſſecia docta Caterva,
Artis Ariſtotelis caſtra ſecuta fuit.
Controverſiarum fidei. Fortibus armâſti clypeis ad prælia Fratres,
Pro Controverſis caſibus arma dabas.
Programma: AUGUSTINUS SARTORIUS, Hinc fruſtra *Aſtutum*, *Gnarúmque* Anagramma peroptat,
Gnarus & *Aſtutus*, qui tamen ante pates.
Nónne Oſſecenſes es juxta nominis omen
Anagramma: O SI VIR GNARUS, ASTUTUS. Conatus ſtudijs excoluiſſe Viros?
Nunc Auguſtini pariter fers nomen & omen,
Dum ſimili incumbis ſedulitate libris.
S. Auguſtinus cum corde pingitur. Corde Auguſtini flagras, ceu fidus Achates,
Miti, & ſincerô corde, animôque viges.
Secretarius Vicariatûs. Hinc meritò Arcanis celandis dignus haberis,
Publicum ad Archivum quem Sacer Ordo petit.
Programma: Auguſtinus Sartorius. Providus, & ſanus, prudénſque, ſciénſque refulges,
Doctus, facundus, Vir ſapiénſque nites.
Anagramma: Tu Vir ſanus, gratioſus. Splende Auguſtine, & radies Sacri Ordinis Aſtrum,
Sis *ſanus*, nobis *Vir* quoque *gratus* eris.
Ecce novum Mundo Sæclûm, ac Bis-Tertia Noſtri
Ordinis auſpicijs Sæcla vigere vides.
Ex Programmate eodem Anagramma: Sis Novus, grata Virtus. Sis *Novus* auſpicijs *Neo-Sæcli*, *gratáque Virtus*,
Albeſce in canis per nova Sæcla comis!

CABALISTICON.

AUguſtine mices, fulgeſce, niteſce, refulge:
652. 137. 336. 252. 323.
Et felix Luce, vive, vireſce, vige.
105. 340. 228. 414. 392. 221.
Floreſce, illuſtra, gaude, ac lætare, triumpha:
259. 520. 217. 4. 212. 488.
Exulta, æterna, jam eſto perennis honor.
626. 232. 40. 245. 329. 228.
Exorna, radians ſis in Sacro Ordine ſplendor;
476 225. 189. 49. 224. 188. 349.
Condecora, ac tandem Phoſphorus Axis eris.
236. 4. 180. 696. 400. 184.

Clarens

Clarens, ac radians rutiles, clareſce, coruſces:
239. 4. 225. 504. 207. 521.
Multos Neſtoreos percipiáſque dies.
490. 510. 317. 275. 108.

Ita Confraternô affectu applauſerunt Cœnobij Plaſſenſis SS. Theologiæ, & Juris Canonici Auditores.

Admodum Reverendo ac Doctiſſimo in Chriſto Patri

AUGUSTINO SARTORIO,

Inſigne opus ſuum, Ciſtercium Bis-tertium, *typis evulganti.*

EN *Nova-Cella* tibi, ſua *pectora*, ùt *oſtia*, pandit,
Oſtia, quæ totô cardine aperta patent.
Dicta à *celando Cella* eſt; at re ſinè, nomen
Nunc placet, & non ſum *Cella*, ſed eſſe putor.
Crede mihi, hæc metamorphoſis non eſt mea tantùm,
Sed magìs ipſa tua eſt, ſed prior ipſa tua eſt.
Secretale geris (Tibi plaudo!) Vir optime, munus,
Et tamen hôc Librô non bene munus agis.
Prodis, quæ *latuêre* diu, *Secretáque rumpis*,
Sic certè non, quod diceris, Author eris.
Es ſinè *Secreto* Tu *Secretarius*, ergo
Ipſa ego non *celans* ſim *Nova-Cella* tibi.
Pando *ſinus* animi *arcanos*, dignóſque revelo
Applauſus, quales Te meruiſſe, liquet.
Si *Cella* eſt *Cælum*, quod nomina & omina dicunt,
Cor noſtrum *Sol* ſit, *votáque* ſint *radij*.
Mille tibi illuſtres radios, tibi votáque mille,
Cordíſque & *Solis circulus* iſte dabit.
Noſtra effervescunt *hôc ſole* vocabula, & ipſe
Sermo oris velutì cera tenella fluit.
Sol quot habet radios, atomos quot mobilis aër,
Et quot Olympus habet ſidera, Pontus aquas.
Tot tibi promeritos *Cæli terræque* favores
Det *DEUS* atque *Ordo*! Dent *Superi* atque *homines*!
Cælum eſt ecce *Novum*, Liber iſte, ubi Mellea Turba *Apocal. 21.*
Totô *præclaris emicat* Orbe *Viris*.
Quid niſi pro *Cælo Cælum* Sacer Ordo rependat?
Quod tu illi dederas, Hoc dabit Ipſe tibi.

Hócce

Hócce Opere *ad Terram Superos traxiſſe* juvabit,
Te Superi ad Cœlum poſt tua Fata trahent!
Interea hìc fauſtos longævus Vive per annos!
Opto, diu ut poſſim hìc dicere, Vive diu!
His *Nova-Cella* calet, fervétque affectibus in Te,
Ut *Cœlum* tibi dent Numina, *Cella* vovet.

Ita affectuosè plauſit Studium Monaſt: Neo-Cellenſis *in Inferiori Luſatia.*

Applauſus ad Admodum R. P. Auguſtinum Sartorium, Secretarium Vicariatûs Bohemo-Ciſtercienſis, Authorem Libri, CISTERCIJ BIS-TERTIJ.

AUguſtine, micat per te Ciſtercius Ordo,
En tuus eſt *calamus*, non ſecùs ac *radius*.
Ciſterc: Ordo, Fons. *Rivum* ex *Fonte* facis, numeroſâ laude *fluentem*,
Currunt Fontis aquæ, dum tua penna fluit.
Ipſe *canalis* es huic *fonti*, *fontique Corona*,
Fonſque canalis erit, *Fonſque corona tibi.*
Es ſimul Auguſtus, ſimul *Auguſtinus*, *adauges*
Famam, Facta, Viros, ingeniô & calamô.
Magiſter Novitiorum Quæ *verbô* docuiſſe juvat, placet edere *ſcriptô:*
Quod tua *lingua* dedit, nunc tua *penna* facit.
Poëta. Mutas & liquidas garrit, miſcétque Poëſis,
In te nîl *mutum* eſt, omnia ſunt *liquida.*
Eccleſiaſtes. Melleus es *magnes*, Cicero linguam tibi ceſſit,
Magnetem in verbis Tullius alter habes.
Profeſſor Philoſophiæ. Doctus Ariſtoteles per te collegit *ariſtas*,
Et *meſſem* ex *culmis* is tulit, & *calamis.*
Theologiæ Moralis. Poſt rerum *cauſas*, *Caſus* tu *Moris* es orſus,
Quos bene Diſcipulis, Te duce, nôſſe datum eſt.
Supprior. Sic *prodeſſe* alijs, ſimul & tibi *profuit* ipſi,
Ut *proſis*, *præſis*, Supprior eligeris.
Secretarius. Nunc à *Secretis* factus, nîl amplius in te
Secretum ſervas, omnia cùm *publicas.*
Te, tua, Noſtra loquens, ſcribénſque, arcana revelans,
Nobis ſic *prodi* profuit, atque tibi.
Semper honos, noménque tuum, laudéſque manebunt,
Immortalis erit gloria, jure, tibi.

Ita bonori Authoris accinuit Muſæum Philoſ: Monaſterij Altovadenſis.

BENE-

LECTORI BENEVOLO.

EST, quod paucis Te hoc in limine admoneam, Amice Lector. Ac primò quidem, lucubrationem præſentem opus eſſe obedientiæ, non proprij impetûs: Unde Authori indulgendum faciliùs, ſi (quod in humanis aſſolet) quid mendi hìc irrepſerit. Digeſſi Materias in Titulos, quibus, ceu ſcenis, Theatrum præſens diſtinxi. Titulos ſingulos auſpicatus ſum à Symbolis, ac clauſi Elogijs: priora illa ideò adjiciens, ut Lectoris animum curioſiùs pertraherem ad perlegendam Hiſtoriam: poſteriora hæc ideò ſubjungens, quatenùs mentem lectione hiſtoricâ fatigatam oblectarem Elogiali lepore, ad genium, quod ſciam, ſapientiſſimi ſimul ac curioſiſſimi præſentis Sæculi, atque, utinam etiam! quod opto, ad ſaporem & ſalivam: quod quidem velle potui, perficere autem ex me non habui. Porrò ſub Operis iſtius primordia, Reverendiſſimorum DD. Moderatorum meorum imperiô, præcipuè Elogia à me deſiderabantur, quibus Mellifluæ Noſtræ Familiæ de ſex Sæculis à ſui origine feliciter exactis, filiali jubilô applauderem. Verùm ego ultra imperium liberalis, Hiſtoriam, ceu clavim, ac lucem Elogijs ſuperaddidi, cujus defectu illa fortè minùs intelligerentur à nonnullis, qui res Ordinis Noſtri non adeò perſpectas haberent. Et ſanè præcipuus fuit iſte ſtimulus ad evulgandum præſens hoc opus, quòd ſcilicèt non rarò adverterem, ignorari Inſtituti Noſtri principia à non paucis, haberíque vulgò Bernardum Mellifluum pro Familiæ Ciſterciæ primo Fundatore: & quaſi ad res novas hærere multos, cùm Ciſtercienſium Fundationem referri audiunt ad Divum Robertum. Accedit, quòd præter Bernardum, alij è Ciſtercio Sancti, Viríque Illuſtres, atque etiam Noſtrorum labores Apoſtolici, inſigniáque in Eccleſiam, ac Orbem Chriſtianum Merita, ſimul etiam Pontificum ac Principum immunitates Noſtris conceſſæ, paſſim ignorentur à multis. Libavi itaque è ſingulis fontibus materias, & quæ videbantur poſſe ſervire ad Ciſtercij notitiam ac commendationem, in Titulos, velutì rivulos digeſſi. Non tamen his ipſis Titulis, quantumvis numeroſis, Ciſtercij Fontes exhauſi. Et fecit id non modica ex parte, Authorum cæteroquin requiſitorum defectus: Unde per ſingulos ferè Titulos repetitâ excuſatione Lectori Benevolo id conatus ſum perſuadere, multa quidem hìc pro diverſitate materiarum adduci; at verò etiam deſiderari non pauca, quæ ob Authorum penuriam omitti debuerant. Cæterùm ipſa Operis acceleratio in cauſa eſt, quòd præcipuè in poſterioribus duobus Titulis plura expectare non potuerim, quia ſcilicèt jam Anni duo ſupra Sæcularem elapſi eſſent; & videretur quaſi ipſa temporis ratio exigere, ut, quandoquidem Annum Jubilæum Ordinis præterierim, ſaltem in Generali Eccleſiæ Jubilæo, id eſt Anno 1700, geminatô plauſu, ſexies jubilato Ciſtercio Ordini adjubilarem, quòd ſcirem, Matris Eccleſiæ ſolatia eò fore dulciora, quòd cumularentur jubilis filiorum, tot hactenùs in Orbe Chriſtiano ſacros triumphos procurantium. Pro Titulorum varietate res eaſdem non rarò reſumpſi; at verò ſub diverſa ſemper formalitate: neque hâc repetitione culpandus ſim, quia nempe res ipſæ

in ſe formaliter multæ ac glorioſæ, pluries cuperent commendari. Porrò Typi menda, quæ irrepſerunt, non tam ferulam exigunt, quàm benignam correctionem, quam poſteriorem à Lectore Benevolo exoro, atque ex eo faciliùs ſpero, quòd Authori adeò imputari non debeant, qui à Typographia abſens fuit. Correxi, quæ videbantur turbare aut vexare ſubſtantiam ſensûs, atque in fine Libri ejuſmodi Correcturam adjeci. Errores reliquos Lectori benevoli prudentiâ corrigi opto, præſertim ubi peccatum eſt per tranſpoſitionem aut omiſſionem punctorum, commatum &c, quæ è contextu haud difficulter deſumi poterunt. Utere hôc Librô, Benevole mi Lector, ad profectum tuum ſpiritualem, & DEUM ora, ut, quorum laudamus & legimus Glorioſa Merita, etiam æmulantes ſancta Eorum chariſmata, communem tandem cum Ipſis conſequamur in Cœlis beatitudinem.

Proteſtatio Authoris.

PRoduco, commendóque in hoc Libro Viros Ordinis Noſtri Illuſtres, ità tamen, ut juxta Decretum ac mentem Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. Papæ, tota commendatio ſanctitatis cadat ſupra Virorum, Virginúmque mores, ac geſta, non ſupra Perſonas ipſas, niſi ubi jam antecedenter quibuſdam acceſſerit Pontificium è Cathedra Oraculum. Eapropter ſanctiſſimè proteſtor, me omnia & ſingula, quæ hôc opere ediſſero, eô ſenſu eloqui, quô ea vult intelligi Sancta Mater Noſtra, Romana Eccleſia, cujus infallibili judicio, exile hoc Opuſculum, hiſtoricámque illius fidem quàm integerrimè ſubſterno, ac conformo.

TITU-



A: Jahn offecij del: B: v: W: Scul:

TITULUS I.

CISTERCIENSES FUNDATORES.

CISTERCIUM Fons parvus, mari magno & ſpatioſo Ampliſſimo Sacerrimoque Ordini Benedictinorum primam debet Originem. Unde enim Benedictini nisì à Benedictinis? Angelus Manriqueus Hiſpaniarum ille ſplendor eximiô calamô initiô Annalium ſuorum rem certam ingenuè faſſus eſt, dum primis verbis primam quaſi veritatem celeberrimis voluminibus præfixit: *Ciſtercienſem Familiam Benedictini Monachi inſtituêre.* Non uni ſoli impoſita eſt Magni Ciſtercienſium Progenitoris authoritas aut fœcunditas; utique quia ab uno Parente gigni non potuit tanta proles, *Magna DEûm Soboles, Magnum Jovis incrementum.* Diviſa in tres præcipuè fundationis prærogativa Divos ROBERTUM, ALBERICUM, & STEPHANUM, Ciſtercienſis Orbis novos Atlantes, qui ſinguli nôvô rerum ordine ſummis favoribus mox recenſendis fæcundati à DEIpara Virgine prolem eniti non potuêre niſi Marianam. Errant qui putant, Ciſtercienſes in Bernardo primum habuiſſe Parentem: quos namque filios Trium Viri Robertus, Albericus, Stephanus genuêre, hos unus BERNARDUS ſuô illô lacte, quod ſuxit ex Virginis ubere, maternus Pater lactavit. Tribus Ciſtercij Fundatoribus additus unus eiusdem Propagator Doctor Mellifluus, quaſi Bernardus ſolus plus potuerit, quàm tres illi Viri Magni, per quos parvis initijs ſurrexit Ciſtercium. Et verò potuit, qui graviſſimas Eccleſiæ calamitates, & prægravem accreſcentis Ciſtercij molem unis ijs-

démque humeris fortior Atlante, robuſtior Hercule pene ſolus ſupportavit. Jam ſentio, penna ſuâ ſponte in Bernardi laudes evolat, ſed ad præſcriptam epigraphen revocanda eſt; ſcriptura hôc Titulô de Fundatoribus, infrà Titulô quartô dulciſſimum Bernardum liberiùs laudare audebit, debebitque. Igitur vetuſtâ poëſi, quam fronti Eccleſiæ Ciſtercienſis inſcriptam ſe vidiſſe aſſerit Gaſpar Jongelinus Abbas Montis S. Diſibodi, Ciſtercienſium Origo hìc repetenda venit:

In notit: Abbatiarum Ord. Ciſt.

Anno Milleno, Centeno, bis minùs uno,
Pontifice Urbano, Gallorum Rege Philippo,
Burgundis Odone Duce, & fundamina dante,
Sub Patre Roberto cœpit CISTERCIUS Ordo,
Cœnobia in toto producens plurima mundo,
Sic manſura diu per Sanctum Nomen JESU.

Roberti Primi Ciſtercij Abbatis auxiliatrices ambæ manus Albericus & Stephanus, ille primus in Ciſtercio Prior, hic primus ibidem Supprior, Socij naſcentis novæ Familiæ præter tres Magnos Viros Fundatores, decem & octo. Lubet parumper hærere in Fundatorum numero: neque enim abſque latente myſterio nec plures nec pauciores à DEO dati ſunt Ciſtercij Fundatores, quàm tres. Acutiſſimus Manriqueus ex his tribus Sanctis novam Ciſtercienſium Trinitatem eruit, ſuſpicitque, ingenioſô, veróque adjectô argumentô: *Haud aliter cepiſſe debuit Ordo fidei præſertim tutelæ deſtinatus per multa tempora.* Atque nè ſolâ numeri conformitate Trinitatem in primis Ciſtercij Fundatoribus agnoviſſe diceretur Magnus Theologus, data eſt ſingulis Divinæ cujuſpiam Perſonæ proprietas: Divo Roberto Patri attributa Ciſtercienſis Orbis prima *Creatio*: Divo Alberico aſſignata *filiatio*, quam aut meruit, aut ultrò à Virgine Matre obtinuit, dum ſcilicèt humaniſſima Parens quæ olim Filio DEI dedit è membris ſuis veſtem carneam, Alberico dedit manibus ſuis veſtem candidam, utrâque veſte ſe Matrem profeſſa, Chriſti & Alberici, quos ambos filios fecit, illum naturalem, hunc adoptivum. Divo Stephano ab utroque procedenti, & utriq; ſuccedenti aſſimilata eſt proprietas Spiritûs Sancti, qui ſub famoſo apud Theologos *Charitatis* charactere non potuit meliùs diffundi, niſi in Divi Stephani *Charta Charitatis*, in qua ſanctus Pater primá ſcripſit creſcentis Ordinis ſtatuta. Idem ille Divinus

Introduct. Annal. c. 1.

Introduct. Annal. c. 3.

nus in Ciſtercij Fundatoribus numerus Henriqueo noſtro occaſio fuit, ut non indoctè inveſtigârit, demonſtrâritque Trinitatem hanc noſtram ſub ſchemate Trium antiquorum Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, & Jacob. Sed in hiſtoria non licèt nobis diutiùs his immorari, qui ad ſingulorum Fundatorum ſuccinctam vitæ ſeriem calamum adaptamus. *Faſcic: Sanct. Ord. Ciſt. diſt. 1. c. 1.*

Divo igitur *ROBERTO* illuſtres Natales dedit Felix *Campania*, floridô prorsùs præſagiô, ex hoc Campo florem proditurum, qui in Virgineis Mariæ manibus olim coibit in ſertum, quô Campania, quô Gallia, quô Eccleſia, quô denique Cœlum ipſum coronetur. Roberti illuſtris Progenitor Princeps *Theodoricus* Burgundiæ Ducibus & Germaniæ Imperatoribus ſanguine junctus: Mater *Emergardis* nobiliſſima fœmina è Comitum Niverniensium familia oriunda. Ambo pij, ſed ad tempus divinâ ordinatione ſteriles: Erat utique tota tantorum Parentum fœcunditas inſumenda in unum illum filium, qui morum ſanctitate ac Ciſtercij novi Ordinis inſtitutione innumeras Eccleſiæ DEóq; generaturus erat proles. Prægnanti Matri in ſomnis apparuit Diva Parens annulum aureum habens in manu ſua, quæ blandè affata eſt dormientem his verbis: *O Emergardis, volo Filium, quem geſtas in utero, hôc annulô mihi deſponſare!* Semel, iterúmque Virgo Mater in viſione eadem repetens, eadem ſpondens, Emergardi omnem animi hæſitationem omninò abſterſit. Delectabat in primis optimæ Matris mentem, quòd pretioſum charúmque uteri ſui pignus MARIA in ſponſum deſignâſſet: utique ultrà vota mortalium eſſe, à Regina Cælitum vel in ſervulum adſumi, aut in filium adoptari; at verò à Matre Virgine in ſponſum deligi, eouſque conceſſum uni Joſepho: Novæ haud dubiè naſcituræ proli hæc connubia præparari, cujus MARIA tam cupiat eſſe Mater, quàm optet fieri Roberto Sponſa. Nati per Robertum Ciſtercienſes, Emergardis ſomnia, Mariæ oracula, Orbis vota implevêre. Electa ex omnibus *Cella* celebre Divi Benedicti Aſceterium, ubi Sponſus Virgini ſervaretur; ubi ille poſt religioſæ vitæ Tyrocinia ſanctiſſimus Benedictinus novâ antitheſi ad futuram novi Ordinis geneſim jejunijs flagriſque extenuando ſeſe fœcundavit; Optimè ſiquidem dignoverat, animum in ſponſum concupijſſe Caſtiſſimam Virginem, non corpus: Neque poſſe animum faciliùs rebus divinis fœcundari,

 quàm

quàm atterendo carnem. Quem Maria ſponſum elegerat, Cellenſes digniſſimum æſtimavêre, qui Prioris fungeretur, officiô. Indè à vicinis Tomodorenſibus aſſumptus in Abbatem clavum non diu tenuit; quia enim filiorum mores à regula aliquantum distortos & exerrantes ad conformitatem Pater Sanctus revocare nequierat, Abbatiâ dimiſsâ ad ſuam *Cellam* redijt evocandus mox ad Prioratum S. Agiulphi. Cœperat eâ ætate in Gallia nova Monachorum Congregatio in Eremo *Colanenſi* per duos Fratres Normannos, nobilitate ac opibus præpotentes, qui præpinguem hæreditatem mutuis odijs ſibi invidentes alternas cædes fratricidæ ſpirabant. At dum in Colanenſi horrida ſolitudine ſoli ex condicto congreſſi per duellum finem litigijs, odijs, vitæ imponere decreviſſent, ſtantibus immobiliter nervis, & membris ſtupore hærentibus mutati momentô divinitùs amborum animi, inveterata odia mutuâ veniâ & amplexu antiquârunt. Et quia in illa Eremo mutuis cædibus mori elegiſſent, ſuaſu hortatuque ſancti cujusdam Eremitæ firmatô inter ambos decretô quoad modum duntaxat mutatô junctis dextris mori decrevêre, ſed mori mundo. Erecta mox in vallium anguſtiis quædam domicilia, meliùs ſpecus, adjuncti ſanctæ converſationis complures ſocij famâ ſanctitatis Colanum per Gallias reddidêre celebrem. Unus Colanenſibus deerat Robertus, quem illi concordibus votis in Abbatem electum, invitis quidem ſub initium Cellenſibus, ſed tandem ad aſſenſum per literas Apoſtolicas compulſis, novæ ſuæ Congregationi Patrem præfecêre. Crevêre ſub tanto Viro omnia, ſola loci incommoditas obſtabat, Eremitis aptior quàm Cœnobitis: quare de Roberti Conſilio fratrumque aſſenſu mutatæ ſedes, translatæque in Sylvam apud Burgundos *Moliſmum* appellatam. Et hæc eſt illa fæcunda vinea, quæ Ciſtercio primos palmites dedit. Molismenſis Cœnobij primæ baſes ac fulcra, paupertas & abſtinentia, utraque ſumma. Sanctæ converſationis odore ac fragrantiâ aucta egregiè Molismenſium Familia novis filijs, inter quos præcipui *Albericus* & *Stephanus* deinceps commemorandi. Creſcente filiorum numerô crevêre pariter opes, quæ initiô ſub ſpecioſo Eleemoſynarum vocabulo per Mecænates oblatæ à Viris ſummâ egeſtate preſſis rejici vix poterant. Sed in ruinam Molismenſium aggerebantur copioſæ illæ largitiones, rectiùs gravantia pondera

Manriq. introd: Annal. c. 1.

pondera, quibus enervata pietas, rigórque ille regulæ primævus luxatus, laxatúſque non infelici quidem culpâ, quòd ex Moliſmenſium ruinis Ciſtercium ſurrexerit. Non tamen omnes una ruina involverat, ſtabant à Roberto non pauci, qui priſtinô rigore ſeu ſervatô ſeu reſumptô damnabant cæterorum laxamenta. Omnem movebat pius Pater lapidem, ut eluxata membra rejungeret compagibus, & exorbitantes ad ſemitam Regulæ vel invitos retraheret; at rebus, ùt ſperaverat, minùs ex voto ſuccedentibus commiſsâ B. Alberico Priori Domûs curâ in Monaſterium *Haur*, ſive *Aurum* Molismo vicinum ſe conferens primùm Monachus, ſubinde Abbas effectus eſt. Roberti abeuntis veſtigia Albericus & Stephanus paulò poſt ſecuti ad eremum, cui *Unicus* nomen, diſceſſerunt. Sensêre mox dolendæ orbitatis damna Moliſmenſes pulſati linguis Optimatum, contemptíque, atque conſuetis deſtituti eleemoſynis. Igitur magnis precibus ſolicitati Pontifex ſummus, & Epiſcopus Lingonenſis Robertum alióſque reſtituêre Moliſmo. Authoritate Apoſtolicâ compulſi redire Patres ſancti, ingentibus animis, quaſi ad hoc ipſum rediiſſent, opus reformationis reſumpſerunt; Sed pluribus ſummum vitæ rigorem horrentibus, urgente præcipuè Divô Stephanô propoſita poſitaque tandem poſt tot molimina rerum Ampliſſimæ Ciſtercienſium Congregationis primordia. Calente opere Septem-Viri Sancti *Robertus*, *Albericus*, *Stephanus*, *Odo*, *Joannes*, *Lætaldus*, *ac Petrus*, quibus mox accedent plures, Hugonem Archi-Epiſcopum Lugdunenſem tunc Apoſtolicæ Sedis Legatum ſupplices adeunt, facultatémque, quam petunt, obtinent, diſcedendi à Molismo, locúmque propoſito ſancto accommodum ſibi ſeligendi. Conveniendus præterea erat *Odo* Dux Burgundiæ, ad quem nomine Roberti ſociorumque cum literis miſſus Stephanus Principem pientiſſimum ſenſit in ſancta propoſita propenſiſſimum. Literis Legati Pontificij, Ducíſque muniti convocatô Conventu Moliſmenſibus valefaciunt: oratione Roberti moti univerſi in planctus & lachrymas; quatuordecim verò è Congregatione arctioris vitæ ſtudiô accenſi, ſeſe comites adjunxerunt diſcedentibus, quos inter Manriqueus duos duntaxat nominetenùs recenſet, *Ignatium & Ildebodum*. Univerſim igitur per ſocios viginti & unum numeroſiſſima Ciſtercienſium familia fundata ſurrexit.

Datum Ordini nomen à primo Cœnobio, quod Viri Virtutum in vaſta horridáque ſolitudine *Ciſtercium* antiquitùs nuncupata extruxerunt, quod quidem Cœnobium pro illa prima naſcentis Ciſtercij ætate dictum etiam eſt reſpectivè *Monaſterium Novum*; quæ tamen compellatio creſcentibus per Orbem univerſum Ordinis cœnobijs tandem antiquata eſt, retentô ſolô nomine loci. Unde autem locus Ciſtercij nuncupationem ſortitus ſit, ſincerior fides adhibenda eſt Scriptoribus Burgundis utpote domeſticis, qui Ciſtercij nomen vel è *Ciſternis* hauriunt, derivantque, quibus olim abundabat Ciſtercienſis Eremus, ſive à juncorum paluſtrium denſitate, quos Galli *Ciſtels* dicunt, deſumunt. Matthæus Paris & Weſtius Scriptores Angli Ciſtercij nomenclaturam altiori principio, id eſt voci cælitùs auditæ nixam arbitrantur: Primos namque noſtros Patres piâ indagine ſcrutantes locum Cœnobio conſtruendo opportunum, ſtetiſſe in loco, qui inde Ciſtercius dictus eſt, audijſſéque vocem cœlitùs ad ſe delapſam: *CIESTAVUS.* Quod Patriâ linguâ ſonat: *hìc ſtate.* Manriqueus aſſertionem hanc ex parte caſtigat: lubet eundem proprijs verbis audire loquentem: *Ego ùt divinum reſponſum ſub his aut alijs verbis certum credo, itâ etymologiæ huic minùs fido.* Aſſentitur Vir Eximius, Primos Ordinis Fundatores divinô imperiô monitos ſubſiſtere, juſsóſque in Sylva Ciſtercienſi habitacula figere; at verò à Patrum noſtrorum adventu & incolatu primùm profluxiſſe Ciſtercij nomen, doctus authoritate *Exordij Magni* negat, cùm jam antiquitùs ea ipſa Eremus *Ciſtercium* diceretur, haud dubiè, ùt meminimus, à frequentibus *Ciſternis.*

Manriq. in Annal. ad Ann. 1098. cap. 2.

Situata eſt domus Ciſtercienſis in Ducatu Burgundiæ haud multô intervallô à Divione Parlamenti Sede diſtans. Fundator Ejus præcipuus Auctórque *Odo*, ſive *Otto* Burgundiæ Dux, atque Odonis filij ac hæredes, per quorum munificentiam amplis prædijs ac ſumptuoſis ſtructuris auctum, decoratúmque eſt Ciſtercium: Quare ab eo tempore ad præſentem uſque ætatem Burgundiæ Duces tanquam Patronos loci colit, ſuſpicitque. Gentilitium Ciſtercij ſcutum idem omninò eſt, quod habent Burgundiæ Duces, Parma ſcilicèt bicolor, id eſt, coloris cærulei flavique ſeu aurei, diſtincta transverſis Faſcijs, quam hodie ſparſim aurea Galliæ lilia cingunt, ornantque. Additus ſcuto ſeu Parmæ Baculus Paſtoralis duplex, quô vel à Parma præſidium, vel

vel à lilijs decus florémque Ciſtercius Ordo obtineat. Novæ Congregationis vivendi norma, Regula Benedicti Patris in rigore literæ obſervanda: antiquata ea omnia, quæ regulæ ſeu diſpenſationem ſeu relaxationem præſeferebant: adeò ſcilicèt primi Ciſtercienſes nil magìs cupiebant eſſe, quàm Benedictini, ut abſque calumniæ à quibusdam olim ſugillari non potuerint, tanquam Novatores, qui præter novum Zelum, vitam, ac locum nîl penitùs novum addidêre regulæ; quin potiùs illam in primævo rigore conſtabiliêre. Divus Robertus novis votis à Benedictinis Ciſtercienſibus electus in Patrem, ritu ſolemni per Baculi Paſtoralis collationem inauguratus eſt in Abbatem per Gualterum Epiſcopum Cabilonenſem. Sed interim Molismenſes odia Principum, odia omnium ſeu meriti ſeu paſſi ſuâ pœnitudine pijſſimi Præſulis abitum abſentiámque acerbiſſimè deplorabant, atque ut quantocyus deſolato gregi reſtitueretur Optimus Paſtor, magnis clamoribus in Generali Concilio Romæ eô planè tempore ſub Urbano II. congregato inſtitêre. Neque irritæ fuêre preces armatæ lacrymis: Summus namque Pontifex Hugoni Lugdunenſi Archi-Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato per literas demandavit, ut modo quô poſſet meliori Robertum Molismum reduceret. Literarum Apoſtolicarum initium tale fuerat: *Molismenſium Fratrum magnum in Concilio clamorem accepimus, Abbatis ſui reditum vehementiùs poſtulantium.* Grave Ciſtercienſibus vulnus, in uno Roberto & Patris & Fundatoris & Paſtoris pati jacturam; tolerabile tamen ex eo, quòd novi Ordinis molem in pares Alberici lacertos potuerit transferre. Nulla quidem per Breve Pontificium Roberto impoſita fuit redeundi neceſſitas; ſed ipſum ſummi Antiſtitis beneplacitum, Hugonis Apoſtolici Legati conſilium, univerſæque Synodi Provincialis ea de cauſa convocatæ reditum per omnia ſuadentis, voluntatem negligere Vir ſanctus, & ſubeſſe & parere Viris tantis paratus vix potuit. Quare eâdem Hugonis Legati Apoſtolici authoritate, quâ è Molismo exceſſit, ad ſuos Molismenſes redijt Anno 1099. poſtquam Ciſtercio præfuiſſet annum unum, menſes tres, ad ſummum quatuor. Hæ ſinceræ cauſæ reditûs Roberti Patris. Profundiori tamen oculô Eximius Manriqueus hunc Roberti à Ciſtercio diſceſſum perſcrutatus eſt, ſcilicèt ut Ciſtercienſibus Patre orbatis ſolam daret in

Matrem MARIAM. Veritas ingeniô calamoque Manriquei longè dignisſima! Robertus olim jam in utero deſponſatus Matri Virgini perſonam Joſephi ſuſtinebat: Nuncupabatur Joſephus diviniſſimæ Prolis Pater, ſed quam non genuit, figura potiùs umbraque rectiùs compellandus, quâ abſconditum illud à ſæculis Incarnationis myſterium obumbraretur. Sola MARIA fuit, quæ Filium DEI mundo genuit hominem, non Ioſephus, cui à DEO, à MARIA, à mundo Patris nomen impoſitum eſt, verûm ùt habet Manriqueus, *ſinè opere.* Angelum noſtrum in ponenda Ciſtercij geneſi ſtylô illô ſuô fœcundum facundúmque auſcultemus: *Non decuit Virginem absque ſponſo eſſe fœcundam: Quare MARIÆ Ciſtercium paritura Robertus Pater in Sponſum datus fuerat: non ſecùs ac paritura Chriſtum Joſephus olim. Sola igitur Maria relicta eſt, quâ ſe Ciſtercium genitum glorietur, qua ſe Matrem agnoſcat & ſemper gerat.* Abijt itaque è Ciſtercio Robertus, ſed non ſinè Numine Divæ, quæ ſola Maternitatem ſeu Geneſim Ciſtercij ambiebat, ut nempe quaſi modò geniti Ciſtercienſes totos ſe deberent almæ Matri, à qua toti profluxerint. Neq; Robertus Ciſtercienſis eſſe deſijt, dum è Ciſtercio ad Molismum non ſuâ ſponte, ſed per Pontificem ſummum, alióſque Viros graviſſimos perſuaſus migravit. Adhærebat abſentis anima abſentibus filijs non ſecùs, ac viſceribus ſuis, illô dilectionis glutinô, quod nulla corporum nulla locorum diſtantia uſpiam disjunxerit: Inde illa in optimo Patre affectuum teneritudo, ex crebra Ciſtercienſium reminiſcentia in ſuaviſſimam Epiſtolam concinnata: Hanc quia ad rem noſtram ex Bernardo Brito *L.* 1. *c.* 7. hìc damus. *Fratribus, qui in Montibus Ciſtercij ad montem perfectionis conſcendunt. Robertus eorum quondam ſocius, nunc in vallem miſeriarum demerſus, poſt aſcenſum palmam, & ſui in aſcendendo recordationem. Si lingua calami, lacryma atramenti, cor papyri vices ſubire poſſent, fortè calamus aures, atramentum oculos, papyrus affectiones, & omnia ſimul, ſimul & vos omnes ad affectum miſerationis commoviſſent. Poſtquam enim vobis non adhæſi, adhæſit lingua mea faucibus meis; cùm vos non viderunt oculi, lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum; dum cor à vobis (ſi à vobis unquam potuit) fuit avulſum, factum eſt tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Sed me à vobis, non tamen quemquam ex vobis, à me iſta ſeparabit avulſio; quos enim jungit charitas JESU Chriſti, fruſtrà dividunt terrarum ſpatia.*

Ad Annum 1099. *c.* 2.

Cit. à Manriq. in Annal. ad Annũ 1100. *cap.* 2.

tiæ. Habeat Moliſmus præſentiam corporis, legibus obedientiæ adſtrictam; dummodò Ciſtercium animæ deſiderium poſſideat. Hoc diſpoſuit Altiſſimus, cujus inſcrutabilia ſunt ſecreta, ut in diverſa diſtractus, nec anima per corporis converſationem diſtrahatur, nec corpus diſtractum tam ſanctâ converſatione fruatur. Pro anima vobiſcum degente orationes fundite, corpus, cujus animam poſſidetis, tanquam optimæ partis poſſeſſores, vos ſalutat in Domino. Hæc ille. Quis igitur Robertum vel in Moliſmo Ciſtercienſem neget? Ciſtercium ei in votis, in pretio, in amoribus, quin imò ipſa Moliſmenſis ſolitudo novum ſub Roberto Ciſtercium, Patris ad exemplum ad imperium pulcherrimâ ſimilitudine reformatis univerſis. At non ultrà annum ſtetit Moliſmenſium felicitas, ambiente jam cælô ipsô Viri Sancti conſortium. Atque ut haberent orphani in Moliſmo & Ciſtercio, quô temperarent luctum lacrymáſque, quas mors Patris amantisſimi utrisque expreſſerat, incidit felicisſimus Ejus tranſitus in annum 1100. qui fuit toti Orbi Chriſtiano Jubilæus: utique inter communes Eccleſiæ jubilos, ſoli illi dolorem ſuum vix ſentire audebant, neque plangere illum poterant qui inter jubilos ad immortales triumphos conſcendiſſet. Et verò Cælum triumphanti Roberto geminas pulcherrimas irides veluti in arcus triumphales adornavit, quæ ſub noctis initium illâ ipsâ horâ quâ Pater Sanctus carnis ergaſtulô ſolutus eſt, ſupra Moliſmum apparentes, magnis fulgoribus totâ illâ viciniâ conſpicuæ, diſpulsâ caligine, noctem verterunt in diem. Majeſtas ſpectaculi eò erat venerabilior, quod in ſummitate utriusque iridis, ubi ambæ jungebantur, in illuſtrisſima ſphæra Crux rutilans & grandiuſcula cincta crucibus parvulis & globulis ſplendidis refulgeret. Ipſæ verò irides non obſcurô myſterio ſic erant ſituatæ, ut in quatuor partes terræ extenſæ Ciſtercium per orbem univerſum dilatandum illuſtri præſagio portenderint; altera namque ab Aquilone ad Auſtrum, altera verò à Septentrione ad orientem ſeſe latisſimè explicabat. Non potuit ſanè Roma pro Divi Roberti apotheoſi illuſtriora teſtimonia aut expectare aut deſiderare, quàm eadem hæc ipſa, quæ DEUS, quæ Cælum ei impenderunt. At Roberti illuſtris ſanctitas non ſolam noctem per lucidos illos arcus, verùm & cæcos reſtitutô prodigiosè lumine ad tumbam illuſtravit. Infans inter graſſantes flammas ſolus in domo à Parentibus relictus, Divóque Roberto

C per

per vota & preces ab eiſdem recommendatus inter cineres & domus ruinas ludens flammíſque illudens, ſanus valénſque repertus grandi prodigiô ſancti Abbatis merita divulgavit. Lupus rapax filiolum quem in ſylva ſub arbore quieſcenti matri abſtulerat, interpellatô Divô Robertô illæſum famelicis faucibus inter ubera ſinúmq; plangentis repoſuit. Fugatus ab energumena Roberti Patris invocatione cacodæmon, ſuâ illâ fugâ ſancti Viri publicos in Eccleſia honores acceleravit: quos tandem centum & ampliùs ab obitu Sancti evolutis annis ei cum titulo *San-*
Anno 1222. *cti* decrevit ſummus Eccleſiæ Præſul Honorius III. Annua Sancti Patris celebritas non decimâ ſeptimâ Aprilis, quâ obijt, ſed vigeſimâ nonâ memorati Menſis, quâ inter Sanctos relatus eſt, feſtiva agitur.

Divo Roberto in Ciſtercio ſucceſſit *S. ALBERICUS*, è Priore ſuffragijs omnium deſignatus ſecundus Abbas: olim Roberti in Molismo diſcipulus, Ejusdem in Eremum Ciſtercienſem Comes, tandem non muneris duntaxat, ſed inſuper virtutum Ejus dignisſimus hæres. Non potuit non occupare corda & vota fratrum, qui omnium linguis & calamis hodiedum apud Man-
Ad Ann. 1109. c. 1. riqueum alióſque celebratur, *ingeniô mitis*, *eloquiô dulcis*, *diſertus zelô*, *aſpectu Venerabilis*, denique *amari paratior quàm timeri*. Pietate fuit in DEIparam ſummus, à teneris innutritus Mariano cultui, non ullus eâ ætate Albericô aptior, ſub quo Ciſtercienſis Congregatio, quam Virgo ſibi genuiſſet, magnis incrementis adoleſceret. Et nè Roberti diſceſſu aut obitu è Ciſtercienſium animis abire poſſet pulcherrima illa idea, quâ ſe in primo ſuo Patre Virgineæ Matri deſponſatos meminiſſe poſſent, novô ſacramentô ſe ſuóſque Mariæ integerrimè obſtrinxit Albericus: Neque illa paſſa eſt à Clientibus ſe vinci, rependit amantiſſima Mater vicem longè ultra Alberici expectationem; dum namque aliquando animô ſuper ſidera contemplando aſcendiſſet ſanctiſſimus Aſceta, Cælorum Imperatrix ſub auguſta ſpecie animo oculisque Alberici obvia, quot verbis tot oraculis Ciſtercienſium perennes amores ſibi demeruit, eorundem perpetuam Tutelarem Patronam ſeſe ſanctiſſimè profeſſa. Verba DEIparæ ad Albericum, imò ad omne Ciſtercium fuêre hæc: *Ego Ordinem iſtum*
Henrinq. in Menol. 26. Januaij. *uſque in finem ſæculi protegam atque defendam.* Fecit quod ſpoſpondit Regina Cælitum per annos omninò ſexcentos inter procellas & tur-

& turbines proſpera & adverſa ſalvô florentéque hodiedum Ciſterciô: Neque deinceps poterit aut volet deeſſe ſuis & verbis & clientibus, ut quæ per annos ſexcenties revolutos feliciſſimè manutenuerit Ciſtercium, illud per ſexcentos alios, alióſque fidiſſimè ſit defenſura. Eadem Alma Parens Alberico quintâ Auguſti in choro pſallenti Cucullam candidiſſimam induit, amictum ſcilicèt nomini ſuo concolorem, ut qualis jam intùs eouſque fuiſſet, etiam appareret foris, eſſétque animi veſtiúmque candore Mariæ albicans. Reliquorum in Choro Ciſtercij coloris metamorphoſis planè eadem, mutatæ omnium cucullæ nigræ in albas, quaſi non deceret eos ampliùs atrô illô luctuoſóque colore lugere Roberti jacturam, quibus in locum Patris acceſſiſſet una illa Optima Mater, quæ una ſola ſolicitudine, poteſtate, affectu Patres omnes longè excedat. Stant hodiedum Ciſtercienſes in Choro candidis induti cucullis, qui neque morum neque veſtium colore uſpiam eſſe volent Candidiſſimæ Purisſimæque Virgini diſcolores. Solent qui Ordinem fundant, veſtes ſuis, legéſque præſcribere. Utrumque in Alberico MARIA præſtitit univerſis Ciſtercienſibus; Henriquezius enim ex Joanne Abbate tradit, primas Ordinis conſtitutiones Divo Alberico eſſe datas à DEIpara. Marianis igitur auſpicijs fundatus Ordo Ciſtercius duobus à fundatione annis confirmatus eſt à Paſchali II. Anno Milleſimô Centeſimô. Promotum eſt negotium Confirmationis per duos præcipuè Cardinales, *Joannem* & *Benedictum* Summi Pontificis in Gallia ad Philippum Regem Legatos, qui famâ ſurgentis novi Ordinis moti Ciſtercium ſponte ſuâ nemine invitante inviſerunt. Hæſerunt Viri Magni ad ſingula, quæ viderunt in Ciſtercio eximia, vixque credebant eos homines eſſe, qui in carne infirma tanta pro cælo, pro virtute poſſent, tanta auderent. Itaque ambo Authores Alberico facti, ut Ordo perfectionis tam ſublimis tam angelicæ à Sede Romana omnis ſanctitatis Magiſtra mox approbaretur; alioquin enim diu ſtare non poſſe, quem ſeu novitas ſeu ſingularitas feciſſet calumnijs multorum, ùt ſolet, obnoxium. At Ciſtercienſes quantumcunque optabant Domum ſuam inniti Romanæ Petræ, ægrè perſuaderi poterant, ut Romam ipſi adirent, ſive illos amor ſolitudinis, ſive animi demisſio, ſive gravis paupertas, ſive itineris prolixitas, ſive hæc omnia ſimul, aliáque ad conſilia Cardinalium reddiderint admodum

Henriq. in Menol. S. Auguſtini.

Henriq. in Faſc. diſt. 2. c. 2.

dum difficiles ac reluctantes. Pervicêre tandem Purpuratorum preces, tantùm non imperia, ut duo è Ciſtercio Fratres *Joannes* & *Ildebodus* cum literis Cardinalium, Hugonis Archi-Epiſcopi Lugdunenſis, & Gualteri Epiſcopi Cabilonenſis ad Paſchalem ab-
Ad Annum 1199. c. 1. legarentur. Obſervat acutè hìc pro more Manriqueus, *quod ſcilicèt Alios Ordines admiſerit Eccleſia, hunc quæſierit; & qui pro alijs rogabantur, ut conſentirent, Ciſtercium penè rogârint, ut eſſe vellet.* Pergratæ erant Paſchali preces, quibus lubens gaudénsque deſideratum aſſenſum præbuit, datô brevi Apoſtolico, in quo Ciſtercium ſub nuncupatione *Novi Monaſterij* confirmat, fratrésque Ciſtercienſes ſemel iterúmque *filios in Chriſto dilectiſſimos* ac *deſideratiſſimos* amanter compellat. Quanta autem Alberici totiúsque Ciſtercij fuerit ſanctitas, quantus vitæ rigor, ſupra fidem, ſupra vires eſſe videntur, quæ & primi Ciſtercienſes egerint, & Scripto-
Apud Manriq. ad Annum 1099. c. 4. res fidi de ijs tradiderint. Michaël Buchinger Colmarienſis Scriptor Germanus (dignus qui fidem, quam meruit apud Manriqueum, etiam apud benevolum Lectorem obtineat) in vita Urbani II. hæc habet: *Ciſtercium locus eſt in Burgundia vaſtæ ſolitudinis, ac horrendi aſpectûs: de vitis Monachorum primorum temporum ſequentia legimus: Quatuor horis dormiebant in nocte, quatuor pſallebant, & quatuor operabantur. Deinde verò uſque ad nonam legebant, ſcindentes folia palmarum, & poſt hoc victum ſibi præparabant, colligentes quaſdam herbas terræ. Folijs palmarum contextis veſtiebantur.* Subintrat hìc
Ibidem. rursùs ingenioſus Manriqueus, & in allegata Buchingeri verba argutam hanc gloſſam format: *Unum aut alterum inter Patres illos Ægypti hæc obſervâſſe memoriæ proditum, ac pro miraculo habitum: multitudinem his legibus adſtrictam haud facilè reperies ante Ciſtercium, minùs poſt ipſum.* Hunc vitæ angelicæ ſtatum Albericus cum ſubdito grege inconcuſsè tenuit uſque ad felicisſimum è vita exitum, qui incidit in Annum 1109. 26. Februarij, poſtquam Mariano cœtui præfuiſſet annos 9. & menſes 6. Mors ejus non ſinè portentis; dum namque acutâ febri correptus in lectulo decumberet, atq; corona fratrum ægrotum mæſta plangénsque circumſtaret, Vir Sanctus deliquiô morbi an amoris, incertum putat Manriqueus, extra ſe factus, ſibique non diu poſt redditus, lætâ fronte ſingulos per ordinem luſtrans omnium in cælo ſedes, prœmia, favores ſe vidiſſe conteſtatus eſt, & quâ potuit voce dixit: *O felices vos, quos tanta gloria manet, Cæleſtes Spiritus æternùm beatura!*
Indè

Indè recitato Symbolô Apoſtolicô, atque Litanijs ad ea verba deductis: *Sancta Maria ora pro nobis!* hæſit in dulciſſima nominis MARIÆ articulatione vox & lingva, vultúsque & orantis & expirantis ſplendore ſolis inſtar perfuſus ſeu præſentem ſeu vocantem ſvaviſſimam Matrem viſus eſt indicâſſe. Non in mortem, ſed in ſomnum reſolutum eſſe Patrem amantiſſimum arbitrabantur filij, tantâ facilitate absque ulla omninò convulſione ſpiritum exhalaverat. Apparatus funebris peractus eſt ſinè faſtu inter ſuſpiria & lachrymas, quibus orbitatem ſuam Orphani acerbè deplorabant. Divus Stephanus hactenùs ſub Alberico Prior funebri ſermone Dulciſſimi Patris manibus parentavit. Cælum ipſum in cultu Alberici altiùs provehendo operoſum ac ſolers tot faculis quot miraculis tumulum Sancti Abbatis illuſtravit. Neque Albericus ſibi ipſi defecit, quin crebris apparitionibus in choro dum fratres pſallerent, in clauſtro aut agro, dum labori inſiſterent, ſtrenuus illis excitator, ſibi verò ſuæque gloriæ fieret eximius ipſe Præco. Illud quoque Divo Alberico ad cumulum gloriæ addi poteſt, quòd unus idémque annus ipſum, unáque illuſtres è Divi Benedicti familia ſanctos D. Hugonem Cluniacenſem, & D. Anſelmum Archi-Præſulem Cantuarienſem immortalitati tranſcripſerit laureandos.

Concordibus votis Divo Alberico ſubrogatus eſt S. STEPHANUS nobiliſſimus Anglus: qui cùm primùm per ætatem licuit, nè angelicum nomen aut puritas vitiorum contagiô contaminaretur, in Schirburnenſi Benedictinorum cœnobio Monachus effectus eſt: & quia præpollebat indole ac ingeniô, primùm in Anglia, ſubinde in Scotia, ac demum Pariſijs in Gallia in profanis divinisque literis evaſit celeberrimus. Vix meliùs Virum ſanctùm laudavero, quàm ſi tribus Manriquei encomijs eundem deprædicavero, *labore aſſiduum*, *ingeniô profundum*, *meditatione præcipuum.* Animô diſciplinis ſcholaſticis abundè & excellenter excultô placuit deinceps ſoli ſtudere virtuti; hinc quia Roma, Sacri Apoſtolorum cineres, cruenta Martyrum veſtigia unicè erant in votis, Clericum quendam eadem cupientem in viæ comitem adſumit. Paucos Roma vidit duobus his peregrinis ſimiles, qui viarum tædia & ſcirent & vellent fallere precibus, *ſingulis namque diebus integrum Coronati Vatis pſalterium alternis verſibus devotiſſimè decantabant.* Nîl unquam tam arduum

Introduct. Annal. c. 2.

D

duum tam moleſtum illis in via evenire poterat, quod eos à ſtatuto orationis penſo vel ſemel abſtraxerit. In reditu peragratæ Galliæ, & præcipuè in Moliſmo viſitatus Robertus, qui omnium lingvis eâ ætate per Gallias famâ ſanctitatis celebrabatur. Dixiſſes Jonathan incidiſſe in Davidem, tantis mox affectibus, tantô glutine coaluêre amborum corda. Sociô Clerico urgente diſceſſum in Patriam, ad Parentes, Amicos, Stephanus ſe hæc omnia in una Moliſmi ſolitudine inveniſſe ratus, Comiti fido vale datô, Roberto filium ac Molismenſibus ſe junxit ſocium. Cadente ſubinde, tepentéque primò Molismenſium fervore, quemadmodum ſolent res pleræque in aliquo ſummo non diu ſtare, dolens condolénsque Stephanus cum Roberto & Alberico calamitati collabentis diſciplinæ, omnimodè conabatur ad gradum ac ſtationem priſtinam reducere retrò ſeu gradientes ſeu labentes: Eratque in eo totus Vir Zelotes, ut ægra Moliſmi membra perſanaret; at fruſtrà: non quia morbus tam erat obtuſus, ut extra ſpem eſſet curatio, verùm quia inſcrutabili Altiſſimi conſiliô per ea mala tres illi Viri virtutum condendo Ciſtercio præparabantur: quô firmatô Molismenſis domus per Robertum reducem in mores longè ſanctiſſimos quaſi poſtliminiò non ægrè eſſet reformanda. Primus præcipuúsque adeundi Ciſtercii, exſtruendæque novæ Domûs, ſeu meliùs novi Ordinis Author Stephanus Pater, quod verbis Exordij Magni luculentis ac eximijs palàm conſtat, ubi hæc habentur: *Poſtmodum verò cùm verbum innovandæ religionis in eadem Domo* (Moliſmo) *motum fuiſſet, ipſe Stephanus primus inter primos ferventiſſimô ſtudiô laboravit, ut locus & Ordo Ciſtercienſis inſtitueretur, cujus poſtmodum ordinante DEO Paſtor & Doctor erat inſtituendus.* Ipſe igitur Ciſtercij montes laudare, ſvadere, ipſe hæſitantes urgere, ſolertes firmare, ipſe pro omnibus Legatus, Advocatus, Orator pro Ciſtercij ſolitudine Ducem Burgundiæ ſolicitare, ut Viri eruditi non pauci crediderint Stephanum primum fuiſſe Ordinis Authorem; quod tamen diſtinguendum eſſe arbitror, quôd ſcilicet Ordinem primus moverit, promoverit, ſuaſerit, urſerit; non verô quia Ordini primus Abbas aut Superior præfuerit, hæc enim gloria ſoli hactenùs Roberto reſervata eſt: Seu etiam in hoc ſenſu primus Ordinis Author dici poteſt, quòd ſub ipſo Ciſtercium cœperit eſſe fœcundum, ac, ùt loquitur Manriqueus, *prolificum*, hoc eſt auctum pro-

cit. apud Manriq. in Introd. Annal. c. 3.

propagatúmque per diverſa cœnobia, cùm tamen antea ſub Roberto ac Alberico non tam Ordo, quàm ſimplex Monaſterium nuncupari debuerit. Munus Stephani in Ciſtercio ſucceſsivè triplex; primus enim fuit ſub Roberto Supprior, ſecundus ſub Alberico Prior, tertius tandem ejusdem Domûs Abbas. Paupertas ei præcipuè in amoribus, in pretio, quam in filijs voluit eſſe ſummam, adeò quidem, ut etiam ſacra Eccleſiæ Ornamenta vetuerit eſſe aurea, argentea, vel ſerica; Pretioſa namque hæc ſenſa, prima veluti perfectionis rudimenta filiorum animis crebriùs inſtillabat: Non tam aurô argentóve DEum coli, quàm mente ac Spiritu: Solis virtutibus abundare Monachos debere: gemmas opésque in religioſis Domibus non lucere, non fulgere modò ſed inſuper intuentium animos accendere ad invidiam, aut, quod pernicioſiùs, ad rapinam. Indè igitur factum eſt, ut ſub Stephano Ciſtercium eguerit uſque ad mendicitatem, ipſéque optimus Pater oſtiatim in proximis pagis mendicando unà cum ſocio fratre ſuorum inopiam ſublevârit. Non tamen ſordida, non indecora fuit hæc Ciſtercienſium egeſtas, quæ non neceſsitate inducta eſt, ſed voluntate ſed virtute. Paupertati voluntariæ junxit optimam ſociam fiduciam in DEUM Stephanus Pater; credebat enim, nîl ſibi, nîl ſuis deeſſe poſſe, qui ſpes curásque ſuas in Dominum jactârint. Grandis hæc Stephani fiducia firmata eſt ingenti prodigiô: Dum namque Converſus quidam à pio Abbate ad nundinas Vercelliacenſes deſtinaretur, ut fratribus, qui fame, frigore, nuditate miſerè premebantur, neceſſaria coëmeret, eíque tres duntaxat denarij, qui ſoli fuerant omnes Ciſtercienſis Domùs divitiæ, à Stephano pro tantis oneribus, tribus ùt juſſerat quadrigis advehendis numerarentur, hæſit Converſus ad imperii novitatem; at ille ſtupentem interpellans ait: *Hos* (denarios) *ſi volueris, tolle, reliqua verò quæcunque defuerint, tibi, Domini noſtri JESV Chriſti gratia providebit.* Erectus hâc ſeu prophetiâ ſeu fiduciâ ſeu benedictione frater ſolas ſpes pro nummis ſecum adferens Vercelliacum lætus petivit: ubi Divinâ ordinatione Viri cujuspiam opulenti, qui morti proximus facultates ſuas pauperibus feſtinanter erogabat, largâ munificentiâ præventus, imperatas ſibi merces comparavit. Cui Ciſtercium revertenti Abbas Sanctus ſolemni proceſsione veluti Angelo DEI occurrens eleemoſynam cœlitùs ſibi miſſam devotus ſuſce-

cepit, ſuorúmque animos aliquantùm dejectos in Sancta paupertate egregiè ſolidavit. Minuerat aliquando ſangvinem *propter Chriſtum* Pater Sanctus, & quia edulium aptum nec cocus nec focus præ manibus haberet, quòd ægroto langventíque Abbati apponeretur, ſuſcitavit DEUS antiqua Eliæ ac Pauli miracula, avémque peregrinam ad Stephanum ablegavit, quæ piſcem prægrandem, ungvibus aſportans coram ſtupentium oculis projecit, avolavítque. *Minuere ſangvinem propter Chriſtum*, antiqua apud Ciſtercienſes phraſis, ſed Sancta, & quia hodiernis fortè ignota pauculis explicanda. Sangvinis minutio olim noſtris frequens, non quidem curandæ valetudini, ſed enervandæ carnis cupidini ſaluberrimè inſtituta, ut rebellis concupiſcentia ſangvine quaſi armis exuta Spiritûs imperium faciliùs pateretur, ferrétque. Dum hæc prælia pro Spiritu contra carnem gerunt Optimi Ciſtercienſes, incipiunt Anno præcipuè IIII ſentire grave in Spiritu, in corde vulnus, funera nempe & mortes complurium è fratribus: quæ utique adhuc tolerabilia fuiſſent, ſi extinctorum diſpendia reparâſſet novorum acceſsio. Una omnium vox, unum cum Stephano lamentum: *Quotidie tollimur è medio, & valdè timendum, nè nobiſcum pariter hæc noviter capta religio finem accipiat.* Vulneri huic ſola mederi poterat manus Altiſſimi, ſola debebat: quare Stephanus plenus fide, plenus Zelô quendam è fratribus viam univerſæ carnis ingredientem obedientiæ imperiô etiam ultra mortis limites conſtrinxit, reverteretur, ferrétque è Cœlo nuncium, num nova hæc & â pluribus taxata vivendi norma Cœlo Numiníque arrideat? sítne ſpes aliqua, ut novus hìc Ordo in ulteriores propagines fœcundus pullulet; an verò reciſis pauculis, qui reſidui eſſent, palmitibus, foret emoriturus? Aliquot evolutis diebus ſub veſperum frater ille defunctus multô circumfuſus ſplendore deſideratiſsima à Superis nuncia Stephano Patri attulit: Eſſe nimirùm id vitæ genus DEO longè gratiſsimum, néque ùt anxiè timuerat, extinguendum in radice, ſed propagandum per terras & maria in immenſum: *Venturósque poſt dies pauculos Viros Nobiles ac literatos plurimos, qui ita ſint Domum illam repleturi, ut hinc tanquam examina apum æſtuantia, & redundantia evolantes plurimas mundi partes ſint penetraturi.* Exiliit animô Vir Sanctus, & fæcunditati ſuæ congratulatus, venturos filios, quaſi jam præſentes eſſent, videbatur ſibi felicisſimus Pater comple-

Manriq. ad Annum IIII. cap. 1.

Exord. Ciſt. l. 1. c. 28.

Exord. Ciſt. L. 1. c. 28.

plecti. Properabat interim auſpicatiſsimus nuncius reverti ad Superos, quare ab Abbate Sancto pro more benedici poſtulans, occaſionem dedit amicæ pugnæ, petente alterô ab altero benedictionem, & neutrô volente benedicere: Deferebat Stephanus benedicendi munus in filium jam gloriæ conſortem: rejiciebat id Beatus in Patrem, cujus magiſteriô ad gloriam emerſiſſet. Fuit tamen Beati eloquentia felicior, quâ motus Pater Sanctus inter gaudium & admirationem fluctuans benedictionem diſcipulo impertivit: quâ obtentâ ille ex oculis Stephani abijt, at non ità ex animo. Tenebat pij Patris mentem tam amabilis ſpectaculi vivax reminiſcentia, numerabat momenta penè ſingula, & ad oraculi cæleſtis eventum tenerrimis deſiderijs aſpirabat. Et ſanè meruit Bernardus, meruêre Bernardi ſocij mille hæc Stephani vota, quibus deſiderabantur; hi enim illi ipſi erant, quos Fratris defuncti vaticinium nuper præcipuè notaverat. Sub eosdem itaque ipſos dies Bernardus cum nobiliſſimo agmine triginta Sociorum Ciſtercium ingreſſus, & ad Stephani pedes provolutus implevit defuncti oracula, Ciſtercii vota, Stephani deſideria, omnium amores & amplexus. Una hæc Patris feliciſſimi Gloria reliqua omnia abſorbet, tegítque, quæ alioquin Virum Sanctum ornare poſſent, quòd ſcilicet Bernardum habuerit filium, diſcipulum, qui utique jam tunc in modica illa ætate per manus Stephani formabatur Regum Pædagogus, Pontificum oraculum, Orbis Chriſtiani Magiſter. Debet Eccleſia Bernardo ſe & ſua penè omnia; Hic verò ut deinde poſſet omnia, à pientiſſimo Præceptore didicit quàm plurima. Unum præ cæteris annotare hìc lubet. Solebat Stephanus Oratorium ingreſſurus oſtii peſſulum tenere preſsiùs, atque ſubſiſtere paululum, cúmque ex more aliquando id faceret, frater qui è veſtigio eum ſequebatur, modeſta curioſitate cauſam rei ſciſcitatus eſt: Cui Pater Sanctus: *Omnibus cogitationibus, quas ex injuncto officio pro diſpoſitione Domûs per diem admittere cogor, dico, ut forìs remaneant, nec prorsùs ingredi mecum præſumant, ſed expectent, quousque reverſus hìc eas inveniam.* Quod divinum dogma quemadmodum Bernardus à Stephano plenô ore hauſerat, ità per omnem deinde vitam totâ virtute impleverat. Neque Bernardo adhuc dum Ciſtercii Novitio erimus tam injurii, ſi ex recitata ejus parvula negligentia honor novus accreſcat Stephano Patri. Omiſerat

Anno Chriſti 1113.

rat aliquando Bernardus, dum laſſus veſperi ad ſtratum veniret, pſalmos poenitentiales, quos indies pro anima defunctæ matris orare conſveverat. Devotio hæc omnibus incognita, omiſſio nulli nota: Solus Stephanus in ſecreta cordis Bernardi ſui Divinâ haud dubiè virtute penetraverat. Poſterâ namque die Bernardum ſeorſim vocatum his verbis redarguit: *Frater Bernarde ubinam, quæſo, illos pſalmos tuos heſternâ die dimiſiſti, aut cui eos commendâſti?* Erubuit verecundus adoleſcens, & in culpa deprehenſus didicit, quanti apud DEUM eſſet Stephanus. Parabatur interim in Bernardo Auguſtiſſimæ Virgini alumnus, filius, Ganymedes, & quid non? Et quia hæc omnia per Stephanum, non potuit ille non eſſe Almæ Matri impensè dilectus. Rependit Stephano, totíq; Ciſtercio pro uno Bernardo Maria donum inſigne prorsùs, quô ſe Ordini, Ordinémque ſibi æternùm obſtrinxit. Legebat in meſſe ſpicas in manipulos Stephanus Pater, & quia ſcapulare moleſtè cadens vagúmque morabatur laborantem, Virgo Mater cingulum albicans obtulit, quo colligeret vagam veſtem, ligarétque non tam manipulos, quàm ſe ſuósque in MARIÆ filios, ſervulos, clientes. Manriqueus ex hoc cingulo reſolvit myſterium plerósque latens: indè ſcilicèt Ciſtercienſes veſtem unà cum Scapulari cingere, quia Stephanus diffluens ſcapulare oblatô à Virgine cingulô ſic juſſus fuerat colligare. Cōgregatio Hiſpanica cādorem DEIparæ ſacrum hodiedum ſervat in cingulo, quô ſe id donum in eo Virgineo colore proteſtatur per Stephanum ab Alma Matre accepiſſe. Creſcente Ciſtercio, & ſeſe Anno 1113. in *Firmitatem*, Anno 1114. in *Pontigniacum*, & Anno 1115. in *Claram Vallem* & *Morimundum*, id eſt, in rivulos ſeu novos alveos diffundente, Sanctus Abbas Stephanus cum conſiliô communi Abbatum communes Ordini novo leges præſcripſit, quas *Chartam Charitatis* appellavit: Quæ Charta mox à Calixto II. approbata, ſubinde confirmata atq; laudata eſt ab Eugenio III. Clemente III. alíſque Summis Pontificibus. Manriqueus triplici elogiô hanc Chartam ornat, quòd ſcilicèt ſcripta latáque ſit *noſtris in unitatem, ſæcularibus in admirationem, cæteris religioſis in exemplar.* Nova iſthæc nuncupatio deſumpta eſt à fine, *charitate* ſcilicèt & unione mutua Capitis ad membra, & viciſſim. Perſeverat hodiedum hoc nomen, unde ſtatuta Capitulorum Provincialium ac Viſitationum vulgatô eóque pulcherrimô vocabulô apud Ciſtercienſes ple

Ad Annum 1134. c. 5.

Ad Annum 1119. c. 4.

plerúmque dicuntur *Charta Charitatis.* Porrò Capituli Generalis normam, cujus futuris annis tanta per orbem ibit fama ac celebritas, primordia exemptionis novæ Familiæ à jurisdictione Epiſcoporum per Calixtum II. Exemptionem ejusdem à pendendis decimis per Innocentium II. Privilegium nè cogantur Abbates Ciſtercienſes intereſſe Synodis, aliáque planè eximia Divo Stephano debent Ciſtercienſes. Tantis tamen meritis, tantis virtutibus una & profundiſsima humilitas pro baſi fuit, qnam ſuis moriens veluti in hæreditatem tranſcripſit Stephanus; Dum enim vicini Abbates, qui ad pretioſum agonem chariſsimi Patris accurrerant, merita Ejusdem, præmaturi nimiùm Panegyriſtæ ſummis elogiis extollerent, felicémque prædicarent, qui absque metu, jam ſecurus de bravio, de corona, hominem exueret, intermortuâ ac tremulâ voce importunis Præconibus indignatus, eos his verbis cedrô dignis graviter redarguit: *Quid eſt, quod loquimini? In veritate dico vobis, quia ſic trepidus & ſolicidus ad DEUM vado, quaſi qui nunquam aliquid boni fecerim. Nam ſi aliquid boni in me fuit, vel ſi fructus aliquis per parvitatem meam provenire potuit cooperante gratiâ DEI, timeo & valdè contremiſco, nè fortè minùs dignè, minùsve humiliter gratiam apud me detinuerim.* Aurea vox, & quò profundior, eò Cælô dignior! Neque ſolâ voce ſtetit Stephani humilitas, baculo etiam inniti debuit, quem paſtoralem ſeu Pedum dicimus; hunc enim neque argenteum, neque pretioſum habere voluit, ſed rudem & ligneum, quales ſenum eſſe ſolent, quibus innituntur, dignum planè quem primi Ciſtercienſes in Sacrarium repoſuerint exhibendum ſeris poſteris, ut meminiſſent, quibus baculis, ſeu baſibus, res Ciſtercii in tantum faſtigium olim ſurrexerint. Paulò ante mortem ceſsit Præfecturæ Vir Sanctus ſenium incuſans, & fractas vires Anno 1133. poſtquam præfuiſſet annis 24. Poſitô munere & baculô pauculis menſibus ſupervixit Stephanus, Ordine jam per Provincias centum facilè Cœnobiis inſigniter auctô. Incidit mors Beati Viri in Annum 1134. Aprilis diem 28. ùt produnt antiquæ tabulæ Ciſtercienſes. Martyrologium Romanum feſtum Sanctô aſsignat die 17. Aprilis, quô die in numerum Sanctorum relatus eſt. Nuper ad Capituli Generalis inſtantiam Innocentius XI. per Breve Apoſtolicum indulſit, transferri Feſtum Sancti Patris ex Aprili in Julii diem decimum ſextum, ut poſſet celebrari cum Octava ſolem-

 ni,

ni, quod Aprilis ſeu ob Quadrageſimæ luctum, ſeu ob Paſchæ ſolemnia tolerare non potuit. Eodem annô quô Stephanus, etiam Divus Norbertus ſanctiſsimus Præmonſtratenſium Fundator è vivis exceſsit quaſi ex condicto, ut ſcilicèt ſimul Auguſtam Cæli Virginem poſt funera felices ſalutarent Clientes ambo Mariani, ſub cujus auſpicijs ille Ordinem propagaverat, hic fundaverat. Poſt obitum Sancti videbatur Cœlum ipſum eidem parentâſſe; notatus enim eſt odor ſvaviſsimus per omnem domum diffuſus, viſa ſplendidiſsima Crux ſuper Ciſtercii Eccleſiam è quinque ſtellis conſerta, in aëre auditi concentus Angelici: quæ omnia quaſi quidam apparatus erant, tam Sancto funeri deſtinati. Cælô interim portentis tam eximiis Divo applaudente non debuit ſepulchrum Sancti feriari à miraculis, quæ ſingula velutì in ſingulos radios diſtincta coronam Beato adornârunt, cum qua eidem ſolemnem cultum decrevit Eccleſia. Tres Ciſtercii Patres & Fundatores hucusque per diverſa comitatus ad ſidera & gloriam, nunc iterum ad fontem redeo ac deſcendo, futurus in hac Ciſterna & fonte vel gutta, vel guttulæ punctum, & ſi quid punctô minus eſt.

CISTERCIUM,

Parve Fons!
Parve! nec *invideo*,
Nec *video*
Cur Tibi *invideam*;
Quis enim *parvis invideat*,
Quæ *vix videntur?*
Magna maximè *videri* ſolent,
& *invideri*.
Igitur *Parve*, *nec invideo*;
Inveniſti in oculis omnium *gratiam*,
Quoniam *omne parvum gratioſum*.

Ma-

Maxime Pontifex Clemens IX. *In Bulla quæ incipit Parvus Fons.*
Jam capio cur Ciſtercium dixeris *Parvum*:
Habet Eccleſia Carolos *Magnos*
Jacobos *Majores*,
Pontifices *Maximos.*
Et habet Eccleſia per Franciſcum Seraphicum
Fratres *Minores*,
Per Franciſcum de Paula Fratres *Minimos*,
Defuêre *Parvï*,
Feciſti itáq; Clemens *Maxime* in Fonte *parvo*
Ciſtercienſes omnes *Parvos*,
Magnô haud dubiè beneficiô;
Quia *parvulorum eſt Regnum Cœlorum.* *Matth. 19*
Optimus DEUS, *Maximus* DEUS,
Nullos tam vocat quàm *parvulos*,
Sinite Parvulos! *Ibid.*
Et ſinite *Vos Magni* hos parvulos creſcere,
Magni olim fient
Magni vocabuntur,
Sed *in Regno Cœlorum.* *Matth. 5.*
Ibi Ciſtercienſes noſtri, Sol, ſidera, Mare erunt,
Magni erunt:
In hoc terræ puncto
Ubi vel ipſe DEUS *Maximus*
Parvulus natus Parvulus factus eſt, *Iſaiæ. 9.*
Alij eſſe non cupiunt, niſi *parvi.*
Igitur Ciſtercium Fons Parve!
Quàm mihi faveo,
Quòd tui guttula ſim,
Tam tibi non invideo,
Quòd parvus ſis,
Dummodò non,
Quod olim cecinit *Naſo*,
Relinquas me *ſtare cum longo naſo.*
Et *ſinè me liber*, imò Fons, *eas in Urbem* & Orbem.

F

Parve!
Non ibis ſinè me:
Sequor te quócunque ieris:
Matth. 8. Si ieris in profundum *Maris*
In ſinum MARIÆ,
Sequar te:
Si aſcenderis in cœlum,
Pſalm. 138. Parve, ſequar te;
Neque ille ego uſpiam cupiam eſſe,
De quo iterum Naſo.
Heu mihi! quòd Domino non licet ire tuo!
Non it gutta non fluit,
Sed ſtat, ſi ſola ſit;
Si in fonte, rivulo, alveo,
It, abit, fluit.
Gutta ego, tu Fons.
Trahe me, mi Fons,
Cantic. 1. *Poſt te*, imò tecum, & in te,
Et curram ego,
Et current, fluéntque mecum
Omnes qui in hoc fonte
Parva & *Magna* guttæ ſunt,
Ad *Primam* Fontium omnium *Originem*
DEUM,
Apud quem *omnes parvi*, *magni* erunt,
Et *Magnitudinis* eorum *non erit*
Pſalm. 144. F I N I S.

TITULUS II.
CISTERCIENSES GENERALES.



A. Jahn offecy del: *B. v. W. Scul:*

MOnſtroſa res, corpus ſinè Capite, aut caput difforme corpori: Peccatum capitale, non habere caput, aut caput tale, quod mēbris minùs reſpondeat. Mortem infers, ſi caput aufers, tam ſcilicèt tollere caput, peccatum mortale eſt. Non lego unquam Ciſtercium acephalum fuiſſe, aut caput habuiſſe indecorum ac informe: non potuit utique Divina Puerpera mon-

ſtrum generare, dum Ciſtercium ipſa genuit Ciſtercienſiū Prima & maxima Parens: Neque per Bernardum ſuſcepit lactare filios, qui ſinè capite eſſent, aut caput haberent Matre & membris indignum. Igitur tantâ Parente genita Proles, ſi Caput ſi membra ſpectes, non potuit eſſe nisì numeris omnibus abſoluta & perfecta. Per alios titulos luſtrabimus Ciſtercii membra, an MARIA Matre digna ſint, hìc exhibebimus Capita ſeu Ordinis ſupremos Generales. Ubi quidem id primâ fronte pro Ciſtercii gloria præcipuè obſervo, quòd in ſerie Abbatum Archi-Cœnobii Ciſtercienſis viginti & ampliùs ſibi invicem absque ulla interruptione ſucceſſerint, qui omnes titulô *Sancti* aut *Beati* Cœlum, Eccleſiam, Ciſtercium ornent atque illuſtrent: pulcherrimâ quadam analogià atque æmulatione ad naſcentis Eccleſiæ ſanctiſſima primordia, quæ à Divo Petro Pontifices alios ſummos non intercisâ ſerie numerat quinquaginta & ampliùs Sanctos omnes. Filum ducemus à Ciſtercii primitiis, neque omiſſuri Sanctos Robertum & Albericum, qui tametſi in rigore inter Generales computari non debeant, ſterili adhuc ſub eorundem præſidentia Ciſterciô, neque vel unâ filiâ aut filiatione fœcundô; quia tamen per eorum Zelum ac ſtudia conceptæ promotæque totius Familiæ res & ſpes, idcircò commune Succeſſoribus omnibus Patris *Generalis* nomen etiam eis attribuemus, præſertim cùm ijs plantantibus atque rigantibus reliqui Ciſtercio incrementa dederint. Generalium Sedes *Ciſtercium* Ordinis Mater, Cœnobium in Ducatu Burgundiæ percelebre. Eorundem prærogativæ per decurſum opuſculi occurrent non infrequentes, è quibus quidem eæ magìs eximiæ ſunt, quas ijsdem contulit Innocentius VIII. jurisdictio videlicèt conferendi ſacros Ordines Diaconatûs & Hypodiaconatûs omnibus Ordinis perſonis, atque facultas benedicendi, ſeu, ùt vulgò loquimur, infulandi ſingulos Ordinis Abbates. Reges Franciæ pro ſua in Familiam noſtram propenſione alio inſuper honore Generales Ciſtercii ornavêre, ut Regiô ſcilicèt privilegiô ad Succeſſores omnes per viam electionis transfundendô eſſent in *Supremo Burgundiæ Senatu Conſiliarij*, *Primi*, *Nati*. Hæc modicè tetigiſſe ſufficiat. Illud fortè non capiunt omnes, quòd Familiæ noſtræ Generalis prout alia Religionum Capita Romæ non reſideat; non enim ignorant, meruiſſe utique noſtros id beneficium abundè à Pontificibus,

quos

quos non ſemel contra Schiſmata & æmulos fortiſſimè propugnaverint: Pulchriùs haud dubiè fore, longéque glorioſiùs, tam illuſtre, tótque prærogativis nobile Caput ſpectari in Urbe, quàm inter ſylvas. Ità quidem nonnulli, & fortè non malè. Sed non ambiunt Ciſtercienſes noſtri ea beneficia, per quæ peccare debeant in primos Ordinis Patres, quibus pretioſæ ſemper erant illæ Principum gratiæ, per quas concederentur non Urbes & palatia, ſed ſylvæ & nemora. Tot Sanctorum veſtigijs ſignatæ ſolitudines, & ipſis penè arboribus inſculptæ Patrum memoriæ noſtris pro monitis, imò pro legibus ſunt, nè loca illa, è quibus tot Beatorum phalanges evolârunt ad ſidera, poſteri aut negligerent aut deſererent. Fateor, Ciſtercii ſolitudinem longiùs diſtare ab Urbe; ſed quid indè? Ea certè diſtantia duntaxat locorum eſt: meritis enim ac gratiis neque Ciſtercium diſtat Româ, neque Roma Ciſterciô. Non poſſunt ignorare Eccleſiæ ſapientiſſimi Præſules Ciſtercienſium in Eccleſiam obſequia, imò ignorare neque debent, quæ in Scrinio pectoris clauſa habere præſumuntur. Sufficiat proinde noſtrorum merita Romæ eſſe, & quod cæteris longè illuſtrius, Summorum Pontificum non Palatia occupare, ſed corda & pectora. Quòd ſi tamen curioſior Pontifices Ciſtercii quæſieris, utere Duce & Interprete Henriqueô noſtrô in volumine Privilegiorum, ubi deprehendes Romanos Pontifices nunquam Ciſtercio defuiſſe per gratias, quæ indiſtantia penſanda magìs eſt, quàm illa loci & perſonæ. Sed neque Pontificis perſonalis præſentia Ciſtercii ſolitudini deneganda eſt. Lege Manriqueum ad Annum 1148. c. 7. & videbis *Eugenium III.* Pontificem Maximum in Capitulo Generali eô annô ſub Rainaldo Ciſtercii Abbate celebrato neglectâ omni Papatûs Majeſtate aſſediſſe Abbatibus cæteris veluti unum ex eis, non præſediſſe: quod fortè nulla religio, nulla ætas, nulla Congregatio ſpectaverit unquam: aut ſi aliquando religioſæ quædam familiæ ſpectaverint fortè Pontifices de gremio aſſumptos Capitulis ſuis præſentes, ſimul illos haud dubiè viderint præſidentes. Hoc ſolùm datum ab Eugenio Pontifice Doctiſſimo & Sanctiſſimo Ciſtercii Matris ſuæ honori ac reverentiæ, ut videre potuerit, fortè & meruerit Eccleſiæ Caput in humili loco Rainaldi Generalis, cæetrorúmque Capituli Patrum leges ac definitiones non ſecùs ac divina oracula auſcultare & revereri. Verba hìc ego non habeo,

G quibus

quibus rem tantam pro dignitate expendam, audiendus pro me Manriqueus eſt. Vir ille noſter & ſplendor, qui loco mox citatô ſic ſcribit: *Hæc ſanè inter humanas ſub Rainaldo Parente Ciſtercii gloria; hæc felicitas ſumma, quò ſpecialior, illuſtrior: quippe Epiſcopos ex Ordine aſſumptos frequentare hos Conventus in uſu poſitum; Summum Pontificem, ſinè exemplo hactenùs fuit. O quàm liberi cuncta definirent! Quàm ſecuri decernerent, quibus & in Nomine Chriſti congregatis, & cum Chriſti Vicario duplici titulô Chriſtus aſſiſtebat, duplex Spiritûs Sancti fax præibat. Quibus & nolle errare in voluntate, & non poſſe in promptu, nec librare conſilia periculoſum, cùm trutinam haberent intra ſe ipſos.* Videat Lector, quanta olim fuerit habita exiſtimatio de Ciſtercii Generalibus, quibus vel ipſi Eccleſiæ Principes, ſummique Pontifices non modó paterentur ſe poſthaberi, verùm ultrò optarent. Sed jam ipſam Generalium ſeriem ex Manriquei compendio novô rursùs compendiô quàm breviſſimè texamus.

Primus igitur Archi-Cœnobii Ciſtercienſis Proto-Abbas fuit S.P. ROBERTUS, DEIparæ ille Ocellus & per annulum ſubarrhatus Sponſus: qui Anno 1098. è Moliſmo cum 20. ſocijs egreſſus in Montibus Ciſtercii authoritate Apoſtolicâ, & Odonis Burgundiæ Ducis conſenſu in ipſis Benedicti Patriarchæ ſolemnijs prima ſanctiſſimæ plantationi ſemina jecit: ut meſſem aliam ſperare non debuerint Ciſtercienſes primi, niſi in benedictionibus, quorum Primus Pater in benedictionibus ſeminâſſet. Revocatus tamen mox eſt (ùt titulô ſuperiore vidimus) à Pontifice ad Molismenſes, reversúsque, invitus quidem & dolens, ubi non ampliùs quàm annum unum ſuperfuit, mortuus An. 1100. atque ab Honorio III. Sanctorum numero adſcriptus. Non alius certè primitias Ciſtercii honorare debuit, quàm *Honorius* ipſe.

II.

S: ALBERICUS Roberto Parenti ſucceſsit An: 1099. è Priore electus Abbas. Ab hoc emanavêre primæ Ciſtercii leges, impetratáque eſt à Paſchali II. per Albericum Ordinis novi Confirmatio, atque è Cœlo à Virgine perennis Ciſtercii tutela. Obiit Anno 1109. dierum & virtutum plenus. Non vacuus abit ad Superos, qui cum Virgine abit, quæ non ſibi tantùm, ſed & clientibus gratiâ plena eſt. Repetenda hìc ſunt, quæ ſuperiori titulô de Roberto, Alberico & Stephano primis Ciſtercii Patribus fuſiùs narravimus.

III.

III.

S. STEPHANUS *Hardingorum* apud Anglos nobili oriundus proſapiâ, olim ſub Roberto Supprior, ſub Alberico Prior, ac tandem utróque per mortem ſublatô conſenſu omnium Abbas. Sub ipſo propagatum Ciſtercium, miſſæ coloniæ condendis novis Cœnobijs, ſuſceptus indutúsque cum ſocijs triginta Bernardus adoleſcens: ſcripta atque per Calixtum II. confirmata *Charta Charitatis*. Ætate gravis ac laboribus fractus cedit muneri Anno 1133. atque Annô poſteriori è carne ad Superos evolat. Sed fortè meliùs eô ipsô cingulô, quod olim ei Virgo donaverat, in cœlum tractus, raptúsve dici debuit.

IV.

S. RAINARDUS. Filius *Milonis Comitis Barri ſuper Sequanam*, è Monacho Clara Vallenſi & Bernardi diſcipulo aſſumptus ad clavum An. 1133. In revelatione quâdam oſtenſus S. *Chriſtiano* Cœnobii de Eleemoſyna Monacho inter Choros Angelorum, atque inter eos veluti vices fungens Abbatis. Viſitatus ab Eugenio Papa in Generali Capitulo, ejus interventu *S. Serlonem* cum ampliſſima *Savigniacenſium* Congregatione ſub Ciſtercii vexilla ſuſcipit, quemadmodum & Divum *Stephanum Obacinæ Abbatem* cum ſubjectis Eccleſijs. Rainardi induſtriâ reconciliatus *Petrus Abailardus* Bernardo Patri, & per Bernardum Eccleſiæ Matri. Abijt tandem maturus Cœlo Anno 1151. Ità nimirum DEO cælóque matura ſunt, quæ in Ciſtercio maturuerint.

V.

S. GOSVINUS ex Abbate Bonæ Vallis aſſumptus in Ciſtercii Archi-Præſulem, Privilegijs ab Eugenio III. & Anaſtaſio IV. impetratis nobilitat Ciſtercienſem Familiam, dignus, qui Bernardo etiam inter Cælites glorioſo imperare potuerit, ut abſtineret à miraculis: & longè dignior, cui Bernardus è Cælo obedierit, ut diſcerent ſinguli nôſſe æſtimaréque Goſvinum, cui etiam Sancti obedire vellent. Præfuit annis 4. & hominem ſanctiſſimè exuit Anno 1155. è mille omninò digniſſimus, qui rursùs Bernardum ſuum novô imperiô ſolicitet, atque ab impoſita obedientia abſolvat cupientem eſſe Thaumaturgum in filios. Hæc pro gloria Goſvini dicta obſtare ullatenùs non debent gloriæ Bernardi, qui per Gosvini imperium interdicta duntaxat prodigia ad tumulum, non verò extra Claram Vallem: Neque Clara-

Vallenſibus ſimpliciter atque abſolutè ſubtractæ Melliflui Parentis gratiæ; ſed illæ præcisè, per quas ob clientum frequentiam, & exterorum confluxum aliquid pati poſſet regularis obſervantia. Limites ſuos in patrandis miraculis in ſola Clara-Valle Bernardo poſuit Gosvinus, neque illos abſolutè indiſpenſabiles; absque ullo tamen reliqui Chriſtiani Orbis præjudicio, qui per Gosvinum privari non meruit Bernardo Thaumaturgô: quod nos infrà Tit: 4. iterum producemus.

VI.

S: LAMBERTUS priùs Abbas Clarifontis & Morimundi Gosvino ſubſtituitur. *Fridericum Cæſarem* in fratrem Ordinis ſuſcipit, quem titulum Imperator per Legatos humiliter poſtulaverat. Sub ipſo natæ Militiæ de *Calatrava* & *Alcantara*, unitæque Ciſtercio. Pulchrum eſt Ciſtercienſes Cæſarem & nobiliſſimos Milites habere fratres, ſed longè honorificentius, quòd Fridericus Cæſar Militésque prius habuerint Ciſtercienſes Fratres votô, prece, dignatione, quàm noſtri id nè quidem ſperare, minùs petere aut ambire auſi ſint. Cedit Præfecturæ Anno 1161.

VII.

S: FASTRADUS dictus *de Gaviaumer* nobilis Belga è Provincia Hannoniæ oriundus, è Claræ Vallis Abbate ſupremus Ciſtercienſium Archimandrita electus eſt. Memorandus in vita morum ſanctimoniâ, ſed magìs in morte, quòd Pariſijs inter amplexus Alexandri III. Pontificis Maximi, qui extremam unctionem, (quis hoc credat?) Viro Sancto contulerat, magnam animam efflaverit, quæ viſa eſt cælorum Orbes velutì ſidus petere atque penetrare. Et quis amabo ſecuriùs Cælum petit, quàm qui in illis manibus, quibus claves Regni Cœlorum commiſſæ ſunt, expirat? Bienniô duntaxat clavum tenuit.

VIII.

S: GILBERTUS cognomentô *Magnus*, quem ei titulum peperit eruditio ſumma, eligitur ex Abbate Urſi-Campi Anno 1163. ſub ejus regimine ingens Ciſtercio acceſſit ſplendor, *Divus Thomas* Archi-Epiſcopus *Cantuarienſis* Angliâ pulſus & exul, atque in Pontigniaco ſuâ & Pontificis ſummi voluntate ſuſceptô habitu Ciſtercienſis: quem Gilbertus contra furentem Henricum Anglorum Regem egregiè tutatus eſt, iterum ex eo Magnus, quòd tam Magnum filium defendere non potuerit niſi Pater, qui

& ipſe

& ipſe eſſet magnus. Ad cœlum migravit Anno 1166. ubi in DEO Maximo omnia magna ſunt.

IX.

S: ALEXANDER Patriâ Colonienſis, & olim ibidem Canonicus *S. MARIÆ ad Gradus*: Nobile illud Bernardi Parentis ſpolium, cùm in Germania Crucem Apoſtolicus Præco prædicaret quem per miraculum converſum ſecum traxit in Claram Vallem: Ex qua in Abbatem Grandis-Sylvæ aſſumptus ſubinde Gilberto Ciſtercii ſubrogatur. Pacificandis Principibus clarus: Fridericum Cæſarem Alexandro III. Henricum Angliæ Regem Henrico Filio conciliat, pacémque mundo dat, quam mundus dare non potuit, meritus haud dubiè mercedem, quam dum mundus dare non potuit, cælum dedit. Sanctâ morte conſummatur Anno 1175.

X.

S: GUILLELMUS I. ex Abbate Firmitatis ſubſtitutus Alexandro, miſericordiæ laude per Galliam celeberrimus, quam fame miſerè preſſam annonâ, ſumptu liberaliſſimè recreavit. In hoc pulcherrimâ analogiâ componendus cum Alexandro anteceſſore, quòd hic *pacem* hominibus dederit, ille *panem*, uterque rem maximam & Orbi perneceſſariam, quam remunerare ſolus DEUS ſe ipſo voluit. Abiit Guillelmus Anno 1179. è corpore ad DEUM Judicem, non malam auditurus ab eo ſententiam, quem jam per munera ſanctiſsimè corruperat.

XI.

B: PETRUS I. intereſt cum alijs Illuſtriſsimis è Ciſtercii Viris Concilio Oecumenico Lateranenſi ſub Alexandro III. Abbatum exemptionem per Lucium III. novâ confirmatione conſtabiliri procurat. Electus conſecratúsque in Epiſcopum *Atrebatenſem* Anno 1183. extra Ciſtercium moritur, ſed non ſinè Ciſtercii laude, cui haud indecorum perdere è gremio viros qui in Eccleſiarum Capita aſſumantur.

XII.

B: BERNARDUS modici temporis Præſul, nec annum integrum explet in munere: priùs utique deſiit vivere, quàm hiſtorici vix ſolum Bernardi nomen in faſtis ſcripſerint. Sed ſatìs vixit, qui ſatìs meruit. Id gloriæ habet Bernardus, quòd in Ordinis Menologio è tot Beatorum centurijs unus & primus ſit, qui

Calendas Januarij ſuô nomine & memoriâ reliquis è Ciſtercio ſanctis aperiat, *primâ Januarij Primus Sanctus.*

XIII.

B: GUILLELMUS II. Monachis Grandimontenſibus lite & ſchiſmate inter ſe diſsidentibus Judex à Pontifice datur; ſed illi non tam Judicem, quàm Patrem in Guillelmo experti ſunt, qui pulſos ſedibus, domibúsque hoſpitiô benignè excepit. Hactenus Ciſtercienſes exempti quidem, at non omnimodè: Guillelmo huic debent Exemptionis plenitudinem, quam ille privilegiô inſigni roboratam à Sede Apoſtolicâ impetravit, immortalitate omninò utrobique dignisſimus in cœlo & in Ciſtercio. Moritur Anno 1186.

XIV.

S: PETRUS II. diuturniori guberniô dignior, dignitatem nonniſi libavit ſex duntaxat menſium Archi-Præſul. Sed decepta eſt mors, potuit illa quidem præmaturô fatô tollere Petri vitam non famam, quæ adhuc hodie extat in Menologio inter Ordinis Beatos illuſtris.

XV.

B: GUIDO I. ſuffectus Petro Anno 1187. Philippo Francorum Regi in Paucis charus ac pretioſus, ab eodem ad gravia pertractanda negotia è Ciſtercio ad Aulam evocatur. Vitæ meritô & prudentiæ laude *purpuram* à Clemente III. & ab Innocentio III. *Epiſcopatum Præneſtinum* obtinet. Legationes quas obiit, Concilia quæ celebravit, Conſtitutiones quas ſancivit, Virum probant, non modicum fuiſſe, qui Pontificum imperijs tanta potuit. Abſtraxit Guidonem purpura à Ciſtercio Anno 1190. cùm trienniô præfuiſſet.

XVI.

B: GUIDO II. Nominis, muneris, imò & purpuræ hæres. Cum Carthuſienſibus Ciſtercio propè coævis fœdera & concordiam pangit: Conſervando ſacerrimo illi animorum nexui, quô ambæ Religiones intimè ſibi jungebantur. Fœderum ſumma, nè deinceps mutuos & promiſcuos tranſitus ex utroque gremio quiſpiam tentaret ſinè expreſſo Generalium conſenſu. Monendus per parentheſim Lector, ut videat primævi Ciſtercii ſanctiſſimum rigorem, Carthuſienſium non minorem, atque etiam pa-

parem, & pro tranſeuntium opinione etiam ſuperiorem apud quosdam fuiſſe. Legatos Regis Daniæ ad Cœleſtinum Papam deſtinatos, quos Philippus Galliarum Rex neſcio quô fatô aut offensâ detineri juſſerat, ſuô interventu è cuſtodia liberat Guido II. Ab Innocentio III. Judex datur Philippo Regi & Archi-Epiſcopo Rothomagenſi gravi litigiô inter ſe contendentibus. Biblia ſacra ab eodem Innocentio revidere, corrigeréque jubetur: atque cùm per Virginem contra Innocentium triumphâſſet, ùt alibi memorabimus, in triumphi memoriam præmiúmque *Cardinalis Epiſcopus Praeneſtinus & Archi-Epiſcopus Rhemenſis* creatur. Scilicèt non magìs meretur purpuræ alióſque honores, quàm qui Virginem habet faventem. Rexit Ciſtercium annis 12.

XVII.

B: ARNALDUS I. Ex Populeti & Grandis-Sylvæ Abbate evectus ad clavum Anno 1202. unus ille inter mille dignus & electus, cui Innocentius III. opus Sermonum dedicârit. Albigenſium terror & malleus, quô eorundem vires attritæ plurimùm, & tantùm non everſæ. Inquiſitionis Tribunal per Arnaldum aut cœptum aut promotum eſt ingentibus contra Albigenſes victorijs, quas ſacris laureis coronavit Innocentius Arnaldô ad Illuſtriſſimas Archi-Epiſcopatûs Narbonenſis Infulas evocatô, poſtquam præfuiſſet Ciſtercio annis decem.

XVIII.

B: ARNALDUS II. Promotus ad Clavum Anno 1212. ex eô præſertim felix, quòd ex Lateranenſis Concilij decreto ſpectaverit, Ciſtercienſes Abbates adſumi ad novos & inſolitos honores, præficíque aliorum Ordinum Capitulis. Honorii Pontificis juſſu legatione ad Philippum Regem Galliæ & Ludovicum filium fungitur, & quaſi rebus præclarè expeditis non diu poſt ad immortalitatem evocatur, annô regiminis ſui quintô.

XIX.

B: CONRADUS. *Ægimonis Comitis* filius, primùm Villarij & Claræ Vallis, ac ſubinde Ciſtercij Abbas. Donatur *purpurâ* ab Honorio Papa cum illuſtri charactere Cardinalis *Epiſcopi Portuenſis.* Non ſemel authoritate Pontificiâ ad diverſa Chriſtiani Orbis climata Legatus à Latere Concilia Synodóſque celebrat, ſtatuta celeberrima promulgat, quæ adhuc hodie ſuperſunt. Inter præcipua & magìs illuſtria Conradi facta cenſeri illud unum de-

bet, quòd ſacerrimam Prædicatorum familiam authoritate Pontificiâ primus conſtabilierit. Per viam compromiſſi evehendus in Sedem Petri, ſubmiſſione quâ potuit ſanctiſsimos honores ſubterfugit. Sedit Ciſtercii annis duobus.

XX.

B: GUALTERUS, inſignis *Doctor*, ùt ſcribit Manriqueus, ex Abbate Longi Pontis aſſumptus Ciſtercium Anno 1219. Honorium Summum Pontificem habet ſibi faventiſsimum, utpote qui Sermones ſuos non alijs auſpicijs in lucem publicam prodire voluit, quam ſub nomine Gualteri, cui illos Pontifex dedicaverat. Ejusdem juſſu Legatus abit ad Regem Franciæ Philippum cum Epiſcopo Pariſienſi diſsidentem, inter utrumque pacem reformaturus. Elapsô quadrienniô dignitatem & vitam ſanctè claudit.

XXI.

B: JACOBUS I. Gualtero ſuccedit Anno 1223. Exemptionem Abbatum novis augmentis promovet. Cedit, cùm præfuiſſet annis 4.

XXII.

B: GUILLELMUS III. Ex Clara Valle tranſlatus Ciſtercium Anno 1227. à Gregorio IX. per literas jubetur urgere negotium contra Albigenſes: novis gratijs ac privilegiis ab eodem Gregorio conceſsis ornat roborátque Ciſtercienſem familiam. Inter Reges Galliæ & Angliæ inter ſe diſcordantes authoritate Pontificiâ amicitiam componit. *Willelmum Præmonſtrati Abbatem* injuſtè exauctoratum juſſu Gregorii manutenet, atque in Sedem reſtituit. Cedit tandem reverſus ad ſuam Claram Vallem Anno 1237.

XXIII.

S: BONIFACIUS. Guillelmo ſubrogatus intereſſe jubetur Concilio Lateranenſi ſpeciali Gregorij IX. mandatô. Per inſidias cum ſocijs Prælatis captus à Friderico Barbaroſſa Imperatore, atque in cuſtodia diu & indignè habitus, conſolatorias in carcere obtinet à Gregorio, cujus causâ pœnas illas immeritus luebat. Poſtquam Innocentius IV. Pontifex Summus eſſet ſalutatus, ab eo Bonifacius noſter literas accipit honoris & reverentiæ plenas, ùt ſcribir Manriqueus. Ejus intuitu Blancha Franciæ Regina, & duo Blanchæ filij S. Ludovicus & Carolus conceſſêre

an-

annuos redditus pro ſuſtentandis Patribus in Generali Capitulo Ciſtercij annuè congregatis. Sub ipſo Fridericus Cæſar, cùm jam ſatis Eccleſiam & Ciſtercium vexâſſet, tandem præter expectationem morigerus ac pœnitens in Ciſtercienſi habitu mo, ritur. Neque expectavit mortem in culmine Bonifacius, ſed depoſitâ Anno 1254. dignitate, privatus obit.

XXIV.

B: GUIDO III. Vir magni zeli & meriti, poſtquam ſex annis Congregationem Ciſtercienſem egregiè rexiſſet, ab Urbano Papa inter *Purpuratos Patres* aſſumitur ſub *titulo S. Laurentij in Lucina:* atque à Clemento IV. Urbani Succeſſore cum amplitudine poteſtatis, & charactere Legati à Latere inſignis in Galliam, Daniam, Syeciam, Norvvegiam, Saxoniam, & in omnem Germaniam deſtinatur, ut omnia illa ſplendida climata ſidus è Ciſtercio aſſumptum ſuâ purpurâ & virtute quàm plurimum illuſtraret. Celebrat Viennæ in Gallijs Generale Concilium, & ſub Gregorio X. cùm intereſſet œcumenicæ Synodo Lugdunenſi ſanctiſſimè conſummatur Anno 1278.

XXV.

JACOBUS II. Electus à Priore Ciſtercii & Conventu, non citatis neque expectatis Primis quatuor Abbatibus, atque ex eo ejus electio vocata in quæſtionem, utrùm legitima fuerit & Canonica? Litigatum eſt inter partes acriter aliquamdiu; ſed Jacobus id beneficium Ciſtercio dedit, & munere ſe abdicavit, nè videlicèt litibus & jurgijs diſtractus Ordo plagam acciperet, quam ſolent res aliæ dum compagibus ſolutæ intet ſe minùs cohærent. Præfuit annis tribus. Sub ejus gubernio inſtituta eſt ab Urbano IV. *ſolemnitas Corporis Chriſti* totô Orbe celeberrima, cujus promotionem ad S. Julianam Ciſtercii Virginem referendam eſſe, docebimus alibi.

XXVI.

JOANNES I. Subſtituitur Jacobo Anno 1265. Ablaturus Schiſmatum ulteriorum ſemina ac fomenta, à Clemente IV: præter inſignes alias gratias etiam impetrat dubiorum omnium quibus antehac turbata Ordinis pax & unio, authenticas declarationes. *Rudolphus* Primus ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca *Cæſar* cùm primùm ad culmen Imperii fuiſſet evectus, literas expedit, quibus novam dignitatem Joanni intimat, dignatus Ciſter-

cii Abbatem honore, quem alioquin ſummi Principes ſibi mutuò exhibent. Reſcribit Joannes Cæſari nomine Ordinis de Corona digniſſimo Principi ex animo gratulatus. A Gregorio X. privilegium ingens Ciſtercienſibus impetrat, exemptionem à decimis omnimodam. *Herbipolenſis Collegij* fundationem pro excolendis in Germania Ciſtercii ingenijs per Abbatem Ebracenſem promovet, & jam erectum confirmat ipſe, atque ijsdem juribus ac immunitatibus gaudere vult, quibus Pariſienſe in Gallijs. Præfuit annis novemdecim præfecturâ longiori, ſi cum plerisque anteceſſoribus componatur, ſed neceſſariâ, ut res magnas Ordiníque honorificas ac proficuas & moliri potuerit & exequi.

XXVII.

THEOBALDUS ad faſtigium aſſumptus Anno 1284. à Nicolao IV. honoratus Epiſtolâ, quâ Abbati Pontifex electionem ſuam perſcribit. Viſitare jubetur illuſtre Cœnobium S. Dionyſij Pariſienſis. Privilegia eximia pro ſe, quatuor Primis Abbatibus, totóque Ordine impetrat, & novem annis in munere Paſtorali præclarè exactis piè obdormit.

XXVIII.

ROBERTUS II. Electus Anno 1293. felix Monachatu *Alani Magni Doctoris Univerſalis*, qui ſub Roberti magiſterio Ciſtercium amplexus, Converſorúmque habitum indutus ſplendorem doctrinæ occuluit curâ cuſtodiâque pecorum, factus opilio, ùt infra narrabimus. Cœleſtinus V. Pontifex Robertum *Galerô Cardinalitiô* donat Anno 1294. & novis auctum honoribus Ciſtercio ſubtrahit, poſtquam præfuiſſet añum non ampliùs unum.

XXIX.

RUFINUS. Roberto ſubrogatur Anno 1295. illô præcipuè memorandus, quòd contra Appellationes novis privilegijs à Bonifacio Papa obtentis munierit Ciſtercium. Moritur Anno 1298.

XXX.

JOANNES II. Ex Abbate Mortui Maris & Igniacenſi eligitur Anno 1299. Unô facinore immortalitatem famæ meritus, quòd in Conventu Pariſienſi è Regni Epiſcopis ac Prælatis collecto, ſolus probare recusârit Philippi Regis placita Bonifacio Papæ

pæ & Eccleſiæ præjudicioſa. Ob quod datus imperiô Regis in cuſtodiam, detentúsque Pariſijs publicum ſpecimen dedit, quantùm Ciſtercienſis familia cum ſui etiam diſpendio & diſcrimine Sedis Apoſtolicæ jura & cultum tueatur.

XXXI.

HENRICUS ex Abbate Joiaci aſſumptus in communem Ordinis Patrem Anno 1304. Regi Philippo in paucis charus, inſigne privilegium ab eo obtinet, quod tam concedentis dignitate, quàm favorum amplitudine inter Regia eſt primum. Clementi V. Pontifici ſummo tanto fuit in pretio, ut cum Orbis Orthodoxi Patres Generalibus literis convocarētur ad Generale Concilium Viennenſe, Henricus noſter à Pontifice ſingulari epiſtolâ invitaretur, quæ etiamnum hodie Concilio profixa legi poterit. Sanctè conſummatur Anno 1315.

XXXII.

GUILLELMUS IV. A Joanne XXII. & Benedicto XII. eximia pro Ordine indulta obtinet, quorum aliqua in Corpore Juris inter Cytravagantes circumferuntur. Diffinitiones Ordinis in libellum coordinat, quem confirmat idem qui ante Joannes XXII. Sceleri homicidii infenſiſſimus, omnem deteſtandi hujus flagitii labem ac ſuſpicionem ſequenti lege à Ciſtercio arcet & proſcribit, *ùt* ſcilicèt, *nullus qui ab homicida trahat originem uſque ad quintam generationem in Ordine poſſit admitti.* Migrat annô Regiminis ſui vigeſimô ſecundô longævus ac felix, quod rarum.

XXXIII.

JOANNES III. Ex Nobili proſapia, & fortè *de Rubeo Monte*, ùt inſinuat Manriqueus, eundem annum, qui fuìt 1337. ſui gubernii & primum & ultimum habuit, adeóque vix aliquâ aliâ re hic memorandus, quàm vitæ & præfecturæ brevitate; tametſi laude omninò non vacet, quòd in ampliſſimæ familiæ Patrem ac Ducem aſſumptus ſit, quod quia mereri debuit, etiam laudari poterit.

XXXIV.

JOANNES IV. dictus de *Andenais* Sacræ Theologiæ Profeſſor, diuturnior præfecturâ quàm Joañes anteceſſor, viginti duobus annis clavum tenuit. Sub ipſo peſtifera lues in Catalonia & Gallia complura cœnobia penè evacuavit: quare nè Ordinis Ec-

cleſiæ deſtitutæ incolis ac Monachis occuparentur ab exteris, impetrati ſunt ad preces Joannis à Clemente VI. *Conſervatores*; ſed qui ſub ſpecioſo munere quò ſeveriùs eò graviùs graſſari deincepscœpêre in Cœnobia & Cœnobitas aſſumptô novô titulô *Commendatorum.* Inter eas Familiæ clades Joannes poſteris daturus beneficium, diffinitiones Ordinis quas *recentiores* ac fortè *Novellas* vocamus, colligit, evulgátque. Vitâ tandem, Officiôque probè functus hominem exuit Anno 1359.

XXXV.

JOANNES V. dictus de *Arvernia*, aliàs etiam de *Bugerijs* ex Abbate Claræ-Vallis aſſumptus in Caput Ordinis, Urbanum V. Pontificem Maximum ſibi Ciſterciόque experitur mirificè affectum: A Gregorio XI. *purpurâ* donatus ſub nuncupatione *S. Laurentii de Lucina* extra Ciſtercium moritur Anno 1374.

XXXVI.

GERARDUS Cujus præfectura infauſta, non ſuô ſed Commendarum vitiô, quæ turbata ſub id tempus atque in ſchiſmata divulsâ Eccleſiâ immodicè divexavêre Ciſtercienſem Familiam. Gerardi juſſu *Arnoldus* Veteris montis Abbas *Doctor* apud Germanos celeberrimus calamum ſumit, ſcribítque opus inſigne contra Commendas ſub auſpicijs Sixti IV. divulgatum; ſed illa ingenii & ſcholarum prælia ùtut placuerint eruditis, movere non prævalebant Commendatarios, ut ſolô calamô petiti & juſſi titulis & vitulis ullatenùs cederent. Obit Gerardus Año 1389. Pariſijs.

XXXVII.

JACOBUS de *Flagniaco* ſive *Florigniaco* ex Bonæ Vallis & Pontigniaci Abbatijs translatus Ciſtercium, non minùs dignitatis hæres quàm calamitatis. *Penſionibus*, id eſt, novô malô videt dolétque premi Ciſtercienſem Familiam, quam hactenùs importunæ Commendæ fermè impulerant in ruinam. Turbines quos declinare non poteſt, forti animô fert, & Ciſtercii reliquias induſtriè præſervat à præcipitio: aſſecutus inter adverſa famam, quàm fortè inter proſpera non tam celebrem habuiſſet: adeò ſcilicèt res adverſæ Virum exigunt, probántque. Migrat Anno 1405.

XXXVIII.

JOANNES VI. dictus de *Martigniaco*, ex Abbate Morimundi &

di & Claræ Vallis electus Ordinis Pater, intereſt Concilio Conſtantienſi, cujus authoritate cum alijs duobus Cardinalibus dogmata Wiclephi & Huſſii examinat, damnátque. Sub ipſo aucti Eccleſiæ triumphi per novos è Ciſtercio Martyres, qui in Bohemia finitimíſque plagis magnô numerô ab Huſsitis trucidati innoxios vertices non tam furentium gladiis, quàm Cœli laureis ſubſidêre. Ciſtercii primordia velutì è Commendarum Cineribus redivivum Phœnicem prodire videt gratulatúrque in Hiſpania *Martinô de Vargas* Ciſtercienſi Monacho *Reformationem*, quam hodie vocamus *Hiſpanicam*, glorioſiſsimè auſpicante. Ea reformatione in Hiſpanijs ſenſim excuſſæ, ſive ultrò relictæ Commendæ Martini V. Pontificis Summi, & Joannis Caſtellæ Regis favore & aſsiſtentiâ. Moritur Joannes Anno 1428. ex parte jam felicior, quàm Gerardus & Jacobus Anteceſſores, cùm jam videret Commendas decreſcere.

XXXIX.

JOANNES VII. dictus de *Alneto*. Ex Abbate Urſi-Campi aſſumptus in Ciſtercii Proto-Abbatem. Intereſt Concilio Baſileenſi, ſuô & Almæ Univerſitatis Pariſienſis nomine: Cui gemino characteri per Patrum decreta acceſsêre alii duo inſignes; Joannes enim cum duobus doctiſsimis Epiſcopis primùm quidem electus eſt Judex in cauſis fidei, ac ſubinde etiam unus ille ad Bohemos authoritate Concilii Orator. Obtinet à Patribus Concilii præclara privilegia, quibus Commendas è Ciſtercio eliminaret; ſed illa extra Hiſpanias & Reformationem minùs prævaluêre. Migrat Anno 1440.

XL.

JOANNES VIII. dictus *de Vion*, è Priore Collegii Pariſienſis & Theologiæ Baccalaureo acclamatur Ordinis Univerſi Superior: ab Eugenio IV. longam & gravē epiſtolam accipit, in qua Pontifex Joanni impensè recommendat, ut collabentem ampliſſimam celeberrimámque Familiam in priſtinum florem Pater ipſe & cæterorum Dux erigat. Verùm fruſtra erat tentare Domûs reſtauramenta, quamdiu graves Commendatarij Cœnobiis incubabant. Sub hoc Joanne *Primum Ordinis Breviarium* typis excuditur, argumentum accreſcentis zeli ac pietatis in Ciſtercio, ſi modò aliunde non premeretur. Cedit præfecturæ Anno 1458.

XLI.

GUIDO IV. Dictus *de Edua*, Laureatus Theologus in facultate Pariſienſi, ex Abbate Caroli-loci, & Pontigniaci electus totius Familiæ Archi-Præſul. Oppugnatæ iterum per Guidonem Commendæ, impetratáque à Calixto III. earundem omnimoda revocatio; at ſinè effectu, languente & hærente executione inter ipſos Purpuratos Patres, quibus favore Principum non pauca Ordinis Cœnobia data in Commendas, ità ut jam minùs Ciſtercienſes noſtri ſeu petere ſeu expectare poſſent avitam libertatem, cùm illos rogare vix auderent, quos timerent offendere. Id tamen effectum induſtriâ Guidonis, ut Abbates ſæculares ſuô ferè geniô hactenùs viventes certis legibus deinceps coërcerentur: ſicque aliquatenùs reſpiratum à preſſura. Migrat Guido Anno 1462.

XLII.

HIMBERTUS. Dictus *de Lona*, ex Abbate Morimundi aſſumptus ad Ciſtercii clavum reſtaurat continuatq; prælia contra Commendas. Profectus ad Curiam Romanam tantâ energiâ coràm ſummo Pontifice, & Cardinalium Collegio lingvâ, ingeniô, voce declamavit, ut Pontifex Cardinaléſque cadentibus ubertim lachrymis approbarent ea, quæ contra Commendas diceret, peterétve Himbertus. Conceſſa Ordini aliqua privilegia, ſed deſperatô penè morbô media reſpuente iterum præter conatum effectum eſt nihil. Tædia ex ijs tempeſtatibus enata aliquantùm mitigaturus Vir eruditus complura docta opuſcula ſcribit, divulgátque, & tandem munere communis Patris Doctoríſque præclarè functus decedit Anno 1476.

XLIII.

JOANNES IX. dictus *de Cireio* ex Abbate Balernæ electus Abbas Ciſtercii eô quô Anteceſſores zelô Commendis infeſtus, privatim & publicè calamô & Ore contra eas diſputat. Et licèt confeſſione omnium pondere argumentorum ſemper viciſſet; nullum tamen ferè alium retulit victoriæ fructum, quàm laudem, applauſum, & quædam à Pontifice privilegia, per quæ tamen Commendatarii ex antiquis Sedibus & proventibus ejici non poterant. Innocentio VIII. ob ſingulares animi virtutes, doctrinam & præclara merita eximiè charus, ab eodem privilegium obtinet, nulli è religioſis Præſulibus cum tanta amplitudine

con-

conceſſum hactenus, nec fortaſſis cum tam generali extenſione ulli concedendum deinceps, *conferendi* videlicèt *Sacros duos Ordines Diaconatûs & Subdiaconatûs* omnibus & ſingulis Ordinis perſonis ad ea Eccleſiaſtica munia idoneis. Ad inſtantiam Regum Hiſpaniæ omnes Sacras Militias ſub Ciſtercii legibus militantes per Petrum Claræ Vallis Abbatem viſitari facit. Cedit tandem Anno 1503. dignus longiori præfecturâ & vitâ.

XLIV.

JACOBUS IV. dictus *de Ponte Sciſſo*, Sacræ Theologiæ Profeſſor Pariſienſis, ex Abbate Caroli-Loci, Bellæ Vallis, & Morimundi electus Ciſtercienſium Archi-mandrita An: 1503. eadem cogitat, eadem molitur, quæ Patres ante ipſum; verùm contra Commendas non prævaluit. Videat, quæſo, Lector, zelum & conſtantiam Ciſtercii Abbatum, qui nullis fracti laboribus etiam cùm viderent Pontificum declarationes & Bullas minùs jam poſſe contra radicatum malum, animos tamen omninò non deſponderint, ſed quaſi ex eventibus minùs proſperis audentiores id unum intenderint, ut tandem prima & florida ætas ſacerrimæ Familiæ Patrum meritis rediret. Obit Jacobus Anno regiminis ſui decimô tertiô.

XLV.

BLASIUS *de Aſſereio Doctor Theologus* Facultatis Pariſienſis eligitur in Ordinis Caput Anno 1516. ſed præmaturô fatô, quô poſt ſex menſes abreptus eſt, magnæ ſpes unà cùm Viro inter filiorum planctus contumulatæ ſunt.

XLVI.

GUILLELMUS V. electus Anno 1517. Segrei in elogiô, Vir *pietate & religione plenus, doctrinâ venerandus*. Præfuit annis quatuor.

XLVII.

GUILLELMUS VI. dictus *Falconius*, *Doctor Theologus* ex Abbate Miratorii aſſumptus ad Culmen Anno 1521. ſub ipſo per Anglicanum Schiſma ſuppreſſæ in ijs partibus Ciſtercii aliarumque Religionum Eccleſiæ, ſangvine Martyrum, id eſt purpurâ Superis gratiſſimâ, aſperſæ ſunt. Ipſe poſt filiorum cædes & vulnera non ſinè vulnere, quia non ſinè gravi dolore à cruenta familiæ Ciſtercienſis laniena inflicto, ſanctè moritur Anno 1540.

XLVIII.

JOANNES X. Dictus *de Loysier* Ciſtercii Monachus & Theolo-

ologus Pariſienſis evehitur ad Clavum. Vir eloquio diſertus, & zelô igneus exemplô Anteceſſorum Commendas oppugnat. Sanctè decedit Anno 1559.

XLIX.

LUDOVICUS dictus *de Beſei*, ex Abbate Maceriarum electus Año 1560. impetrat novum privilegium contra Commendas à Pio IV. confirmatum deinde à Gregorio XIII. quod feliciùs quàm reliqua hactenùs excutioni datum eſt cum fructu, modico illo quidem, ſed tamen aliquo, non ſinè bono augurio, à parvis progredi poſſe etiam ad maxima. Intereſt Sacro Tridentino Concilio, à quo reverſus in itinere migrat ad Patriam. An: 1564.

L.

HIERONYMUS *Socherius* Theologus Pariſienſis eligitur Anno 1564. & obit Romæ inter *Purpuratos Patres* Anno 1571. gemma & decus Ciſtercii Præſulum, de quo plura memorabimus infrà inter Ciſtercienſes Cardinales.

LI.

NICOLAUS I. Dictus *Boucheratius*, Theologus Pariſienſis laureatus, laureato Hieronymo ſubrogatur. Ante Præfecturam cum charactere Procuratoris Generalis interfuit Concilio Tridentino. Sub ipſo reformationem Hiſpanicam amplexa ſunt Cœnobia Luſitaniæ, & inſtituta in Galliis Sixti V. authoritate Congregatio *Fulienſium* per *B. Joannem Barrerium*, ùt dicetur in titulo ſubſequente. Eleganter & cum publico plauſu Rothomagi perorat coràm Henrico III. Poloniæ & Franciæ Rege, à quo donatus illuſtri charactere *Conſiliarii Regii in Parlamento*. Ejus ſententiæ à Tridentini Patribus in pretio & veneratione habitæ ſunt. Variis Legationibus ad Pium V. Gregorium XIII. Pontifices, Carolum & Henricum Galliarum Reges fungitur. Cedit tandem annis meritisque gravis, Anno 1585. & moritur annô inſequente.

LII.

EDMUNDUS à *Cruce*, Theologus Pariſienſis, juſſu Sixti V. viſitat Eccleſias Ciſtercienſium per totum Orbem, legésq; ſancit, quibus inducta Ciſtercio alia facies. Peragrat pius & zelotes Præſul Regiones non modicas, æquè inter labores infractus quàm inter pericula imperterritus. Tandem cùm in Hiſpanias authoritate Clementis VIII. penetrat, Barchinone diem claudit extremum Anno 1604.

LIII.

NICOLAUS II. dictus *Boucheratius*, Nicolai Primi, quē mox ante Edmundum memoravimus, nepos, ex Abbate Valcellenſi electus Annô 1604, Pauli V, Papæ, & totius Generalis Capituli auctoritate, atque Philippi III Hiſpaniarum Regis inſtantiâ in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, atque in Comitatu Barchinonenſi Reformationem procurat, Abbatum perpetuitate commutatâ in tempus quadriennij, quòd ſcilicèt optimè ſic Ordini in ijs Partibus conſultum videretur ob evitanda Commendarum pericula. Acceſsêre novæ Reformationi non diu pòſt Cœnobia Regni Navarræ. Obijt Nicolaus Annô 1625.

LIV.

PETRUS *Nivellius*, Monachus Ciſtercij & Doctor Pariſienſis, ex Abbatia S. Sulpitij ad univerſi Ordinis clavum translatus, decenniô in Præfectura exactô aſſumitur ad Epiſcopatum Lucionenſem Annô 1635.

LV.

ARMANDUS Joannes du Pleſſis, S. R. E. Eminentiſſimus Cardinalis, Dux de RICHELIEU, Nivellij Succeſſor, Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, & Carthuſienſium *Generalis*, ſed, quod mireris, nullum ex his Ordinibus profeſſus: quæ res nova, atque in Ciſtercio hactenùs non viſa, ſtimulavit Doctiſſimum noſtrum *Caramuelem*, tum in Belgio commorantem, ut Annô 1638 eruditum opuſculum divulgârit, nuncupatum *Motivum Juris*, in Curia Romana tum diſceptatum de Eminentiſſimi Cardinalis de Richelieu, Ciſtercienſis Archi Cœnobij Abbatis Generalis erga univerſum Ordinem authoritate & poteſtate. Argumentum Libri perquam curioſum, imò utile non Ciſtercio duntaxat, verùm & Divi Benedicti Congregationibus, Præmonſtratenſibus, Carthuſianíſque, me vellicat, ut pauca exinde ſummatim referam, quæ Auctor ibidem, præcipuè *Quaſt*: 1. *per* 12 *Articulos* de memorato Eminentiſſimi Richelij Generalatu diſſeruerat: Unde Lectori conſtare valeat, quid poſſint Abbates Commendatarij, & quid non, in Cœnobijs ſibi Commendatis: atque etiam quid ex mente Caramuelis potuerit Eminentiſſimus Cardinalis reſpectivè ad Ciſtercium ſub diverſa formalitate conſideratus. Itaque in *Artic*: 1. probat Caramuel, Abbatem Commendatarium *ex vi ſui officij* nullam conſequi jurisdictionem ſpiritualem in Religioſos Cœnobij ſibi in commendam dati, ex eo, quòd ex natura Comendæ ſit

duntaxat Monaſterij ſui Nobilis quidam Protector, Adminiſtrator, atque œconomus ſæcularis. Poſſe autem abſolutè illi delegari à Summo Pontifice hanc ipſam in foro interiori auctoritatem; at verò in eo caſu obtemperaturos Eidem Religioſos non quà Abbati Commendatario, ſed quà Vicario, ac Summi Pontificis Legato. In *Artic*: 2do demonſtrat, Cardinales, aut Epiſcopos, ſi fiant Abbates Commendatarij, non poſſe ſalvâ conſcientiâ extrahere ſumptus ad ſuſtentationem *congruam*, quæ *competat Cardinali*, ſed quæ competat *Abbati*. In *Artic*: 3^tio^ aſſerit, Pontifices Romanos ob bonum pacis ſervandæ inter Commendatarios & Religioſos, atque etiam ex motivo prævertendæ reddituũ dilapidationis, nonnunquam compulſos fuiſſe, ut in Monaſterijs, ubi id neceſſitas exegiſſet, annuos proventus in tria fragmenta dividerent, quorum portio una Communitati: altera, Domûs fabricæ: tertia, Abbati Commendatario obveniret. Ut autem deinceps etiam arcerentur Commendatarij, quidpiam ſeu capere, ſeu exigere ultra trientem, definitam eſſe adversùs hujuſmodi tranſgreſſores ab ijſdem Pontificibus excommunicationis pœnam. Porrò uſurpatorem *tripartita*, ſive trientis nullâ quidem feriri cenſurâ Eccleſiaſticâ, cùm ejuſdem duntaxat *exceſſus* ſimili pœnæ ſubjaceat, peccare tamen contra juſtitiam, teneríque pro rata exceſsûs ad reſtitutionem; quandoquidem ſumptus tantummodò extrahere poſſit ad *congruam ſui ſuſtentationem*, nîl autem ſuperflui; tripartita verò, ex probabili præſumptione, competentis ſuſtentationis limites excedere videatur. Securum in conſcientia exiſtimat Caramuel Commendatarium, ſi determinatæ ac proportionatæ quantitatis uſum à Pontifice obtineat; tum enim extra diſcrimen eſſe, ſiquidem lege Pontificiâ tutò ad præfixos limites accedere poſsit. In *Articulo* 4to pronunciat Caramuel, non poſſe fieri concordiâ Partium, id eſt, Abbatis & Conventûs, ut Abbas trientem tutâ conſcientiâ accipiat, ex eo, quòd Communitas nullô pactô Abbati poſſit dare ſuperflua, ſed congrua duntaxat; nominè autem trientis, præter congrua, ordinariè etiam cenſeantur comprehendi ſuperflua. Neque tripartitam tutam videtur reddere proventuum paucitas; quoniam ſuſtentatio *congrua* commenſurari debet non accipienti ſuſtentationem, ſed danti: non Abbati, ſed Monaſterio: ſibi etenim imputet Commendatarius, quòd Abbatiâ opulentiori provi-

proviſus non ſit. In *Articulo* 5 demonſtrat Caramuel, Commendatarios nihil abſolutè poſſe de Bonis Monaſteriorum quôcunque demum modô divendere aut alienare, ex eo, quia nempè non ſtet penès ipſos dominium, ſed penès Communitatem. Quòd ſi tamen portionem aliquam determinatam auctoritate Pontificiâ aſſignatam habeant, cum illa liberè pro arbitrio ſuo diſponere poſſe. In *Articulo* 6 probat Caramuel, ſubeſſe, tum ex natura rei, tum è decretis Pontificum, Commendatarios Ordinis Viſitatoribus, ratione adminiſtrationis Domûs exterioris, cujus conſervatio ordinata eſt ad conſervationem interioris. In *Articulo* 7 & 8 aſſerit, poſſe quidem eſſe duos Abbates Commendatarios in eodem Monaſterio, ſed in diverſis poſſeſſionibus: Item Abbatem unum Regularem, alterum Commendatarium, quod frequenter in uſu apud Italos. Verùm, quod bene ibidem Auctor obſervat, in eo eventu penès Abbatem Regularem ex natura rei ſtare rei temporalis adminiſtrationem, penès Commendatarium Monaſterij velutì protectionem, cui poſteriori, auctoritate Pontificiâ, pro labore patrocinij certa portio aſſignari, pendíque annuè debeat. In *Articulo* 9 perhibet, Ordini vel maximè expedire, non habere Commendas: ut ſuus cuique gregi Paſtor reſtitueretur Abbas Regularis. In *Articulo* 10 aſſerit, poſſe Comendatario unius Monaſterij aut Ordinis commendari Monaſterium alterius Ordinis, cùm nulla ex natura rei in externa illa adminiſtratione incompoſſibilitas allegari valeat. In *Articulo* 11 demonſtrat, Abbatem Commendatarium alicujus *Domûs Matricis*, non habere poteſtatem viſitandi Cœnobia filialia, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus; cùm utraque in eo deficiat jurisdictio: illa quidem, cùm non ſit verè Abbas, ſed Nobilis tantùm Adminiſtrator: hæc verò, quòd acceſſoria ſit ad ſpiritualem, ex eáque emanet; neq; enim acceſſorium ſubſiſtit, ubi principale collabitur. In Cœnobijs noſtris ratio principalis ſtat penès adminiſtrationem ſpiritualem, ratio acceſſorij penès admiſtrationem temporalem; cúmque prior illa in Abbate Commendatario deficiat, deficit & altera poſterior: niſi fortè aut alterutram, aut etiam utramque concedat Pontifex; ſed tunc Commendatarius id non præſtabit quà Commendatarius, ſed quà Legatus Pontificius. In *Articulo* 12mo ad particulares Concluſiones in ordine ad perſonam ac jurisdictionem Eminentiſſimi Cardinalis Richelieu deſcendit, quarum præcipuas ſumatim hìc adfero. 1mo Non potuiſſe D. Cardinalem creari *Abbatem Commendatarium* Archi-Cœnobij Ciſtercienſis, cùm ex privilegio Henrici II Galliarum Regis, Mater Ordinis, Ciſtercium, quatuor filiæ primariæ (Firmitas, Pontigniacum, Clara-Vallis, Morimundus) & præterea alia quædam Cœnobia Regiæ denominationi non ſubjaceant: atq; etiam univerſalia Pontificũ decreta id vetent, nè *Religionum Capita* in Commendam dentur. 2do D. Cardinalem non potuiſſe eligi in *Abbatem* Archi-Cœnobij *Regularem*; ſiquidem ex Privilegijs Pontificijs nullus in Ordine Ciſtercienſi Abbas inſtitui poſſit, Ordinem non profeſſus. 3^tio His ſuppoſitis, non habuiſſe D. Cardinalem jus adminiſtrandi res ſpirituales aut temporales Monaſterij ac Ordinis Ciſtercienſis: neque extrahendi tripartitã ex Archi-Cœnobij proventibus: neque viſitandi Ordinis Monaſteria, niſi accedente ſpeciali privilegiô Pontificiô, quale ſi Pontifex conceſſerit (quod tamen, ùt ait Caramuel, *juſtiſſimè tum adhuc ſemper ab Eo fuerat negatum*) valiturum D. Cardinalem

hæc omnia, non vi ſuæ electionis aut creationis, ſed vigore conceſſionis Papalis, futurumque Ordinis Viſitatorem Pontificium, non Ordinis Abbatem Generalem. Porrò, quot quidem tunc fama ferebat eventurum, ſi Eminentiſſimus aſſumpſiſſet habitum Benedictinum, aut Ciſtercienſem, potuiſſet ſanè abſolutô integrè Tyrociniô admitti ad Ordinis utriuſque ſuprema gubernacula, eſſéque, quod plauſibiliter tunc futurum evulgabatur, Benedictinarum Congregationum in unum colligendarum, atque etiam Ciſtercienſium, quod ex identitate utriuſq; Ordinis, quam Caramuel eruditè probat, fit conſectaneum, Supremus Præſes, & Abbas Generalis. At verò in ea hypotheſi, ùt conficit Caramuel, Præmonſtratenſium Abbas Generalis eſſe non potuiſſet, cùm utriuſq; Ordinis profeſſio ſimul ſtare non ſoleat. Hæc Caramuel, ad apices Jurium Ordinis noſtri, titulum Generalatûs Cardinali Richelio recenter tunc oblatum eruditè excutiens, gratulatus quidem Ordini univerſo, *quòd purpureè-generoſus ſplendor eidem accreviſſet, avitæque laureæ novis fuiſſent radijs redimitæ*; at verò ſimul perpendens, ſimul proteſtans, quòd neo-inaugurato Generali, Eminentiſſimo Cardinali de Richelieu *omne obſequium, ſed rationale, conſecrârit. Ut tale id fuiſſet, examine indiguiſſe ſolertiſſimô; obedientiam namque inofficioſam eſſe, ſi fuerit parca: ſuperſtitioſam, cùm prodiga: & ſolùm laude digniſſimam, cùm fuerit liberalis.* Generalatum tamen, quem ſemel aſſumpſit, ſciente Româ, quoad vixit, non dimiſit Richelius.

LVI.

CLAUDIUS *Vauſſin*, Eminentiſſimi Succeſſor Regularis, S. Theologiæ Doctor Sorbonicus, zelô Ordinis ſtimulatus, in Germaniam, Bohemiámque excurrit, Ciſtercium viſurus extra Ciſtercium, ſuô non minùs, quàm filiorum ſolatiô.

LVII.

JOANNES PETIT, Claudium è Gremio Regulari ſecutus, noſtram hanc ætatem attigit, ac illuſtravit, Præſul, prudentiæ ſingularis commendatione, morúmque ſuavitate inſignis, nullâ re parvus, nisì nomine (PETIT) quod Patrium in Francia vocabulum, Latinis *Parvum* ſonat.

LVIII.

NICOLAUS *Larcher*, in Galliarum Sorbona Doctor Theologus, curſum Theologiæ ter ibidem docendo emenſus, jam ſexagenariô major, Annô 1692, 27 Martij evectus ad Ordinis gubernacula, nunc digniſſimè præeſt. Sub ipſo celebratum eſt Annô ſuperiore, poſt reſtitutam Orbi Europæo Riſvicenſem Pacem, Ciſtercij Generale Capitulum, in quo Parthenonis noſtri *de Claretis* in Regno Franciæ ad *Trappenſium* noſtrorum rigorem (de quo *Tit: ſeq: & alibi*) accedentis fervor, tum ab illuſtriſſimo Archi-Epiſcopo Pariſienſi per epiſtolam, tum per Patrum Conſcriptorum decreta inſigniter fuit commendatus, utpote facinus præter genium ſexûs cæteroquin rarum, ac præprimis glorioſum. Vivat Annos Neſtoreos univerſi Ciſtercij Illuſtriſſimus Præſul *Nicolaus!* Cui pro ſapientiſſimis gubernaculis, è Nominis ſui ſupremis literis, ſit feſtiva *LAUS*, honor, gloria! Plura de inclyto hoc Antiſtite, atque etiam de proximis Anteceſſoribus perſcribenda forent; at ego ſolam opuſculi præſentis improviſam accelerationem incuſaverim, ex qua factum eſt, quòd cumulatiora de Magnis his Ciſtercij Generalibus præſtolari minùs potuerim.

Legiſti

LEgiſti jam magna Nomina
Lectiſſime Lector!
Sed Viros qui ſuis nominibus majores fuêre,
Non vidiſti:
Nomina hæc modica pagina,
Viros Orbis ille alter & felix habet.
Nusquam crederet Ciſterciũ ſe tam Magnum eſſe,
Niſi ex Capite:
Neque Hoc ſciret eſſe *Magnum*,
Niſi id publicis honoribus *Magnificarent*
Virgo, *Roma*, *Orbis*,
Virgo favoribus & affectu,
Roma privilegijs & purpurâ,
Orbis muneribus & cultu.
Pingat Apelles Ciſtercium,
Sed non totum;
Id enim Apelles non audeat, non poſſit.
Alexandrum fortè totum ille pinxerit,
Quia Alexander ex omni parte
Non fuit *Magnus*,
Corpore Parvus.
At non *capiet* Apelles Ciſtercii *Caput*,
Nimis *Magnum eſt* pro pictore
Qui tantùm *parva*
In *Alexandro Magno* pinxit.
Vidit in Ciſtercii *Capite* Rainaldo
Evgenius Pontifex *Caput Orbis*
Aliquid inſvetum & ingens,
Quod fortè nec Ille alibi,
Nec alij ullibi niſi in Ciſtercio
Vidiſſe voluerint aut potuerint.
Evgenius *Caput non Caput!*
Caput, quòd Papa.
Non Caput, quòd in Capitulo Generali reverentiam Capitis
Rainaldo detulit,
Dum locum, qui primus eſt, ceſſit, Rainaldóque poſtſedit,

M Ubi-

Ubique alioquin *Summus*, ubique *Caput*, præterquam Ciſtercii.
Non poſſunt eſſe *parvi*,
Quos colunt *Summi.*
Ducamus altiùs lineas!
Bernardus raptus è Ciſtercio ad Superos,
Tam altè ſuper ſidera in gloria aſcendere non potuit,
Quin ipſum Gosvinus Ciſtercii Generalis imperiô non modò
(allectus,
Sed, quod magnificentiùs, ſupergreſſus ſit,
Major enim Bernardô eſſe debuit,
Qui Bernardum à prodigijs abſtinere juſſit,
Probante Viri & Imperii magnitudinem Bernardô ipsô,
Dum Gosvino obtemperavit.
Sed fortè non paſſa eſſet Cælitum Majeſtas
In ſingulorum veluti præjudicium
In uno Bernardo ſibi omnibus à mortali leges ferri & ſcribi,
Niſi nôſſent, præter Ciſtercii Generalem vix aliquem id audere.
Genuerit olim *Elizabetha* cælitùs fœcundata Parens
Zachariæ Magnum Virum
Non ſolis certè id datum Elizabethæ & Joanni
Poſſe magnum gignere, & magnum gigni,
Etiam Magna Divorum Imperatrix MARIA
Ciſtercii *Viros Patres*, ſibi *Filios* & *Sponſos*
Nonniſi aut *Magnos genuit*,
Aut *Magnos fecit.*
Robertus, *Albericus*, *Stephanus*,
Primi Ciſtercii, auſpiciis Magnæ Matris, *Trium-Viri*,
Utrinque Magni, ſi Virorum *merita*,
Aut *Magnæ* Virginis in Viros *Favores*
Non parvis oculis atque affectibus penitiùs introſpiciàs.
Robertus *annulô*, Albericus *albicāte veſte*, Stephanus *candidô cingulô*
Ab una Virgine donati ſunt:
Magna ſunt iſthæc munera,
Sed majora in muneribus myſteria,
In *annulo fides* & *perennitas*,
In *veſte tectio* & *protectio*,
In *Cingulo vincula* & *amores*,

Magnæ

Magnæ res, Magnæ ſpes,
à Virgine & Ciſtercio promiſſæ,
& Ciſtercio ſervatæ.
Certavit penè Roma cum Magna Matre
In magnificandis Ciſtercii Capitibus;
Indultô namque Innocentii VIII. *duo magna*,
Quæ poſſunt *Magni* Eccleſiarum *Præſules*,
Non minùs poſſunt Ciſtercii Generales,
Abbates infulare,
Et geminos Diaconatûs & Sub-Diaconatûs Ordines conferre.
Loquantur alii hæc accentu acutiore
Ego nè rei veritatem & magnitudinem
Stylô altiore offenderem,
Malui ſimpliciùs, quàm ſubtiliùs,
Veriùs quàm doctiùs loqui;
Ea enim quæ ſimpliciora, veriora ſunt.
Didicerint igitur alii nôſſe *leonem ex ungue*,
Ego diſcam *Ciſtercium nôſſe* venerarique ex *Capite*.
Tu ſincere Lector (huic enim tantùm hæc ſcribo,)
Si domeſticus es, Magnum hoc Caput venerare,
Si exterus, admirare:
Aut ſi utrumque utrique libuerit,
Nihil novi præſtabunt utrique,
Magna enim non minùs ſolemus *venerari*, quàm *admirari*.



TITULUS III.

CISTERCIENSES CONGREGATIONES.



VIdimus ſuperiùs Titulô primo Ciſtercium in Fonte, id eſt, Ciſtercii originem, nunc ſpectabimus fontis rivulos, qui quidem pro Congregationum diverſitate etiam diverſi ſunt. Non habet ſanè fons iſte Ciſtercii undas ſteriles, tot ſacris familijs fœcundus & multiplex. Ibo per Congregationes ſingulas, dabóque ſingularum originem, fluxum, fœcunditatem. Sunt igitur,

tur, *præter Ordines Militares*, quos inferiùs peculiari titulô producemus, familiæ, numerô novem, nimirùm *Guillelmitæ*, *Gilbertini*, *Montis Virginis*, *Grandimontenſes*, *Florenſes*, *Vallis-Caulium*, *Immaculatæ Conceptionis B. Virginis*, *Congregatio Hiſpanica*, *Reformatio Fulienſis*. De quibus brevitate quâ poſſumus, diſſeremus. Sub ipſa Bernardi tempora natæ Familiæ Religioſæ tres, *Guillelmitarum*, *Gilbertinorum*, & *Montis Virginis*, quas Henriqueus in ſuo Faſciculo ſub Ciſtercii vexilla refert. Primis duabus nomen datum ab Inſtitutore, Guillelmitis quidem à S. *Guillelmo* Aquitaniæ Duæ per Bernardum Parentem ad meliora & ſanctiora converſo, & Gilbertinis à *S. Gilberto de Semprimgham* Viro, illuſtri in Anglia; Montis Virginis verò à DEIparæ patrocinio, cui devotus dedicatúsque ſpecialiter Ordo.

De *Guillelmitis* video controverti inter nos & A. R. P. P. Auguſtinianos Eremitas: His aſſerentibus, Divum Guillelmum inſtituiſſe Ordinem ſuum ſub Divi Auguſtini legibus, noſtris verò ex adverſo contendentibus, Sanctum militâſſe ſub Regula Divi Benedicti, atque eandem ſuô exemplô tradidiſſe diſcipulis. Henriqueus ex induſtria controverſiæ hujus fontes altiùs repetit in citato Faſciculo, atque ex Bullis Summorum Pontificum Innocentii IV. Urbani IV. & Alexandri IV. egregiè evincit, Guillelmitas ad Benedictinorum Familiam, atque inſuper ad Ciſtercienſienſium ſpectare. Quod quidem veroſimilius eſſe videtur, cùm Guillelmus Dux Bernardi magiſteriô penè in omnibus uſus vix aliud inſtitutum ſequi voluiſſe credendus ſit, quàm Bernardi Magiſtri, ex quo totus pendebat. Et certè Ciſtercienſes noſtri ſunt in poſſeſſione, cùm hodie, ùt idem Henriqueus ibidem affirmat, Guillelmitæ Miſſali & Breviariô non alijs utantur quàm noſtris, habitúmque domi geſtent, qualem Ciſtercienſes, & Divos Benedictum, Bernardum atque Guillelmum præcipuos ſui Inſtituti Patronos colere ſe verbô & ſcriptô profiteantur. Argumentum quod pars adverſa pro ſe adducit; inefficax eſt, nempe, per S. Guillelmum reformatos eſſe Eremitas Auguſtinianos: Igitur Guillelmum Auguſtinianum fuiſſe. Cur non & ſic arguant: Bernardum Patrem Templarii habent Legislatorem, igitur Bernardus non Monachus ſed miles Templarius fuit? Iſta ſequela ſanè non faciet Bernardum ex Abbate Magiſtrum Militum, neque præcedens altera Guillelmum ex Ciſtercienſi Auguſtianum.

Cœpit Ordo Guillelmitarum. Circa An: 1136. & forti aliquot annis. Tardiùs.

N Non

Non ſumus tamen tam duri in ſanctiſſimam Eremitarum Familiam, ut ei totum ſubtrahamus Guillelmum, utrorumque eſt, & Ciſtercienſium & Auguſtinianorum, illorum per unius Regulæ obſervantiam, horum per Reformationem; Neque enim video, unde hæc duo adeò inter ſe pugnent, quòd Guillelmus profeſſus Divi Benedicti Regulam conſiliô, hortatu, & quod his ampliùs, exemplô reformare minùs potuerit Eremitas profeſſos Regulam Divi Auguſtini, præſertim cùm & ipſe Guillelmus poſt converſionem, eremum, vitamque eremiticam eximiè coluerit, atque illuſtrârit, ſuosque Guillelmitas Eremitas eſſe voluerit. Potuêre igitur vitæ & eremi, non verò Regulæ Socii Eremitæ Auguſtiani, qui ſub illud tempus per ſolitudines diſperſi, teſte Henriqueo, non adeò inter ſe cohærebant, à Sociis Guillelmitis, & Eremi magno Luminari Guillelmo multa diſcere, & imitatione etiam propiùs accedere ad Guillelmi inſtituta & exempla, ſicque Guillelmum habere ſui Ordinis ſanctiſſimum Reformatorem. Quod ſi aliquid in Guillelmo amplius ſibi vindicare voluerint Auguſtianì, id agant per Pontificum Bullas, per quas, & vix aliter doceri cupiunt Ciſtercienſes noſtri, quàm ſcilicèt, & per quam Regulam Regulam Guillelmus Auguſtinianus fuerit. Sed quid tandem opus eſt multô litigiô? Audiendi ſunt Guillelmitæ ipſi apud Henriquezium, è quorum confeſſione ſententia hæc pendeat. Narrat rem jucundam memoratus Author Faſciculi *Lib.* 2. *diſt:* 12. *c.* 1. quam ſibi in Belgio eveniſſe ſcribit, dum illud authoritate Ordinis ob perveſtigandas Familiæ noſtræ antiquitates peragraret: Incidiſſe ſe ſcilicèt aliquando in duos Priores *Brugenſem* Auguſtinianorum, & *Aloſtenſem* Guillelmitarum; & quia Henriqueus ipſe hactenùs de rei veritate dubius inſtrui cuperet, quàmnam Regulam, quodve inſtitutum ſectarentur Guillelmitæ, quæſtionem utrique movet: Reſpondit mox Auguſtinianus, Fatres Guillelmitas Auguſtinianos eſſe; ex adverſo verò Guillelmitarum Prior ſtomachatus ſibi metamorphoſim imputari, de qua nunquam ſomniâſſet, conſtanter pronunciavit, ſe ſuosque ſub Divi Benedicti legibus militare. Audiamus Bonum Virum apud Henriqueum, qui curioſæ huic liti curioſus Auditor non ſinè voluptate interfuit, in hæc verba loquentem: *Mirum eſt*, inquiebat: *quòd mihi perſvadere velis, me aliam ſervare regulam, quàm profeſſus ſum: Sancti Auguſtini Regulam veneror quidem & exoſcu-*

exoſculor, nunquam tamen eandem profeſſus ſum, nec in Ordine meo ſervatur. Multos jam annos ſum Religioſus, Superior ſum in Ordine iſto, facilè ſcire poſſum, an Benedictini, an Auguſtiniani ſimus. Ad quid perſvadere mihi vis, quod nullum habet fundamentum? Quis enim certiùs ſcire poteſt, quam ſervemus Regulam, quàm nos ipſi? Quid refert multos eſſe Scriptores, qui dicant, nos Auguſtinianos eſſe, ſi veritas ipſa illos falſitatis arguit, & ipſi Guillelmitæ dicant, ſe Benedictinos eſſe? Et hæc quidem Guillelmita Auguſtiniano. Cúmque Henriquez pro domo ſua plura à Viro quæreret, an non etiam, ſiquidem Benedictinam profiterentur Regulam, aliquô pactô ad Ciſtercienſes ſpectarent? Subjecit ille: imò verô *Nos Patrem habemus S. Guillelmum Ducem Aquitaniæ; & avum & Legiſlatorem S. Bernardum.* Hilaris eô reſponsô Henriquezius noſter Miſſale atque Breviarium à Priore Guillelmita ſibi in aſſertionis argumentum exhibita inſpexit, quæ deprehendit Ciſtercienſium eſſe, ipſumque Guillelmitarum habitum alium omninò non eſſe quàm Ciſtercienſium, tunicam ſcilicèt albam, ſcapulare & caputium nigrum. Tum Henriqueum familiariùs affatus Guillelmita: *ùt vides*, inquit, *nos ſervamus veſtram regulam, & ſequimur, quantum in nobis eſt, inſtitutum veſtrum, & eisdem vobiſcum cæremonijs utimur & officiô.* Non potuit majora pro domo & ſententia ſua expectare Chryſoſtomus, qui jam doctior conſtanter deinceps aſſeruit, Guillelmitas pertinere ad Bernardum & Ciſtercium. Similia nobis recitent pro ſe Optimi Patres Auguſtiniani, & haud gravatè totum ipſis cedemus noſtrum Ciſtercienſem Guillelmum, Guillelmique Eremitas filios.

De ORDINE GILBERTINORUM minor, imò veriùs, nulla eſt controverſia, illum Ciſtercii propaginem atque ſurculum fuiſſe, affirmantibus id Manriqueô in Laurea Evangelica, Henriqueô in Faſciculo, & Miræô in Monaſticis Originibus. Et quidem Gilbertus ipſe Familiæ Parens olim Bernardi in Clara Valle diſcipulus & Monachus fuit, ſicque deinde Angliæ ſuæ daturus novi Ordinis honores, vix aliquid à Bernardo, Clara Valle, atque Ciſtercio alienum & difforme meditari atque moliri potuit. Id ipſum etiam ab obitu Viri Sancti publicô cultu teſtati Gilbertini, qui unis veluti honoribus Divos Bernardum & Gilbertum præcipuos Congregationis ſuæ Anteſignanos & Duces eximiè ſemper proſecuti ſunt, quaſi Gilbertus Pater coli non

vellet abſque Bernardo Socio imò Magiſtro, atque inde ſemper meminiſſent Gilberti filii, ſe ex Ciſtercio velutì primo fonte prodiiſſe.

Cœpiſſe videtur hic Ordo circa Annum 1130.

ORDINI MONTIS VIRGINIS nuncupato prima initia in Apulia dedit B: GUILLELMUS Vercellis è progenie nobili oriundus, qui priusquam novâ Sobole eſſet Ciſtercium auctūrus, loricâ ferreâ ſupra nudam carnem indutus Compoſtellam primùm, ac ſubinde etiam Palæſtinam devotiſſimus Cultor viſitavit. Redux ſanctimoniâ vitæ atque prodigijs illuſtris oraculô cœlitùs admonitus ad pedem Montis Virgiliani, quem olim Poëtarum ille ſplendor Virgilius domiciliô felix incola nobilitaverat, modica tuguriola, prima velutì novæ Congregationis rudimenta ſub Ciſtercienſium ſtatutis poſuit. Tacebo ob anguſtias paginæ de Guillelmo alia omnia, facinus duntaxat unum, heroicum illud quidem, & longè pulcherrimum tacere ſinè Guillelmi & Ciſtercii injuria non auſim, quod in *Faſciculi* ſui *Libro* 2. *diſt:* 14. *c.* 2. in ſerie vitæ memorat Henriqueus noſter. Rogerius Siciliæ Rex Virum Sanctum pro dignitate egregiarum virtutum præcipuis proſequebatur honoribus, quibus offenſa atque indignata muliercula quædam formâ & ſcelere infamis Guillelmi ſanctimoniæ maculam hypocryſeos impudenti lingvâ affricavit apud Regem, audacter Regi pollicita, proximâ nocte oſtenſuram ſe, quô locô eſſet Guillelmi ſanctitas. Datâ igitur acceptâque ſponſione ſub noctem furtivè in Cellulam Viri DEI penetravit, nutu geſtúque caſtum & ferrô armatum illud pectus impudicis ignibus emollitura. Sed deprehensô hoſte & periculô egregius Heros incendia incendiis ſuffocaturus, vicinos carbones, quos in foco habuerat, in lectulum adornavit, ſupra quos velutì plumas mox incubans Scortum ad facinus jam longè & ipſe ad ſpeciem audacior ſolicitavit. Veni, inquit, monſtrum! cuba hìc mecum, non in alio ego ſtrato tecum laſciviam, quàm in his ipſis ignibus: Neque tu, lupa, alias plumas tuô ſcelere mereris, quàm hæc ipſa incendia: Veni Scortum, cuba, & pecca; aut ſi hìc cubare te terreat, terreat & peccare. Suaviùs, mehercle, me mulcent ipſi hi ignes, quàm qui in tuis præcordijs turpiſſimè ardent. Diſcede obſcœne titio! non tanges, non accēdes me, jam aliis ardeo incendiis, quæ Superi in me ſuccenderunt.

runt. J! monſtrum, brevì cubabis in haud diſſimili lectulo voracibus gehennæ flammis æternùm uſtuanda! Sed ſtetit illa pavens ac tremens abſorpta horrore ſpectaculi, & damnatô mox immani ſacrilegiô, quô ſe polluere decreverat, longè alia de ſe ſtatuit, atque ſub primum diluculum longè ſanctiora de Guillelmo Regi ſuggeſſit, quàm Rex fortè à Scorto expectaverat. Non diu poſt ut effugeret Sceleri ſuo deſtinata inferni incendia, Venuſiæ in Clauſtrum Virginum ſe abdidit, atque ibi non priùs pœnitentiam clauſit quàm vitam. E præliis tandem & victoriis ad proemia & bravia Vir Sanctus abiit Anno 1141. ætatis ſuæ Anno 57. Atque hæ quidem familiæ primitiæ Ciſtercii ſub Bernardo cœpêre.

Sed aliquantum fortè mirabilius eſt, Ordinem GRANDI-MONTENSEM ante Bernardum atque etiam ante Ciſtercium annis octodecim mundo exortum, deinceps cum Ciſtercienſibus leges habuiſſe communes. Congregationis Author STEPHANUS Vir Sanctus, & illuſtri loco apud Arvernos Italiæ populos natus. Aquitania Galliarum Provincia novæ proli quæſitæ cunæ in Monte, quem *Muretum* dixêre incolæ, ubi Angelum non ex Italia, ſed de Cœlo illapſum in Stephano ſpectavit Gallia. *Cœpit hic Ordo Anno 1080.* Socii Stephani ſimul & ſocii novæ familiæ, cui primùm ab obitu Patris Sancti inditum divinitùs nomen, cùm nimirùm filii orbati Patre titulationibus preſſi Sedem ac locum juberentur mutare cæleſti oraculô, ter ſub Miſſarum Solemniis admoniti: *In Grandi Monte. In Grandi Monte. In Grandi Monte.* Erat is Mons Mureto vicinus, igitur aſportatis ſecum exuviis Patris Sancti ad locum præoſtenſum digreſſi à novis ſedibus nuncupati ſunt deinceps *Grandi-Montenſes.* Quòd autem Ciſtercii legibus vixerint Fratres de Grandi Monte ex Jacobo Vitriaco Cardinali recenſet Henriqueus in Faſciculo. Lib. 2. diſt: 11. c. 4.

Diverſis porrò ætatibus reliquæ per Orbem natæ familiæ, quæ Matrem quæ Cunas agnoſcant in Ciſtercio. FLORENSIS in primis in Calabria Inſtitutore B: JOACHIMO Abbate, cognomētô PROPHETA, qui ad majora anhelans An. 1190. à Ciſtercio digreſſus, fundatô novô Cœnobiô, cui nomen à *Flore* Florēſi Congregationi prima initia dedit. Superadditæ antiquis Ciſtercienſium obſervantiis à Joachimo novæ quædam, propagatáque re- *Fundata eſt hæc Congregatio Anno 1190.*

O cens

cens nata familia Pontificum Bullis & Regum munificentiâ per Italiam, aucta inſuper honoribus, ut *Cœnobium de Flore*, *Regum Siciliæ Capella* diceretur, & Abbates *Capellani Regum.* Unum in nova Congregatione minùs placuiſſe video Manriqueo noſtro, quòd ſcilicèt à reliquo Ciſtercii Corpore diviſa Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjici voluerit, primò præſertim ſæculò, cùm omnia adhuc vigerent in Ciſtercio. Rediêre tamen Florenſes veluti poſtliminiò ad Fontem ad Ciſtercium, poſtquàm nimirum primus ille fervor & Floris flos per Commendarum æſtum marcidus decidiſſet, quæſituri deinceps refrigeria & nova incrementa à Fonte Matre. De Joachimo Fundatore id obiter notandum exiſtimo, injurios Viro Sancto eſſe, qui de illius fama & vita minùs rectè hodie ſentiunt. Erraverit ſanè in Libro, quem de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio contra Magiſtrum Sententiarum ſcripſit; Sed meminerint, hominem fuiſſe, qui errare potuerit. Erravit quod ſolent homines, & nonnunquam homines docti: correxit errorem, quod ſolent Sancti; Mox enim ùt per Cenſores didiciſſet, ſeſe errâſſe, retractavit ſcriptô divulgata dogmata. Et nunquid etiam Auguſtinus Doctorum ille Sol in libris quos retractationum vocat, publicè Orbi literario confeſſus eſt, ſe errâſſe, aut ſaltem erráre potuiſſe, jamque minùs probare quæ antea ſenſerit; Nunquid tamen per hoc aliquid Auguſtini detractum aut Sanctimoniæ aut ſcientiæ? Nihil ſanè horum. Fecit quod homo, & inſuper quod Doctor, quod Sanctus, erravit, & correxit. Nec aliter Joachimus noſter, præſertim cùm Concilii Lateranenſis Patres Librum & dogma Joachimi duntaxat ſeſe damnare profeſſi ſint, non Joachimum Libri Authorem. Et profectò ſi è moribus doctrinam Sancti penſare voluerint intempeſtivi Cenſores, deprehendent Joachimum Sanctimoniâ & rigore vitæ nîl minùs meruiſſe quàm reprehenſionem, nîl magìs quàm laudem atque exiſtimationem. Cùm enim adhuc lateret intrà materna viſcera, angelum habuit futuræ ſuæ ſanctimoniæ non vanum Encomiaſten, qui Matri nunciavit, enixuram ſe prolem, quæ Coeli & Divorum coetus eſſet auctura. Et implevit puer Joachimus mox Coeli de ſe pronunciata Oracula, ſupra ætatem ingeniô pollens, & bonitate morum futuræ ſanctimoniæ egregiè præludens. Perluſtratâ ſubinde Palæſtinâ in ſolitudinem ſeceſsit, ubi aliquamdiu moratus cùm per occultos motus

tus ſentiret, ſe à DEO vocari in Eccleſiæ & proximi obſequia, Siciliam ingreſſus munus Eccleſiaſtis inter animarum non modica lucra publicè exercuit. Iis ſtudiis occupatum Ciſtercienſis familia ad ſe Virum traxit, futurum Ordinis illuſtre ſidus. *Curatium* Ciſtercii Domus in Sicilia præ aliis Joachimo placuit, ubi aſſumptâ ſacrâ veſte non diu poſt Prior, ac tandem Abbas inſtitutus eſt, invitus quidem, & nonniſi Epiſcopi, & vicinorum Abbatum rogatu ac propemodum imperiô ad acceptandos honores compulſus; quos tamen mox iterum dimiſit, atque Caſæ-Marium digreſſus divinarum literarum ſtudiis & eximiis lucubrationibus ſe totum dedit, Summis Pontificibus *Luciô*, *Urbanô*, & *Clemente* Joachimum per literas ad conſcribendos ſacros Commentarios impigrè ſtimulantibus. Neque ille minùs fecit, quàm Pontifices optaverint, quod manifeſtum fit ex præclaris Voluminibus, quorum non pauca longâ ſerie recenſet Henriquez in Faſciculo *Lib.* 2. *diſt:* 13. *c.* 3. Aliô inſuper donô cælitùs datô ubique terrarum celebrabatur fama Joachimi, quòd ſcilicèt polleret Spiritu Propheticô, quô inſigni donô ipſi novum nomen accrevit, dictúsque eſt paſſim *Joachim Propheta.* Illud inter omnia Viri Sancti Prophetica oracula celebre prorsùs eſt & eximium, quòd Divos Patriarchas *Dominicum* & *Franciſcum* quadraginta annis citiùs, antequam noſci in mundo cœpiſſent, prænunciârit venturos; quodqe mirabilius eſt, utrumque Sanctum, in ſuo quemq; habitu, qualem olim eſſent geſtaturi, tam aptè ſermone expreſſit, ut Pictores Venetiis in S. Marci Baſilica in Eccleſiæ parietibus ſecundùm revelatas per Joachimum ideas Dominicum & Franciſcum & hunc poſteriorem quidem cum Sacris ſtigmatibus ad vivum pinxerint, cùm tamen ſub id tempus neuter Sanctus ea vel ſomniârit, quæ Joachimus de utroque eſſet vaticinatus. Clades quoque triumphosque Eccleſiæ Sacer Vates præcinuit, & præſertim celebrem illam ad Naupactum victoriam, quæ incidit in Annum 1571. quatuor ferè ab obitu Joachimi retroactis ſæculis in ſuis illis Commentariis, quos in Apocalypſin ſcripſit, quosque Lucio III. Pontifici Maximo dedicavit, non obſcurè prævidit prædixitque, ùt obſervant Eruditi. Inſtitutâ Florenſi Congregatione vivam ſe Monachis Regulam exhibuit, nîl ab ipſis exigens, quod ipſe præviô exemplô priùs in ſe non probâſſet. Sed in jejunijs fortè aliquid ampliùs auſus, quàm potuerint

cæteri, alternis duntaxat diebus victum ſumpſit, qui in Quadrageſima alius non fuit, quàm panis & aqua. Verùm non vacat his diutiùs immorari, illud notâſſe ſufficiat, Virum Sanctum ab obitu ſuæ Sanctitatis teſtes habuiſſe, qui mentiri vix poſſunt, miracula nimirùm à quibus confundi debeant, qui de Joachimo contrarium ſentiunt.

CONGREGATIONIS, quæ VALLIS CAULIUM nuncupatur, primordia ſuccinctè referenda ſunt ex Jacobo de Vitrìaco Cardinali, qui in *Hiſt: occid:* cap. 17. his verbis ea recenſet: *In Epiſcopatu Lingonenſi ſunt quidam Fratres Monachi DEO amabiles, & valdè Religioſi, qui de Valle Caulium nominantur. Hi Ciſtercienſis Ordinis inſtituta, victu & veſtitu; & Divinis officijs & in omnibus alijs diſtrictè & diligenter obſervant.* A *præcipuo* Congregationis *Cœnobio*, quod reliquæ Domus tanquam Caput & Matrem reſpiciunt, ſortita pariter nova Familia nomen de *Valle Caulium.* Confirmatam ab Innocentio III. Anno 1207. aſſerit Manriqueus ad hunc añum *cap.* 4. De primo Congregationis Auctore nihil notatum invenio; niſi fortè Congregatio *Vallis Scholarium*, cujus exordia ex Chronico Belgico ad eadem tempora referuntur, eadem eſſet cum *Vallis Caulium*, cùm Authores utramque natam affirment in Diœceſi Lingonenſi, ſic enim (quod quidem ego pronunciare non audeo, cùm videam ipſum hìc hærere atque dubitare Manriqueum) Authores novæ Familiæ è citato Chronico eſſent *Willelmus Anglicus*, & *Frater Richardus de Marcio.* Noſtrâ vix intereſt, hæc tam ſcrupuloſè explorare, dummodò Congregationis originem & leges, atque Pontificem Summum teneamus, qui Inſtitutum hoc ad Ciſtercii normam confirmaverit. Henriqueus in ſuo Menologio ad 20. Auguſti aſſerit, hodiedum ſupereſſe in Galliis Ordinem Vallis Caulium, atque Regulam, Conſtitutiones, modum pſallendi, & habitum Ciſtercienſium retinere.

Cœpit hic Ordo Anno 1207.

ORDO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B: MARIÆ ſub Ciſtercii inſtitutis Fundatus eſt apud Hiſpanos à B: BEATRICE Virgine Nobiliſsima, & ob formæ venuſtatem per omnem Hiſpaniam celeberrima, circa Annum reparatæ ſalutis 1489. Cujus Sanctæ Virginis meminiſſe debebimus alibi Tit: 18. Primæ Beatricis Sorores ſumptæ è Monaſterio Ciſtercienſi *Divi Dominici de Silos* in urbe Toletana. Innocentius VIII. Pontifex Maxi-

Fundata eſt hæc Congregatio. Año 1489.

Maximus novam Ciſtercii progeniem confirmavit diplomate, quod cùm in Mari per obortam tempeſtatem periiſſet, Virgo Sancta precibus ſuis novas mari, novas aquis leges poſitura, tam diu ſupplex DEUM, Cœliteſque inclamavit, quouſque Literas Pontificias ſalvas omninò è Scrinio, veluti è pelago ingenti ſanè prodigiô extraxerit. Placuiſſe Numini & Virgini novam Familiam, novoſque ſub Virginis immaculatæ præſidio titulos, abundè patet è literis confirmationis divinô prodigiô ſervatis & redditis.

Inter omnes tamen Ciſtercii Congregationes vix ulla illuſtrior, quàm HISPANICA ſub TITULO S: BERNARDI, quæ Anno 1425. id eſt, ante tria ferè ſæcula in Monte Sion propè Toletum nata magnis incrementis ad hanc uſque noſtram ætatem progreſſa eſt, Ciſtercienſis nominis Columna & Sol. Congregationis Auctor B: MARTINUS de VARGAS Vir monaſticô zelô & Magnô Bernardô plenus, qui jam olim Ciſtercienſem Ordinem profeſſus in *Petra* Aragoniæ Cœnobio, cùm videret per Abbates Commendatarios avitam Ciſtercii gloriam & regulæ obſervantiam eorundem ſeu ignaviâ, ſeu avaritiâ penitùs proculcari ac peſſumdari, ut præcipitium ruinamqe tam illuſtris Familiæ præverteret novus Ciſtercii Atlas, impetratâ à Romano Pontifice facultate cum Sociorum manipulo ad *Montem Sion* locum Toletanæ Urbi vicinum, ac ſub id tempus adhuc incultum & ſolitarium digreſſus, redivivam primævi Ciſtercii ideam ſuæ exhibuit Hiſpaniæ. Plurimùm hæc Reformationis primordia promovêre Reges Caſtellæ, cedentes juri quod habebant in Abbatum electionibus, in ijs ſcilicèt Cœnobiis, è quibus Monachi convolare vellent ſub Martini vexilla. Igitur cùm noſtri ſub Commendis ingemiſcentes conſpicerent, ſe poſſe nunc tandem elabi è tam duris compedibus, rurſuſque integrè ſe ſibi nunc reſtitui, gratulati Hiſpaniæ ſuæ, quòd deinceps cum Gallia diſpertiri poſſet primitivi Ciſtercii gloriam ac ſplendorem, magnis animis ac agminibus ſanctiſſimam Reformationem amplexi ſnnt. Fama Martini omnem Hiſpaniam impleverat, ut vulgò ſummis laudibus recommendaretur Viri ſanctitas, cui ſimilem nunquam vidiſſent Hiſpani. Henriqueus Ejuſdem Congregationis alumnus in *Faſciculi Lib*: 2. *diſt*: 14. c. 1. modicis his verbis primitias rigoris Martini & novæ Familiæ expreſsit: *Veſtitus erat vilis, victus*

Cœpit hæc Reformatio Anno 1425.

herbæ camporum, *ſilentium continuum*, *Oratio frequentiſſima.* Addidit Martinus velutì pro ſigno diſtinctivo novæ militiæ à reliquo Ciſtercio Cingulum ex lana candida, cùm alioquin Ciſtercienſes alii nigrum geſtent. Expunctâ Commendarum peſte, nè ultra quôvismodô contagio poſſet afflare Familiam, conditæ leges præſervativæ contra morbi pericula, abolitaque communi omnium conſenſu Abbatum perpetuitas, & ordinati Abbates Triennales, ut vel ſic à Ciſtercio prohiberetur Procerum ambitio, qui deinceps negligerent ambire Sedes & Faſtigia, è quibus mox iterum abire ac deſcendere debeant. Neque Congregationis Superiori, quem *Generalem Reformatorem* vocant, longior in munere mora, quàm triennium: Ejus Sedes eſt Cœnobium *Sanctæ MARIÆ de Palaſiolis* in Veteri Caſtella, ubi & Capitula Generalia ſingulis trienniis celebrantur. Floret hodie, florebitq; ſemper Viris Sanctiſſimis & Doctiſſimis hæc Reformatio, ubi omni ſollicitudine id curant omnes, ut communi atque indiſſolubili nexu ſibi invicem cohæreant, literæ & virtutes. Digniſſimæ eſſent leges, quibus Magni illi Viri cum tanta animorum harmonia gubernantur, ut his paginis pretium darent; at quia hìc multus eſſe non poſſum, Viros monſtro, Henriqueum in Faſciculo, & Manriqueum in Appendice Annalium ſuorum, ubi eas, aliaque huc ſpectantia fuſiùs leget, qui volet.

Reformatio Fulienſis cæpit Anno 1577.

Sed etiam Gallia Commendarum morbô diu laboravit, neque aliis remediis profligari malum potuit, quàm quibus olim Hiſpania uſa eſt. JOANNES BARRERIUS Vir in Gallia illuſtris primam manum operi admovit: Is recommendatione Parentum titulum vitulumq; à Rege obtinuit in Monaſterio Fullienſi in Aquitania, cujus in prima adhuc adoleſcentia conſtitutus eſt Abbas Commendatarius. Titulus iſte quaſi importunus monitor pectus primùm juvenis, ac deinde etiam Viri jugiter inquietaverat. Et quia inſuper divinis igniculis validè ureretur Barrerius (ſuô ingenuô non malus, dignus planè qui Fullium præ aliis commendaret) opus divinum aggreſſus eſt per Gallias animô & zelô, quô olim Martinus apud Hiſpanos. Aſſumptô igitur Ciſtercienſium habitu & inſtitutô, quaſi turpe eſſet, alios velle emendare ſinè proprio exemplo, junctisque ſociis, qui divinitùs ad hoc fuerant præordinati, contra Commendas, & vi-

tæ

tæ Monaſticæ laxamenta ingentes luctas & prælia jam religioſus, è Commendatario, Abbas ſuſcepit. Primitiæ Reformationis cœptæ Anno 1577. in *Fullienſi* Cœnobio, unde & *Congregatio* velutì à Capite & Fonte dicta deinceps eſt FULIENSIS. *Primus* Familiæ authoritate Apoſtolicâ *Generalis* idem qui & Auctor & Reformator B: Barrerius, primitivi Ciſtercii rigoris, ac primorum Patrum zelotes ac æmulator egregius. Primis Alumnis per Barrerium hæ dictatæ datæque leges: ut Primò quidem perpetuò abſtinerent à carnibus, ovis, piſcibus, vinô, oleô, ſale. Secundò ut ad refectionem acceſſuri humi conſiderent ſitu pœnitentium, ſublatô omni menſarum uſu. Tertiò ut perpetuam crurum, pedum ac Capitis intra Cœnobii clauſuram ſervarent nuditatem. Quartò ut nonniſi nudæ tabulæ ſinè ullo ſtramento dormientes incumberent. Mitto auſteritates alias; quas tamen Viri ſanctiſſimi nullâ coactione, nullô metu aut terrore compulſi, ſed hilares omninò, atque eâ prorsùs alacritate, quâ alii in res ſuaves & delicioſas irruunt, ad ungvem quàm regidiſſimè obſervabant, frœnô inſuper atque Imperiô à Barrerio Patre indies cohibendi, nè fervore Spiritûs majora auderent. Mirum eſt, tantum rigorem per complura Galliæ Monaſteria propagari potuiſſe, hodieque non modò ſupereſſe, ſed & florere Fulienſes. Obiit Barrerius revelationibus & miraculis illuſtris Romæ Anno ſæculari 1600. in Jubilæi Univerſalis Solemniis, Vir utriusque Eccleſiæ Militantis ſcilicèt & Triumphantis jubilô atque plauſu longè digniſsimus.

Henriq. in Menol. 2. Aprilis.

Atque hi ſunt rivuli, qui Numinis & Virginis influxu in Eccleſiæ Catholicæ decus & obſequium è Ciſtercio proſilierint. Audio quidem etiam hodie in Galliis eximiè celebrari Ordinis noſtri Cœnobium *de la Trappa*, quod omnes reliquas Familias rigore vitæ vincere dicitur; ſed quousque pleniùs inſtructus non fuero de Trappa certum nihil pronuncio. Credo ego Trappenſes nullam novam Familiam conſtituere, quæ à Fulienſi diverſa ſit, ſed Trappam eſſe ſurculum Fulienſis Congregationis, qui langventem fortè aliquantùm vigorem novô zelô animârit, & reſumptô velutì ſpiritu præ alijs Cœnobiis rursùm vivaciùs refloruerit. Ea namque ipſa, ſeu ferè eadem, quæ audivi de Trappa, etiam legi de Fullio, adeò ut Trappenſium mores & rigores

ex primitiis Fullii veluti ex Originali tranſumpti eſſe videantur. Corrigi tamen ego in his opto, ſi erro. Interea Ciſtercio Matri fœcundiſſimæ quàm devotiſſimè applaudo, quòd etiam poſt annos Sexcentos, quâ ætate aliæ Matres ſterileſcunt, non ceſſet fœcundari & parturire, ſed novâ ſemper prole, ſe, Eccleſiam, Cœlum quàm plurimùm augeat!

CISTERCIUM MATER

E Ciſternis
Non tam Nomen traxit, quàm *fœcunditatem.*
Prodigium!
Ciſtercii Genealogia in aquis ſcripta eſt,
Nec tamen cum aquis dilapſa
Adhuc hodie integra legitur
In *Ciſterna* & *Fonte*,
Duplicatô prodigiô,
Cùm edax vetuſtas geneſes ſaxis & rupibus inſculptas
Abraſit,
Genealogìæ *Ciſtercii aquis* inſcriptæ
Pepercit!
Garriunt adhuc hodie *rivuli è Ciſtercio* egreſſi
Matrem Fontem!
Haud diſſimiles Matri,
Niſi quod illi *currant*,
Hæc ſtet:
Utrobique tamen *aquæ perennes* ſunt,
Et cùm *decurrunt*, & cùm *ſtant*:
Neque *defluxu* abſumptæ
Neque *ſtatione* corruptæ.
Sexcenti anni ingentes alveos ſiccavêre,
Parvulus Ciſtercii Fons
Commendis diminutus,
Tempeſtatibus turbidus

Pen-

Penſionibus vexatus
Plurimis denique probatus calamitatibus
Adhuc ſtat, adhuc fluit!
Stat in Matre, fluit in rivulis.
Profundum eſt hoc ænigma in fonte!
Non caperem ego cum Philoſopho
Hunc *perennem* Fontis parvi *fluxum & influxum*,
Niſi *Moyſes* ille *aquarum Filius*
Ea indubiè ſcripſiſſet de Ciſtercii rivulis,
Quæ ſcripſit de primis Orbis conditi aquis,
Congregationes aquarum appellatas eſſe Geneſ. 1.
MARIA.
Audite vos *Ciſtercii rivuli*
Eſtis *Congregationes aquarum*
Natæ in *Fonte*, natæ *in aquis!*
Habetis *communem venam* cum MARIA,
Prima veſtra *origo* non unum *Mare*,
Sed MARIA eſt.
Nullus Bernardus,
Nulla quantumvis mille Bernardi labia
Exhaurient, exugent hoc *Pelagus*
Quod immenſum DEUM complectitur.
Fluent anni & ſæcula,
Fluent ſæculorum revolutiones Familiæ *Ciſterciæ*
Iterum iterumque, quomodo hactenùs, *Bis tertiæ*,
Vel ipsô nomine *bistérque* felices ac proſperæ,
Et ſemper *Marianis aquis* plenus erit *Ciſtercii Fons*,
Neque deficiet iſte,
Neque deficient illæ. Joann. 2.
MARIA
De *Vino* olim *ſolicita in Nuptiis*
Hoſpes, *non Mater*,
Quidnì & *aquas Ciſtercio* providebit
Mater, non *Hoſpes?*
Virginis *ubera*, *viſcera*, *brachia*
Canales erunt,
Quibus Virgo in Fontem, è Fonte in rivulos

E Rivulis rursùm unà cum Fonte
Rivulisque in ſinum ſuum velutì Mare
Seipſam reſorbeat!
Ite rivuli!
Sub *Maris MARIÆ* auſpiciis
Fœcundi, perennes, Felices!
Ite, & dulci murmure populis garrite
Dulciſsimos *Virginis in Ciſtercium*
Illapſus!



TITU-

TITULUS IV.

CISTERCIENSIUM PROPAGATOR MELLIFLUUS BERNARDUS.



A Jahn oſſecit del: B.v. w. Scul:

BERNARDUS! Cœlitibus, Viatoribus, & qui in flammis piacularibus gemunt, amabiliſsimum Triſyllabon! His tribus natus, his tribus datus Bernardus, in Civem, Ducem, Patronum, adæquavit auguſtam menſuram pulcherrimi Triſyllabi. Si literas in hoc Triſyllabo numeres, novem invenies, tot utique Mu-

 ſas

ſas quot literas, quaſi & literæ, & ſcholæ, & Muſæ novum ſibi in Bernardo formaverint Apollinem. Natale Bernardi ſolum *Fontana* in Burgundia dictum à Fontibus Caſtellum, nobile Parentis ſui domicilium, liquidô haud dubiè præſagiô, ex ijs Fontibus naſci non Potuiſſe niſi fontem, cui olim Salvator è vulnere roſeas; Virgo Mater è mammillis lacteas, facundia ſtylusque mellifluas undas aſpergerent, affunderentque. Bernardi Progenitores *Teſcelinus* Pater & *Aleidis* Mater illuſtribus apud Burgundiones orti Familiis: Pater è *Comitibus Caſtellionenſibus*, Mater è nobili *Saſrenſium proſapia*, ùt ex Gullelmo Paradino Authore Burgundo & fido tradit Manriqueus. Sunt quidem è Noſtratibus, qui ambos Parentes laudabili in Bernardum pietate altiùs ſubvehant, Teſcelinum inter Ducum Burgundiæ, atque hodie inter Regum Galliæ propinquos, Aleidem inter Regum Luſitaniæ Conſangvineos; at hoc magìs pium, magìs decorum ac plauſibile quàm certum exiſtimat Manriqueus, licèt interim eam opinionem ſuis nixam principiis neque oppugnet neque expugnet, ſed præcisè quæ certa ſunt amplexetur, incerta relinquat. Neque multùm laborandum, calamíſve pugnandum eſt, ut Bernardum participatione ſangvinis inter Reges ſeu Duces reponamus, qui virtute, magiſteriô, imperiô etiam ſuper Reges fuit. Quòd ſi tam ſangvine quàm virtute penſanda ſit nobilitas, extra controverſiam eſt, Bernardum noſtrum fuiſſe Nobiliſsimum, quem interim hìc inter Illuſtriſsimos Comitum Caſtellionenſium Filios aut Nepotes retuliſſe ſufficiat. Quod ideò noto, ut ſe errare meminerint illi, qui dum hodie audiunt Bernardum nuncupari de *Fontanis*, exiſtimant id eſſe Gentilitium Familiæ prædicatum, id namque duntaxat nomen domicilii eſt, ubi natus educatusque Bernardus, non utique nomen proſapiæ à qua rectiùs compellandus erit Bernardus è *Comitibus de Caſtellione*. Quanquam exiſtimem, neque poſſe offendi Bernardum, ſi recepto jam hodie ſtylô dicatur, *de Fontanis*; præſertim cùm eâ nuncupatione Sancti Doctoris cunas, Paternos Lares, nataléque ſolum novis honoribus cumulent clientes optimi. Fontanis itaque naſcitur Bernardus Annô reparatæ ſalutis 1091. ex Illuſtribus piisque Parentibus, quos laudabimus Titulô ſubſequente. Nativitatem ejus præceſsit viſio divinitùs oſtenſa Matri prægnanti in ſomno, quâ Bernardulus adhuc intra materna viſcera clauſus ſub catelli pulcher-

Ad annum: 1105. cap. 1.

cherrimi, candidi, in dorſo ſubrufi atque latrantis imagine Matrem vehementer terruit. Sed didicit illa è Viro Religioſo grande viſionis myſterium ingenti perfuſa gaudiô, non monſtrum ſe parituram, verùm optimi Catuli ſeſe futuram Matrem, qui in hoſtes fidei mordax pro Eccleſia DEI magnos editurus ſit latratus, & gratiâ lingvæ medicinalis, qualis canum eſſe ſolet, multos curaturus ſit animarum langvores. Sic Sancti naſci ſolent præeunte Coelô, præferentéque viſiones quaſi faces, quibus mortalium animi tum illuminati tum accenſi eos ipſos dignoſcant améntque, quos DEUS vel in utero ſibi ſuæque Eccleſiæ delegerit aut Cuſtodes; aut Vindices. Septē proles pientiſsima Parens Aleidis genuit, maſculos ſex, fœminā unam; ſed in uno Bernardo penè tota hæſit amore, votis, ſolicitudine: reliquos paſſa pro more illius ſæculi militiæ armíſque accingi, ſolum Bernardum literis, ſtudiis, DEO adhucdum inter brachia ſua prænſantem mammillas deſtinaverat. Solebat pia Matrona, ùt de illa referunt *Guillelmus* & *Alanus* Scriptores vitæ Bernardi, proles dum enixa eſſet, propriis manibus in Eccleſia offerre DEO, ut illæ olim dum auditura eſſent, quid Mater egiſſet, vellent eſſe, quod Mater optaverat. Cum ſolo Bernardo aliquid ſupra fœminam ſupra matrem auſa, eundem veluti novum Samuelem divinis obſequiis in perpetuum conceptô votô mancipavit: quaſi certa foret, ſe unà cum lacte pia hæc deſideria in tenera pueruli labia ac præcordia transfudiſſe, futurumque Bernardum ſibi ùt Matri olim tam obſequentem, ut probaturus ſit ea, quæ Mater promiſerit, quæ voverit. Et ſanè promicabant ex parvulo vultu ſpes magnæ, quas haud dubiè Mater oraculi ſibi ſacti conſcia longè meliùs notaverat, quàm *Bernardus Balernenſis*, qui de lactente Bernardo hæc ſcribit: *De Matris utero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratioſa, vultus placabilis, oculi columbini; infans nondum fans lingvâ, fari videbatur gratiâ jam acceptâ.* Ægrotaverat aliquando puerulus Bernardus, ad quem ingreſſa eſt mulier ſuperſtitioſô carmine mitigatura capitis dolores: at ille peſſimam medicinam ſupra ipſum morbum averſatus in impetu Spiritûs de lectulo ſe proripiens dum fugit ſacrilegum pharmacum, valens lætúſque morbum fugiſſe ſentit: Præſagô miraculô, quantô olim in morbos, Striges, larvas, dæmones imperiô præpollebit. Septenni Bernardo Nativitas Chriſti oſtenſa eſt, viſio magna & delicioſa. Viſionis thea-

In ſubſcript. Lib. I. Vitæ S. Bern.

theatrum, Eccleſiæ Caſtellionenſis; tempus, Dominicæ Nativitatis ſacratiſsima nox. Parabantur omnes ad Vigiliarum ſolemnia, juſſus etiam, ſeu potiùs, quia jam ſponte volebat, permiſſus cum cæteris vigilare Bernardus, teneros interim affectus adornabat in faſcias, quibus ſvaviſsimum Puſionem exciperet: Modica brachia jamjam explicabat in parvulos naſcentis DEI amplexus: Sola mora accuſabatur, quòd præter morem hora Officii nocturni protraheretur. Mos iſte eſt amantium, ut citò adeſſe velint, quod cupiunt, quod amant, indignantes tempori, quòd ſuſpendat, quòd teneat cupida brachia, nè amatæ rei amplexibus mox involvantur. Cadebant interim pueruli palpebræ ſeu deſideriô, ſeu langvore graves in dulcem ſoporem, dormiebatque Bernardus, ſed plura, ſed auguſtiora vidit dormiens quóvis vigilante. Repræſentabantur dormienti eædem cunarum deliciæ, quas olim vidit rupes Bethlehemitica, Cunæ, panni, faſciæ, Mater, Nutritius, Cœleſtes Genii, & ſuper omnia Puſio candidus & rubicundos totidem ſcenis in mille affectus unius pueruli amores implicabant. Tenuit amabiliſsimi hujus ſpectaculi idea Bernardi montem, quoad vixit, credidítque deinceps ſpectaculi tempus eam ipſam horam fuiſſe, quâ natus olim mundo fuerat Salvator. Et hæ ſunt illæ viſionum primitiæ, quibus Bernardus ad ſublimes ecſtaſes & raptus parabatur: hæc prima ſcaturigo, unde melleus ille ſtyli dulcor in Bernardi lingvam, calamumque profluxit, quem omnibus deinde voluminibus inſtillavit: præcipuè *tamen in his, quæ ad illud pertinent Sacramentum*, ſcilicèt, Nativitatis Dominicæ, *& ſenſus ei profundior, & ſermo copioſior.* Quàm primùm per ætatem licuit, miſſus eſt à Matre Caſtillionem, erudiendus literis, ubi tunc erat, ùt habet Manriqueus, Burgundiæ ſtudium nobiliſsimum. Et quia erat ingeniô promptô ac docili, brevì ſuperavit ſpes & vota Matris, *in literarum ſtudio ſupra ætatem, & præ omnibus coætaneis ſuis proficiens.* Propendebat tamen pondere quodam gratiæ formatricis, indoliſque bonitate magìs in ſacras quàm profanas literas: Unde, ſeu calumnia ſeu error ſit, graviter caſtigandi ſunt ii, qui hodie Bernardum ultra Rhetorem vix ſapuiſſe aſſerunt. Appellavit Innocentius III. (in Collecta, quam Honori Melliflui Parentis ipſe compoſuit) Bernardum *Doctorem Egregium*, qualem vix dixiſſet, ſi merum purúmque Rhetorem in Bernardo agnoviſſet. Laudandus eorum zelus,

Alanus in Vita. cap. 2.

Guilel. in Vita. L. 1. cap. 1.

lus, labor, ingenium eſt, qui nuper publicis typis ac applauſibus Bernardum vindicârunt Theologum: ijs omnibus in Germania noſtra (quantum quidem ſcio) facem prætuliſſe videtur Reverendiſſimus ac Ampliſſimus Dominus Albericus Burghoff Abbas de Nova-Cella in inferiori Luſatia, S. Theologiæ Doctor, in ſuo *Bernardo Theologo* ſub Auguſtiſſimi Cæſaris LEOPOLDI auſpiciis publicato. Accedit authoritas graviſſimi Viri Manriquei etiam in Hiſtoria nunquam non Theologi, qui *Tomo* 1. ad *annum* 1105. c. 2. affirmat, Bernardum quemadmodum & aliis ſcientijs, ſic & principijs Theologicis imbutum fuiſſe Caſtillione, ſtudio Burgundiæ publico ac Celebri. Et licèt paſſim credatur, habuiſſe Theologiam potiùs infuſam, quàm acquiſitam, cui Bernardus ipſe ſuô illô feſtivô jocô adſtipulari videri poſſet, ſe ſua quæ ſciret, didiciſſe *inter quercus & fagos*; Id tamen, ùt bene notat Manriqueus, ad incrementa potiùs Theologiæ, quàm ejusdem initia referendum eſt. Literis ſociavit virtutes Bernardus, nè eæ ſolæ eſſent, quæ ſolæ ſtare vix poſſent. Longum nimìs foret, recenſere omnes, cùm nulla ex ijs illi defuerit, quæ ſolent ornare adoleſcentes. Una res videbatur eſſe Bernardo obnoxia, forma elegans, vultus blandus, & ſocii fortè moribus non per omnia probi & ſimiles. Tentata inde Juvenis caſtitas, & licèt non victa, in diſcrimine tamen, ut vinci potuerit, ſi impudica tela aliud quàm Bernardi pectus tetigiſſent. Injecta eſt aliquando in jacentis lectulum puella nuda, ſuô illô impurô, quô ardebat incendiô datura plumis prunas, quibus Bernardus conflagraret: unâ fugâ propinquis flammis debuerit ſeu potuerit elabi caſtiſſimus adoleſcens; jacuit tamen, & nè inhumanus eſſet erga novam lectuli hoſpitam, *cum omni pace & ſilentio partem illi lectuli, quam occupaverat; ceſſit; & in latus alterum ſe convertit, atque dormivit.* Retuſis primis jaculis ſucceſſêre fortiora, ſtimuli, preces, blanditiæ; Verùm cùm illa, in Bernardo non inveniret carnem & ſangvinem, ſed lapidem ſaxúmque immobile, metu ac ſtupore penè obriguit, & quod antea debuerat, erubuit, ſurgénsque auſugit. In hoc prælio Bernardus ſomnô ac ſilentiô hoſtem devicerat, quem in ſubſequenti proſtraturus eſt vigiliâ ac clamore. Contigit Bernardum una cum ſociis hoſpitari apud Matronam, quæ apud Authores nomen non habet, niſi quod ei Bernardus infame inter latrones dedit. Capta eſt, quæ capi voluit, illaqueari deſidera-

Guil. Vit. L. 1. c. 3.

deravit elegantiâ vultûs ſuaviſſimi adoleſcentis, & non aliter his vinculis exolvi decrevit, niſi per nocturnum ſcelus. Præparatus Bernardo lectulus ſeorſim mollior, pretioſior, tanquam è ſociis honoratiori, lecti interim úsque ad profundas tenebras furtivi ignes ut ſolum & dormientem, & impotentem effugere ſecuriùs opprimerent improviſa incendia. Ad quietem compoſitis ſingulis, ſola vigilabat quæ ſola amabat: atque ut improbas ſpes ſuas ille ipſe reſtingveret, qui illas innocentiſſimè accenderat, lectulum Bernardi, ipſúmque Bernardum aggreſſa eſt, auſa non petere, ſed exigere, ſed extorquere, quod caſtus adoleſcens ſuper vitam pretioſius ſemper habuit. Armatæ preces erant, & lupam præſens præda exaſperaverat, ut ferociret. Amor qui ferox, etiam Bernardo metuendus erat, quem vicit ac fugavit, dum clamando terruit: *Latrones, Latrones!* Fatali latronum vocabulô excita familia, cæteríque Bernardi ſocii per domum vagi infeſtis latronibus jam furcas, funera, mortes, minabantur; ſed ſub muliebri larva hærentes néque Diogenes ipſe in medio Sole deprehendiſſet. Solus Bernardus larvatum latronem dignoverat, quem tamen prodere eâ nocte noluit, ſed terrere. Quæſitis per omne diverſorium latronibus, & deprehensô nemine ſinguli ſeſe recollegêre ad lectulos, etiam infelix hoſpita ad ſuum rediit; Sed quia mulier irrequietum malum quieſcere ſeu non potuit, ſeu non voluit, per nocturnas tenebras audacior ad Bernardi lectulum importuna rediit. Clamavit in tempore Bernardus, adeſſe latrones latrones! fugit illa, haud ignara, illâ voce ſe peti, ſe notari, & ſimul coràm alijs indignari viſa, ſimul compati, quòd per intempeſtivos ſeu latrones ſeu clamores gratiſſimis hoſpitibus ſomnus interturbaretur. Quæſitus rursùs latro, at minimè inventus. Mille diras imprecati latronibus turbati hoſpites ad ſtratum redeunt: at infelix mulier tertiò uſque ad præmeditatum facinus regreſſa, & tertiò repulſa, nè tandem latroni larva detraheretur, tentare deſtitit, quem vincere non potuit. Poſterâ die dum iter agerent, interpellatus à Sociis Bernardus, quænam inſomnia, aut quinam latrones eum toties ſuperiore nocte infeſtârint? Quibus ille: *Veraciter aderat latro, & mihi caſtitatem hoſpita nitebatur auferre, irreparabilem theſaurum.* Adeò Bernardus pro latrone, pro hoſte habuit, quæ Virginitati ſuæ auſa eſſet inſidiari. In ſe quoque ſolitus ſeipſum armare animadver-

Guill: & Alanus in Vita.

adverſionibus ſeveriſſimis, ſi viſus ſibi forſan vel in minimo deliquiſſe. Salutaverat dum tranſiiſſet cum ſociis quasdam, & quia fortè & alii, ſic & Bernardus in aſpectu unius moroſiùs hæſiſſet, licèt interim illa moroſitas in ſolis oculis ſteterit, atque ibi extincta ſit; animum verò Bernardi nullatenùs momorderit; rigidus tamen in ſe Vindex non ſolos oculos damnavit ad eluendum hoc qualecunque crimen, ſed ſe totum: Unde in propinquum ſtagnum gelidis aquis horridum collotenùs ſe immerſit, & eouſque ibi ſubſtitit, quouſque frigore penè obriguerit. Erant caſtiſſimo Juveni exinde ſuſpecta omnia, nè fortè alicubi inſidiæ laterent, quibus incautus involveretur. Ex eo metu natum eſt ſubinde mundi blandientis faſtidium, contemptus, ac demum fuga, quâ ſolâ diſcrimina omnia unô velutì ictu præciderentur. Fugæ, ſeu potiùs converſionis ſocii Fratres germani, conſangvinei, familiares numerô triginta, quos inter milites, literati, nobiles, & quod mirabiliùs, conjugati. Unus Gerardus frater jam miles per prodigia erat compellendus: germani reliqui dedêre manus viſâ Matre, quæ nuper defuncta ſingulis facta ſpectabilis, propoſita filiorum impensè laudavit monuítque omnes Bernardum ſequi Ciſtercium. Aſpera haud dubiè imperia, petere Ciſtercium, cujus vel ſolô nomine terrebantur hactenùs; at quia à Cœlo, à Matre profecta, amplectenda ab omnibus. Urgebat interea Bernardus tardantes, firmabat ſuâ ſponte currentes, evocabat novos novósque in Chriſti militiã Sodales: & licèt pleríſque ipſe ætate eſſet imbecillior, tolerabatur tamen ab omnibus, imò amabatur velutì Pater, Dux, Magiſter. Stupebant namque omnes attoniti, atquè ſuſpiciebant in adoleſcente Bernardo novum Saulum, qui prædicationis ſeu animoniâ ſeu ſvavitate formaret omnium animos ad ſui Cœlíque arbitrium & obſequium. Juvat hic audire Guillelmum de Bernardo privato apud ſocios, & publico in Urbis plateis Eccleſiaſte eleganter loquentem: *Jámque eô publicè & privatim prædicante Matres filios abſcondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus ſanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus.* Lib. 1. c. 3. Auctô ſociorum numerô creſcentéque uſque ad triginta, non ſtatim petitum Ciſtercium, nè impetu dicerentur elegiſſe rigorem, qui fortè aliquando diſplicere poſſet. Sex integris menſibus jacta Caſtellione novæ converſationis exordia in

domo, quæ Sociis communis, exteros penè omnes arcebat. Ibi vitam quæ ſuper homines eſſet, inter medios homines auſpicati naſcentis Eccleſiæ primordia eò vivaciùs repræſentabant, quò ampliùs novæ Societatis erat cor unum & anima una. Annô igitur à Nato Salvatore 1113. à fundata Domo Ciſtercienſi 15. dum Bernardus annum ageret ſecundum ſupra vigeſimum Nobiliſsimum Sociorum agmen è Caſtellione prorupit, ac mundi illecebris, opibus, amicis, Conjugibus, liberis ſupremùm valere, juſsis tantô fervore tantô zelô Ciſtercium evolavit, ut non ad Cruces, ad luctas, & ardua quæque, verùm ad laureolas ac triumphos properare ſinguli viderentur. Tam numeroſam prolem, tam nobilem ùt audiit, ùt vidit accedere ſuo Ciſtercio Stephanus Pater, ſolatiis totus diffluens DEUM Cœli benedicebat; cadentibúsque præ gaudio lachrymis filiorum in paternos amplexus ruentium colla irrigabat, quòd ſcilicèt jam hi ipſi adveniſſent, qui nuperô oraculô Ciſtercio promiſsi novellam Plantationem ad Poſteros eſſent transmiſſuri. Anguſtior domus erat, quàm quæ poſſet jam tot capere: quare placuit de Veteranis ſeligere duodecim, quibus datus *Bertrandus* in Abbatem Vir doctrinâ & zelô eximius, ad condendam *Firmitatem* primam Ciſtercii filiam. Mirum eſt, in tanto Juvenum, Nobiliúmque numero non fuiſſe niſi unum & alterum, qui à cœpto retrogreſsi defecerint, prout id ipſum Bernardo adhucdum Caſtillione cum Sociis degenti per viſionem oſtenſum eſt, quorum nimirùm vitiô firmarentur cæteri in ſtatione. Primus quidem minori culpâ reſiliit, priusquam Socii Ciſtercium migrarent: alter turpiori fugâ è Tyrocinio elapſus pœnam miſer circumtulit, quoad vixit. *Vidi*
Lib. 1, c. 8. *ego*, ſcribit Guillelmus Abbas, *eum in ſæculo poſtea vagum, & profugum à facie Domini ſicutì Cain, hominem miſerabilis confuſionis, projectum à cognatis & amicis;* & licèt inopiâ & ægritudine preſſus Claram Vallem tandem redierit, in pœnam tamen transgreſsionis *non obiit intùs ſicut frater & domeſticus, ſed forìs miſericordiam poſtulans, ſicut pauper & mendicus.* Non maculat hic nævus neque Bernardum neque Ciſtercium, quin potiùs utrique pretium addit ac venerationem. Audiendus hac in re Reverendiſsimus noſter Angelus
Annal. ad ann. 1113. cap. 4. *A multis obſervatum video, ab illo die uſque in præſens tempus vix unum aliquem Ciſtercienſem ingreſſum Ordinem, rediiſſe ad ſæculum, qui non in ſæculo miſerandus, abjectusque ſua in hac vita apoſtaſiæ pœnas luat.* Non arma-

armaret ſe Numen ipſum contra deſertores Ciſtercii, niſi amaret Ciſtercium: ita nimirùm DEUS pro Ordinibus zelat, quos amat. Sed non licet nobis longiùs cum transfuga à Bernardo recedere, ad lineam redeundum eſt.

Magnis interea paſsibus Bernardus ad faſtigium virtutis eluctabatur, & nè fors languere poſſet, pro horario velutì calcari, ac incitamento ſibi ipſi iſthæc verba recitabat: *Bernarde Bernarde ad quid veniſti?* In mortificandis ſenſibus fuit aſſiduus ac ingenioſus, ijsdem deinceps non aliter uſurus, niſi ad officia pietatis. Venerant aliquando amici, Bernardum, hoc eſt, ſuas illas delicias in Ciſtercio viſitaturi, juſſus ad eos exire Sanctus Novitius liberalior fortaſsis in colloquio non priùs ſe lingvâ deliquiſſe deprehendit, quàm dum caſtigantem Altiſsimi manum dolens perſenſit, quæ interna illa ſolatia & mella illa, quibus anima inter amplexus dilecti amabiliter ſolet diffluere, Bernardo ſubtraxit. Expavit timoratus adoleſcens ad juſtam Numinis caſtigationem, & quia hanc pœnam haud dubiè pœnitudine & lachrymis abolendam noverat, poſt viginti quinque dierum planctus & lamenta amiſſam gratiam ægrè recuperavit. Atque nè deinceps tam divinæ rei diſpendium pati poſſet, dictavit auribus novas leges, ut, ſiquidem lingva & aures mutuis auxiliis & ſeu vitiis ſeu virtutibus cohærerent, auréſque ſæpè virus quod hauriunt, transfunderent in lingvam, eæ ſtupis paterentur ſeſe obſtrui. Quæ colloquendi praxis deinde Bernardo fuit perquàm familiaris, ut vocatus ad amicorum ſeu ſæcularium colloquia, priùs non exiret, donec auribus ſtupas injeciſſet, futurus utique novus Achilles, ſi quæ fortè Sirenes ſeſe ſuis auribus auſæ fuerint ingerere. Neque auribus duntaxat, ſed & reliquis ſenſibus hanc neceſſitatem ſive legem indixerat, ut ad ſenſualia penè ceſſarent eſſe, quod erant: *Videns quippe non videbat, audiens non audiebat, nihil ſapiebat guſtanti,* *Alanus in Vita c. 4.*
vix aliquid ſenſu aliquo corporis ſentiebat. Et quia animum ad divina & cæleſtia penè per ſingula momenta evolantem ſenſus ſequi non poterant allegati preſsíq; idolis corporeis, indignatus Bernardus eorundem impotentiæ, quaſi hæc culpa eſſet, in pœnam quòd eſſent, quod eſſe debebant, eos domi arctiſſimâ claudebat cuſtodiâ nè per illecebras corporum evagantes ſocium animum ſecum traherent in illicita. Annô integrô commoratus in Cella Novitiorum dum inde egrederetur, ignorabat, qualisnam

nam

nam in ea eſſet teſtudo ſeu pavimentum ſuperius. Fuerant in capite Eccleſiæ feneſtræ tres, Bernardus velutì eas nunquam ſeu vidiſſet, ſeu numerâſſet, unam tantùm eſſe arbitrabatur. Hæc ei ſenſuum cuſtodia & caſtigatio in Tyrocinio, quæ ei cum annis & fervore crevit, ut quos primùm caſtigaverat, eos tandem reddiderit quodammodò emortuos: inde eſt, quòd per complures omninò dies ſangvinem crudum per errorem ſibi oblatum pro butyro manducârit, oleum biberit, aquam eſſe ratus, & plura alia his ſimilia. Eques aliquando viſitaverat Venerabilem Guidonem Magnæ Carthuſiæ Priorem: hærebant omnes in Viri ſuaviſsimi angelicis moribus, ſolus equus cui Pater Sanctus inſederat, & pretioſius fortè equi ſtramentum oculos animósque quorundam offenderant: primùm igitur admiratio deinde murmur, ac penè ſcandalum ortum eſt inter Carthuſienſes in Bernardum ac Ciſtercium alioquin propenſiſsimos. Diluit omnia verbô à Guidone interrogatus Bernardus, ſimul & ipſe miratus ſtramentum, peténsque ab aliis, qualénam illud eſſet? ſe utíque per totum illud iter à Clara Valle in Carthuſiam uſque id omninò neq; vidiſſe, neque nôſſe ſanctiſſimè proteſtatus: non equum, non ſtramentum ſuum eſſe, ſed Avunculi ſui, Monachi cujusdam Cluniacenſis. Erubuit Vir magnus, & rubore ille ſuô præmaturam ſuam ſuorúmque cenſuram quaſi ferulâ correxit, quòd ſcilicèt primô intuitu auſi fuiſſent videre ac corrigere, quæ Bernardus tantô viarum tractu minimè viderit. Ita nimirum ſenſim ſenſus omnes ſormârat ad unius ſpiritûs imperium, ut ſuô illô pondere, quô alioquin aggravant, non præpedirent animam euntem in ſublimia.

His ſeveris legibus ſenſus, ſeverioribus ſenſualitatem ipſam coërcebat. Cruenta flagella, & plurimâ cuſpide ferreum horrens cingulum ei equulei inſtar erant & cataſtæ, quibus eò acerbiori quò diuturniori martyriô torqueret carnem, tam hìc ſociam tribulationum, quàm ibi ſociam conſolationum. Parſimoniâ victûs fuit prorsùs admirabili, quaſi jam puderet hominem eſſe, & alimentis veſci, quod ſolent & bruta. Nauſeabat cibum antequam ſumeret, & ſumptum omninò crudum per os regerebat, utrumq; inter auctiſsimos dolores: inde natæ Bernardo perennes contra eſcas querimoniæ, ſibi ſcilicèt cibum tormentum

eſſe,

eſſe, ſéque ad eum ſumendum accedere quaſi ad tormentum Tormenti cauſam aſſignat Alanus duplicem, *ſtomachi defectum & viſcerum corruptionem*: utrúmque natum non ex naturæ vitio, ſed ex animi excelſi ac virtutis imperio, ut in carne infirma ſpiritus eſſet eò validior, & ad ardua quæque expeditior. Nil tamen à Bernardo per corporis ægritudinem detractum eſt communibus laboribus: *orabat ſtans*, ait Alanus: *die noctúque, donec genua ejus infirmata à jejunio, & pedes ejus à labore inflati corpus ſuſtinere non poſſent.* Néque mitiùs per Bernardum in ſomnum actum eſt; Vires námque quas inediâ extenuârat, vigiliis penè attrivit, *vigilans ultra humanam poſſibilitatem*: acerbiſſimè queri ſolitus, nullius temporis jacturam tam eſſe deplorandam, quàm eam quæ per ſomnum fit: Cibum ſcilicèt & ſomnum duo eſſe graviſsima tributa, quæ corpori pendi debeant neceſsitate non voluptate. Non capiebant hos Bernardi aphoriſmos quos Cælum ei dictaverat, Carnales Medici, profundâ defixi admiratione, hominẽ ægrum ac viribus propè exhauſtum ſinè pharmacis, quæ Bernardus conſtanter averſabatur, tanta audere, & tanta, & quidem tam diu poſſe. Eleganter Alanus, qui in Bernardi intima penetraverat: *quis noſtrâ*, inquit, *ætate quantumvis robuſti corporis, & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iſte moribundus & langvidus ad honorem DEI, & Sanctæ Eccleſiæ utilitatem?* Acutiori ac perſpicaciori oculô Bernardi afflictiones intuitus Alexander III. aliquid dignius in illis deprehendit, quod fortè Alanus non viderit; eas námque in Bulla Canonizationis laureolâ Martyrij coronat, atque Bernardum tot flagellis cruentum, tot jejunijs langvidum, tot vigiliis exhauſtum Martyrem vocat, eâ voce quæ falli non poſſit. Quòd ſi fors iſthoc Bernardi martyrium mitiùs leviúsve videri quibusdam poſsit preſſuris, cataſtis, rogis, gladijs, quibus trucidati Martyres Sancti, id utíque verum eſſe exiſtimo, ſi ſpectetur dolorum intenſio, quæ tamen intenſio per integros quadraginta annos, quibus in religione Bernardus vixit, abundè & propemodum in immenſum ſuppleri potuit temporis tam moroſi duratione: præcipuè cùm Berndus, ùt loquitur Alanus, *fuerit teneræ nimìs & delicatæ complexionis*, adeóque ſenſationis magìs acutæ ac penetrativæ. Non ſufficiet fortaſſe omnibus dixiſſe Bernardum complexionis teneræ, niſi curioſâ pietate ſuis expreſſum coloribus hìc totum Bernardum videant. Non tango

In Vita cap. 10. *In Vita cap. 10.* *Ibidem.* *In Vita cap. 10.* *In Vita cap. 10.*

interna, non magnum illum & Cæli capacem animum, quô plenum Bernardi Corpus, Eccleſia, Orbis: Illam pulcherrimæ mentis ſimetriam, & interna animæ lineamenta, quæ ſuô digitô expreſsit formatrix gratia in Bernardo, ſolus Angelus pingat, non obtuſus iſte & teter calamus. Externæ tantùm quædam lineæ hìc petendæ ſunt & expectandæ, quas vix meliùs dabimus, quàm ex *Alano* Bernardi coætaneo, qui ut gratiam vultui externo, coloribúsque pretium adderet, principium lineæ ducit ab internis: *Tanta erat* (ſcribit ille) *interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indicijs foràs erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ perfuſus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuiſſimum, & ſinè carnibus erat. Ipſa etiam ſubtiliſſima cutis in genis modicè rubens; illò nimirùm, quidquid caloris inerat naturalis, aſſidua meditatio, & ſtudium ſacræ compunctionis attraxerat. Cæſaries ex flavo colorabatur & candido, barba ſubruſſa, circa finem vitæ ejus reſperſa canis. Statura mediocritatis honeſtæ, longitudini tamen vicinior apparebat.*

Alanus in Vita cap. 5.

Talis Bernardus ad extra; & meliora atque majora latebant; quæ tamen acumine plusquam humanô perſpiciens Divus Stephanus Pater Bernardum ſuum annum vixdum agreſſum vigeſimum quartum novæ Coloniæ in Claram Vallam deſtinandæ Anno 1115. deſignavit Abbatem. Erant qui Bernardo de oblato munere primùm plus audebant compati quàm gratulari. Ætas tenera, verecundia novo muneri minùs idonea, & experientia in exterioribus penè nulla totidem veluti lingvis obſtare videbantur, nè Bernardus annis junior, viris ſtrenuis ac maturis daretur in Abbatem. Una ferè omnium mens, una vox, non invidere ſeſe novos Bernardo honores, ſed timere, ſed conſulere verecundæ Juvenis teneritudini: Cum tempore utiq; Bernardo ventura omnia, etiam majora, unâ hâc feſtinatione ſpes reliquas omninò obrui. Sic ſentiebant homines; ſed ſupra homines Stephanus, qui aliquid Divinum ſpirans, ac in Bernardo præſagiens eundem adhuc Juvenem Viris prætulit præfecítque. Numerus novæ Coloniæ Claræ-Vallenſis duodenarius, qualis olim in Collegio Apoſtolico, non ſinè latente myſterio, ut ſcilicèt ad numeri Apoſtolici conformitatem meminiſſent ſimul addere ſimiles Apoſtolis mores, vitam, ſanctitatem. Atque ità obtinuit mos in primitivo Ciſtercio, ut ſingulis fundandis Cœnobiis plerùmq;

rúmque darentur duodecim, totidem veluti Apoſtoli, quibus ſuperadditus decimus tertius, qui ſub Abbatis nomine Chriſtum ſignaret. Inter duodecim filios, quos Bernardus à Stephano in Claram Vallem deducendos obtinuerat, erant Bernardi Fratres germani, Galdricus avunculus aliíque quos ille non pridem è ſæculo in Ciſtercium traxerat eorundem Dux, mox Pater. Lubet hic ſeu calamô, ſeu animô, ſeu quod meliùs, utroque abeuntem è Ciſtercio Bernardum ſequi in ſuam illam tam Charam quàm Claram Vallem, quæ ſplendorem omnem jam tot ſæculis eximiùm uni certè præcipuè debet Bernardo. Nomen ei antiquitùs latrociniis horridum, & à *copioſo abſynthio* ibi ſuccreſcente amarum, dicta vulgò *Vallis abſynthialis*, à melleo & illuſtri Incola deinceps *Vallis Clara*, quæ vocabulorum metamorphoſis jam olim verſu rythmicô celebrabatur:

In Vallem Claram, Vallem convertit amaram.

Sita eſt Clara-Vallis in Comitatu Campaniæ in Diœceſi Lingonenſi, modicô ab *Alba* Fluvio intervallô. Ejus Fundatio plurimùm promota & aucta per Theobaldum pientiſſimum Campaniæ Comitem. Injurius Bernardo forem, ſuæque Valli Chariſſimæ, ſi pauculas lineas ex Alano hæc non tranſcriberem, quibus ille primorum Clara-Vallenſium vitæ rigorem, morúmque ſanctimoniam preſsè & accuratè delineat: *Ibi igitur* (ſcribit ille de Clara-Valle) *in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis conſederunt Viri illi virtutis, facturi de ſpelunca latronum templum DEI & domum orationis. Ubi ſimpliciter aliquantô tempore DEO ſervierunt in paupertate Spiritûs, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in vigilijs multis. Pulmentaria ſæpiùs ex ſolijs fagi conficiebantur. Panis inſtar prophetici illius ex hordeo & milio, & vicia erat, ità ut aliquando religioſus Vir quidam appoſitum ſibi in hoſpitio ubertim plorans clàm aſportaverit quaſi pro miraculo omnibus oſtendendum, quòd inde viverent homines, & tales homines.* Et infrà *cap. 9. Erat tunc temporis videre Claræ-Vallis aurea ſæcula, cùm Viri virtutis olim divites in ſæculo & honorati, in paupertate Chriſti gloriantes, Eccleſiam DEI plantarent in ſangvine ſuô, in labore & ærumnis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, & anguſtijs multis, ſanctæ illi Valli illam quam poſtea habuit præparantes ſufficientiam & pacem. Erat cernere quaſi novos cœlos in terra, & antiquorum Ægyptiorum Monachorum Patrum noſtrorum antiquas ſemitas, & in eis recentia Sanctorum veſtigia.* Hæc Alanus de Primis Clara-Vallenſibus; nec minora di-

In Vita cap. 6.

cere potuit de Bernardo ipſo, à quo omnis illa Clara-Vallenſium ſanctitas velutì è fonte profluxit.

Fatigent alii calamos & prœla, quibus Bernardo elogia pangant, panegyres forment, unum illud præ mille elogiis placere debet, quod olim de Bernardo in proverbium, hodie abiit id admirationem: ſcilicèt *ſub alijs Patribus peccare non licere, ſub Bernardo non poſſe.* Ad annum. 1123. cap. 2. Per alios caſtigatam eſſe peccandi libidinem, per Bernardum peccandi libertatem. Penè nolentibus, quod aſſerit Manriqueus, à Bernardo cœlum fuiſſe obtruſum, atque rebelles, & conſilijs minùs acquieſcentes per miracula debellatos debuiſſe velle bonum, quod ante noluerint, impoſitâ nempe quâdam bene operandi neceſſitate, non fatali illâ, quâ Navatores Heterodoxi libertatem omnem obſtruunt & extinguunt, ſed ſuaviori, ac per hodiernam phraſim diſcretiori, quâ ſuus merito ſtet maneátque valor, ac fortè tali, quam Divi Aquinatis ſequaces aſſignant gratiæ efficaci. Inde non mirum tot Religioſorum centurias è Sola Clara-Valle eſſe in Album Beatorum relatas, cùm Bernardus Hercules ille Gallicus quotquot melleâ ſuâ ſvadâ poſt ſe in Vallem ſuam vocaverat, participiô ſanctitatis velutì quôdam magnetiſmi contactu eâ quâ ipſe virtutis ſemitâ ad Cælites abiit, omnes unà ſecúm quôdam quaſi gratiæ urgentis pondere poſt ſe ſeu traxerit ſeu impulerit. Datum lego Cælitus Bernardo privilegium, quod fortè præter Bernardum paucis, ut Divinâ revelatione per Angelum ediſceret, nullum è tanto Clara-Vallenſium filiorum numero fore reprobandum, ſalvandos omnes: Et quia Bernardus de unius duntaxat aliquantum dyſcoli ſalute turbatior hærere videbatur, intellexit ab Angelo, neque eundem excludendum à communi filiorum ſorte ac felicitate: Patris meritis ſupplendum, quod Filio defuerit. Ingens Cœli favor! eóque pretioſior ac æſtimabilior, quò Congregatio Clara-Vallenſium major ac numeroſior, in qua aliquando ſub unius Bernardi magiſterio numerati ſunt religioſi numerô ſeptingenti: immensô propè Bernardi ſolatiô, tot ſe ſanctos alere, quot filios. Vallis ipſa licèt ſuômet nomine humilis ac preſſa aliquid ſublimius ultra valles ipsóſque montes loqui videbatur, Cœli utíq; nuncupanda vocabulô. Sanè ſi Cœlum voluntatum perenni concordiâ ac mutuis amoribus æſtimandum ſit, Vallis iſta Cœlum

lum dici debuit; Dum namque Bernardus Anno 1132. Innocentium II. è Gallijs diſcedentem in Italiam proſecutus publicis Eccleſiæ ac Italiæ negotijs implicaretur, atque in ijs evolvendis aliquantò diutiùs quàm optaverat, integrô nimirùm trienniô detineretur, tanta interim in Clara-Valle ſervata eſt affectuum harmonia, ut Bernardus redux primò ſtupens, ac ſubinde animô exultans in terreſtre Cœlum ſeſe venire gratularetur. Res certè non parva, ſeptingentos homines trienniô potuiſſe convivere, & non potuiſſe moveri paſſionibus, litigijs ſeu diſſidijs, ipsô tantô numerô motibus ac colliſionibus plurimûm obnoxiô. Auſcultandus eſt hìc ſuis verbis *Arnaldus*, cœleſtis hujus harmoniæ teſtis & Encomiaſtes: *Nihil juniores*, ait ille, *adversùs Priores de auſteritate vel duritia, nihil Priores adversùs juniores de diſſolutione aliqua vel remiſſione cauſati ſunt. Integer univerſorum ſtatus, concors ſocietas, vera unitas, omnes unius moris in Domo DEI in pace & ſanctimonia inventi ſunt.* Nemo dignior his filijs quàm Bernardus! & nulli digniores hôc Patre, quàm hi Filij! Clariſſima igitur ex Clara-Vallenſium fama cœpêre deinceps à Ciſtercienſibus Valles impenſiùs amari, coli, ac tandem incoli: Unde pro extruendis reliquis Ordinis Cœnobijs plerúmque quæſita concava Vallium, electæ Valles, ut quas olim Bernardus ſuaviſſimùs ille hoſpes ſuô incolatu ſacraverat, eæ à poſteris à filijs non poſſint non amari. Antiquam veritatem fortè novus Poëta carmine clauſit: *In Vita. Lib. 2. c. 5.*

Bernardus Valles, Montes Benedictus amabat.

Et indè eſt, quòd à Valle hac ſua per omnem omninò vitam avelli nequierit, ſive eum ſuorum amor tenuerit, ſive profunda animi demiſsio, quâ ſublimes Eccleſiæ dignitates ab Urbibus à Populis ſibi oblatas, ac penè obtruſas modeſtè ſemper neglexit ac fugit, uni Valli ſuæ poſthabens omnia. Certabant ſuffragijs *Lingonenſes* atque *Cathalaunenſes* in Gallia, *Januenſes* ſemel iterúmque in Italia, ut Bernardum, quôquô modò poſſent, Clara-Vallenſibus ereptum ad Thronum Epiſcopalem omnium humeris eveherent; ſed nîl votis nîl precibus effectum eſt. Digniora pollicebantur *Mediolanenſes* apud Ligures, & *Rhemenſes* apud Gallos, à quibus unus Bernardus piâ quadam obſtinatione deſiderabatur, qui Archi-Epiſcopale ſolium conſcenderet, at hærentem in humillima Valle ſua Virum DEI nullæ machinæ, nullæ preces, nullæ lachrymæ movere unquam potuêre, ut Sponſam Vallem

quam ſemel aſſumpſerat, aliquando dimitteret, novæque ſe jungeret, vetere ſeu repudiatâ ſeu dimiſsâ. Id unum tamen turbabat omnes, quòd Bernardus filios, quorum non pauci è Clara-Valle atque è reliquo Ciſtercio ad Cathedras Epiſcopales atque Archi-Epiſcopales, ad Purpuram vocabantur, Paternô imperiô adigeret, ut, ſi nollent, ſi ſubterfugerent, cogerentur conſentire, eſſéque quod ipſe nollet, filioli alioquin Bernardo Patri ſimillimi, in hoc uno diſsimiles, non aliô quidẽ, & illô utique pulcherrimô vitiô, niſi quòd Filij eſſent, ac tenerentur ea ſequi, quæ Pater juſsiſſet. Interim dum toties Bernardus tantâ verecundiâ tantâ conſtantiâ honoribus oblatis obſiſteret, Clara-Vallenſium, ſeu fortè etiam ipſius Bernardi precibus mota Sedes Apoſtolica utríſque *tam* filijs ſcilicèt, quàm Patri privilegium ſeu quaſi privilegium *impertivit*, quô Bernardus firmaretur in ſua illa Valle nullis populorum ſuffragiis inde abſtrahendus, niſi ipſe vellet, & filii non tenerentur eum inviti dimittere, quem tot importunis votis Orbis Chriſtiani Infulæ ſolicitabant. Facinus pulcherrimum! & his ſæculis rarum! privilegiis ſe munire contra honores, quos tamen hodie per privilegia ambimus, eóque in Bernardo admirabilius, quòd néque ipſi Pontifices Summi, qui privilegium dederant, illud infringere, Virúmque humillimum quantumvis per mille in Eccleſiâm merita digniſsimum ad Infulas & Galeros invitum evehere uſpiam voluerint. Noverant ſiquidem optimè Romani Præſules, quòd *Bernardum non magìs delectaret Tiara & annulus, quàm raſtrum & ſarculus.*

Manriq. ad ad Annum. 1132. cap. 6.

Arnaldus in Vita L. 2. cap. 4.

Una res poterat Bernardum in puncto honoris reddere de ambitione ſuſpectum, quòd toties in Epiſtolis ſuis ſibi videretur blandiri, ſe unum è millibus eſſe, qui dignus ſit vocari *Abbas de Clara-Valle*; Nam propè omnibus Epiſtolis hanc epigraphen præſcripſit: *Bernardus vocatus Abbas de Clara-Valle.* At verò crediderim ſanctiſsimum Politicum minimè motum delectatúmque fuiſſe tituli ac nominis ſuavitate, ut ſe ſcriberet Clariſsimæ Vallis Abbatem; ſed ut claritatem tituli, quô alioquin ſi voluiſſet, ſuperbire potuiſſet, vili aliquô abjectóque addidamentô, prorsùs extenuaret; nihil enim Bernardo in Epiſtolis tam frequens, quàm nomen Abbatis aſpergere aliquô contemptu, quem ſolitus prodere per illas formulas: *Bernardus vocatus Abbas de Clara-Valle, modicum*

cum id quod eſt : Si quid poteſt peccatoris Oratio : *Profeſſione Monachus, converſatione peccator ; ſeipſum quantillus eſt : Inutilis ſervus, indignus diſpenſator &c.* Neque ſolius calami fuit iſta demiſsio, ſed magìs utíque animi quàm calami : *Vincebat namque ſublimitatem nominis humilitas cordis, nec tantum poterat eum univerſus mundus erigere, quantum ſeipſum dejicere ſolus.* Grande, & magnô Bernardo dignum elogium ! qui profundiſsimâ humilitate omnem ſæculi faſtum non calcare modò auſus, ſed altiùs ſupergredi, ſed ſupervolare : Novâ arte doctus eludere Populorum Principúmque applauſus quos Viro Sancto inter miracula ac prodigia impendebant, dum mediis intermixtus turbis pulcherrimâ imaginatione ſeſe ſeu abſentem ſeu ſomniantem ratus, acclamatos ſibi honores ad ſe tanquam abſentem non pertinere ; aut ſi pertinerent, eos utíque vana ſomnia eſſe, quæ fallere homines poſsint & ſoleant. Præcipuæ ac penè unicæ Bernardi deliciæ converſatio cum ſimplicioribus : quare gloriari ipſe frequenter ſolitus, *inter ſummos quóſque honores & favores populorum, vel ſublimium Perſonarum ſeſe ſuâ ſponte perdere*, atquè inter ſimplices ſe rursùs invenire, *ac in propriam redire perſonam.* Panegyricô ſuô calamô hanc raram Bernardi humilitatem eleganter proſecutus *Arnaldus* Bonæ-Vallis Abbas has lineas, totidem veluti panegyres Bernardo conſecravit : *Ego*, inquit, *præ omnibus, quantum in me eſt, hoc ſublimius duco, hoc propenſius prædico, quòd cùm eſſet Vas electionis, & nomen Chriſti coràm Gentibus & Regibus ferret intrepidus, cùm obedirent ei Principes mundi, & ad nutum ejus in omni natione ſtarent Epiſcòpi : cùm ipſa Romana Eccleſia ſingulari privilegiô ejus veneraretur conſilia, & quaſi generali Legatione conceſsâ ſubjeciſſet ei Gentes & Regna : Cùm etiam facta ejus & verba confirmarentur miraculis ; nunquam exceſſit, ſed de ſe ſemper humiliter ſenſit, omnium judiciô ſummus, ſuô ſibi judiciô conſtitit infimus.* Hæc Arnaldus de Bernardo, qui Patris Sancti humilitati præclarè immiſcet, jungítque eximios Viri DEI pro Eccleſia labores, & datos laboribus favores.

Guill. in Vita L. 3. cap. 4.

Alanus in Vita c. 17.

In Vita cap. 4.

Quamvis autem ad Inſularum ac Purpuræ honores nè latô quidem pede è Valle ſua moveri potuerit Vir humillimus ; ubi tamen ad Eccleſiæ emolumentum à Summis Pontificibus evocabatur, nullus Bernardo promptior, nullus fuerat eo expeditior. Inciderat in Annum 1130. demortuô Honoriô ſchiſma atrox, *Innocentiô* II. & *Anacletô* utróque ſe habente pro Summo Pontifice :

Electus eô annô fuerat utérque in Caput Eccleſiæ, ille à majori ac ſaniori parte Sacri Collegii, hic à minori numerô, ſed opibus ac potentiâ prævalente ac feroci, quam ſuffulciebat *Petrus Leonis* Anacleti Pater inter Romanos nobiliſsimus, unde & ipſe Anacletus antequam Pontificatum invaſiſſet, Patris nomine dictus ut Petrus Leonis. Diſtractô in partes Sacrô Collegiô facilè fecit reliquum Chriſtianum Orbem factionibus involvere. Stabat pro Innocentio juſtitia, pro Anacleto potentia atquè audacia: Nihil penè Innocentio ampliùs Romæ tutum, turbatis in Urbe omnibus, & Senatu ipſo favente non tam Anacleto, quàm Anacleti opibus, ac privatis commodis. Igitur Urbe ceſſit ac turbis Innocentius non juri, quod cum totius Urbis & Orbis applauſu Bernardus ille Pontificum Vindex ei eſſet in Galliis aſſerturus. Gallia pulſo Iñocentio & Innocentiæ electa in aſylum: Ludovico Regi ac Galliæ datum ut ſervarent Romam in Innocentio. Indictô mox ad *Stampas* Conciliô, quod à loco dictum *Stampenſe*, Innocentii per Nuncios, Ludovici, Cardinalium, Epiſcoporum, omnium deníque nutu deſideratus atquè vocatus unus è Clara-Valle Bernardus, in quem Rex & univerſi Concilii Patres compromiſerant, ut, *celebratô priùs jejuniô, & precibus ad DEUM fuſis,* Manriq. ad Annum. n30. cap. 2. *ex eius* (Bernardi) *ore tota cauſa penderet*, haberetúrque is pro vero Pontifice, quem Bernardus ille Numinis Interpres deſignâſſet. Tremens ac pavidus ſanctiſſimo muneri humeros non ſponte ſuâ, ſed Regis ac Patrum authoritate coarctatus ſubjecit Bernardus, ac ſeverô ſcrutiniô diſcuſſis utriúsque Electionis momentis primus nominâvit Innocentium legitimum univerſæ Eccleſiæ Caput. Bernardi oraculum amplexi Patres omnes è Concilio, Rex Principésque Innocentium ex Italia navigio per maria in Gallias properantem tam ſuum quàm Summum acclamârunt Pontificem. Bernardi ac Concilii ſententiam ſecutæ deinceps Orbis Chriſtiani provinciæ reliquæ, licèt quædam ſeriùs: ingenti Bernardi gloriâ, cui datum cælitùs, datum humanitùs, Romanæ Cathedræ dare Pontificem. *Rogerius Siciliæ Rex, & Guillelmus Aquitaniæ* Dux ſtimulô atquè calcari urgendi erant, ut Schiſma ejurarent, in Bernardi trophæis quantumvis poſtremi, præcipui tamen, in quibus triumphandis gloria Bernardi excrevit in immenſum. Guillelmus annis quinquè ſchiſmati contumaciſsimè adhæſit, Rogerius annis novem: utriúsque converſio admirabi-

rabilis, ſed magìs illa Guillelmi. Cùm enim homo truculentus totus in Innocentium, ejusdémque clientes exiliis atquè rapinis fureret, contra furentem Vir Sanctus veluti exaſperata apicula totidem aculeis quot verbis ſe armavit, atque dum Dux Pictavi moraretur, mox poſt conſecrationem extra Eccleſiam Corpus Dominicum ſupra patenam tenens ad Ducem præ foribus Eccleſiæ præſtolantem egreſſus viſu minax, lingvâ tonans, vultu flammeus eundem hoc tonitru perculit: *Rogavimus te & ſprevisti nos! Ecce ad te proceſſit Filius Virginis, qui eſt Caput & Dominus Eccleſiæ, quam tu perſequeris. Adeſt Judex tuus, in Cuius Nomine omne genu curvatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Adeſt Vindex tuus, in Cuius manus illa anima tua deveniet: Nunquid & ipſum ſpernes? Nunquid & ipſum ſicut ſervos Eius contemnes?* Non aliud Guillelmo fuit expectandum fulmen, quô viſcera ejus & intimas animæ medullas celerrimè pervadente tremens corruit, & ſalivas per barbam ac mentum fædè deſpumans, profundúmque ingemiſcens, jam novas vitæ Sanctioris metamorphoſes non verbis ſed ſignis ſeu meditabatur ſeu jam pollicebatur. Erectus à ſuis rursùm concidit quouſque Vir DEI proſtratum veluti rebellem Numini, pede pulſaret, juberétque ſurgere, & DEI audire ſententiam. Madebant interea præſentium Catholicorum oculi lachrymis, quas pius metus gaudiô intermixtus deſtillârat, quia ſcilicèt viderent novum in Guillelmo Saulum, qui damnatâ anteactâ vitâ tot infandis facinoribus contaminatâ, & ejuratô mox ſchiſmate ex unius Bernardi imperio jam totus penderet, ejus magiſteriô formandus in Virum alterum, pœnitentiæ rigore, ac morum ſanctimoniâ toto Orbe celeberrimum. *Rogerius* aliquantò tardiùs, utì prætactum, manus dedit, Annô nimirum 1139. per Bernardum reconciliatus Innocentio, poſtquam intellexerat, *Petrum Piſanum* Virum lingvâ, ingeniô, legum, Canonúmque notitiâ admodum inſignem, ſed Anacleto ac Schiſmati faventem Bernardi eloquiô ac ſapientiâ in publico Romæ Conſiſtorio præter omnem expectationem ad Eccleſiæ unitatem rediiſſe. Inter illos ipſos dies, quibus Petrus Piſanus in tempore reſipuit, alter ille *Petrus Leonis* eouſque dictus Anacletus ægritudine à DEO percuſſus, ſed ſuómet vitio non ſanatus, poſt triduum miſerrimè quia impœnitens & hominem & Pſeudo-Pontificem exuit, communi eorum fatô, qui ſeu hæreſum ſeu Schiſmatum Authores &

Capita extiterunt. A reliquiis Schiſmaticorum Anacleto ſubrogatus Cardinalis Presbyter *Gregorius*, dictus ab ijs *Victor*, novis Bernardi victoriis ac triumphis vel ipſo nomine præluſit. Sinè ſangvine, ſolô alloquiô, imò ſolâ penè Bernardi præſentiâ parta victoria eſt; Victor enim ſvaſu ductúque Bernardi ad pedes Innocentii provolutus Victoris nomen ſimúlque Pontificis depoſuit, illud cedens Bernardo, hoc Innocentio. Victô jacentéque ad Pedes Apoſtolicos Victore, reliquiæ Schiſmaticorum veluti victoriæ appendices ultrò ſe Innocentio ſubmisêre: applaudente interim Urbe, & Bernardum publicis acclamationibus *Auctorem Pacis ac Patrem Patriæ* devenerante. Atquè hic eſt ille triumphus, de quo Bernardus ipſe in Epiſtola 147. data ad Petrum Cluniacenſem modeſtè auſus eſt gloriari: *Hæc planè gloria mea, & exaltans caput meum Eccleſiæ triumphus!* præoſtenſus quidem jam dudum Bernardo ad Stampenſe Concilium properanti, atque de rei magnitudine, ad cujus deciſionem evocabatur plurimùm anxio, ſed ideò per annos complures dilatus, ut Bernardi merita in Eccleſiam forent magìs eximia.

Hæc Bernardus pro Innocentii reſtitutione, ac Eccleſiæ conſervatione Romæ; neque minora in *Gallia*, *Flandria*, *Germania*, ac reliquo Orbe Chriſtiano pro Ejusdem Sanctæ Eccleſiæ augmento; Anno námque 1146. hortatu Evgenii III. & Regum Principúmque rogatu munus ſacerrimum prædicandi Crucem contra Saracenos è Palæſtina ejiciendos in ſe ſuſcepit: Dúmque primitiæ Expeditionis Sacræ fervèrent in Gallijs, indictus eſt, Carnoti à Ludovico Rege ſacer militaris Conventus, ubi de nervo belli, & præcipuè de Duce, cujus ſupremo imperio parerent univerſi, ageretur. Itáque totius Exercitûs, imò Regis Principúmque vox una fuit, quâ Bernardus Dux belli conclamabatur. *Ad hunc annum.* Res rara, & fortè ſinè exemplo *Baronii* calamô firmanda eſt: *Illud in primis* (ait purpuratus Hiſtoriographus) *planè mirandum, quòd obſtupefaciet omnes audientes, dum videlicèt ibi totius Belli Dux ipſe S. Bernardus omnium conſenſu deligitur, qui Principem militiæ agat, cui milites omnes, & Principes ſubjicerentur. Hoc decretum in Concilio conſenſu omnium.* Turbatus eſt quidem eâ electione Pater Sanctus, atq; multa in contrarium cauſatus, ſe clauſtris fortè meliùs, quàm Caſtris ſcire præeſſe, non Militibus ſed Monachis ſe datum in Magiſtrum;

ſtrum; Prævaluêre tamen vota Principum & Militum, ac præcipuè Evgenii olim amici, filij, tunc Patris aſſenſus, imperia, preces. Subjecit igitur humeros Apoſtolico tam oneri, quàm honori Vir Apoſtolicus, propemodum unus ille eâ tempeſtate Eccleſiæ Atlas. Prædicatione Bernardi motus Orbis terrarum, & ſub tanto Viro, tanto Duce conceptæ ſpes maximæ trahebant, ex omni gente ingentes copias vindicandæ à Barbaris Palæſtinæ deſtinatas. Signati Cruce per Bernardum Romanorum Imperator Conradus, Ludovicus Franciæ Rex, aliíque magnô numerô Principes: Cæſar ducenta peditum, ſeptuaginta Equitum millia per Hungariam adduxerat, Exercitum non recuperandæ duntaxat Palæſtinæ, ſed Imperio Ottomannico funditùs diruendo facilè ſupparem. At verò pulcherrima initia turpiſsimô fine fædata ſunt, Emmanuele Græcorum Imperatore per fraudem ac invidiam frumentis admiſcente gypſum, unde primùm ſuccrevêre morbi, dein fames, ac tandem poſtquam ambo Exercitus Germanus & Gallus ſe conjuxiſſent, æmulatione, Ducum diſcordiâ, quâ velutì peſte ſanctum illud fœdus infirmatum enervatúmque eſt. Exercitus ambo mutili, fame, diſcordiâ, invidiâ confecti re infectâ Oriente excedere compulſi domum penè inglorii rediêre. Unus interim Bernardus ſignum erat, cui contradiceretur, illius haud dubiè culpâ tot Principes, tot ſtrenuos milites periiſſe, cujus prædicatione ac hortatu illi arma ſumpſerint: Undique gravis illa Populi Hebræi calumnia contra Bernardum recuſa atque recocta: *Callidè eduxit eos, ut interficeret in deſerto.* *Exodi 32. 12.* Tulit omnia Vir Sanctus animô forti, atque inſuper hilari, quòd illis calumniis non peteretur DEUS, ſed Bernardus. Audiendus ipſe eſt ad Evgenium Pontificem hæc ſcribens: *Si neceſſe ſit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in DEUM eſſe. Bonum mihi, ſi dignetur me uti pro clypeo, lubens excipio in me detrahentium lingvas maledicas, & venenata ſpicula blaſphamorum, ut non ad ipſum perveniant: Non recuſo inglorius fieri, ut non irruatur in gloriam DEI.* *L. 2. de Conſid. c. 1.* Hæc ille: & modeſtiùs quidem pro ſe; at verò *Baronius* audentior atque alacrior ſuâ Purpurâ ſuóque calamô pro Bernardo ſtat vindex, dum illum *Tom:* 12. *Annalium ad Annum* 1146. contra calumnias defenſum, eximiis inſuper elogiis ornat. Neque cœlum Bernardo ſuo defuit; primô námque rumore infelicis Expeditionis per Gallias ſparsô Pater Sanctus multis precibus interpella-

Gaufridus in Vita Lib. 3. c. 4. pellatus puero cœco manus eâ conditione impoſuit, ut ſi Verbum prædicationis, quô ipſe Principes in ſacrum fœdus vocârat, DEUM authorem habuerit, in publicum ac perſpicuum tantæ rei teſtimonium cæco viſus per manus ſuas redderetur. Audiit cœlum vota gementis Bernardi, ac in conſpectu omnium oculos pueri aperuit. Præterea dum actu Crucis prædicationi Vir Sanctus inſiſteret, trecentis & ampliùs miraculis refulſit, ut mirum ſit, Bernardo totidem lingvis ac præconijs quot prodigijs à DEO illuſtrato adhuc quempiam potuiſſe eſſe per calumnias ſeu importunum; ſeu quod gravius, injurium. Non tamen ullatenùs Bernardus, non Milites ſuô fruſtrati aut meritô aut votô. Petebatur ſcilicèt Hieroſolyma, non tam illa quæ in Oriente, quàm quæ ſurſum eſt. Vita, ſangvíſque à tot militum millibus pro Chriſto, pro fide, pro expiatione peccatorum lubenti animô profuſus Victoribus meliores Hieroſolymas aperuit, quàm illas, quas *Joan. Buſſieres in Floſc. Hiſt. ad hunc annum.* Saracenis erepturi advenerant: *Nempe DEUS Cœlo, non terris Expeditionem indixerat, quærebátque milites aſtris laureatos.* Tangit hoc ipſum Auctor vitæ Gaufridus: *Nec tamen* ſcribit ille L. 3. cap. 4. *ex illa profectione Orientalis Eccleſia liberari, ſed cœleſtis meruit impleri, & lætari. Quòd ſi placuit DEO tali occaſione plurimorum eripere ſi non Orientalium corpora à Paganis, occidentalium animas à peccatis, quis audeat dicere illi, quid feciſti ſic?* Stet igitur Bernardo ſua gloria inconcuſſa, quòd ſub gemino auguſto titulo bellum contra Saracenos moverit atque promoverit; unô quidem per Pontificem Romanæ Eccleſiæ lingva, ac Sacer armorũ animorúmq; motor, alterô verò per Reges ac Principes ſupremus Belli Dux. Hæc Bernardus aliáque pro totius Eccleſiæ ſeu conſervatione ſeu amplificatione: Plura pro Regum, Principum, Urbiúmque ſeu concordia, ſeu aliô quovis publicô emolumento, ut nimius forem, ſi ſingula tangerem.

Tranſeundum eſt ad prodigia, quæ quidem in Bernardo tam erant numeroſa, tam eximia, ut Eminentiſſimi *Bellarmini* elogiô Bernardus ſit Thaumaturgus inter Sanctos maximus: Ipſa *Tom. 2. Contr. L. 4. c. 14.* Viri Clariſſimi verba hæc ſunt: *B. Bernardus pluribus miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum, quorum vitæ ſcriptæ extant.* Nos hìc paucula & magìs miranda dabimus ex omnibus. Ac in primis in memoriam revocandi ſunt tres illi, quos Bernardus vitâ functos revo-

revocavit ad vitam, numerô ſcilicèt Sacrô, quem Salvator ipſe totidem olim ſuſcitans ſacraverat. Cœci, claudi, muti, ſurdi, contracti, manci; amentes, langvidi, optatâ ſoſpitate per Bernardum donati tot ac tanti ſunt, ut numerum penè fugiant. Notant Viri graves, rarum Bernardi in morbos imperium, quos nimirum pro arbitrio ac veluti per jocum propulſabat & revocabat. Rem experti ſunt *Galdricus* Bernardi avunculus, ac *Guillelmus* Sancti Theodorici Abbas, uterque per Bernardum miraculô juſſus infirmari, uterque ab eo per miraculum ſanatus, ut Bernardo Authore perſpicuum ſit, morbos immiſſos non modò inter miracula, verùm etiam inter beneficia eſſe recenſendos. Res porrò à Bernardo benedictæ mirâ virtute non in corpora duntaxat, ſed inſuper in animos pollebant. Utriuſque ſpecimen dandum eſt. Benedixerat Pater Sanctus in Partibus Toloſanis, dum inibi contra *Henricianam* hæreſim è ſuggeſtu fulminaret, oblatos pro more à populo panes, atque in Orthodoxæ fidei teſtimonium Thaumaturgus Propheta hanc ſponſionem ſubjunxerat: *In hoc*, inquit, *ſcietis, vera eſſe, quæ à Nobis, falſa quæ ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis adepti fuerint ſoſpitatem.* Hærebat Bernardi lateri magnus ille Gaufridus Carnotenſium Epiſcopus, qui metuens ſponſioni nimìs præfidenti, nimíſque generali, eandem pauculis, quæ ſuperaddidit verbis veluti limitibus quibusdam circumſcripſit: *Si bonâ* inquit, *fide ſumpſerint, ſanabuntur.* Non tulit Pater Sanctus potentiam DEI claudi terminis, & pati leges à Viro tametſi ſancto, ſed excelſo animô reſtrictionem, conditionémque omnem præcidens: *Non hoc ego dixerim*, ait, *ſed verè qui guſtaverint, ſanabantur, ut proinde veros nos & veraces DEI nuncios eſſe cognoſcant.* Diviſi diſperſíque per omnem viciniam panes, ſortiti ſunt prodigioſos illos effectus, quos Bernardus Thaumaturgus prædixerat: Sanati languentes omnes ingenti prorsùs numerò quicúnque de illis modicum quid guſtaverant. Illud hìc eò magìs mirandum, quò contra ſtylum patrandi miracula magìs inſolitum, quòd Bernardus *fidem miraculorum*, ùt vocant Theologi, quam toties Salvator à languentibus requirere eſt ſolitus, à manducantibus benedictos panes tam ſcrupulosè non exegerit. Hæc Bernardus virtute benedictionis in corpora; majora fortaſſe eâ ipsâ virtute auſus etiam in animos.

Gaufr. L. 3. cap. 6.

Gall. L. 1. cap. 11. CEREVISIA potionis genus Clara-Vallenſibus jam olim domeſticum Bernardo pro philtro fuit, quô animis quorundam Nobilium (Author vitæ *Nobilium cohortem militum* appellat) illud vitæ genus inſtillaverat, quod illi ſummè averſabantur. Viſuri Bernardum advenerant in Claram-Vallem non pietatis ductu, ſed curioſitatis, futuri præda Bernardi eò illuſtrior, quò illi è præcipua Galliæ & Luſitaniæ nobilitate trahebant ſtemmata clariora. Parabant jam abitum è Valle, & Bernardus feſtinantibus quaſi per jocum felix precatus iter juſſit adferri hauſtum, quem poſtquam benedixit, eum dixit *hauſtum animarum.* Bibêre ſinguli, metuentes quidem latentis ſacerrimi philtri effectum, ſed econtra ſuâ quique opinione perſvaſi, ceveviſiâ non poſſe moveri Nobilium animos, & ſi fortè etiam moverentur, ſe Viros eſſe, qui valerent reſiſtere invalidis motibus. Hæc quidem illi cùm biberent, ſed longè alia, cùm vix fores Monaſterii eſſent egreſſi; mutuô námque aſpectu hærentes, ſe teneri, ſe retroagi, dum ſinguli ſentiunt, ſinguli unô velutì conſenſu, unô conſiliô id jam volunt, jam deſiderant, quod antea damnaverant. Regreſſi igitur eâdem omninò horâ, & benedictâ illâ cereviſiâ nedum in ſtomacho, minùs in animo digeſtâ poſitis armis novæ ſub Bernardo Duce militiæ in Clara-Valle tyrocinia ſubiêre. Quos inter *Walterus* dictus *de Monte Mirabili*, & *Petrus Alfonſus* Alfonſi Luſitaniæ Regis frater, aliíque genere ac virtute utrinque præſtantes.

Non una tamen Clara-Vallis, aut ſola Gallia prodigioſam ſenſit Bernardi manum; *Italia*, *Belgium*, *Germania*, ac nominatim *Papia*, *Cremona*, *Mediolanum*, *Conſtantia*, *Baſilea*, *Francofurtum*, *Treviris*, *Colonia*, *Spira*, *Aquisgranum*, *Leodium*, *Cameracum* totidem fuêre auguſta Bernardi Thaumaturgi amphitheatra. Siſtendum *Spiræ* eſt, ubi dum Bernardus ab irruente multitudine moleſtiſſimè comprimeretur, Conradus Cæſar ut turbas Majeſtate arceret, depoſitâ Imperatoriâ chlamyde Virum DEI ulnis ſuis peramanter amplexus pulcherrimô ſpectaculô è Baſilica aſportavit. In populoſis Civitatibus plerumque ſolitus erat ob importunam plebis frequentiam è feneſtris populo impertiri benedictionem. Non tacenda hìc *Mediolanenſium* in Bernardum pietas. Reducem Româ, ac jam tranſcenſô Aponninô ad fines Mediolanenſium properantem tota Urbs per Italiam populoſiſſima, deſideratiſſi-

ratiſſimum Hoſpitem ſeptem omninò milliaribus antevertit. *Ibant diſtincti in agmina, nobiles, ignobiles, equites, pedites, quaſi de Civitate migrarent, propriósque lares deſererent.* Suſceptus deductúsque Vir DEI inter jubilos & turbarum fauſtas acclamationes reverentiâ prorsùs inexplicabili ad Civitatem uſque: ubi certatum pietatis officijs, quæ Pater Sanctus compenſabat prodigiis. Jacebant Viri nobiles Summi infimíque ad Viri humillimi pedes proſtrati, eos mille oſculis prænſantes: *Vellicabant pilos, quos poterant de indumentis ejus, & ad morborum remedia de pannorum lacinijs aliquid detrahebant, omnia Sancta, quæ ille tetigiſſet, judicantes, & ſe tactu eorum vel uſu ſanctificari.* Inter crebra ac illuſtria miracula, quibus Mediolani Bernardus inclaruit, virtute in Energumenos fuit celebrior, Apoſtolis utique non inferior, quibus data in dæmonia poteſtas in Bernardum etiam Apoſtolici Spiritûs & muneris hæredem derivata eſt. Et certè utì ex *Ramaldo* Sancti Viri tunc ſocio ac poſtmodum Fuſniacenſium Abbate refert Auctor *Exordii* L. 2. c. 16. Bernardus Civi cuidam Mediolanenſi pio ac honorato oſtenſus eſt inter Apoſtolos; Confidente namque Patre Sanctô in conferta multitudine mediô, cùm nulla præfato Viro daretur accedendi facultas, ingenti quidem ſed lepidô tamen fervore ſuper capita & colla univerſæ multitudinis gradiens ad pedes Sancti ſe abjecit: dúmque à præſente Ramaldo amoveretur, Vir ille pius ad eum converſus dixit: *Dimitte me, obſecro, dimitte me videre & tangere hominem proximum DEO, & verè Apoſtolicum Virum. Dico enim tibi, & in fide Chriſtiana teſtificor, quia vidi illum inter Apoſtolos Chriſti.* Verùm quis tandem univerſa pro dignitate expendat? cùm etiam per abſentem & ignarum prodigia non pauca facta ſint, ſoláque Bernardi veſtigia in partibus Toloſanis in pulvere relicta, & à cæco quodam calidis oſculis reverenter culta eidem amiſſum lumen reſtituerint, ut non immeritò Manriqueus magnificô utique elogiô de Bernardo Thaumaturgo pronunciare auſus ſit: *Omnem locum, quem calcaverit pes ejus* (Bernardi) *miraculis redditam eſſe illuſtrem.*

Arnaldu. L. 2. cap. 2.

Arnaldus ibid.

Ad an. num. 11. c. 4. n. 1

Clauduntur alioquin morte univerſa, ſola miraculorum operatrix Virtus mortem non ſentit, inter medios Sanctorum cineres immortalis, ac veluti Phœnix. Fuêre è Sanctis non pauci, qui in vita fortè paucis, fortè nullis miraculis clari ab obitu cœpêre

pêre eſſe Thaumaturgi. Vix unus aliquis è Beatis reperibilis, qui inter frequentia miracula ſeu vixerit ſeu devixerit, & ſepulchrum non habeat prodigijs glorioſum. Unus Bernardus maximus inter Sanctos Thaumaturgus, à morte penè abſque miraculis, novum utique ipſe Orbi fit miraculum. Sed longè id ipſum Bernardo glorioſius, quòd magìs quodammodò ſuæ in terris gloriæ, quàm virtuti obedientiæ quidpiam detrahi paſſus ſit. Res immortali memoriâ digniſſima è Faſtis Exordii Ciſtercienſis revolvenda eſt. Vidit *Goſvinus* Ciſtercii Generalis irruentem indies populum ad ſepulchrum Sancti, tolerabili quidem & laudandâ pietate, quamdiu non timeretur, importunos illos accurſus poſſe eſſe pernicioſos Monaſticæ quieti ac perfectioni. Utrique in tempore conſulturus Goſvinus in Claram-Vallem properat, atque ingenti zelô magna & ultra limites auſurus ad ſepulchrum Thaumaturgi accedit, Bernardóque in virtute ſalutaris obedientiæ imponit, omitteret deinceps miracula, quibus in alios quidem beneficus, ſuis autem Clara-Vallenſibus eſſet moleſtus. Voci imperantis momentô paruit Bernardus, non neceſſitate utique, cùm jam omnis obediendi neceſſitas per mortem ſublata fuerit; ſed primò quidem, ut etiam cum diſpendio gloriæ, quæ ex miraculis ei accreſcere poterat, obedientiæ pretium ſuis, ac per ſuos omnibus recommendaret; atque deinde nè per ſe quôquô modô diceretur pati angelica illa vivendi norma, quam ille ipſe ſuper humana omnia ſecundùm idæas planè cæleſtes olim in Clara-Valle regulaverat.

Lib.2.c.20.

Ex ea die Bernardus fuit in miraculis præcipuè publicis rarior, non tamen omninò nullus; non enim eidem ſimpliciter prohibitum facere miracula, ſed ea præcisè, per quæ quies Monaſtica turbari, ac fervor ille diſciplinæ regularis enervari poſſit. Sentiunt hodiedum permulti Bernardum Patronum ac Thaumaturgum, & ſenſit Bernardum talem hôc ipsô currente ſæculô *Janua* illuſtris Italiæ Civitas Sede Archi-Epiſcopali inſignis: quæ Annô 1625. Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem paſſa hoſtem, in viſcera, & oppida ditionis Suæ hoſtilibus copiis penetrantem, ſibíque ruinâ & excidiô jam proximè imminentem, indiga auxilii, ſed ignara unde peteretur, tandem communi Cleri, Populíq; conſiliô ad Bernardum confugit, eâ quidem occaſione. Scripſerat

Manriquez ad annum. 1132. cap. 6.

pſerat Bernardus olim dum viveret Januenſibus Epiſtolam, tam eorundem elogiis plenam, quàm ſui in eosdem affectûs teſtem, ubi hæc verba ſponſoria intermiſcuerat: *In æternum non obliviſcar tui plebs devota, honorabilis gens, Civitas illuſtris.* Hæc Epiſtola in Archivo Urbis per annos quingentos & amplius ſervata eſt, uſque tandem communi neceſſitate ſeu compulſi, ſeu quod mitiùs moniti Januenſes Divum Bernardum conceptô votô interpellârunt, ſe quotannis Feſtum Melliflui Patris ritu Eccleſiaſticô tanquam Feſtum fori celebraturos, ſolemnem habituros Proceſſionem, atque Sacellum honori Dulciſſimi Doctoris, ſui olim ac etiam hodierni in ea gravi calamitate Patroni extructuros: Velle ſe ſtare ſingulos in poſterum votis ſuis, ſtaret etiam verbis ſuis Pater Sanctus, ac modò tueretur, quos olim nec volens nec potens obliviſci, in perennem tutelam non rogantes ſuſceperat, ſed ſuâ ſponte adoptaverat, ſeſe ultrò Urbi offerens ac propè ingerens perpetuum Tutelarem Patronum. Hæc vota publicis inſerta Actibus non expectabant ſed impellebant Bernardum, ut fidem ſolveret, quam olim dederat. Atque ut Januenſes præſentiorem ſentirent Bernardum, in ipſo Sancti pervigilio Hiſpana Claſsis ſuppetias latura in portum diu deſiderata involavit, per quam Urbs obſidione, metu, excidiô ſoluta Bernardum in hodiernum uſque diem proſequitur eximiô cultu Patronum ac Tutelarem. Epiſt. 129.

Talis ac tantus Bernardus inter miracula, quæ Cœlum per Bernardum alijs: Major utique per inſignes planè favores, quos Cœlum impendit ipſi. *Salvator*, *DEIpara*, *Cœlites*, *Angeli* unô conſenſu in Bernardo ornando conſpirâſſe videbantur. Non unâ duntaxat ſcenâ Salvator ſuos in Mellifluum Clientem abſolvit affectus; Parvulo enim adhuc ſeptenni ſe exhibuit Puſionem vagientem in cunis: Cùm deinde primis annis in Clara-Valle Abbas perplexus hæreret, utrum condignis eloquiis novellam prolem erudiret, adfuit Sapientia Incarnata ſub ſchemate pueri longè ſpecioſiſsimi, juſsítque Bernardum absque animi inquietudine eſſe, placere nempè Cœlo ingenii ac lingvæ ſuæ labores, magnis mox incrementis per Orbem provehendos. Repetitis deinde vicibus DEIpara Diviniſsimum Puſionem amplexibus atque uberibus ſuis veluti avulſum in manus ac brachia Bernardi diſuaviandum depoſuit: in cujus rei luculentum teſtimonium extat Annal. Ciſt. 20. Aug.

 vetu-

vetuſta DEIparæ imago in Caſtro Caſtellionenſi hôc ſæcnlô reperta, cui hi ſubſcripti verſus Gallici quidem, ſed mutatô idiomate hìc latini:

Bernarde multùm dilecte mi Capellane,
Cape, ſuſpice de mea manu
Dulcem JESUM, Salvatorem mundi!

Seraphicô porrô illô amplexu quô Chriſtus Salvator revulſis de Cruce brachiis hianti pectori Bernardum amantiſsimè adſtrinxit, omnes veluti ſuos exhauſiſſe videri poſſet amores. Spectaculum ſanè Cœlô dignum, cujus duntaxat unus inter homines teſtis, idem & ſpectator *B. Medardus* Abbas de Moris, Bernardo perfamiliaris.

Manriq. Henriq. Merlo Horſtius.

Surgentem à Crucifixi amplexibus Bernardum *Virgo Mater* ad novas delicias ac gratias filiolum expectabat. Ægeſtaverat aliquando Bernardus, & quia auctiſsimi dolores vires penè conſumpſerant, juſsit unum è fratribus properare ad preces, & tria Eccleſiæ Clara-Vallenſis Altaria, quorum medium erat Divæ Virginis, alia duo Dlvi Laurentii Martyris, & S. Benedicti Abbatis, nomine ſuo inviſere. Necdum Sacer Legatus preces finierat, cùm ecce adfuit Virgo glorioſa ſtipata Divis Laurentiô ac Benedictô, cum quibus ſimul manus ægro clienti imponens, & loca dolorum ſuaviſsimô contactu prænſans Bernardum edocuit, quàm felices è Cœlo evocaverit Auxiliatores Galenos. Priùs dolores omnes è languidis membris abierant, quàm Cæleſtes Medici è Bernardi conſpectu. Tam ſcilicèt MARIÆ curæ fuit Bernardus, ut manu non aliâ quàm maternâ eum ſanari ſit paſſa. Hæc Bernardus à manu Virginis: digniora longè ab Ejusdem lingva, ore, ubere. *Spiram* Germaniæ illuſtrem Urbem Bernardus cum charactere Sedis Apoſtolicæ Legati à Clero ac Populo veluti in triumphum feſtivè introductus, cùm in Divæ Virginis Sacram Ædem ingrederetur, audiit ſuaviſsimâ cantione familiarem ſibi & DEIparæ antiphonam *Salve Regina* decantari. Adjubilans igitur ipſe pulcherrimæ harmoniæ Matrem, Reginam, Dominam ſuam millies ſalvere juſsit: & ter genu ante Divæ ſtatuam profundè flectens, poſtrema antiphonæ verba primus addidit: *ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA!* Vix potuit Angelicis labiis Virgo humaniùs ſalutari: inde illa paulò ſeu affectuoſior ſeu humanior, quæ olim Angelum non reſalutaverat, in præſentia univerſæ

verſæ multitudinis in ſtatua ſua Vocalis Bernardum amantiſſimum hoſpitem dignanter reſalutavit: *Salve Bernarde!* Hæc ipſa Virginis ſtatua ad hanc uſque noſtram ætatem eximiô fidelium cultu DEIparæ ac Melliflui Clientis memoriam conſervat perennem. *Affligemii*, quod eſt in Brabantia D. Benedicti Cœnobium, itidem Virgo Mater è ſtatua Bernardum in genua provolutum & *Angelicô Ave* ſe affectuosè deveneranteın, humanitatis ac affectûs viciſsitudine ſalvere juſsit: *Salve Bernarde!* Hactenùs MARIAM Bernardus ſenſit Patronam: tandem etiam Eandem expertus eſt Matrem; quod quidem ipſe ſæpiùs in Mariano Hymno, *Ave Maris Stella*, à Virgine precatus, quatenùs ſe Matrem monſtraret, tandem obtinuit, ut DEIpara in ſtatua ſua in Caſtellionenſi Baſilica apud Burgundos dulces premeret mammillas, lacte Virgineo in BERNARDI labia irriguas, quô ipsô Marianô lacte deinceps BERNARDUS non aliô vocabulô ſcriberetur, quàm Bernardus JESU Collactaneus. *Author Medullæ Vitæ S. Bernardi* grave adducit teſtimonium, hodiedum Caſtellione aſſervari eam DEIparæ ſtatuam, quæ Bernardum olim lactârit: Et nè fabuloſum hoc eſſe calumniari poſſint hodierni, citati nominatíque ibi Presbyteri Viri graves, à quibus penè hâc noſtrâ ætate notata eadem ſtatua lactis ſtillas dimiſiſſe: quaſi hæc ipſa uberum MARIÆ ſtillicidia novos optarent ac expectarent hodie Bernardos. Ipſe feſtivus hanc imaginem colendi ſolemnis ritus magnum quidpiam ſpirat. Stat in Eccleſia S. Beroli ſublimis, ingenti culta populorum concurſu: Cùm publica imminet neceſsitas, à tribus Sacerdotibus triduanô jejuniô ad Sacrum id munus expiatis, deponitur, atque eximiâ veneratione à Virginibus eôdem triduanô jejuniô præparatis reverentiſsimè in proceſsione publica circumfertur. Non ſolet profectò Eccleſia tam ſolicitè tam ſcrupuloſè cum tantô jejuniorum apparatu colere atque recolere fabulas, & Poëtarum deliria. Quòd ſi aliqui aſſerant, Bernardum lactatum quidem à Virgine fuiſſe, non tamen in carne ſeu labiis carnalibus, neque per lac reale ac phyſicum, verùm duntaxat in Spiritu, & per myſticum quendam influxũ: hoc utiq; eſt, antiquæ veritati, quæ tot calamis tot penicillis per quinq; & ampliùs ſæcula firmata eſt, ſuſpicionẽ affricare: quaſi verò veteres illi Scriptores non ſciviſſent æque diſtinguere, ac nos inter influxum illum myſticum ac phyſicum & rea-

Fol. 296. Icone 23.

realem. Utraque lactatio concedenda Bernardo eſt, & illa in Spiritu, & hæc in carne: non neganda hæc altera, quam utique principaliùs intenderunt Hiſtorici Veteres & ſinceri, quibus præter morem hiſtoriam metaphoris, ac ſenſibus myſticis involvere; alioquin enim nîl eximium atque ſingulare de Bernardo ſcripſiſſent, cùm utique illa lactatio in Spiritu quantumvis præcellens pluribus è MARIÆ cultoribus eveniſſe haud difficulter credenda ſit; quæ, quantum exiſtimo, nîl aliud ex ipſa nominis notione eſſe poteſt, quàm influxus ſeu gratiarum ſeu deliciarum, quibus animus innatat, & velutì amabiliſsimè diffluit, qui influxus ſeu à MARIA ſeu per MARIAM ſua trahat principia; hoc namque eſt, nî fallor, lactari à MARIA in ſpiritu, quam quidem lactationem non ſoli Bernardo ſingularem, ſed alijs etiam eximiis DEIparæ Clientibus reor eſſe communem. Stat igitur veritas, ſtat analogum ſimpliciter prolatum pro famoſiori analogato, Bernardum verè & in carnalibus labiis fuiſſe lactatum à Virgine. Cui veritati etiam adſtipulantur *Guillelmus Eiſengrenius*, *Caniſius*, *& Coſterus* Authores graves, qui alterâ rursùs vice Bernardum à DEIpara Spiræ lactatum fuiſſe affirmant. *Bernardus Brito* Scriptor Luſitanus inſuper addit, Bernardum pariter in ſua Clara-Valle à Virgine viſitatum jam tertiò lac DEIparæ ſuxiſſe. Quin imò *Author Anni Ciſtercienſis die* 13. Maij, quâ apud Ciſtercienſes prodigioſa hæc Bernardi lactatio in Menologio recolitur, aliquid ampliùs audet, amabiliſsimam ſcilicèt Matrem Bernardum *ſæpiùs* hâc prærogativâ fuiſſe dignatam. Atque inde profluxit ſtylus ille lacteus, quô omnia Bernardi volumina hodiedum madent, præcipuè cùm de Virgine Sermo eſt, ubi Apis illa Clara-Vallenſis omnes ſuos omninò favos in calamos & chartam diſpensâſſe videtur, quibus nemo in Virginis amores non diffluat, niſi qui ſaxum & marmor, non homo ſit. Quare meritò Bernardus aliorum omnium ſuffragiis, atque certè etiam ſui ipſius, ſi una humilitas non obſtaret, inter quatuor DEIparæ Doctores neutiquam eſt poſtremus, qui inter Eccleſiæ Doctores eſt Mellifluus.

Quia tamen ſola Epiſtola 174. olim hodiéque famoſiſsima (quam Bernardus ad *Canonicos Lugdunenſes* Feſtum Immaculatæ Conceptionis DEIparæ noviter tunc inconſultâ Sede Apoſtolicâ celebrantes, ſcripſerat, lapis offenſionis eſſe videtur, quòd nimi-

nimirum BERNARDUS in laudibus Virginis nunquam non profuſus, & nuſquam magis ingenioſus, quàm dum DEIparam laudaret; uni tamen Immaculatæ Ejusdem Divæ Conceptioni in ea Epiſtola cenſeatur eſſe contrarius: hinc ea calumnia genuinâ Epiſtolæ & sensûs expoſitione velutì ſpongiâ hìc breviuſculè detergenda eſt. Oppugnavit igitur BERNARDUS immaculatam Virginis conceptionem; ſed quæſo, quam illam? Non ſunt utique neque judicandi neque condemnandi Theologi veteres, cùm non loquuntur noſtris phraſibus ac terminis: interrogandus BERNARDUS eſt, quid is intelligat per conceptionem, quam tam nervosè oppugnat? Et quia mens Sanĉti Patris aptiùs deſumi non poteſt, nisì ex uſu ac modo loquendi Doĉtorum illius temporis, quærenda ab illis eſt pro ea ætate uſurpatio vocis, quid *ly Conceptio* in rigore vocis importet? Et deprehendemus, à *D. Anſelmo, Alexandro de Ales, Alberto M. Divo Thoma ac Bonaventura*, conceptionem ſumi pro prima ſuſceptione ſeu confluxu ſeminis utriusque Parentis ad formandam embryonem in utero, & de hac ipſa conceptione ſic ſumpta controvertebant Veteres, an in B. Virgine fuerit ſinè labe & ſanĉta, nécne? Controverſia ſanè, quæ hodiernis videtur cruda, & vix fidem mereatur, quòd olim Viri Eximii de illa quæſtionem moverint: certa tamen, utì ex Theologorum terminis conſtat: & nè ſuſpeĉta & minùs fida ſit hæc aſſertio, tres è primis adducendi ſunt hìc Theologi: Atque in primis *Alexander de Ales in 3. diſt. 3. art. 4.* ſic diſſerit: *Conſequenter quæritur de ſanĉtificatione B. MARIÆ Virginis, in quo ſtatu potuerit ſanĉtificari? Et circa hoc quæruntur plura. Primum eſt, an ante conceptionem fuerit ſanĉtificata? Secundum, an in ipſa conceptione? Tertium eſt, an poſt conceptionem ante infuſionem animæ? Quartum, an poſt animæ infuſionem?* Similia habet Albertus M. *quæſt. 3. art. 3. An caro Virginis fuerit ſanĉtificata ante animationem?* Eadem quærit Angelicus Thomas citatus à Manriqueo locô allegatô: *An B. Virgo ſaltèm ſanĉtificari potuerit ante animationem?* Hæc Doĉtores, Scholarum Capita, & quidem poſt tempora BERNARDI, ut mirum non ſit, controverſiam ſub BERNARDI tempora recenter natam, nec adeò tum diſcuſſam, qualis haud dubiè hodie eſt, in utramque partem habuiſſe Patronos. Hæc enim eſt rerum ſcholaſticarum conditio, quæ rerum ferè omnium, quòd dum naſcuntur, non ſtatim ſummæ ſint, ſed ſuas habeant ætates ac incrementa. Ridemus

Ma[illegible]riq. ad an[illegible] um. 113[illegible]. cap. 5

mus Viri ea, quæ fecimus pueri: Etiam Gentium Doctor olim infans olim parvulus loquebatur ùt parvulus: non eſt hoc infantiæ vitium, ſed conditio. Immeritò iraſcimur puero, quòd non ſapiat, non ſentiat, ſicut Plato. Ita eſt; ſententia de immaculata Virginis Conceptione, cùm primùm moveri cœpit, cùm primùm in ſcholis nata eſt, quodammodò informis fuit ac rudis, multis implicita inconvenientijs, quas tamen hodie nullas habet, poſtquam ſcilicèt per tot ſæcula à tot magnis ingeniis, tam eximiis lucubrationibus, tam authenticis Pontificum decretis exculta adolevit & crevit ad ſummum, ut propè nihil amplius expectet, quàm unam è Cathedra Pontificis vocem, quâ inter dogmata fidei ſubvehatur. Non igitur adeò à Lugdunenſibus peccatum eſt, quòd ſcilicèt religioſi in Virginem primam Ejusdem in utero Divæ Annæ conceptionem coluerint Sanctam; hoc enim tunc necdum plenè diſcuſſum admittebat iñoxios Aſſertores: & licèt id noſtro hôc ſæculô, ùt jam monui, extra controverſiam ſit, olim tamen in utramque partem diſputatum eſt. Videbatur quidem rationabilior negativa; attamen Lugdunenſes volentes placere Virgini, & DEO in Matre, præproperâ & præcipite in DEIparam pietate affirmativæ adhæſerant, contra quos graviſsimè inſurgens BERNARDUS & Feſtum & conceptionem ipſam acerrimè oppugnat, non illam quidem, ſub cujus nomine nos animationem ſeu animæ infuſionem intelligimus; ſed illam primam, quæ eſt confluxus ſeminis in utero. Excutienda ſtudioſè verba ipſa, & rationes Epiſtolæ: totus eſt BERNARDUS in eo, ut evincat Almam Virginem non fuiſſe ſanctificatam in utero in inſtanti conceptionis, dum in conjugali copula ſemen confluit ad formandum embryonem; impugnat ſiquidem conceptionem, quæ fit *cum libidine*, inter *maritalia oſcula & amplexus*, qualis ſola eſt in deciſione ſeminis, non in animatione; quia & ſinè libidine, & ſinè oſculis & amplexibus animam DEUS infundit corpori organizato. Altera BERNARDI ratio validiſsima eſt, quòd nempe *nequaquam potuit ante ſancta eſſe, quàm eſſe.* Semen, maſſa, embryo, caro, ſangvis, ex quibus formatum corpuſculum Virginis, non fuêre Virgo, ſed diſpoſitiones ad Ejusdem corpus: Quomodo igitur ſanctificari potuit, quæ non erat? aut quomodo in utero ſanctitas, ubi non fuit ſubjectum ſanctitatis, quale non eſt caro & ſangvis, ſed ſola anima?

Anima

Anima autem Virginis ſecundùm plauſibiliorem Philoſophorum opinionem primùm fuit infuſa die octuageſimô à ſuſceptione ſeminis: & tunc haud dubiè ſanctificata, cùm creata, cùm infuſa: quam animationem ſeu ſecundam conceptionem ſi vigeſimâ ſextâ Februarii, in quam illa incidit, celebrâſſent Lugdunenſes, non habuiſſent utique BERNARDUM adverſarium, ſed Patronum. Quòd autem ij primam illam conceptionem ſolemni ritu celebrârint ſanctam & illibatam, palàm eſt ex computu temporis, quia non prætacta diem 26. Februarij, quæ eſt dies animationis, ſed octavam diem decembris, quæ eſt dies infuſionis ſeminis, à qua novem integri menſes uſque ad Virginis Nativitatem intercurrunt, feſtivis honoribus immaculatæ Divæ conceptioni ſtatuêre celebrem. Corrigendi igitur à BERNARDO erant, qui ſub religionis ac pietatis nomine errorem auſi inducere in populum. Quòd ſi ex oppoſito inferas: Virgo ſecundùm BERNARDUM in prima conceptione non fuit concepta cum gratia, igitur cum peccato: BERNARDUS concedet primum, negabit ſecundum; quia antecedenter ad animam nihil in ſemine in embryone eſt Sanctum, nihil peccaminoſum: Sola anima eſt ſubjectum aptum natum, cui inſit & gratia & peccatum; embryo utriuſque denominationis eſt prorsus incapax: non ſecùs ac lapis capax non eſt denominari videns, nec habere privationem visûs. Habet tamen ea BERNARDI Epiſtola nodum, qui hìc evolvendus eſt: citandus recitandúsque textus ipſe, ut nodus appareat: *Quomodo potuit*, arguit Sanctus Doctor, *peccatum deeſſe, ubi libido non defuit?* Igitur Virginis prima conceptio quia non ſinè libidine ex parte Progenitorum, ità non absque peccato ex parte Virginis conceptæ. Ita quidem, ſed temerè. Non maculant hæc BERNARDI verba ullatenùs illibatam Virginem nè quidem in ſemine, ſed fortè minùs bene intellecta Virginis Parentes, in quibus quia libido fuit, etiam peccatum fuit; hoc enim ex illa BERNARDUS dicit, ducítque conſectaneum. Explicandus cum verbis BERNARDUS eſt; Neque enim conceptioni paſsivæ ſeu ipſi ſemini, quia ſubjecto incapaci; neque conceptioni activæ, ſeu actui conjugali, quia rei inter Conjuges de ſe licitæ Sanctus Doctor ullam aſperſit maculam ſeu peccatum; ſed præcisè intelligendus eſt de copula conjugali, quam peccatum vocat non in ſenſu *formali*, verùm duntaxat *radicaliter*, *tra-*

ductivè & transfuſivè. Tametſi enim carnalis copula inter Conjuges abſque ullo omninò peccato habeatur, eſt tamen quædam *radix*, & quidam quaſi *canalis & aquæductus*, per quem peccatum originis in Adæ poſteros transfunditur. Quòd ſi dicatur, peccatum afficere conceptionem paſſivam, ſeu ſemen ipſum, veráſque eſſe Theſes Pſaltis Regii, & gementis Jobi: hominem *concipi in iniquitatibus, in peccatis, ex ſemine immundo*, ſtandum eſt expoſitioni Divi Alſelmi, qui aſſerit, hominem dici concipi in peccatis, non eô ſenſu, quòd in ipſa conceptione peccatum contrahat, cujus pro illo embryonis ſtatu necdum eſt capax; ſed quia per communem generationis carnalis viam contrahit debitum ad peccatum: Eô ferme modô, quô divina illa comminativa propoſitio Adæ facta verificata eſt: *In quacunque die comederis, morte morieris;* cùm utique eâ mox die quâ pomum comedit, Adam mortuus non ſit, ſed tantùm debitum moriendi contraxerit. Sic nos omnes concipimur in peccato originis, id eſt, contrahimus debitum ad peccatum originis, quod Theologi vocant *remotum*, quale etiam quidam ex ijs, qui immaculatæ Virginis Conceptioni aſſerendæ ſeſe juramentô obſtrinxerunt, in prima Ejusdem conceptione admittunt, quòd ſcilicèt DEIpara, ac cæteri omnes communi naſcendi viâ originem ex carnali Parentum conjunctione habuerit; Non habuit tamen Alma Virgo debitum peccati *proximum*, quia à DEO per privilegium præſervata. Et ſecundùm hanc debiti proximi & remoti diviſionem iterum explicandus BERNARDUS in Epiſtola, dum omnes in peccatis conceptos eſſe aſſerit, *unô exceptô Chriſtô;* quia nempè is ſolus, utì ibi Sanctus Doctor ſubinſinuat, conceptus à Spiritu Sancto communem naſcendi modum ſupergreſſus, neque remotum neque proximum peccati originis debitum contraxerit. Dandus Filio honor, ſed non neganda Matri reverentia: Neque hanc negat MARIÆ BERNARDUS, & Filio & Matri devotus, ſed cum judicio & diſcrimine; Regulam enim, quam Lugdunenſibus dictaverat, etiam ſibi præſcripſerat, ſcilicèt, *Honor Reginæ judicium diligit.* Et Filius & Mater judicio BERNARDI immunes à peccato originis, ſed jure planè diverſô; Filius jure communi, quia non natus communi mortalium viâ, Mater ex gratia & privilegio Filii, quia Judice Subtili Scoto & ſic *deceret, & non repugnaret.* Honor Reginæ minor honore Regis Filii, quia Filius nullum

Pſal. 50. Job. 14.

L. de conceptu Virg. & pecc. Orig. c. 3.

lum omninò peccati debitum, illa ſaltem remotum contraxit; Major verò honore Sanctorum omnium, quia hi omnes obnoxii utrique peccati debito & remoto, & proximo, MARIA ſola unica obnoxia quidem remota, exempta tamen & præſervata eſt à debito proximo: ità ut non incongruè hic Reginæ honor minor honore Filij, & major honore Sanctorum ſub famoſa ac celebri *Hyperduliæ* nuncupatione veniat rursùs commemorandus. Ità crediderim BERNARDUM reconciliatum immaculatæ Virgini, cui non ſuô calamô, ſed alienô vitiô putabatur fuiſſe offenſus. Et quia cum BERNARDO Patre communis ſit omnium Ciſtercienſium mens ac ſenſus, facilè cuivis perſuaſerim, quatuordecim illos Doctores ex Ordine Ciſtercienſi, quos *Vincentius Bandelus in Tract. de Concept: c.* 22. atque ex ipſo *Medina* 3. *p. quæſt:* 27. *act.* 2. citant, ſtetiſſe atque ſcripſiſſe contra immaculatam Virginis conceptionem non alijs armis vindicandos eſſe, quàm BERNARDUM ipſum, quòd videlicèt non armaverint ingenia & calamos contra Virginis animationem, pulcherrimô BERNARDI exemplô, ſed præcisè contra primam illam & in rigore dictam conceptionem, quam quidem aſſeruêre peccato obnoxiam, eô tamen ſenſu, quô BERNARDUS, id eſt, debito peccati, non proximo, ſed remoto, quod ipſæ hodie ſcholæ & Pontificum Bullæ neutiquam damnant, ſed dum diſſimulant, probant. Quare non tam calumnia eſt, quàm error in Scholis ſacris notorius Nicolai quondam BERNARDI in Clara-Valle Notarii, qui Mellifluo Parenti neſcio undeunde offenſus confinxerat, BERNARDUM poſt mortem apparuiſſe glorioſum quidem ſed in pectore notatum maculâ, eò quòd Virginis immaculatam Conceptionem oppugnaverit. Damnabilis inſania! gloriam Electorum nævis ac maculis reddere infamem. In reprobis quærendæ ſunt malæ illæ Notæ, quas tota æternitas nequaquam eluet. Non Cœlum non BERNARDUM hâc maculavit inſaniâ Nicolaus, ſed ſeipſum. Nil contra Immaculatam Virginem peccavit BERNARDUS, nisì quòd *Falſos* ei *honores* detraxerit, quòd non delictum eſt, ſed beneficium. Non Eccleſia Virgini, non Virgo ſibi ipſi cultum exigit, qui conceptioni, ſed qui impendatur animationi, alteri contrarius Sanctus Doctor, contra hanc nec apicem ſcripſit: Unde visâ quãprimũ Bernardi Epiſtolâ Pariſienſium Univerſitas oppoſitam opinionem erroris condemnavit,

Bern. in Epiſt. contextu.

vit, quòd auſa ſanctificare Virginem, cùm necdum eſſet, & gratiam miſcere ſemini, quæ ſola inhæreret animæ. Et quantumvis BERNARDUS hodiedum ſuos habeat in hoc puncto *Nicolaos*, verumtamen etiam ſuos habet Vindices, geminos è Societate Hercules, *Bellarminum ac Gregorium de Valentia*, qui noſtrâ ætate genuinum ſenſum Sancti Doctoris attingentes non Virginem modò, ſed & Optimam Virginis partem Bernardum vindicârunt à macula. Maneat igitur ſua Bernardo DEIpara, ſed ſinè macula: & maneat ſuus Virgini Bernardus, & idem ipſe ſinè macula: & hic calamus paululùm ab hiſtoria in apologiam digreſſus ac devius revocandus eſt ad lineam.

Bellarm. de amiſſione gratiæ L. 4. c. 16. Greg. de Val. part. 2. diſp. 6. punct. 2.

Non potuit BERNARDUS Reginæ Angelorum eſſe familiaris, quin & faceret & haberet *Angelos* ſibi ſuíſque pariter familiares. Viderat aliquando Pater Sanctus in nocturnis Vigilijs juxta ſingulos Monachos ſingulos aſſiſtere Angelos, pulcherrimâ haud dubiè inter utroſque Societate; quod enim illi in Cœlo, hoc Monachi in Choro: & quia non diſtincti officiô, ſed tantùm diſcreti locô, ideò neque diſtinguendi nomine, utrique eâdem compellandi nuncupatione, *angeli terreſtres* hi, *cæleſtes illi*. Jucundum erat Bernardo ſpectare tot Cœleſtium Spirituum centurias inter ſuos morari Clara-Vallenſes, & velutì jam ſocios optare, quos ſuſcepiſſent Clientes. In uno perplexus hæſerat Bernardus, quòd plerique Angeli quaſi ſinguli Notarii ſummâ induſtriâ in Schedis notarent pſallentium verba, cantum, zelum: Nulla omninò Syllaba tam modica, tam etiam perfunctoriè prolata, quæ minùs notata ſubterfugiſſet induſtrios hos Notarios. Sed modus ſcribendi non omnibus idem; quidam enim ſcribebant aurô, alii argentô, nonnulli atramentô. Edoctus per Tutelarem ſuum Bernardus eſt, eam Scripturæ diſcrepantiam oriri à majori vel minori pſallentium fervore, nullúmque eſſe verbum tametſi languidè aut oſcitanter in divinis laudibus prolatum, cui non ſua olim rependenda foret merces. Vice aliâ eosdem Angelos, quos nuper viderat *Notarios*, mutatô officiô conſpexit *Monitores* ſeu Excitatores; dum namque Feſtivus ille Hymnus Ambroſianus *Te DEUM laudamus* in Choro cantaretur, ijdem cœleſti fulgore decori multâ ſolicitudine ac celeritate Chorum percurrentes, modò hunc modò illum alacres urgebant, ut Divinus

vinus ille Jubilus generoſâ cantione, atque præcipuô animi fervore decantaretur. Habuit ex eo tempore Pater Sanctus Seraphicum illud Ambroſij & Auguſtini Canticum in delicijs & veneratione ſummâ: Unde aliquando in ejusdem modulatione viſus ab omnibus in Choro quot penè Syllabas, tot flammulas è labijs eructare, quæ proderent novum in Bernardo latere ſeu Seraphinum ſeu Auguſtinum, qui flammas non ſpargeret in labia, niſi eædem perenni incendio flagrarent in pectore. Et quia vera inter amantes amicitia ægrè fert ſilentia, erumpit fitque vocalis, quoniam ex Auguſtino cantare amantis eſt: utrumque expertus Bernardus in Angelis, quos & amantes & cantantes habuit. Nocte quâdam dum vigilando & orando bonam noctis partem exegiſſet Pater Sanctus, jámque languentes palpebræ caderent, & ſomnum urgerent, ad quietem ſe compoſuit; Sed mox à ſuaviſsimo Angelorum concentu tranſeuntis multitudinis copioſæ excitatus eſt: & quaſi ijs tranſeuntium vocibus evocaretur abeuntes inſecutus non priùs ſubſtitit, quouſque Cœleſtes illi Orphei in loco tunc adhuc ſpinetis ac ſenticetis impedito ſubſtitiſſent. Stabat cum illis Bernardus inter ſpinas medius, non ſentiens aculeos, cui harmoniæ ſuavitas ademiſſe videbatur ſentiendi facultatem. Statio ſuper omnes, quæ nunc Romæ ſunt, magnifica, & Bernardo præſertim jucunda, quòd Cœleſtes illi Genii inſpectante & auſcultante Patre Sancto in duos Choros diviſi alternis aliquamdiu verſibus Monachos in Choro imitari viderentur. Quot Angelorum voces, tot futurorum eventuum præſagia, quæ Bernardus tunc primùm intellexit, cùm poſt annos aliquot translatis ædificijs novam Claram-Vallem eo ipſo in loco, ubi nuper Angeli ceciniſſent, ſurgentem vidiſſet.

Ratio oppoſitorum non modò apud Philoſophos, verùm etiam apud Bernardum eadem: quantùm Bernardus familiaris Angelis, tantùm terribilis inferni monſtris: Nomen quod filijs, quod ſervulis mellifluum, dæmonibus objecit terrificum, nomen in Eccleſia promeritus magnificum ac glorioſum, ut communi voce diceretur *Terror dæmonum.* Damnatæ illæ barathri larvæ fugere conſueverant non ipſum modò Bernardum, ſed inſuper res quas Bernardus ſeu benedictione ſeu uſu ſacraverat. Energumenorum ab ingrato Orci hoſpite vindicatorum ſeries

magna & ampla his foliis ſe claudi non patitur: Quare unô elogiô, quod *Anni Ciſtercienſis Author* tam Eximius quàm *anonymus 22. Auguſti* Bernardo contexuit, materiæ hujus amplitudo in compendio abſolvenda eſt, quòd ſcilicèt Bernardus *in hoc genere* triumphandi dæmonia, *vix habuerit ſibi parem*: non ſolâ poteſtate Sathanam torquere ſolitus, ſed inſuper ingeniô, ut victoria eò foret delectabilior. Vocaverat Innocentius II. BERNARDUM Romam exſcindendis Schiſmatis reliquiis perneceſſarium. Nè autem Pater Sanctus adeſſet in tempore, dæmonis aſtu in Alpibus fracta eſt rota in curru, quô Vir Sanctus vehebatur. Non turbaverat hæc hoſtis petulantia BERNARDUM, ſed nè primò alius expectandus eſſet Carpentarius, imperiô dæmonem compulit, ut fractæ rotæ circulum in pœnam ſuppleret ipſe; ſicque Bernardus felicibus, quia Dœmonis triumphati atque in rotam inflexi auſpicijs Romam devectus eſt.

Exord. Ord. Ciſt. L. 2. cap. 7.

Mutavit ſtylum BERNARDUS, dum agendum eſſet cum defunctorum animabus, quæ è flammis piacularibus ad eundem quaſi ad communem Patrem ex altero Orbe frequentes redirent. Non expectabat ille, donec redirent, ultrò preces & ſacrificia quaſi bis daturus beneficium, pro defunctis offerre ſolitus. In Celeberrimo propè Urbem Cœnobio *SS. Vincentii & Anaſtaſij*, vulgò *Trium Fontium* Oratorium ſive Ædes Divæ Virgini Sacra eſt, in qua dum Pater Sanctus ſub INNOCENTIO II. ſacrificium incruentum offerret Altiſsimo, vidit pulcherrimô ſpectaculô: Cœleſtes Genios è Cœlo alacres per Scalam in Purgantis fornacis flammas deſcendentes, indéque animas ſecum è ſupplicijs ad refrigerium in ſublime trahentes. Felicior utique BERNARDUS Jacobô Patriarchâ! qui Angelos, quos aſcendentes deſcendentéſque olim vidit, è Cœlo non evocavit, non detraxit, Spectator duntaxat, non Imperator: Bernardus eos ipſos, quos in Scala ſpectavit, è Cœlo evocavit, & animas quas illi manu, BERNARDUS ore, lingvâ, prece è pœnis exemptas ad Cœlos evexit. Obtinuit exinde Sacer ille locus novam nuncupationem dictus in memoriam cœleſtis illius ſcalæ à Mellifluo Doctore viſæ, *S. MARIÆ de Scala Cœli*, cui Pontifices Summi perenne conceſsêre privilegium, BERNARDI exemplô ac meritô per incruentæ hoſtiæ immolationem è piacularibus incendijs extrahendi afflictas animas. *Hoc BERNARDO* Patri quò frequen-

In Notitia Abbatiarũ Ciſt. Gaſp. Jongelini. & Scriptoribus Vitæ Bern.

frequentius, eò admirabilius, morientibus imponere imperium, ut ſi quâ poſt obitum ope indigerent, eam reduces peterent: Datum ſcilicèt è paucis BERNARDO privilegium, ut Ejus præcipiendi authoritas per mortem minimè extincta Salva ſtaret etiam poſt fata.

Quot verò quantáve in mortales reliquos, totúmque Orbem Chriſtianum ſtylô, prædicatione, oratione, miraculis profuderit beneficia, nullis quantumvis per tot ſæcula fatigatis calamis pro dignitate explicari poſſe, nemo BERNARDO dignus cliens ac Cultor ibit inficias. Stylus ejus tam divinus tam ſacer, ut à Sacris Biblijs diſtingui vix poſsit. Verba Sancti Doctoris vix alia quàm verba Sacræ Scripturæ, ut ſi novô Evangeliſtâ eguiſſet Eccleſia, non tam Martinus ille à Catharinæ amplexibus, quàm Bernardus à DEIparæ uberibus ad ſacerrimum hoc munus, quod nec carnem, nec ſangvinem, nec Catharinam ſapit, fuiſſet accerſendus. Quòd ſi comparationem inſtituas cum reliquis Patribus, incrementis gloriæ Bernardeæ adjicies quàm plurimùm: quia nimirùm in univerſo Sanctorum Patrum Doctorúmque Collegio ſolus fortè BERNARDUS ſit, qui dum verbis plerúmque ſuis loquuntur alii, ille non aliô quàm ipſius Sacerrimi Codicis ſeu ſtylô ſeu labiô ſcribere aut loqui videatur. Obſervavit idipſum, atque veraciter de Bernardo pronunciavit *Michael Neander* Heterodoxus, tam Eccleſiæ quàm Bernardo alioquin infenſus, ſed Melliflui divinique in Bernardo eloquii Patronus an Encomiaſtes: *BERNARDUS*, ſcribit ille, *Scripturam adeò fecerat ſibi familiarem, ut mera Scripturæ Verba loqueretur.* Non ideò quæſita ab hoſte ab extraneo hæc veritas, quia domi ea non haberetur; Sed quia quæ hoſtes in æmulis laudant, ſinè fuco ſinè aſſentatione laudare ſolent: Et quemadmodum hi ipſi ſunt ſuſpectæ fidei, ſi in hoſte quærant, damnéntque vitia, ità ſuſpecti minùs, ſi prodant in æmulo laudéntque virtutes. Addendus Neandro *Lutherus* citatus apud Petrum Caniſium, qui terminis generalibus ac magnificis Bernardi ſtylum ac mores deprædicat, quòd ſcilicèt *unô BERNARDO meliùs nec ſcripſerit, nec vixerit quisquam in univerſo cœtu Monachorum.* Neque minùs honorifica *Calvinus*: *BERNARDUS Abbas in Libris de Conſideratione ità loquitur, ut Veritas ipſa loqui videatur.* Mitto teſtimonia domeſtica propè innumera, & undique

Præfat. ad Gnomolog. Græcorum.

Mariai. L. 5. c. ...

L. 4. Inſtit. c. 11. §. ...

In Bulla Canoniz.

obvia: unum duntaxat elogium, quô Alexander III. BERNARDI in prædicando zelum, fervorem, fructum mirificè extollit, hìc ſinè nota ſinè culpa vix omittendum. Aſſerit itaque Alexander, & quia è Cathedra, fide indubitatâ: Nullum ferè terminum Sanctæ Chriſtianitatis eſſe tam diſſitum, tam longinquum ac barbarum, quò non ſeu verbô ſeu exemplô penetraverit Bernardus, *infinitam eorum multitudinem eſſe*, quos BERNARDUS à vijs ſæculi ſeu ad frugem converterit, ſeu poſt ſe ad clauſtra traxerit. Standum Pontificis termino, infinitos eſſe, nec numerô circumſcribi poſſe, qui BERNARDO fidem, ſalutem, imò Cœlum debeant. Sola ego hìc numero 160. Cœnobia, quæ BERNARDUS è ſinu ſuo fœcundus Patriarcha effudit, 80. quidem immediatè per ſe, alia verò 80. per filias, neptésque: ut profectò Patronymico longè digniſſimô Ciſtercienſes à non paucis credantur dicantúrque à *BERNARDO Bernarditæ*; id enim Pater Sanctus à ſuis, quos per Orbem propagavit, meruit, & hi eâ nuncupatione minimè offenſi gaudent ſe dici, quot ſunt.

Non longè à ſe diſtant *Patriarchæ* nomina ac *Prophetæ*, ſubjunxit hoc illi in Litanijs Eccleſia, neq; ego hæc duo in BERNARDO disjungo, & quem profundiſſimè deveneror Ordinis propagatione *Patriarcham*, eundem devotiſſimè ſuſpicio futurorum prænotione *Prophetam*. Ipſe ſibi ſuus, Matríque adhuc in utero Vates ſub imagine catuli multa præſagiens Eccleſiam docuit, quòd Bernardum *DEI gratiâ* Prophetam naſci oporteat, non fieri. A puero aſſuetus viſionibus quandam Divinitatis ideam Orbi exhibuit. Id præ cæteris jucundius, quòd multis, & quidem Viris illuſtribus prædixerit, ſe Monachos futuros in Clara-Valle, quod tamen ipſi vitæ genus ſummè averſati nìl minùs eſſe volebant, quàm Monachi; at verò illi ipſi ſui metamorphoſin demirantes vix aliquando nocte unicâ interpoſitâ mentem, ſtatum, habitum apud BERNARDUM mutârunt facti Ciſtercienſes, quales aliquando fieri totis viribus repugnaverant. Unus è multis ſtupēdæ hujusmodi metamorphoſeos teſtis *B. Maſcelinus* Vir Eccleſiaſticus, qui Bernardo Legati Apoſtolici munere fungenti, atque Anno 1133. in Germaniam properanti ab Alberto Archi-Epiſcopo Moguntino miſſus obviam, cùm in ſalutationis obſequio ſe à Domino ſuo miſſum eſſe aſſereret, à Bernardo præter omnem expe-

expectationem interpellatus eſt, ac monitus, errare ſe, ab alio enim Domino ſe miſſum, cui deinceps eſſet ſerviturus. Non ſatìs attentâ aure Patrem Sanctum ſermonibus ſuis intendiſſe ſuſpicatus Maſcelinus, à Domino Archi-Epiſcopo ſe miſſum eſſe, cujus nomine lateri Ejus hærere deberet obſequioſus, expreſſiùs inſinuavit. Repetivit eadem, quæ antea Pater Sanctus, addidítque, *Falleris*, ait, *major Dominus eſt*, *qui te ad me miſit Chriſtus.* Ex hoc verbo jam Maſcelinus paulò doctior, Monachatum ſibi offerri, obtrudi intelligens, manibus pedibúſque renitens, publicâ proteſtatione ſui ſecurus, quòd nunquam eſſet futurus Monachus, ſermones Sancti eluſit: *Putáſne*, inquit, *quòd Monachus fieri velim? Abſit à me*, *non cogitavi*, *neque deſcendit ſuper cor meum.* Nîl Bernardum movit audax Viri reluctatio, ſed pacatè priora confirmans reſpondit: *Licèt modò nolis*, *fiet tamen.* At ſurdis quidem tunc auribus canebatur non fabula, ſed hiſtoria, ſed Prophetia; inclinatâ namque ad veſperum die, dum jam Moguntia in oculis eſſet, ſenſit Maſcelinus ſe mutari penè ſinè ſe, una Clara-Vallis à Bernardo ingeſta primò quidem moleſtâ ſui imagine, ac tandem, cùm DEO ac Bernardo vocanti reſiſtere non poſſet, neque vellet, animum, voluntatem, deſideria, vota denique omnia triumphaverat. Eâdem igitur die ſæculo vale fecit, ac deinde cum pluribus è Germania Viris doctrinâ & nobilitate conſpicuis Bernardum ad Claram-Vallem ſecutus vaticinia Patris Sancti ſanctiſſimâ converſatione implevit.

Claudendus jam in Sua Clara-Valle BERNARDUS, & quidem maturus cœlo & tumulo, clauſulâ ultimâ, quæ qnia Bernardo per omnem vitam deſideratiſsima, non mors dicenda eſt, ſed poſt tot illuſtres victorias pulcherrimus triumphus. Annus 1153. BERNARDO in humanis fuit ſupremus, qui inter ingentia miracula maximum ipſe Medicis ac Orbi fuit miraculum, quòd quotidie inter carnis afflictationes moriens, vitam tamen uſque ad annum ætatis ſuæ ſexageſimum tertium prorogaverit.

Sed ſic Sancti quotidianâ morte diſcuut
vivere æternùm!

BER-

BERNARDUS.

QUot hìc *apices*, tot vides *apes!*
Hoc Nomen ex *flore & melle*
Compoſuêre *apiculæ*,
Tam *floridum* tam *dulce* eſt!
Dictum eſt antiquis,
Meminiſſe dulce eſt, quod fuit durum;
Melleæ huic ætati
Meminiſſe dulce eſt, quod fuit Dulce:
In uno Bernardo
Geminata mella ſunt.
Meminiſſe Bernardi non potes, non debes,
Quin in mella diffluas!
Bernardus Theophilo Raynaudo è S. J.
Apis Gallicana eſt.

In Auctuario ſive Tomo VII. Operum S. Bernardi.

Aliquid *dulcius de BERNARDO* Theophilus loqui potuit.
Melius & *mollius* aliquid
In BERNARDI laudes è *ſtylo* ſuo *ſtillare* debuit, ſcriberéque
BERNARDUM
Mella Gallicana!
Eſt quidem Bernardus etiam extra Gallias
Melleus;
Attamen in ſua Gallia
Super mel & omnia
Ejus dulcis præſentia!
Dic Theophile *Galliam* tuam *Apem*
Etiam *aculeô* nuper *per bella armatam*:
Ego in hac Ape non alia legam *mella*,
Quàm *BERNARDUM melleum.*
Optima apiculæ portiuncula *Mel!*

Opti-

Optima Galliæ Portio *BERNARDUS!*
Grata apis, ſed cum melle;
Grata Gallia, ſed cum Bernardo.
Apis vitam perdit, ſi aculeum,
Gallia vitam amittit, ſi hæc mella.
Optabiùlis utique illi aculeum perdere quàm mella.
Ite! jam Vos Bernardæi alumni,
Et *lambite* hæc mella,
Eſtis omnes *Lambertini!* *Videatur Breviar. & Direct. Ciſterc. de Miſſis Lambertinis.*
Et hinc fortè tam Dulcis apud Vos
Annua *Lambertini* memoria.
Lambite mella, *melleì* Vos *Lambertini!*
Patrem habetis melleum,
Lambite! imò *ſugite mel de Petra*
Veri Iſraelitæ!
In quibus *nec dolus* nec *fel*, ſed *favus* & *mel.*
Sugite! At priùs diſſolvite Patrem
Per anagramma,
Et idem erit ſugere mel de *Petra*, *Deuter. 32.*
Ac mel de *Patre.*
Sed quomodo *BERNARDUM Patrem ſugent filij*,
Si *Mater* non eſt, & *ubera non habet?*
Audite Filij?
Non eſt Bernardus ſinè uberibus,
Quæ ipſi *cum lacte Virgo Mater dedit.*
Mel & Lac ſub lingva Ejus! *Cantic. 4.*
Patrem ſe exhibet in *Melle*
Matrem in *lacte!*
Novô gratiæ Ordine *ubera* habet *ſub lingva.*
Sugite hanc lingvam, hæc ora, hæc labia,
Ab eloquio mellea,
à MARIA lactea!
Non latet ſub Bernardi *favis*
Ullus aculeus
Quô olim inſigniter *puncti compunctique*
In Aquitania Guillelmi, In Sicilia Rogerii,
In Campania Petri Abailardi, in Pictavia Gilberti Porretani,
Quos Bernardus tunc etiam pro Eccleſia *armata apis*

Dd Dum

Dum pupugit, ſanavit!
Exuit aculeum, cùm hominem,
Deſijt & *vivere* & *pungere.*
Et quos *pungeret*, niſi *hoſtes?*
Bernardi hoſtis es, ſi Bernardo hoſtem quæris:
Omnes Bernardi aut clientes ſunt, aut Encomiaſtes.
Etiam qui Eccleſiæ & Patribus bella moverunt Hæreſiarchæ,
Vix unquam hoſtes læsêre Bernardum.
Non potuêre ſcilicèt iraſci Viro,
Qui *nulli malus* fuerit,
Omnibus melleus.
Tu mi Lector!
Tenta etiam Bernardum.
Guſta & Vide!
Quàm tibi *ſapiant* Viri *mellei mella*,
Quæ *Salvator* & *Virgo*
Duplici Flore
Rubeô & candidô
Ex *Vulnere & ubere*
Composuêre.
Satís ſapis,
Si ea capis,
Quæ ſcripſit Clara-Vallenſium Apis
BERNARDUS.

TITU-

TITULUS V.
CISTERCIENSIUM GLORIA É BERNARDI ILLUSTRI FAMILIA PENE TOTA CISTERCIENSI.



A John offecq del: B:v: u: Scul:

INgens BERNARDI gloria! quòd tot tantísque per Orbem Filijs datus in Patrem, in Patriarcham; major, quòd datus in Patrem Fratribus; maxima quòd Teſſelino Parenti mutatâ ſcenâ factus ſit in Clara-Valle in ſpiritu Pater. Non jam Tullio magnum,

ac eximium, compellari à Romanis Patrem Patriæ; id enim cum Tullio jam commune pluribus in uno Bernardo decreſcit, nihílque ſingulare eſt, qui penè ſinè exemplo non modò Pater Patriæ, Orbíſque univerſi, ſed ipſiusmet Patris factus Pater Romani Tullij elogia in ſe uno complexus, ac inſuper longiùs ſupergreſſus, novâ geneſi fratres germanos, Humbelinam ſororem ac Teſſelinum Parentem ſibi genuit Filios, Ciſtercio alumnos, Cœlo Cives. Repetenda explicatiùs pulcherrimæ Geneſeos exordia, quæ quia rara placere debeant, cùm omitti non poſſint. Bernardo ſecundùm carnem (quidni etiam, & quidem meliùs, ſecundùm ſpiritum?) dati à DEO, à natura, à gratia Parentes nobiles, fœcundi, pii, laudati ſuperiùs, *Teſſelinus* Pater è *Comitibus de Caſtellione*, *Aleidis* Mater è *familia Safrenſium*: è quibus natæ proles ſeptem, Viriles ſex, *Guido*, *Gerardus*, *Bernardus*, *Andreas*, *Bartholomæus*, *Nivardus*, filia unica *Humbelina*: Filij futuri omnes cum Bernardo Ciſtercienſes; Humbelina Villeti ſumptura velum, ac Sanctimonialium Ciſtercienſium futura prima Mater, ac Fundatrix.

In Vita Bern. cap. 1.

Obiit circa Ann. 1131.

B. TESSELINUS Pater non aptiùs laudandus, quàm verbis Alani Epiſcopi Antiſſiodorenſis: *Pater Ejus Teſſelinus Vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, Cultor DEI, juſtitiæ tenax. Evangelicam namque ſecundùm inſtituta Præcurſoris Domini militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendijs ſuis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic conſiliô & armis ſerviebat temporalibus Dominis ſuis, ut etiam Domino DEO ſuo non negligeret reddere, quod debebat.* Elegans ſanè epitome ac idea Militis Chriſtiani! Ita eſt: non debuit niſì è Milite naſci Bernardus, qui Orbem Orthodoxum eſſet armaturus contra Saracenos, clauſtra & Cœnobitas contra carnem & dæmones. Labente Annô reparatæ humanæ ſalutis 1113. dum Bernardus Claſſicum pro Ciſtercio caneret, videbantur ſpes omnes, quibus Teſſelinus Filios ſuos ſeu aulis ſeu armis deſtinaverat, veluti unô ictu præcidi, orbatus die unô filijs quinque, Aleide Conjuge jam ante è vivis ereptâ. Relictus Patri Seni Nivardus puer, & Humbelina filia, quæ una tamen pro Patre eloquentiſſima gemens ploránſque abeuntes cum Bernardo fratres interpellabat: non placere nempe Numini pietatem, quâ forent in Parentem crudeles: non ideò tantis impendiis ac curis à Patre alitos, ut gubernandæ Familiæ ac Reipublicæ jam matu-

maturi omnes unô ſeu conſiliô ſeu vitiô Senem derelinquerent: Non eſſe hæc ſolatia, quæ Pater à Liberis uſque ad canos ſperaverit aut meruerit: Majora utique debere filios Genitoribus, quàm quæ ab eis acceperint. Furti genus eſſe, ſubtrahere ſe Parentibus, cùm maximè ijsdem nos deberemus. Virginem imbecillem ſexu, Nivardum impotentem ætate dari Seni in ſolatium, in opem, neque pietatis eſſe neque prudentiæ. Hæc aliáque inter lachrymas & zelum affectuoſiſſima pro Teſſelino Humbelina: Ille interim ſuô ipsô, quô ad filiorum preces obriguit ſtupore ac ſilentiô viſus eis fari majora, ac quia adhuc Pater, penè jubere. Non alijs coloribus pingendus nobis perplexus Senex, quàm quibus eundem expreſſit doctiſſimus Manriqueus: *Obriguêre actus, ſpiritusque, & faucibus atque oculis hærentes vox & læchrymæ ferè exanimem Teſſelinum indicabant.* Indubitatum proinde eſt, Patrem Teſſelinum tuliſſe graviſſimè ſimultaneam illam quinque filiorum jacturam, non quia invideret eos Ciſtercio & Cœlo, ſed quia hujusmodi avulſio fieri vix aliquando poteſt absque doloris ſenſu: Ipſum Patris nomen mixtum filiorum ſangvini filios abire non patitur, quin ſentiat Pater, doleátque, aliquid ſui ſibi deperdi. Longè alia Teſſelinus olim miles aſſuetus ferre vulnera, quæ non filij inflixiſſent, ſed hoſtes: hodie ſauciari à filijs, & in animo, ea ſcilicèt hominis parte, quæ ſentire maximè poſſet, Patri Seni grave nimis. Non vitium eſt, cum dolore ſeparari ab eo quod diligimus, ſed amoris conditio. Officium Patris implevit Teſſelinus, dum filios cum dolore dimiſit: Officium Chriſtiani, dum eos violenter vocanti DEO non abſtraxit, non tenuit. Reſumptis itaque viribus pientiſſimus Pater ſupremam Filijs benedictionem impertiens in ſingulorum amplexibus teneriùs hærens jam ipſe non indulget modò è mundo abitum, ſed inſuper urget. Notanda hìc diſcendáque duo, unum à Bernardo, fratribúsque, à Teſſelino alterum: à Bernardo quidem, in vocationis negotio ſalutandos, rogandósque eſſe Parentes, ut conſentiant; à Teſſelino verò, ut Parentes etiam cum Familiæ propapagandæ diſpendio filiorum vocationi nullatenùs obſiſtant. Atque hæc obiter. Evolutis deinde à Bernardi, ſociorúmque diſceſſu annis aliquot, dum jam Bernardus Abbas eſſet in Clara-Valle, & Nivardus atque Humbelina Patrem ſolum domi reliquiſſent, hæc quidem data nuptui; ille verò fratres ſecutus ad

Ad ann. 1113. c. [illegible]

eremum, Teſſelinus hortatu Bernardi pulcherrimô Filiorum exemplô Claram-Vallem properavit, atque tot jam annis tot liberis grave nomen Patris ſtupente Orbe abdicans cum Ciſtercienſi habitu nomen Filii ſub Bernardo Patre induit: ubi non multò poſt inter amplexus Bernardi ſui vitam piiſſimam clauſit, per Filium in immortalitatem regeneratus.

Obiit Anno 1105. Sanctiſsima Bernardi Mater ALEIDIS priùs è vivis ad gloriam excesserat, quàm Bernardus, cæteríque filij è ſæculo ad Ciſtercium, futura haud dubiè idem quod filij, quod filia, quod maritus, quod frater germanus Galdericus, ſi ſupervixiſſet; tametſi interim Clara-Vallis, Ciſtercium, Eccleſia nulli tam debeant Bernardum ſuum, quàm pientiſſimæ Matri Aleidi; illa etenim in unum id ſemper ſollicita, ut à teneris filios non innutriret delicijs, ſed velutì futurorum præſcia Ciſtercii rigorem à primis ungviculis eosdem vel ipsâ educationis auſteritate edocebat: nullis ciborum lauticijs uſpiam paſſa filios emolliri, ſed contra ſtylum nobilium cibis groſsioribus ac communibus eos paſcens, ut penè jam eſſent Ciſtercienſes, antequam Ciſtercium per ætatem nôſſent, & prima Ciſtercii tyrocinia viderentur in domo Paterna ſub ſancta Aleidis inſtitutione hauſiſſe. Et verò nihil magis illa optabat, quàm ut filios non tam ſibi, Familiæ, ſæculo, quàm DEO, religioni, clauſtris pareret: unde ſingulos mox poſt partum manibus proprijs DEO offerens videbatur jam tunc votis & affectu facere Monachos: atque nè fortè alienô lacte Sanctæ illæ Matris ſpes in filijs extingverentur, ſingulos illa præter Illuſtrium Fæminarum morem proprijs uberibus lactans cum ipſo lacte pietatis ſenſum teneris eorundem labijs ac præcordijs inſtillabat. Neque tantùm Mater erga Filios; verùm etiam erga egenos Patrona, & quod mireris in Matrona nobili, etiam ancilla. *Gundiſalvô de Silva* Aleobacienſi Authore id aſſero, qui in *compendio vitæ S. Bernardi* L. 1. c. 4. penè ſingula pietatis officia complexus Aleidem eximiè hiſce laudat: Solitam ſcilicèt crebrò *Adire Divionem, circuire domos, pauperes inquirere, præcipuè infirmos, ſive aliàs per ætatem defectos viribus, & his ſtramina, illis veſtes integras, alijs cibaria, medicamentáque largiri, ſingulis neceſſaria providere. Nec per miniſtros iſta, per ſeipſam, & quod mireris, ſinè ancilla, ſinè Comite per Xenodochia diſcurrere, & viliſſima quæque munia ibi exercere.* Talis illa

illa filijs, egenis, ægrotis; ſibi verò quò rigidior eò ſanctior, & quò vitæ termino propinquior, eò ferventior. *Guillelmus* in Bernardi *vita* L. 1. c. 1. hæc de Aleidis ſanctitate poſteritati ſcripſit: *Etenim in domo ſua, & in profeſſione coniugali, & in medio ſæculi eremiticam ſeu monaſticam vitam non parvô tempore viſa eſt æmulari: in victûs parcitate, in vilitate veſtitûs, delicias & pompas ſæculi à ſe abdicando, ab actibus & curis ſæcularibus, in quantum poterat, ſe ſubtrahendo, inſiſtendo jejuniis, & vigiliis & orationibus, & quod minùs aſſumptæ profeſſionis habebat, eleemoſynis & diverſis operibus miſericordiæ redimendo.* Tantâ Matre dignus Bernardus, fratréſque, qui velutì Cryſtallinei rivuli ab hoc ſuo puriſsimo fonte præter ſolam illam Evæ maculam nîl ſordium, nîl inquinamenti traxerint. Non alia voluit DEIpara in Bernardo lacte ſuô rigare labia, quámque unius ſuxiſſent Aleidis mammillas: amat intemerata Virgo illimes fontes, & puras ſcaturigines: Hoc ſanè Aleidis eximium elogium nulla uſpiam ſatìs laudaverit ætas, quòd genuerit Filio DEI collactaneum, Almæque Matri novum ab ubere Filium. Illud ego non ſinè præſagio factum exiſtimo, quòd Sancta Matrona præcipuô cultu proſecuta ſit Magnum Eccleſiæ Doctorem *Ambroſium*: huic inter Divos impensè affecta non potuit non eſſe Mater Doctoris Melliflui, quæ fuerit devota Cultrix Doctoris Mellei. Annis ſingulis Feſtum Sancti Patris ſummâ quâ potuit ſolemnitate celebrabat, convocatis ad cultûs feſtivitatíſque augmentum atque ſplendorem Presbyteris omnibus, non ſolùm è Divione, ſed ex oppidis ſingulis per circuitum, quos cultu Divo Doctori perſolutô ſplendidô conviviô ipſa omnium Miniſtra excepit: experta deinde Divum Patronum in cultûs exhibiti remunerationem imminentis mortis fidum monitorem; qui dum Sancta Cliens aliquando affectuoſiùs cuperet diſſolvi, in ſomnis eidem apparens, proximô ſuô feſtô inſtare felicem ad gaudia tranſitum optatus nuncius præmonuit. Nunciavit hæc Cœli, hæc Ambroſij oracula marito, filiíſque exultans mulier, & jam ſuſpirans, jam ardens, jam langvens ad gloriam cœlitùs promiſſam in momenta anhelabat. Domeſticis interea rebus velutì indubitatè moritura maturè diſpoſitis ſolam præſtolabatur diem Divo Ambroſio ſacram. Et aderat jam Feſti pervigilium: ſuſpenſis igitur ad oraculi eventum Teſſelinô, filijs, Presbyteríſque, qui de more ad ſolemnem Divo Ambroſio pendendum cultum acciti fuerant,

optima Mater repentinâ febri corripitur, quæ ſenſim creſcens poſterâ die ſecundùm Divi oraculum Eccleſiæ Sacramentis munitam, atque orantem placidiſsimè extinxit. Aderant agoni Ejus omnes ad Feſtum Doctoris Sancti invitati convocatíque, qui inter preces morti communis omnium Matris acerbè illachrymati abeuntem Sanctæ è corpore animam votis & planctibus proſequebātur. Una illa ſinè planctu ſinè gemitu hilaris, quaſi jam cœlum vultu ſpargens, nîl à filiis, nîl à Presbyteris petebat, nisi ut ſecum & pro ſe orarent, ut ſecum pſallerent: Igitur inter Clericorum pſallentium Choros ſimul ipſa pſallens, ad nuptias, ad triumphum, non ad mortem feſtinare videbatur ſanctiſsima Mater: Et cùm jam vox deficeret, notata diu moviſſe labia, & palpitantem in morte lingvam inter profunda ſuſpiria in Divinas laudes, quantum & quamdiu poterat, relaxâſſe. Tandem ſub illa Litaniarum verba: *Per Paſſionem & Crucem tuam, libera eam Domine! elevans manum ſignavit ſe, & emiſit Spiritum, ità ut manum non poſſet deponere, quam levaverat.* Eruditè more ſuo Manriqueus elevatæ Sanctiſsimæ Matris manui hanc doctam epigraphen poſuit: *Manum ad cœlum miſiſſe viſa eſt, nec (quia jam apprehendit) retraxiſſe.* Datæ funeri lachrimæ omnium, non pauperum modò & filiorum, ſed & Procerum & Eccleſiaſticorum: quæ ab omnibus amari meruit, ab omnibus plangi debuit. Sunt profectò communes lachrymæ mortuis quædam quaſi panegyres: tot laudibus quot lachrymis dignus eſt, quem omnes plangunt. Sacras Optimæ Matris exuvias à Teſſelino à Filijs impetravit Venerabilis Geranus Abbas Benedictinus S. Benigni Divionenſis, qui præeuntibus omnibus Cœnobii ſui religioſis Fontanas accurrit, ac pretioſum theſaurum ſuorum humeris ſolemni conductu Divionem aſportavit. Poſt annos deinde 145. in Claram-Vallem ad reliquam Sacerrimam Familiam Sacra Beatæ Aleidis oſſa è Divione ſunt translata. Non tamen optima Mater tota abire voluit ex animis oculíſque Filiorum, Bernardi præcipuè, qui Matrem, ejúſque toties inculcata vitæ Sanctioris præcepta aſsiduâ meditatione verſans dulciſsimam ejusdem ideam nuſquam paſſus eſt animo ſuo excidere. Non eadem Matris memoria apud reliquos, ſpes ſæculi penè obliteraverant monita, quæ tam ſolicitè Aleidis filiis olim ingeſſerat: Ingrata propemodū Ciſtercii mentio animis ad mitiora conſilia jam pronis. Renovanda erant propoſi-

Guill. in vita Bern. Lib. 1. cap. 2.

Ad annum 1105. c. 3.

poſita per Matrem ipſam, quæ Filiis in via vocationis hærentibus non ſemel facta ſpectabilis primùm ſevera, ac ſubinde, cúm omnes irent in Bernardi ſententiam, gratulabunda: Merita ſanè apud Ciſtercienſes dulce Matris ac Patronæ nomen, quæ ad prima Ciſtercii incrementa tam ſolicitè in terris, tam piè è Cœlis cooperata ſit.

B.B. GUIDO & GERARDUS ambo Bernardi fratres naſcendi conditione majores, ambo ad Ciſtercium ſocii, & tandem in Clara-Valle filii. Tenebantur olim ambo vinculis, nonniſi per unum Bernardum inter prodigia ſolvendis. Guido alligatus uxori Comitis Floreſtenſis Filiæ, ad vocem vocantis Bernardi præ cæteris ferè promptior, niſi uxor ſangvine nobilis, annis tenera, & prolibus jam fœcunda & gravis obſtitiſſet. Pendebat Guidonis cõſenſus à nodo unico, ſi uxor cõſenſerit; at illa ſuaves connubii compedes jam experta damnabat præproperam viduitatem, miſerta ſimul prolium, quòd ante tempus ſolô Parentum arbitriô, non alterutrius fatô cogerentur eſſe Orphani, id eſt, miſeri. Tenebatur igitur Guido ab uxore, & quia invitam deſerere non poſſet, novâ arte conjugii compedibus ſe evolvere decreverat: In ipſo ſcilicèt uxoris domicilio, in media aula, in ſæculi meditullio exuendam ſeu diſſimulandam ad tempus eſſe perſonam Nobilis, Militis, Conjugis; aſſumendam perſonam Eremitæ, & quod indigniùs, agricolæ: illâ ſe futurum conjugi juvenculæ haud gratum, hâc fœminæ illuſtri moleſtum, his artibus expugnandam eſſe, quæ ſponte ſuâ conſentire nollet. At novus ille Orbis Alexander longè felicior Bernardus priùs quidem vaticiniô, ac deîn etiam morbô cælitùs ad preces immiſsô nodum illum Gordium mox præſcidit. Infirmata ſiquidem graviſſimè mulier, & ſentiens ſe flagellari à Domino, quia auſa eidem recalcitrare, ultrò à vocato celeriùs Bernardo veniam, ſanitatem, atque inſuper ſecundùm leges Eccleſiæ à Viro divortium petiit & obtinuit. Guido ſecutus Bernardum Ciſtercium, illa ingreſſa eſt ſanctimonialium Cœnobium: filiæ parvulæ opinione Manriquei Matri jam Sanctæ jam religioſæ adhærentes pariter inter DEO ſacratas Virgines ſunt adlectæ. Laudanda quandoque inter Conjuges corporum divortia, ut animi eò expeditiùs copulentur DEO: Neque ſeu ferulâ ſeu exemplô Centuriatorum

Obiit B. Guido An. 113?

Ff Mag-

Magdeburgenſium caſtigandus, vituperandúsque Bernardus, quòd eadem etiam per miracula promoverit. Non damnat Eccleſia, non ratio, non Scriptura ea divortia, quæ mutuô conjugum conſenſu & authoritate Eccleſiæ fiunt, eô utique animô & fine, ut ambo conjuges ſeu votô caſtitatis, ſeu, quod longè meliùs votis Monaſticis in clauſtris adſtricti DEO deinceps per omnem vitam militent. Longè haud dubiè præſtantiùs ſervire, placere DEO, angelis, quàm uxori, carni, putredini. Et hoc qui poteſt capere capiat, & qui non poteſt capere, non debet carpere. Hæc incidenter. ad Guidonem in Claram-Vallem revertendum eſt, cujus converſatio Bernardi magiſteriô non potuit non eſſe Sancta. Per aliquod tempus æconomiæ præfectus Guido non tam ampliandæ rei familiaris, quàm colendæ paupertatis ac parſimoniæ fuit ſtudioſiſſimus. Plantaverat quandam in Clara-Valle vineam Converſus, cui nomen Chriſtophorus, qui in externis à Bernardo datus fuerat in adjutorium Guidoni & Gerardo Fratribus: indignati ambo tam cultori, quàm novæ culturæ, unde aliquando per frugum abundantiam Clara-Vallenſium lædi poſſet ſeu paupertas, ſeu parſimonia, malè imprecati innocentibus vitibus, eas tamdiu reddidêre omninò ſteriles, quouſque Bernardus maledictionis opprobrium olim novâ benedictione ab eis abſterſiſſet. Zelus iſte eſt Sanctorum admirabilis, ſed hodie in œconomis vix probandus. Id hìc prorsùs eximium, quòd in manu Bernardi fratrúmque ſtaret tam ampla in creaturas poteſtas, ut in utrámque partem ſeu ſteriles juberentur eſſe, ſeu fæcundæ, par eſſet obediendi promptitudo. Sed ſic imperare non poſſunt, niſi Sancti. Obiit Guido juxta Bernardi vaticinium extra Claram-Vallem Pontigniaci Anno 1136. non tamen ſinè Bernardo, cui eâ ipsâ horâ in Clara-Valle inſtans Fratris tranſitus revelatus eſt, quem ille, ut felix eſſet, univerſæ Fratrum Congregationi ſollicitè recommendavit. At mox hilarior vultum mutavit & ſtylum, *Fratres*, ajebat, *rogate Guidonem, ut oret pro nobis; jam enim in eo loco eſt, ut poſſit.* Viſum Guidonem à Bernardo in gloria, manifeſtum eſt ex verbis ipſis. Sic mori ſolent, pro quibus Sancti orant; Non ſolent autem Sancti exaudiri faciliùs quàm pro Sanctis. Vita Sancta optima oratio pro morte beata. Guido inter prodigia conversus, inter prodigia mor-

mortuus, qualis vixit, talis devixit, id eſt, Sanctus, digniſſimus, quem ipſe Bernardus cum tota ſua Valle in Cœlis Advocatum optet. Reviſit Guido deinceps ſæpiùs è gloria redux Bernardum medius inter ſplendores, & Claram-Vallem novô nomine novô lumine reddidit Clariſſimam.

B. GERARDUM Fratrem Bernardi ſecundo-genitum impetus gloriæ militaris, & voluptas quæſita in armis in annis juvenilibus longiùs abſtulerant, quàm ut à Bernardo ſeu primô ſeu unô congreſſu ad novam in Ciſtercio capeſſendam CHRISTI militiam pertrahi potuerit. Repetenda rursùs erant Bernardo vaticinia, & miſcenda vaticiniis prodigia, quibus fratris animus monitorum ſalubrium incurius, & conſiliorum contemptor Divinis velutì armis expugnaretur. Dum igitur Gerardus obſtinatior Bernardo reſiſteret, Sanctus adoleſcens zelô igneus digitum lateri fratris admovens Sacer Vates his verbis obſtinatum terruit: *Scio*, inquit, *ſcio, ſola vexatio intellectum dabit auditui: Veniet dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa pervium iter ad cor tuum faciet conſilio ſalutis tuæ, quod aſpernaris, & timebis quidem, ſed minimè morieris.* Hæc tunc Bernardus; at Gerardus de vaticiniis fratris minùs ſolicitus, ſeu militaris gloria, ſeu vindictæ victoriæque libido pugnax Juvenis pectus pleniùs jam occupaverant, intra paucos dies cum adverſariis prælio conflixit, atque in pugnæ fervore in illo ipſo lateris loco quem Bernardus digitô nuper ſignaverat, lanceâ vulneratus, dum vulnus ſentit, & mortem timet, Prophetiæ Fratris jam tandem ictus, & ſerò memor, ſe Monachum vociferando proteſtatur: *Monachus ſum, Monachus ſum Ciſtercienſis.* Quaſi verò qui miles peccâſſet, jam neque habitu, neque profeſſione, ſed ſolâ tantùm voce & votô Monachus, mulctari, capi, ligari non deberet. Ligatus tamen eſt, & per milites, qui Monachi nomine parùm territi ſolum militem in Gerardo videbant, ductus ad carceres, injectíſque compedibus, & curatô perfunctoriè vulnere ad novas pœnas poſtulatus. Interea rogatus per Epiſtolam à captivo Bernardus, ut accurreret, redimeret, educeret jam volentem, & ulnis jam ultrò ambabus in conſilia fratris ruentem; ſed non venit Bernardus, quaſi illâ ſuâ hâc morâ ſeu argueret Gerardi nuperam, dum ad Ciſtercium vocaretur, contumaciam, ſeu ut eâ dilatione calentiora in

Obiit Anno 1138.

Fratre excitaret vota, & jam concepta firmaret propoſita. Sola hæc verba à Sancto Adoleſcente data nuncio in vicem reſponſi: *Sciebam*, inquit, *& prædixeram, quòd durum eſſet ei contra ſtimulum calcitrare, nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, ſed ad vitam.* Curatò vulnere adfuit idem Bernardus, ſed non admiſſus ad carceres, nè quidem ad Fratris colloquium, qui jam inter ipſa ferrea vincula animô liberrimus per mille mundi & carcerum clauſuras ad Ciſtercii ſolitudinem evolabat. Potuerit haud dubiè Bernardus mox in inſtanti ſui ſociorúmque in Ciſtercium migratione captivum Fratrem edocere ſeu per epiſtolam, ſeu per internuncium; Sed minùs efficacia hæc tunc viſa Juveni præfervido, penetrandis intimis animi viſceribus & Gerardi medullis vox una hìc neceſſaria; accedens igitur ad carceris fores magnis clamoribus captivum vocabat: *Scito, Frater Gerarde, quia ituri ſumus in proximo, & Monaſterium introituri. Tu verò, quemadmodum exire non licet, hìc Monachus eſto, ſciens quod vis, & non potes, pro facto reputari.* Nova vulnera hæc erant, quibus exulceratus Gerardus novis iris indignatus captivitati Suæ, novíſque votis ſpirans Ciſtercium animô & præcordiis vehementiùs arctabatur. Pauci interfluxerant dies, audita inſomnis à Gerardo vox, præludium libertatis: *Hodie liberaberis.* Creditum tamen priùs eſt ſomnium, quod deinde deprehenſum eſt vaticinium. Nocte ſequente cùm Bernardi repetitæ prophetiæ, & auditæ in ſomno vocis grata reminiſcentia Gerardum jam aliquid meliùs ſperantem dormire non ſinerent, tactis compedibus ſenſit adeſſe vaticinii eventum, & ſuæ finem captivitatis; ad levem namque manûs contactum crepuit ferrum, & ipſe jam beneficiô noctis erectus in ſpem fugæ pedetentim portæ adrepens, manúque rupta quidem, ſed adhuc pede hærentia vincula cautè premens, nè fugientem proderent, dum tangit, dum tentat peſſulum, ſera tota in manus ejus collapſa patulas fores ſtupenti offert. Igitur tot ferè miraculis, quot olim Petrus Apoſtolorum Princeps carceri, vinculis, periculis ereptus Gerardus gaudens ad Bernardum & ſocios Fratres feſtinavit, cum quibus primùm ad Ciſtercii Tyrocinia, ac ſubinde ad Claræ-Vallis exordia digreſſus per omnem deinde vitam Bernardo præ cæteris charior: in quem etiam Domûs exterioris ſeu œconomiæ curam Pater Sanctus tam amanter quàm fidenter tranſtulit. Ita nimirùm Mater filium, quem inter acer-

biores

biores dolores parturit, plus diligit. Neque una hæc Bernardo ratio, ut diligeret Gerardum: pulcherrimæ virtutes Virum ornaverant, quarum ſingulæ nova erant dilectionis incentiva. Juvat audire Bernardum ipſum Sermone Funebri, qui eſt in Cantica Canticorum vigeſimus ſextus, Gerardi ſui eximium Panegyriſtem. Sermo quidem iſte ſatis eſt prolixus, ſed omni acceptione dignus, & *cui*, Manriquei oraculô, *demi nihil poſſit ſinè piaculo:* in quo nimirùm Sanctus Doctor omne cor ſuum in affectus, oculos in lachrymas, lingvam in panegyres, totum ſe in alternas doloris amoríſque ſcenas videtur effudiſſe. Vix ulIibi Bernardus in Sermonibus ſuis tam amans, tam gemens, tam dolens, quàm in hoc; totum enim lachrymis per maxillas ubertim cadentibus non tam declamavit, quàm deploravit. Tam nempe Bernardo grave vulnus Gerardi mors. Nos, quibus brevitas pro lege eſt, paucula hæc pro Gerardi gloria excerpſimus: Ego, inquit Bernardus, *vocitabar Abbas, ſed ille præerat in ſolicitudine. Tibi debeo, ſi profeci, ſi profui: Cur enim ſecurus intùs non eſſem, cùm te ſcirem agentem forìs manum dexteram meam, lumen oculorum meorum, pectus meum, lingvam meam?* Et iterum: *Scitis, ô filii, quàm juſtus ſit dolor meus, quàm dolenda plaga mea. Cernitis nempe, quàm fidus comes deſeruit me in via hac quâ ambulabam: quàm vigil ad curam, quàm non ſegnis ad opus, quàm ſuavis ad mores! Quis ita mihi pernecеſſarius? Cui æque dilectus ego? Frater erat genere, ſed religione germanior. Dolete, quæſo, vicem meam Vos, quibus hæc nota ſunt! Infirmus corpore eram, & ille portabat me. Puſillus corde eram, & confortabat me. Piger & negligens, & excitabat me. Improvidus & oblivioſus, & commonebat me. Quò mihi avulſus es? Quò mihi raptus à manibus homo unanimis, homo ſecundùm Cor meum?* Et infrà: *Adhæſit anima mea animæ illius, & unam fecit de duabus non conſanguinitas, ſed unanimitas. Carnis quidem neceſſitudo non defuit; ſed plus junxit ſocietas Spiritûs, conſenſus animorum, morum conformitas. Cùm ergo eſſemus Cor unum & anima una, hanc meam pariter atque ipſius animam pertranſivit gladius, & ſcindens mediam partem locavit in Cælo, partem in cœno deſeruit. Ego, ego illa portio miſera, in luto jacens, truncata parte ſui, & parte potiori, & dicitur mihi, nè fleveris. Avulſa ſunt mihi viſcera mea à me, & dicitur mihi, nè ſenſeris. Sentio, ſentio vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt: Sentio prorsùs, & doleo, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Tanti amoris atque doloris argumenta aſſigna-

Ad Annum 1138. cap. 6.

ſignaverat ſuprà, ubi è melliflua lingva ſanctiſſimorum operum pulcherrimam effudit ſeriem: *Sed quid dixi foris agentem illum, quaſi interna Gerardus neſciret, ac ſpiritualium expers eſſet donorum? Nôrunt qui illum nôrunt, ſpirituales, quàm verba ejus ſpiritum redolerent. Nôrunt contubernales, quàm mores ejus & ſtudia non carnem ſaperent, ſed fervverent ſpiritum. Quis illô rigidior in cuſtodia diſciplinæ? Quis in caſtigando corpus ſuum diſtrictior? Suſpenſior vel ſublimior in contemplando? Subtilior in diſſerendo? Quotiens cum eo diſſerens ea didici, quæ neſciebam, & qui docturus adveneram, doctus magìs abſceſſi? Nec mirum de me, cùm magni ac ſapientes Viri idipſum nihilominus ex ipſo ſibi accidiſſe teſtentur.* Nec minora paulò infrà: *Hoc ſecurus addo, mihi utilis in omnibus, & præ omnibus fuit. Utilis in parvis & magnis, in privatis & publicis, foris & intus. Meritò ex eo pendebam totus, qui mihi totum erat.* Non igitur mirum, quòd Bernardus magnis planctibus ingemuerit, omnes cum Gerardo *delicias ſuas, ac lætitias abiiſſe.* His quidem omnibus quantumvis de Gerardo eximiis, adhuc tamen intra lineam hæſit Bernardus: alia ſunt in eo Sermone, quæ ſupra Abbatem, non tamen, uti arbitror, ſupra Bernardum, auſus de Gerardo ſuo audacter pronunciare, eum in gloria inter Sanctos, ſuper ſidera jam DEO frui; Quod namque datum cœlitùs Pontifici per jurisdictionem, hoc datum cœlitùs BERNARDO per revelationem. Non aſſereret BERNARDUS Gerardo ſuo gloriam, niſi eandem Bernardo Cœlites revelâſſent. *Et hoc unum Ejus teſtimonium*, ùt optimè obſervat Manriqueus, *tanti fecit Eccleſia, ut nullus dubitet Sanctis annumerare, quem Pater Sanctus Sanctum prædicaverit.* Unde Scriptores graves citati apud Manriqueum, *Loiſius Lipomanus, Molanus, Baſilius Santoro, Arnoldus Wionius, Hugo Menardus*, Gerardum noſtrum Sanctorum faſtis adſcribunt, præcipuâ nixi Bernardi authoritate, cui negare fidem, nefas. Et tametſi pro Gerardo nihil omninò pronunciâſſet Bernardus, nihilominùs Gerardus ipſe in morte, *eô ſcilicèt momentô, quò nemo mentitur*, ipſi ſibi factus luculentus teſtis hilaritate vultûs, ac ſuaviſſimâ modulatione abundè prodidit, quô mox locô eſſet poſt fata futurus. Nox illa, quam habuit Gerardus inter mortales ſupremam, eidem fuit præter morientium morem per omnia delicioſa, certè nox in delicijs. Cantabat moriens pſalmum Coronati Vatis: *Laudate Dominum de Cælis. &c.* ipsâ jam voce, ipſô vultu quidpiam cœleſte, & ſupra hominem ſpirans. Res cedrô di-

Ad Annum 1138. c. 6.

Cardinal. Richelieu in teſtam.

digniſſima Bernardi ipſius verbis ex eo Sermone, cujus pretioſa fragmenta mox recitavimus, memoranda eſt, nè rei dignitatem verbis noſtris fortaſſis deprimamus: *Accitus ſum ego*, *ait Pater Sanctus*, *ad id miraculi*, *videre exultantem in morte hominem*, *& inſultantem morti: Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Jam non eſt ſtimulus ſed jubilus*, *jam cantando moritur homo*, *& moriendo cantat* - - *Cùm ergo ſupervenisſem*, *& extrema jam pſalmi me audiente*, *clarâ voce complêſſet*, *ſuſpiciens in Cœlum ait*: *Pater in manus tuas coṁendo Spiritum meum! Et repetens eundem Sermonem*, *atque frequenter ingeminans*, *Pater*, *Pater! converſus ad me exhilaratâ quidem facie*: *Quanta*, *inquit*, *dignatio DEI*, *Patrem hominum eſſe? Quanta hominum gloria*, *DEI Filios eſſe*, *& hæredes? Namſi Filij*, *& hæredes. Sic cantabat*, *quem nos lugemus*, *in quo & meum fateor luctum penè in Canticum pervertit*, *dum intentus gloriæ ejus*, *propriæ ferè miſeriæ obliviſcor*. Hæc Bernardus. Attamen abſque lachrymis Patrem Sanctum celebrâſſe Fratris amantiſſimi exequias, mirabile in oculis omnium, ex eo præcipuè, quòd nè vix extraneum ſepelierit unquam ſinè eo oculorum obſequio, publico doloris amoriſque teſtimonio, omnibúſque in funere Gerardi complorantibus ipſe ſolus eſſet ſinè fletu. Abſterſit ſcilicèt, ſeu, quod rectiùs, cohibuit erumpentem oculorum imbrem præviſa ante mortem, & Bernardo revelata poſt mortem Gerardi gloria. Eruperunt quidem perſolutô funere violentiùs caſtigatæ illæ lachrymæ, dum ſermonem funebrem, ùt ſupra meminimus, Dulciſſimus Pater de obitu, meritis, gloria Gerardi haberet in Capitulo: ſed fuit ille fletus fidelis proditor doloris, quô ſolent amantes amores ſibi ſuos nunciare. Non flevit primùm Bernardus, & hoc datum Germani gloriæ, cui turpe illachrymari: Flevit deinde, & hoc datum Ejus amori, cui tributariæ ſolent eſſe lachrymæ. Non uni duntaxat Bernardo revelata Fratris gloria compreſſit gemitus, ſed Gerardus ipſe crebriùs deinceps & aliis ſeſe glorioſum exhibens; omnibus Ciſtercii alumnis ſe Patrem ſe Patronum dedit, qui fleri non debeat, ſed orari. Moroſiores fortaſſis in uno Gerardo quibusdam videbimur fuiſſe; Verùm hæc mora ſi culpa eſt, Bernardi culpa eſt, qui pupillâ & lingvâ, lachrymis & verbis Gerardum ſuum tam moroſè tam amoroſè laudavit & deploravit.

BEATI ANDREAS, BARTHOLOMÆUS, & NIVARDUS Bernardi Fratres naſcendi ordine eô poſteriores, Ciſter-

cienſes omnes. Primi duo vocantem Bernardum cum ſociis mox ſecuti Ciſtercium, tertius ob ætatem adhuc imbecillem relictus domi, ſecutus eſt deinde Fratres ad Claram-Vallem. AN-DREAS jam miles, & cui baltheus militaris magìs placuerat, quàm ſuô tunc quidem judiciô inglorius cucullus, ſuaſu difficilior, & ad verbum Monachi primùm reluctantior, tandem haud invitus manus dedit, cùm Matrem ille ſuam nuper defunctam auguſtâ ſpecie, & ſerenâ facie propoſito filiorum gratulantem coràm ſe videre exclamaret. Bona Mater, quæ vel mortua non ſilet, non quieſcit, ſed pro filiis è Cœlo ſolicita, nè ſæculi, id eſt, alienô vitiô invita perderet, quos illa olim in vita tantis curis Cœlo educaverit. Miſſus cum ſociis ad condendam Claram-Vallem Andreas, à Bernardo portæ Monaſterii præficitur: in quo munere & vitam Sanctam beatâ morte clauſit, atque aliis Claram-Vallem, ſibi Cœlum aperuit. Felicior ſanè Janitor, quàm olim in ſæculo Miles: ſcilicèt rectiùs clave quàm gladiò cœlum reſeratur. Utique etiam Petrus à Salvatore juſſus deponere gladium, obtinuit clavim: in gladio meritus reprehenſionem, in Clavi Cœli terræque Principatum. Non ſecùs Andreas juſſus à Bernardo deponere cum baltheo gladium, ut acciperet in Clara-Valle januæ clavim, hâc non illô, ſibi Cœlum feliciſſimè aperturus.

Obiit circa Annum 1148.

B. BARTHOLOMÆUM inter fratres natu penultimum in proximo ſumpturum baltheum, & Patris exemplô initiandum militiâ Bernardus in tempore prævertit, traxítque in caſtra ſua promptum ac facilem. E Sociis & fratribus unus ille, quem Stephanus Pater unà cum Bernardo teneriùs dilexerit: Cujus amoris ac prærogativæ teſtes ſuprema verba, quibus Pater Sanctus Bartholomæo cum ſociis ad Claram-Vallem è Ciſtercio abituro inter amabiles lachrymas valedixit: *Vade*, inquit, *in pace Fili mi, & rigoris primæ vocationis tuæ memento, & amoris, quô te in Chriſto proſecutus ſum & proſequor: Et cùm coràm DEO majore cum fervore fueris, me ipſi commendare non deſinas. Licèt enim te cum fratribus mitto fundatum aſylum hominibus pœnitentibus, memoriam tui de animo meo non delebo, ſed ſemper pro tua ſalute DEUM rogabo.*Ità ſeparata ab invicem amantium corpora, non animi, quos locorum intervalla non disjungunt. Vitæ rigorem Vir Sanctus vel ipsô nomine prodidit, tam pelli ſuæ, quàm carni hoſtis acerbus. Pellem quam

Obiit Anno 1144.

non

non potuit detrahere, ſtatuit affligere, ſibi ipſi & Bartholomæus & tortor & carnifex. Vigilias, inedias, & præcipuè flagra armaverat iñoxoſæ cutis ſanctiſſimam lanienam, quotidianus ferè per nova vulnera Bartholomæus. Fidem ſuam, quam olim Stephanus Pater de perenni reminiſcentia Bartholomæo dederat, tandem ex parte exſoluturus, eundem è gremio Bernardi avulſum Divo Petro Firmitatis Abbati ad Thronum Archi-Epiſcopalem Tarantaſienſem rapto magìs quàm electo digniſſimum ſubrogavit Bartholomæum Succeſſorem in Serie Abbatum tertium. Quam ille Familiam Stephani & Bernardi magiſteriô & affectu diſcipulus longè digniſſimus per annos viginti ſanctiſſimè rexit, tandémque aſtris maturus è pelle & vita exceſſit, tunc vel maximè Bartholomæus, cùm mors moleſtam cutem captivo animo penitùs exueret. Vir Sanctus non apud Superos modò, verùm etiam apud poſteros hodie memorandus, quòd ſimul cum aliis Ordinis Patribus Concordiæ Ciſtercienſes inter & Præmonſtratenſes Anno 1141. initæ ſubſcripſerit. De qua fortè nos alibi.

B. NIVARDUS Bernardi frater natu minimus, deliciæ Teſſelini Patris, & ultima Spes ſervandi nominis, abeuntibus è domo *Floruit an- no 11[illegible]* Paterna quinque Germanis Fratribus remanſit puer maturus quidem Cœlo, ſed necdum maturus Ciſtercio, non voluntatis defectu, ſed ætatis: ut nempe ſervaretur ad tempus afflicto Parenti ſuus Benjaminus, quô visô diſpendium filiorum eſſet tolerabilius. Hærebant adhuc è Germanis aliqui Patris amplexibus, & Guido natu major primus Lares Paternos egreſſus nomine ac voluntate omnium erga Nivardum liberaliſſimus unum illum hæredem omnium proclamavit: *Eja*, inquit, *Frater Nivarde, ad te ſolum reſpicit omnis terra poſſeſſionis noſtræ.* Magna dixiſſe, maxima dediſſe ratus, qui ſingulorum jura & dominia, res & ſpes in unum Nivardum tranſtulerat; at hic ſupra puerum ſapiens velutì Guidoni fratribúſque indignatus: *Vobis ergo*, inquit, *Cœlum, & mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt, per me ſi poſſim, celeriùs reſcindenda.* Dixit, & cùm primùm per ætatem potuit, relictâ ampliſſimâ hæreditate fruſtrà obluctantibus Patre, propinquis, atque amicis ſecutus fratres ad eremum, novus ex Fratre Bernardi in Clara-Valle Filius, magnis paſſibus fratrum chariſmata æmulatus eſt, ſolâ ætate cæteris minor, non virtute. Labentibus inde an-

nis ad Hiſpanias miſſus in Caſtellæ Regno celeberrimum ibidem *Spinæ* Monaſterium fundavit, primus ejusdem Abbas, quod etiamnum hodie licèt ex Nomine non roſa, ſed ſpina ſit, eſt florentiſſimum. Ita nimirùm Nivardus ſibi Spinetum plantaverat, cui ipſe foret roſarum primitiæ: aut ſi magis Candor in Ciſtercienſibus placet, lilium inter ſpinas. Mors in uno Nivardo & roſam & lilium dum terris rapuit, cœlo intulit.

Obiit Anno 1141.

B. HUMBELINA unica Bernardi ſoror, tam naſcendi ordine Bernardo proximior, quàm complexione, vultu, moribus eidem ſimilior: Sola penès ſexum diverſitas indiverſa ſtudia ambos impulerat: ſecutura forſan erat cum ſociis Bernardum mox ad eremum, ſi ſexum ipſa aut mutare potuiſſet, aut fuiſſet auſa ſimulare. Compaſſa Patri Seni, quòd unâ die penè omnes perderet filios, ſed non minùs ſibi, quòd fratres, & inter fratres Bernardum partem animæ ſuæ. Vix igitur avelli poterat à ſupremis Bernardi amplexibus; avulſa tamen, quia reluctantem niſi inofficioſa tenere non poterat, & relicta cum Nivardo puero Patri Seni, ut in utroque ſexu ſervaretur Teſſelino ſolatium. Non multò poſt Nivardi diſceſſum una Humbelina hæres unica, formæ elegantiâ, morum ſuavitate, opum affluentiâ accendebat Burgundiæ nobiliſſimam Juventutem in ſpem nuptiarum, quas jam potentiùs Pater ipſe cœperat offerre, imò urgere, ut vel in filia tametſi ſub alieno quia Viri nomine ſervaret Domui Suæ Nepotes. Neque Humbelina ipſa in pulcherrimo Procerum ambitu auſa jam multùm reſiſtere matrimonio, præſertim cùm abſente Bernardo nullus eſſet, qui illud diſſuaderet. Communicatis igitur cum Duce Burgundiæ conſiliis Fratri Duciſſæ Lotharingiæ præfati Ducis Burgundiæ nepoti, adoleſcenti cultiſſimo Humbelina data ſponſa uxor: Unde non absque ingenti animi voluptate redivivam Sereniſsimorum Lotharingiæ Ducum Majeſtatem hodie vident Ciſtercienſes, qui olim in Humbelina cum Bernardo affinitate juncti, hodie memorari non debent ſinè Bernardo. Vixerat aliquamdiu inter aulæ delicias Humbelina, & jam minùs de clauſtro ſolicita rariùs, & ſi tamen aliquando, certè perfunctoriè tam Matris quàm Bernardi monita refricabat. At verò unô Bernardi alloquiô penitùs mutata alias animô cœpit volvere cogitationes: quod quidem ita eveniſſe narrant

Autho-

Authores. Seu curioſa ſeu officioſa in Claram-Vallem advenerat Humbelina viſura & ſalutatura Bernardum cum Fratribus. Faſtus ingens, & Fœminâ Principe dignus, Comitatus & aula frequens lateri Humbelinæ hærens primùm quidem oculos Andreæ Fratris Portarii, ac deinde animos reliquorum Germanorum, & præcipuè unius Bernardi inſigniter offenderat: qui omnes ſanctè inofficioſi nullô ſalutationis obſequiô Sororem Principem dignati, eam inſuper diris execrationibus deteſtati ante fores ſtantem reliquerant. Unus Andreas quò Sorori præſentior, eò audacior conviciis auſus proſcindere, *ſtercus pretioſè involutum, ac rete diaboli ad capiendas animas*, compellabat. Pungebant Fœminæ Principis pectus hæc verba eò acerbiùs, quia à fratre prolata: & ſiquidem fruſtrà Bernardum ac Fratres præſtolabatur, compunctionis ac converſionis ſuæ primordia hiſce verbis inter lachrymas conteſtata eſt: *Et ſi peccatrix ſum, inquiebat, pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum; idcircò conſilium, & alloquium bonorum requiro. Et ſi deſpicit frater meus carnem meam, non deſpiciat ſervus DEI animam meam. Veniat, præcipiat, quidquid præceperit, facere parata ſum.* Datâ hâc ſponſione deſcendit Bernardus, cujus unô duntaxat adſpectu ac alloquiô mutata Soror damnabat aularum delicias, & jam mundi fugam, ac clauſtra meditabatur. Unum matrimonii vinculum erat, quô feſtina jam ad eremum vota tenebantur: Illud præter Mariti ſeu mortem ſeu conſenſum neque Bernardus, neque Humbelina auſi ſolvere, aliàs interim ſanctioris vitæ ideas ambo ſimul formabant. Propoſita Sancta Mater jam Cœlis adſcripta in vitæ normam, quæ adſtricta olim Matrimonii legibus & conjugem Sanctè egiſſet, & eremitam. Dandum aliquid jam neceſſitati, quæ noſtrâ voluntate poſſet tranſire in virtutem: Hoc vitæ genus inter aulæ illecebras quò rariùs, eò fortè ſanctius: Committenda Superis fata Mariti: Non fore certè Optimum Principem tam improbum in Superos, ut quam illi per Bernardum olim fratrem, nunc Paranymphum ſibi elegerint Sponſam, ille importunus & contumax ſibi ſit retenturus uxorem. His legibus inſtructa reverſa eſt domum, integrô adhuc bienniô manſura cum Viro, quô invitô tentandum ſeu mutandum nihil. Mores Humbelinæ jam longè alii, quàm olim, Sancti, & ad vitam Matris Sanctæ regulati. Deliciæ, faſtus, pompa omnis in faſtidio: quod detra-

Alanus & Guillel. in vita.

Guill. L. 1. c. 6. Vit. Bern.

hebat luxui, impendebat pauperi, ſibi ſomníque parcior, penè tota hærebat in Sacrarum Scripturarum lectione: verbò, magis eremita, quàm conjux. Arguebat primùm levitatis hanc vitæ mutationem Maritus, impetum eſſe muliebrem, non ſolidam virtutem, difflandum ſuâmet levitate, quâ cœperat; At quia annô etiam alterô non mutari Humbelina, ſed indies fieri ſanctior, maritus jam & ipſe alius, Sancti divortii Patronus & Author eſſe voluit. Soluta igitur ſecundùm Eccleſiæ ritus Humbelina conjugii vinculô, & jam rursùs veluti poſtliminiò ſua Julleium, (Villeium alii ſcribunt) Cœnobium Virginum, quod nuper Bernardus ſocios pro Ciſtercio colligens ſociorum Conjugibus ac filiabus extruxerat, ingreſſa eſt: Neque ſola, non paucæ ſiquidem è nobiliſſimo Gyneceo, quæ fuerant hactenùs Humbelinæ in aula Comites, factæ ſunt ſimul in clauſtro ſociæ. Maritus ipſe optimam Conjugem ad novas Chriſti nuptias properantem apparatu magnificô Julleium uſque proſecutus eſt, ſupremô hôc obſequiô apud Humbelinam expuncturus, quod aliquamdiu invitam tenuerit. Vitæ Ejus ſanctitas pauculis verbis *à Guillelmo* recommendata nobis magnarum rerum eſt epitome: *Lib. 1. c. 6. vit. Bern.* *ubi* (ſcilicèt Julleji) *tantam ei gratiam Dominus contulit ſanctitatis, ut non minùs animô, quàm corpore illorum probaretur Virorum DEI eſſe Germana.* *Lit. Ciſt. L. 1. diſt. 1. c. 4. 21. Auguſt.* Henriqueus in laudanda Humbelinæ noſtræ ſanctimonia & rigore vitæ paulò eſt fuſior; ſed unum hoc ei elogium ſufficiat, quod *Authoris Anni Ciſtercienſis* teſtimoniô *Fratrum ſanctitatem aſſecuta ſit.* Fuerat Julleium ad eum uſque diem, quô Humbelina id eſt ingreſſa, ſub legibus Benedictinis, nullâ hucusque è fœminis ausâ tentare Ciſtercii rigorem, qui etiam Viros diu abſterruerat: ſcilicèt ut ſervaretur Humbelinæ ampliſſimi Nominis prærogativa, quòd prima Ciſtercienſium Virginum Mater ac Fundatrix extiterit; *Henriq. Lib. Ciſt. L. 1. diſt. 1. cap. 5.* Illa enim omnium prima authoritate Nuncii Apoſtolici, & Ciſtercienſium Abbatis aſſenſu pullam veſtem mutavit in candidam, unáque cum Ciſtercienſium habitu eorundem Conſtitutiones aſſumpſit. Humbelinæ exemplô excitatæ motæque per omnem mox Galliam, ac reliquum Chriſtianum Orbem Virgines Benedictinæ pulcherrimâ æmulatione Ciſtercio atque Humbelinæ Matri ſeſe reformandas ſubjecêre: sícque illa extra conjugium fœcundior ſibi immortale Matris nomen, Ciſtercio ſex mille Virginum Cœnobia per Orbem peperit.

rit. Ad Superos abiit, Manriquei calculô, quinquagenaria, ſed non ſinè Bernardo, quem per Epiſtolam è Clara-Valle evocatum cum Fratribus Andrea & Nivardo agoni ſuo præſentem habuit, ſecurior in Germani Sancti manibus emiſſura Spiritum. Penè jam agonizantem deprehenderat Bernardus; Verùm dum amicâ voce Sororem interpellat, illa eô Fratris alloquiô veluti imperiô juſſa evigilare, loqui, valere meliùs. Protractô ad ſerum veſperum Sermone Sociis injuncta quies, Bernardus ipſe fugatô veluti morbô mortem longiùs abeſſe ratus dormitum ab itinere laſſus ſeceſſerat: Unus *Petrus Molismenſis* Julleii per multos annos Virginibus à confeſſionibus apud ægrotam relictus; at ille propter vigilatas jam aliquot noctes ſomnolentior dum Humbelinam absque diſcrimine eſſe videt, impetratâ poteſtate ipſe quoque ad lectulum properat. Et ecce feſtinanti obvius Angelus Petrum redire jubet, jam enim mori Humbelinam, ſe interim excitaturum Bernardum cum Sociis. Pulſatâ mox per Angelum tabulâ (id olim ſignum mortis) exciti è ſtratis accurrunt ſtupentes lectulúmque Sororis amantiſsimæ circumſtant, quibus illa vultu oculiſque in ſingulos amanter reflexis ſupremum vale dicens, illô Coronati Vatis epiphonemate vitam canendo clauſit: *Lætata ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus!* Nullum in ea obſervatum aliud mortis veſtigium, niſi quòd oculos moriens ſurſum tolleret, animæ ſeu oſtenſuros ſeu viſuros in Cœlo promeritos triumphos. Bernardo celebranti exequiarum ſolemnia Humbelina jam glorioſa apparuit, ut qui olim ſanctioris vitæ fuiſſet ſibi Author, nunc bravii atque gloriæ foret oculatus teſtis. Id ſcilicèt inter magna Bernardi elogia tam rarum quàm eximium, fortè præter Bernardum conceſſum paucis, quòd Pater, Germani quinque, Soror per eum regenerati Ciſtercio, & per Ciſtercium dati Cœlo. Neque Aleidis tantarum Prolium Magna Mater piô furtô ſubtrahenda Ciſtercio; non enim aliena à Ciſtercio eſſe potuit, quæ ſeu ſanctâ educatione olim & Mater & Nutrix, ſeu adhortatione ad filios hæſitantes è Cœlis redux, ſeu gratulatione, dum jam vota migrandi Ciſtercium firmâſſent, filios alios eſſe noluit quàm Ciſtercienſes.

Sanctiſſimæ Gloria Bernardeæ appendices ANDREAS & GALDERICUS, ambo Bernardi avunculi, HUGO & GAU-

FRIDUS Epiſcopi, ille Antiſiodorenſis, hic Lingonenſis, uterque Bernardi conſangvineus; *ROBERTUS* & *ASCELINA*, ille Bernardi conſobrinus, hæc neptis, Ciſtercienſes omnes. ANDREAS avunculus miles Templarius, ex eo ad BERNARDUM & Ciſtercium referendus, quòd primas leges ad Ciſtercii ſtatuta regulatas Templariis dictaverit Bernardus Pater, non ſuô quidem arbitriô, ſed Concilii Trecenſis, id eſt, Eccleſiæ imperiô. *Obiit Anno 1124.* B. GALDERICUS alter Bernardi avunculus Vir magnæ in ſæculo tam nobilitatis quàm auctoritatis, atque in armis ſtrenuus ac celeber, inter ſocios Bernardi omnium primus, ſeu ætatem ſpectes ſeu ordinem converſionis. Individuus Patris Sancti è ſæculo ad Ciſtercium, è Ciſtercio in Claram-Vallem Comes: qui Bernardo nepoti inter miraculorum primitias metuens de præſumptione, acri invectivâ eundem increpavit. Habuit Bernardus ætati & zelo avunculi omnem honorem, ut velutì cenſoriâ ferulâ à Pædagogo correptus modeſtè etiam inter lachrymas ferret acerbam cenſuram. At verò Cœlites pium quidem, indiſcretum tamen Galderici zelum febribus caſtigavêre, quarum auctiſſimis preſſus doloribus ea jam ultrò probabat, jam optabat, quæ pridiè in Nepote damnaverat. Magnis itaque precibus accitus rogatúſque Bernardus, ut ab ægro manu medicâ febres proſcriberet, non priùs opem tulit, quàm blandâ correptione, cui ſuus non defuit aculeus Avunculum docuiſſet, ſupra humanam ferulam eſſe DEI dona, quæ Ille pro ſua in creaturas ſuprema poteſtate etiam ætate aut meritô minoribus conferre poſſit. Ictus ſapuit deinceps, facundior Thamaturgi Bernardi in poſterum Encomiaſtes, quàm fuerit antehac cenſorius Cato. Agonem Viri Sancti auſæ interturbare damnatæ Dæmonum larvæ, à Divo Petro Apoſtolorum Principe, qui Galderico morienti ſpectabilis occurrerat, propulſatæ fugatæque ſunt. Ipſe tandem primò quidem in manus Bernardi, & inde etiam in manus Domini feliciſsimam animam exhalavit: atque ab obitu gloriam ſuam Nepoti ſanctiſſimo nunciavit.

Obiit Anno 1151. S. HUGO cognomentô *Matiſconenſis*, Bernardi conſangvineus, primus Pontigniaci Abbas, ac tandem Antiſiodorenſis Epiſcopus. Inter primos ſocios à Bernardo converſus; Sed à Sodalibus rursùm abductus, iterúmque jucundi miraculi interventu

ventu ab eodem Bernardo peſſimo avulſus Sodalitio ſociis reſtitutus eſt. Rem pro gloria Mellifluí Parentis minimè tacendam hiſce habe. Sodales nefarii, nè Bernardi piô aſtu capta præda ſuis manibus elaberetur, longiùs cum Hugone abſceſſerant, quos ille è veſtigio inſecutus cùm eos in patulo campo conſidentes cœlo undique ſerenô deprehendiſſet, tenentes Hugonem in circulo medium, nè Bernardi alloquiô ad ſaniora rediret, ingemuit, omnem ſibi ad Hugonem viam, omnem aditum eſſe præcluſum; Et quia DEI cauſa erat, pro qua adoleſcens Sanctus advenerat, commendavit inter uberes fletus Cœlo negotium. Adhuc oculi lachrymis innatabant, pectúsque zelô æſtuabat, tum ecce, Cœlum quod antea ſinè nubibus erat innube ac ſerenum, ſubitò coëuntibus nubium globis copiosô imbre vitioſum illum Sodalium circulum quaſi momentô ſolvit. Properabant ſinguli ſub tecta, atque etiam Hugo jam extra circulum liberior ſinè comite ſinè duce moleſtum imbrem fugiebat. Bernardus igitur eô eventu jam lætior, veluti ex inſidiis erumpens feſtinantem Hugonem manu præhenſum quaſi ſuboffenſus hiſce interpellavit: *Mecum ſuſtinebis hujus pluviæ guttas*! Subſtitit Hugo ab ipſo cœlo jam confuſus, jam proditus, atque inter Bernardi brachia & amplexus feliciſſimus captivus. Adhuc urgebat largus imber fugientes Sodales; at verò eo in loco, ubi Bernardus cum captivo Hugone ſubſtiterat, novô miraculô medios inter imbres orta Cœlo ſerenitas amborum adoleſcentum animos mirô lætitiæ ſenſu perfudit. Renovatum ibi ſub dio inter utrumque ſanctum fœdus nuſquam deinceps violabile. Eleganter hìc more ſuô Manriqueus Bernardi magnitudinem inſinuat: *Quibus videas vel in ipſo ſuæ converſionis initio Bernardi poteſtatem penè immenſam, Cœlum nimirùm nubibus claudentis, & rursùs aperientis portas ejus pro ſuo libito, obediente nimirùm Dominô etiam ante prolatam vocem menti hominis, ut Bernardi non ſolùm lingva, ſed cor etiam clavis cœli jam tunc comprobaretur.* Hugo itaque Bernardo cœlitùs reſtitutus cum illuſtri Sociorum agmine Ciſtercium eſt ingreſſus: inde non multò poſt à Stephano Patre fundando Pontigniaco primus Abbas deſtinatus, inter primos immortale beneficium Sacerrimo Ordini ſuâ induſtriâ contulit, ut ſcilcèt Summorum Pontificum privilegiis Ciſtercium penè à prima ſui origine à poteſtate Epiſcoporum eſſet *Exemptum*. Electus ab Antiſiodorenſi Clero in Epiſcopum,

Ad annum 1112. c. 2.

per viſionem divinitùs jam antea monitus Anno 1136. ægrè admodum & nonniſi obedire compulſus eligentium ſuffragiis conſenſum præbuit. Unus ille, qui Regi Franciæ & Theobaldo Comiti longô litigiô diſſidentibus datus Arbiter tantorum Principum animos novis concordiæ vinculis colligavit. Anno 1148. dum ab univerſa Eccleſia Gallicana ad Eugenium III. Legati titulô ornaretur, facilè fuit conjectari, quantum ſit totius Galliæ de uno Hugone judicium atque exiſtimatio. Interfuit Conciliis Trecenſi atque Rhemenſi, primo adhucdum Pontigniaci Abbas, alteri jam Epiſcopus. Ab Ordine, Regno, Eccleſia quàm optimè meritus plenus tam dierum quàm virtutum ad Superos abiit Anno 1151. ſepultus Pontigniaci. Quantus porrò fuerit Hugo, Superioris ſæculi furentes in Gallia hæretici, ſi modò vera narrare vellent, ſceleſti quidem, oculati tamen extitêre teſtes; Dum namque in Pontigniacenſi excidio etiam in Sancta irruerent, & impiâ conjuratione Sacras Divi Edmundi Archi-Epiſcopi Cantuarienſis exuvias tot ſæculis incorruptas, tumulo extrahere, flammíſque exurere ſe arbitrarentur, errore vicini Sarcophagi incidêre in corpus S. Hugonis, quod cum magnô prodigio per quadringentos penè annos deprehendiſſent incorruptum, fædè laceratum, rogóque injectum redegêre in cineres: novô Martyrii genere, dum Sanctus pro Sancto ſinè dolore Martyriô coronatur.

Obiit Annô 1165.

B. GAUFRIDUS (aliis etiam dictus *Godefridus*) quem ſangvis, virtus, profeſſio, affectus Bernardo à primis annis intimè conjunxêre, indefeſſus Ejusdem cooperator in fundanda regendáque Clara-Valle. Non paſſus eſt Pater Sanctus amicum tam ſibi quàm Valli ſuæ perneceſſarium absque officio hærere inglorium, collatô ei Prioris munere, ut qui dudum ſangvine & affectu, etiam officiô foret ſibi deinceps proximus. Creditus vulgò eſt, dictúsque *Alter BERNARDUS*, hôc unô ſanè elogiô Viris magnis haud dubiè longè præferendus. Neque ſolius vulgi hæc fama hæc laus: Bernardus ipſe hanc veritatem non infrequenter ingenuè confeſſus eſt: *Non exiſtimare ſe à Clara-Valle ſua eſſe abſentem, quamdiu Gaufridum ſuum ſciret ſoſpitem.* Et hic eſt ille Gaufridus, qui integrô Trienniô, quô Bernardus in Italia publicis Eccleſiæ utilitatibus implicitus tenebatur, tantâ dexteritate ac virtute nume-

numeroſam illam ſanctámque Congregationem rexit, ut redux Bernardus nullum planè litis veſtigium, ſed ſummam inter tot Virorum magnorum centurias pacem, & quoddam quaſi in terris Cœlum deprehenderit. Vacabat per id tempus Sedes Lingonenſis in Gallia: concordibus igitur votis unus è Clara-Valle Bernardus deſiderabatur, qui Thronum Epiſcopalem conſcenderet. At Vir humillimus vix Abbatis ferens titulum omne dignitatum nomen conſtantiſſimè à ſe removebat. Eâ Bernardi humilitate accenſi magìs Lingonenſes potentiùs ingerebant Epiſcopalem Infulam. Igitur ſive ex parte, ſive ex toto ſatisfacturus tam piis Populi votis amantiſſimum ſibi Gaufridum, id eſt, *alterum Bernardum* ſubſtituit: quod ille munus tantâ animi demiſſione ſubterfugit, ut ſe publicè omninò indignum conſtanter profeſſus vix Bernardi, ſummíque Pontificis imperiô coarctatus humeros lachrymans oneri atque dignitati ſubjecerit. Nil Gaufrido viſum acerbius, quàm avelli à Bernardo, id eſt, quaſi à ſeipſo: tam amabili glutinô amborum animi ſibi cohærebant. In Epiſcopali munere non minùs Monachus quàm Epiſcopus, quantò ſibi pauperior, tantò in pauperes profuſior. Bernardô per ſanctiſsimam mortem jam ad Superos translatô Alexandri III. Pontificis Summi aſſenſu ac facultate Clavum dimittit, atque ad Claram-Vallem rediens jam grandævus reliquias vitæ ſuæ in Sacello Cellæ illi contiguo, quam olim Bernardus Pater unius anni incruentus, ſed quotidianus Martyr ſub bardi cujusdam Medici tortura magìs quàm cura, inhabitaverat, pientiſsimè abſolvit; non alibi feliciùs moriturus, quàm in Clara-Valle, in qua nemo è Bernardi Filijs malè mori potuit. *Alanus in vita Bern. cap. 8.*

B. ROBERTUS Divi Bernardi *conſobrinus*, inter triginta illos ſocios, quos Bernardus Ciſtercium adduxerat, ætate omnium junior: & quia ea de cauſa rigori Ordinis minùs adhuc idoneus, à Stephano Patre fortiorem ætatem expectare juſſus, poſt duos demum annos conſtanter interea pulſans Bernardi Magiſterio jam tum in Clara-Valle Abbatis à Stephano traditur. Duriùs fortè pro ſuo illo primo zelo Pater Sanctus adoleſcentem tenerè educatum tractaverat, inde Cluniacenſes, quibus olim Robertus puer à parentibus ſecundùm veterem Benedictinorum & regulæ ſacræ conſvetudinem traditus fuerat, eundem jure avi- *Obiit Anno 1190.*

tæ traditionis olim, jam ſuum non ſinè ſpecioſo titulo repetunt, & miſsô Conventûs Priore Juvenem Ciſtercienſium rigori jam offenſum, atque ad mitiores leges ſuâ ſponte anhelantem abſente Bernardô facili negotiô abducunt. Non tam indignatus Cluniacenſibus ob religioſum hoc furtum, quàm compaſſus Roberto Bernardus dolorem aliquamdiu preſsit, ut deinde vehementiùs erumperet. Fruſtra expectabatur Robertus rediturus ultrò, nisì vocaretur: & licèt absque Bernardo diſceſſerit, ſinè Bernardo tamen reducendus nullatenùs erat. Igitur moræ longioris impatiens Bernardus cum Guillelmo, poſtea primo Rievallenſium Abbate, extra ſepta Monaſterii egreſſus, nè divinæ illæ ideæ, quas chartæ impreſſurus erat, turbari poſſent, ſub dio cum ſocio conſedit, cœpítque dictare Guillelmo epiſtolam, ſi verba ſpectes, melleam, ſi affectum, paternam, ſi zelum, divinam, quâ Robertum ad gremium revocaret. Fluebant adhuc verba è ſcribentis calamo melle digniora quàm atramentô: & ecce! ſubitus imber è nubibus erumpens utrumque obruit. Feſtinabat colligere chartam Guillelmus, atque in ſinum recondere; at verò Bernardus importunis aquis præſcripturus leges fidenter Guillelmo imperabat, ſederet, ſcriberet: *opus*, inquiebat, *DEI eſt, ſcribe, nè timeas.* Sedit ille, ſcripsítque *in medio imbris ſinè imbre*: Nè gutta quidem chartam ſcribentis tetigit, cùm tamen undíque in circuitu copioſior pluvia delaberetur. Renovata hìc *Gedeonis* ac *Velleris* in medio rore illæſi prodigia exiſtimat *Cardinalis Baronius*. In perennem tanti miraculi memoriam hæc ipſa epiſtola inter omnes jam antiquitùs primum locum obtinuit, non quia prima eſſet numerô, quam Bernardus ſcripſerit; ſed quia ob reverentiam prodigii prima eſſet ordine dignitatis. Et quidem ſi uſpiam alibi, verè in hac una epiſtola ſeipſum Bernardus ad vivum depinxit, qualis quantúsve ſeu affectu ſeu zelô ſeu manſvetudine fuerit erga delinquentes. Ex paucis lineolis Bernardum noſcemus: *Me miſerum* (plangit deſolatus Pater) *quòd te careo, quòd te non video, quòd ſinè te vivo: pro quo mori mihi vivere eſt: ſinè quo vivere, mori. Non igitur quæro, cur abieris; ſed quòd jam non redieris, queror. Non cauſas diſceſſionis, ſed moras cauſor regreſſionis. Veni tantùm; & pax erit. Revertere, & ſatisfactum eſt. Redi, inquam, redi, & lætus cantabo: Mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus eſt.* Et paulò inferiùs Roberti delictum pulcherrimâ blanditiarum

Tom. 21 Anno 1126.

rum arte non ſoli Roberto, ſed etiam ſibi Vir humillimus imputat, ut diviſa inter ambos culpa mutuâ amborum pœnitentiâ elueretur, metueretque jam minùs Robertus delicti pœnam, cujus potiorem partem jam ipſe Bernardus in ſe ſuſceptam humili confeſſione ac veniæ petitione ſolviſſet: Divina prorsùs ars! & ſtratagema Bernardô ſacerrimô illô non tam in Caſtris quàm Clauſtris Strategô longè digniſſimum! ut culpam filius agnoſcat, Pater pœnitet: ut pœniteat filius, Pater pœnam aut mitigat aut tollit. Facilè ſcilicèt pœniteas, ubi non habes pœnam quam timeas. Recitanda Epiſtolæ tam illuſtri prodigiô nobilitatæ verba ipſa, in quibus imago Præſulum expreſſa vivaciùs: *Fuerit certè*, inquit Bernardus, *meæ culpæ, quòd diſceſſiſti: delicato quippe adoleſcentulo auſterus extiteram, & tenerum durus nimìs inhumanè tractavi.* - - - *At verò hinc vel procul dubio incipit eſſe & tuæ, ſi non parcas pœnitenti, indulgeas confitenti: quia potui quidem aliquando in aliquibus fuiſſe erga te indiſcretus, ſed certè non malevolus. Quod ſi & in futuro hanc ipſam indiſcretionem meam ſuſpectam habes, noveris me jam non eſſe, qui fueram, quia nec te puto fore qui fuiſti. Mutatus mutatum invenias, & quem ante metuebas Magiſtrum, comitem amplectêre ſecurus. Itaque ſive meâ culpâ receſſeris (ùt tu putas, & ego non excuſo) ſive tuâ (ùt multi putant, etſi ego non accuſo) ſive meâ ſimul & tuâ (quod ego magìs puto) ex hoc jam ſi redire renueris, ſolus profectò inexcuſabilis eris. Vis ab omni culpa liber eſſe? Revertere: ſi tuam agnoſcis, ignoſco. Ignoſce & tu mihi, ubi meam agnoſco. Alioquin aut tibi nimìs indulges, qui tuam culpam & agnoſcis & diſſimulas: aut mihi nimìs immiſericors es, cui nec ſatisfacienti ignoſcendum putas.* Hæc aliáque plura Bernardus corde affectúque humilis, verbis lenis, non Jupiter tonans, qui Robertum fugientem fulmine ac terroribus haud dubiè longiùs fugâſſet, quàm ad ſinum Pater revocâſſet. Lectâ Epiſtolâ, quam afflatu Numinis Bernardus conceperat, commota ſunt omnia viſcera Roberto, qui jam non ſuâ, ſed alienâ voluntate, primùm quidem Pontii, ac deinde etiam Hugonis Abbatum tenebatur in Cluniaco. Mutuis interim litibus acriter colliſi Ciſtercienſes cum Cluniacenſibus, utriſque Robertum ſibi vendicantibus: donec poſt annos aliquot *Petrus Mauritius* ob ſanctitatem nuncupatus *Venerabilis*, Pontii atque Hugonis Succeſſor, Bernardi noſtri præcipuus Amicus & Cultor Robertum in Claram-Vallem remiſiſſet. Redditus loco ac Bernardo Patri Robertus errorem per ſe

commiſſum expunxit deinceps majori fervore, rigoris Monaſtici, quem nuper fugerat, poſthac tam ſtudioſior, quàm amantior, dignus omninò, quem Bernardus cum tempore *Monaſterio Domûs DEI in* Galliis primum præfecerit Abbatem, cui præfuit, quod olim hodiéque rarum, annis octo & qninquaginta, univerſim Monachus annorum ſeptuaginta ſeptem: pulcherrimâ ætate, ſi tam merita in Roberto computemus, quàm tempora.

Vixit circa Ann. 1196. B. ASCELINA Bernardi Melliflui Neptis, & in Polengerio Ciſtercienſium Virginum Cœnobio Prioriſſa: à teneris ungviculis ſi mores, ſi ſocietatem ſpectes, non tam homo quàm Angelus; à prima namque infantia Angelum, quem nos habemus tutelarem, illa nacta eſt Pædagogum, à quo ſenſibiliter tum verbis tum ſignis reprehenſa, ſi quandóque pro more puſillæ ætatis infantile quid, aut minùs decens ageret. Monita item aliquando, quatenùs ſibi caveret à prædone quodam, qui inſidiaretur pudori, omnem vultûs gratiam deinceps inediâ, & carnis maceratione ità fædavit, ut DEO angelíſque placere magìs potuerit, quàm mundo & homini. Præter Puellarum genium nîl minùs amabat, quàm veſtium cultum, cæteráſque ſæculi vanitates: Pulſata quâdam die vehementiùs à cogitationibus vanis, quæ ſolent eſſe quædam voluptatis carnalis ſemina, indignata illi & ſibi, novô præliô eas triumphans, ſe nudam inter urticas volvit, ſícque doloris ſenſu infeſtas caſtæ menti ideas oppreſſit. Flagella quæ alii aliæque horrent, Aſcelina in quotidianis habuit deliciis, ſepties indies ab aliis paſſa ſe flagellari, quia fortè ſibi ipſi ſuſpecta manu ſuâ blandiri ſibi potuerit. Non igitur mirum, quòd per omnem omninò vitam ſuam, prout ipſa paulò ante obitum manifeſtavit, nullam nè quidem vel modicam ſenſiſſet carnis tentationem, vel ſi ſenſerit, certè non meminiſſet. Erant hæc vitæ religioſæ pia præludia, quâ tandem Angeli & Bernardi ſui hortatu inter Ciſtercienſes initiata, unas ſuas propè delicias habuit in oratione, omne temporis momentum arbitrata ſe perdere, quod non impendiſſet orationi ſeu mentali ſeu vocali. Omni die Pſalterium Coronati Vatis ſtans ex integro recitabat. Lachrymis inter preces penè indeſinenter madens: Unde, mirum dictu, ante altare, ubi orare conſueverat, foſſulam paraverat, in quam pretioſa illa oculorum ſtillicidia deciderent, ſolita non citiùs

tiùs ab oratione ſurgere, niſi totam lachrymis impleviſſet. Æſtuabat tamē medias has inter aquas Aſcelinæ pectus divinis incendiis, ità ut perenni flammâ igneum globum in Ventre ſuo ardentem ſe ſentire aſſereret. Una inter alias flammas Martyrii deſiderium, quô vitam ſuam mille mortibus immolandam offerebat: Unde aliquando divini amoris impetu atque patiendi pro Chriſto deſideriô ſangvinem copioſum per os & reliquum corpus ejecit. Sacri hi ignes & amores procul dubio non orti aliunde, quàm è jugi conſideratione Divinæ præſentiæ; in hoc namque angelico prorsùs exercitio præ reliquis Virgo Sancta excelluit, ut nunquam non cogitaret præſentem DEUM, quod ipſum Aſcelina nonnunquam Faſſa eſt Goſvvino Patri Spirituali: *Nihil*, inquit, *mihi boni ſum conſcia exceptô quòd Dominum ſemper in memoria habeo.* Ex hoc fonte emerſerant juges illæ preces, ità ut toties velutì oraret, quoties ſpiraret, qua orandi aſſiduitate facta angelis quò ſimilior eò familiarior, qui ſuaviſſimæ ſuæ æmulæ viſi ſunt in Choro lumen aliquando præferre, dum ea lectiones de more eſſet decantatura. Chorum in- & egreſſura non raro ſeu comitem ſeu Ducem habuit columbam, haud fallaci ſymbolô, quòd quemadmodum olim Columba in Jordane notaverat dilectum Patri Cœleſti Filium, ſic & Aſcelina per eam ipſam columbam eſſet aſſumpta à Salvatore in dilectam ſeu Filiam ſeu Sponſam. Quàm fuerit præterea Bernardo Patri in amoribus, demonſtravit is eâ ipsâ nocte, quâ è vivis exceſſit; glorioſus enim Aſcelinæ apparens feliciſſimum nuncium ipſe attulit, quòd tandem ergaſtulô carnis ſolutus ad Superos abierit: Dúmque illa hæreret in glorioſi Spiritûs amabili aſpectu, is in columbæ ſpecie ſublimis in aſtra evolavit, atque ex oculis ſtupentis evanuit. Secuta eſt tandem Bernardum Aſcelina virtutibus, prodigiis, DEIparæ, Divorúmque Joannis-Baptiſtæ & Evangeliſtæ apparitionibus glorioſa.

Sed neque inter Bernardi conſangvineos tacenda Aſcelinæ Mater, quæ Divi Bernardi ductu ac conſiliô poſt mariti obitum cum quinquenni ſua filia Aſcelina Ciſtercienſe Inſtitutum amplexa, ſanctiſſimâ converſatione tam Sanctæ Filiæ probavit ſe eſſe Matrem.

Atque hæ ſunt illuſtres ſtellæ ex Illuſtriſſima ac Sanctiſſima Bernardi Familia Ciſtercienſem Horizontem illuſtrantes, quas

quidem poſt diligens ſcrutinium invenire potui. Veriſimile eſt, plura eſſe è Bernardi propinquis in Ciſtercium translata ſidera; Sed hæc alii quærant, & laudent: mihi hìc illud præcipuè memorâſſe laudaſséque ſufficiat, Bernardum cum tota ſua Domo de *Fontanis* in Ciſtercii Fontes & Ciſternas tranſiiſſe.

ERudite, Doctiſſime, Eximie
Pater, *Frater*, *Lector!*
(*Vtroque* enim hôc titulô Te *meum* eſſe cupio)
Ignoſce, quòd hìc Tuâ,
Et præcipuè *Doctoris Mellei* veniâ
Non tam ex mea quàm aliena
Mente & lingva
Sentio & loquor!
Etiam Docti, etiam Doctores errant!
Omnia BERNARDUS
Doctus & *Doctor*
Bene fecit, *Bene docuit*,
In uno erravit,
Quòd non *benè* non *plenè reliquerit omnia:*
Qui enim *Fratres ſecum*
Et *Patrem Sororémque poſt* ſe
Traxit ad Ciſtercium,
Inter tot Domûs Suæ *appendices*
Non reliquit omnia!
Ergo non ſedebit BERNARDUS!
Matth. 19. Quia Soli præ omnibus *ſedebunt*,
Qui omnia cum paucis *reliquerunt.*
Poſſet ſinè mala nota ſtare Bernardus,
Sap. 5. Quia etiam *Juſti ſtabunt*,
Sed ampliùs aliquid meruit Mellifluus Eccleſiæ Doctor,
Sedeat BERNARDUS, quia *Doctus*, quia *Doctor!*
Et *Sedeat* etiam, quia *reliquit omnia!*
Non honoras totum BERNARDUM,

Si

Si eum honoras *Doctorem*, *Thaumaturgum*, *Apoſtolum*,
Qui *bene docuerit*, *fecerit*, *prædicaverit*
Omnibus omnia factus, non fictus;
Si non honoras,
Quod ille primò quod ultimò,
Quod ſemper, quod maximè fuit,
BERNARDUM Monachum,
Qui, quod debent Monachi
Reliquerit omnia.
Neque offendi debes,
Quòd Teſſelinum Patrem, Humbelinam Sororem, Fratréſque 5
Bernardum ad Clauſtrum ſequi videas;
Non enim tam BERNARDUM ſequuntur illi,
Quàm hortatu Bernardi, DEUM,
Et ſi BERNARDUS domeſticòs poſt ſe traxit,
DEO Suo, ſe ſuóſque totos dare voluit,
Non ſervare ſibi.
Is ſatìs derelinquit omnia,
Qui in omnibus nîl ſervat ſibi.
Recepit BERNARDUS *Fratres* à DEO;
Sed qui diviniori geneſi facti *Filii*
Minùs citrà piaculum à Patre relinqui poterant.
I Critice!
Et noli deinceps BERNARDUM criminari,
Quòd non reliquerit omnia,
Nè forſan *inter omnia* & *Te* derelinquat!
Dic potiùs *BERNARDUM Orpheum*,
Qui Orpheô felicior
Non lapides tantùm traxit,
Sed *Domum Suam integram*
In *Civitatem refugii*:
Tibi quoque non Cytharâ ſed *lingvâ & pennâ*
Adhuc hodie canentem,
Si *dignus es trahi.*
Dic *BERNARDUM Gallinam!*
(Quâ *Gallia* fœcundiorem non habuit,)
Nobilem Suorum gregem

(Voca *albæ Gallinæ filios*)
Congregantem ſub Suas & Numinis alas:
Tibi quoque
Si *pullus* ſed *candidus* eſſe cupis,
Glocitantem.
Dic *BERNARDUM Magnetem*
Per *dura & aſpera*
Suos rapientem ad *Polum & ſidera*:
Tibi quoque oſtendentem *lineam*,
Quâ ad *Centrum*,
Ad *promiſſum Centum & Centuplum*
BERNARDI auſpiciis, ductu, raptu
Aſcendas!
I!
Lapis, Pulle, Ferrum!
Sequere in BERNARDO
Orpheum, Gallinam, Magnetem!
Melior tibi
Et *Charior* mihi BERNARDUS erit,
Qui ad ſe *traxerit* omnia,
Quàm qui *reliquerit* omnia.
Tu mi Lector!
Qui inter *omnia*
Etiam es *aliquid*,
Et fortè aliquid multum
Aliquid Magnum:
(Neque enim ego qui modicus ſum & puſillus,
Magnos fugio,
Quibus ſi ſcribere non audeo
Quia puſillus,
Placere tamen opto
Quoniam iterum puſillus;
Quemadmodum enim *Magnos Magna* decent,
Ita *Magnis parva* placent,
Vel ipsâ parvitate ſuâ
Magnis & parvis
Gratioſa.)

Tu

Tu igitur mi Lector,
Time BERNARDUM, *omnia*, & inter omnia
Te derelinquentem,
Et *ama* BERNARDUM, *omnia*, & inter omnia
Te trahentem!
Et *ſi non traheris*,
Ora ut traharis!
Quia BERNARDUS
Jam è Valle ſua *exaltatus* ſuper ſidera
Omnia trahit ad ſeipſum. *Joann. 12.*
Utinam *etiam Te*
Et *meipſum!*



TITULUS VI.
CISTERCIENSES SANCTI ET BEATI.



A Jahn offecy del: *B. v. w. Scul.*

NUllam hìc ego formabo Synopſim ex prægrandibus illis voluminibus, quæ *Angelus Manrique*, *Chryſoſtomus Henriquez*, *Barnabas de Montalbo*, *Bernardus Britus* aliíque complures Sanctis atque Beatis ex Ordine Ciſter-

ſtercienſi impleverunt; id enim ſupra vires & molem hujus mei & calami & opuſculi: Sola utique Sanctorum nomina paucula hæc folia vix caperent, tam numeroſa Eorundem eſt Series. In ſola *Clara-Valle teſte Henriquco in appar. ad Menol. cap.* 11. *Sexcenti* numerantur (Author Anni Ciſt. 12. Auguſti ultra *nongentos* memorat) quorum Sacræ exuviæ authoritate Eccleſiaſticâ ſunt elevatæ ac translatæ: & licèt ij omnes & ſinguli ritu ſolemni Albo Sanctorum ab Eccleſia non ſint adſcripti, eâ tamen translatione, ſeu publicô cultu illos ſupra communem mortalium ſortem evehere Eccleſia voluit, cùm alioquin coli publicè eorum reliquias non patiatur, qui Sancti non ſint declarati. *Villarium* celebre Brabantiæ Cœnobium Claræ-Vallis æmulum complures pariter numerat Beatorum Centurias, ubi à quingentis aliquando Religioſis in Choro pſallentibus audita divinitùs vox: *Omnes hos ad gloriam eſſe prædeſtinatos. Parciùs Roma procedit, dum Beatos pronunciat; ſed Cœlum in hoc exlex plura audet pro Ciſtercio quàm Roma.* Barnabas de Montalbo Scriptor Luſitanus 1. *Annalium Tomo.* L. 2. c. 37. quantùm ipſe quidem potuit, Sanctos è Ciſtercio Canonizatos his verbis ad calculum revocavit: *Præter Martyres Ciſtercienſes, ſunt plusquàm quingenti Sancti Canonizati, elevati, & quorum ſolemnitates Officiô Eccleſiaſticô variis in locis recoluntur.* Excepit Martyres, quos nos infra vel è Sola Calatrava bis mille dabimus. Neque comprehenſi his verbis Beati, qui necdum ſolemni apotheoſi Sanctis ſunt adnumerati, quorum ingens & haud dubiè major numerus, quàm eorum, quos defactò colimus Canonizatos. Accedit quòd Barnabas Author Luſitanus à reliqua Europa tantis terrarum mariúmque intervallis diſtans fortè potuerit multos ignorare, qui opinione ſanctitatis olim floruerint apud Danos, Suecos, Prutenos cæteróſque ultimi Septentrionis populos. Multas præterea Sanctorum memorias in Monaſteriorum excidiis ingloriè conſepultas luget hodierna ætas. Quòd ſi inter triſtia Cœnobiorum rudera novô miraculô novô Spiritu animati lapides hodie clamare poſſent, plura fortaſſis hodierni in Bohemia Ciſtercienſes de pientiſſimis ſuis Anteceſſoribus poſſent & loqui & ſcribere. Longè quidem Monaſteriis Vicariatûs Bohemiæ nunc eſt alia meliórque facies, quàm quæ fuerit poſt Huſſii inſanientis calamitoſa tempora; Verùm Bibliothecas & archiva ſeu flammis abſumpta, ſeu furtô ablata, nullóque pretiô aut arte

Henriq. in Phœn. reviviſc. L. 2. cap. 20.

recuperabilia quìs dignè ſatíſque deploret? Indubitatum igitur eſt, non apud Bohemos modò, ſed etiam apud Nationes alias, quod aſſerit, dolétque Henriqueus, multò plures eſſe è Ciſtercio Sanctos, quorum memorias oblivio & temporum injuriæ extinxerint, quàm quos nunc noſcimus & colimus. Manriqueus idipſum perſæpè in ſuis Annalibus queſtus aliam præterea inſinuat rationem; quia ſcilicèt Veteres illi Ciſtercienſes plus ſtuduerint *ſcribenda facere, quàm facta ſcribere.* Nil tamen pro Ciſtercii Sanctis illuſtrius, quàm quod locô mox citatô commemorat Henriqueus: fuiſſe olim à Generali Capitulo occaſione *B. Arnulphi Villarienſis* inter Sanctos referendi ſanctè ſeveréque ſtatutum, ut de cætero nulla fieret ampliùs in Ordine mentio de Beati cujuscunque Canonizatione: obeſſe nempe Ciſtercii humilitati atque devotioni creſcentem indies Sanctorum copiam, quorum ſinguli de condigno coli minùs poſſint. Tria ego hìc noto. Primum eſt, quòd non modicus Sanctorum Ciſtercienſium numerus fuerit aureis illis primis ſæculis, adeò ut etiam per leges, quosdam veluti limites cohiberi debuerint Sanctorum apotheoſes. Alterum, quod Ordo eximiô zelô ac veneratione antiquitùs Sanctos coluerit, & nullatenùs paſſus ſit primorum Sanctorum cultum per novorum acceſsionem vel in minimo minui. Tertium, quòd una Ciſtercii humilitas præponderaverit ingenti illi apud Poſteros exiſtimationi ac gloriæ, quæ per novos Sanctos ſperari, haberíque potuerit. Non itaque deerant Sancti Ciſtercio, quibus Ciſterciũ propè abundabat. Propriâ Veterũ Ciſtercienſium culpâ (ſi tamen culpa, & non potiùs humilitas eſt atque zelus) eveniſſe videtur, ut pauciores modò inter Divos Coelites publicis Eccleſiæ honoribus colendos habeat Ciſtercienſis Familia, quàm, ſi modò ante ſæcula & uſque in ſæculum voluiſſet, habere potuiſſet. Sed indulgendum Sanctiſsimæ culpæ, quâ antiqui Ciſtercienſes non voluerunt tam Sancti dici & ſcribi, quàm eſſe. Nil ſanè demptum eorum Sanctitati, quia nempe ex unius virtutis imperio atque impulſu voluerint ignorari Sancti; quod namque detractum eorum applauſui in terris, additum eorundem gloriæ ac felicitati in Coelis. Hoc unum inſtar portenti eſt, quòd Ciſtercio per publicum ſtatutum omnimodis ſubterfugienti Suorum Canonizationem, penè ab Eccleſia fuerit obtruſa tot Virorum Illuſtrium publica apotheoſis, ut proinde

In apparat. ad Menolog. cap. 11.

inde novâ experientiâ veriſſimum eſſe videatur, quòd honor fugientē ſequitur. Intelligo quidē efficaciter nunc à Sācta Sede petendam, procuradámque eſſe beatificationem Servi DEI *Vincentii Kadlubek* Epiſcopi quondam Cracovienſis, & Monachi Andreovienſis, quæ eſt domus Ordinis Ciſtercienſis apud Polonos, adeóque hanc Veterum Ciſtercii Patrum legem nunc ex parte evacuandam; At verò ſimul audio, non unius Ciſtercii eſſe hæc vota, ſed inſuper & præcipuè popularium, qui ſummis deſideriis cupiunt Magnum hunc Virum pro Patriæ ſplendore atque ſolatio ſpectare coleréque inter Sanctos. Non debent utique Ciſtercii leges eſſe præjudicioſæ fidelibus Populis, quorum pietas inſuper augeri debeat per noſtros. Hoc obiter notare volui, nè puſilli ſcandalum ſumant, ſi audiant, à Ciſtercienſibus olim prohibitum promovere Divorum Apotheoſes, hodie verò ab ijsdem ſolicitari *Vincentii* publicos in Eccleſia honores.

Ordinatiùs proceſſuri Sanctos in ſuas quoſq; claſſes dividemus: Pontifices Summi, Reges, Principes, Cardinales, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Martyres in ſuis ſinguli claſſibus velutì in theatris prodibunt inferiùs: Hunc titulum præcipuè dabimus ſanctis è Ciſtercio *Abbatibus*, *Monachis*, *Converſis*; Non tamen omnes omninò memorabimus, ſed è ſingulis Claſſibus pauculi ſuſtinebunt perſonam cæterorum.

Igitur è Ciſtercii ABBATIBUS qui unà ſunt Ordinis Generales, duo hic ſunt recenſendi *S. Faſtradus & S. Alexander*: hujus hìc repetenda converſio admirabilis; Ejus verò glorioſa mors: ex utraque metiendi ambo, quanti fuerint. Obiit FASTRADUS Pariſijs, ubi ſub idem tempus Alexander III. Pontifex Summus cum Rege Ludovico morabatur. Tanti per omnem vitam Alexander atque Ludovicus Faſtradum æſtimaverant, ut ſe partim felices arbitrarentur, quòd jam ambo aſſiſtere poſſent pretioſo Viri Sancti agoni, partim dolerent, quòd Virum perderent, tam ſibi amicum, quàm Regno ac Eccleſiæ proficuum. Nunciatô igitur Faſtradi agone Pontifex & Rex celeriùs accurrerant, aucturi morientis non tam luctum quàm triumphum, ut eò Sanctiùs eò ſplendidiùs inter Sanctiſſimum, & Sereniſſimum medius moreretur, feliciſſimô haud dubiè fatô vel ipſis Regibus ac Pontificibus hactenùs negato. Ale-

Obiit An-[illegible]

Nn xan-

xander ipſe extremæ unctionis Sacramentum Faſtrado adminiſtraverat, atque benedictione Apoſtolicâ morienti inter ſuſpiria benè precatus eſt. Quin imò Rex & Papa interim Majeſtatis aliquantùm obliti pulcherrimæ morti amariſsimè viſi ſunt illachrymari. Veritas hujus planctûs ipſis Exordii verbis probanda eſt, nè in re magna quia noſtra videamur fortè nimium dixiſſe:

Lib.1.c.38. *Et non ſolùm* (ait author cit: Exordii) *Apoſtolicus, verùm etiam piiſſimus Francorum Rex Ludovicus, qui & ipſe præſens erat cum ſua Curia, planctu magnô Sanctiſſimum Virum, quaſi Patrem Chariſſimum planxit; multáſque ſuper eum lachrymas fudit.* Magnorum Virorum funera non niſi Magnorum lachrymis dignè lugentur. Addidit Alexander pretioſiſsimum his lachrymis vivæ vocis divinum quoddam oraculum in hæc verba mox poſt Faſtradi obitum erumpens:

Henriq. in Faſci.L.1. diſt.3.c.12. *Magna Eccleſiæ columna à nobis hodie ſublata eſt!* Faſtradi animam è corpore egreſſam vidit quidam Ordinis noſtri Aſceta in partibus Angliæ ſolitudinis ſanctus incola, cœleſti lumine fulgentem ab Angelo aſtris inferri. Non potuit poſt tam illuſtrem mortem ſequi niſi ſplendor gloriæ.

Alterius è Ciſtercio Abbatis ALEXANDRI converſio magìs hìc memoranda, quàm mors; licèt neque hæc ſinè gloria & laurea. Colonia Aggrippina Alexandro illuſtres cunas dedit, ingenii acrimonia doctrinæ famam, Eccleſiæ B. MARIÆ ad Gradus Canonicatus præpinguis honores: quæ omnia ſpes ingentes in Alexandro ad altiora accendebant. Sed debebantur hæc omnia Bernardo & Claræ-Valli. Bernardô namque authoritate Legati à Latere Germaniam ciente ad Sacra contra Saracenos capeſſenda arma, Alexander quoque ad bellum longè Sanctius à Bernardo vocabatur, caſtra deinceps habiturus in Clara-Valle; At ſurdus ad nova hæc caſtra & prælia Alexander liberiùs ridebat præpropera Bernardi ſeu monita ſeu vaticinia: nihil ſe hactenùs de Monachis de clauſtris ſomniâſſe; neque timendum, excelſas ſpes, quibus ad Eccleſiaſticarum Dignitatum faſtigia à natura, ingenio, ſangvine formatus eſſet, nunc unô momentô, unô impetu non abſque piaculo illicò à ſe fore calcandas. Nîl ampliùs in reluctantem eâ die auſus Bernardus ulteriores aſſultus Sacerrimus Strategus in noctem & diem ſubſequẽtes tam callidè quàm ſanctè diſtulit. Itaq; Alexander nocte proximâ cœleſtibus actus

in

in ſomniis, importuno Bernardo veſtem Ciſtercienſem ſibi ſemel iterúmque injicere volenti viſus ſe ſubtraxiſſe; tertiâ tamen vice etiam invito injectus Monaſticus cucullus Alexandrum multô ſudore perfuderat: quem mox expergefactus unà cum metu, & phantaſtica, ùt ipſe quidem jam hilarior arbitrabatur, vocatione abſterſit. Eâ ipsâ die Bernardo piſcis perca appoſitus eſt in prandio, quem ille ex heſterno milite hodie Sacer Piſcator in hamum deſtinavit capiendo Alexandro. Igitur benedictione veluti pretioſô embammate conditam percam in amicitiæ, & heſternæ & ulterioris dulce ſymbolum Alexandro prandenti transmiſit, quem cùm vixdum libâſſet Alexander, non jam ille, qui herì, ſed totus jam is ipſe, qualem Bernardus herì & hodie optaverat: Refricata inſuper Superioris noctis ſomnia non à ſtulto phantaſmate, ſed haud dubiè à ſanctiore Morpheo ſeu à Cœlo ſeu à Bernardo immmiſſa mutatum jam per ſacrum percæ philtrum pleniùs traxêre in Bernardi retia. Secutus eâ adhuc die Bernardum Alexander per Germaniam primùm, ac deinde in Claram-Vallem uſque poſteros ſuô exemplô docuit, minùs piſces poſſe eſſe Ciſtercienſibus ſuſpectos, quos Bernardus olim in perca benedixerat: & ſi fortaſſe alibi alios, certè non apud Bernardum Ciſtercienſes poſſe perire per piſces, per quos Alexander ad meliorem vitam reſpirârit. Prodigioſæ huic ac Sanctæ converſioni non abſimilis fuit deinceps Alexandri converſatio atque vita; Vulgò namque quaſi in proverbio de eo creditum: *Alios ad Cœlum ire, Alexandrum currere.* Primùm datus Grandi-Sylvæ per annos viginti in Abbatem, ſubinde univerſo Ordini in Caput ac Generalem per annos novem: Magnus apud DEUM, domeſticos atque Exteros: inde injuncta illi pro publico Eccleſiæ ac Reipublicæ bono gemina Legatio, ad Fridericum Imperatorem una, altera ad Angliæ Regem, quam utramque pro Nominis ac Muneris ſui magnitudine ex Principum ac Orbis Chriſtiani voto præclarè obivit. Tandem vitâ functus è Ciſtercio abiit rectâ ad Cœlum, eâ nimirùm viâ, quam Primi Ciſtercienſes ſtravêre, & monſtravêre poſteris.

Hiſpania Luſitaniáque Magnorum Sanctorum fœcundæ altrices neque in Ciſtercium parciores ſuos quoque eidem dedere Viros ſanctimoniæ famâ longè celeberrimos. Septem hìc

 dun-

duntaxat è Sanctis Abbatibus nominabo, cæteros relicturus faſtis Authorum paulò grandioribus.

Primus itaque B. ALDEBERTUS Vir apud Luſitanos Magnus, ſecundus Cœnobii S. Joannis de Tarouca Abbas Alphonſum Regem, totámque Luſitaniam feliciſſimô experimentô docuit, non minùs ſibi, quàm olim Iſraëli ſuum eſſe in Aldeberto Moyſen, qui prodigioſus apud Dominum Orator hoſtium vires non ferrô frangeret & pugnô, ſed lingvâ & prece. Saracenos Eccleſiæ & Luſitaniæ hoſtes trrumphaturus Alphonſus novus Luſitanorum Joſue, non ſolùm præliatorum exercitum contra eos, ſed Aldebertum meliorem Exercitûs partem lateri ſuo individuum eſſe Comitem voluit, ratus in Sancti Viri manibus, quas ad Cœlum foret extenſurus, ſtare pulcherrimæ victoriæ non fallibiles ſpes. Nìl minùs quàm Joſue egit Alphonſus, nìlque minùs quàm Moyſes Aldebertus, pugnando ille, orando iſte; Sed neque minùs quàm Amalecitæ egere Barbari, inſigni clade profligati turpi fugâ exceſsêre Campo, qui Victori Luſitanorum Exercitui unà cum caſtris & ſpoliis relictus in pugnæ victoriæq; ſtipendium atque memoriam. Hæc prælii primi auguſta imago. Ipſa victoriæ magnitudine jam fidentior Alphonſus, novô præliô hoſtes eſt adortus, attamen Aldeberto à caſtris abſente, malô haud dubiè præſagiô, quòd mox cadet, quem manus Luſitani Moyſis jam non tenerent. Quid multis? Premente Barbarô victi fugatíque Luſitani ſeriùs abſentiam Aldeberti accuſabant. Accitus igitur celeri nuntiô à Rege Vir Sanctus cadentes militum animos ſuâ præſentiâ ad novæ victoriæ fiduciam excitabat. Pugnatum eſt tertiò, Aldebertô rursùs orante, rursùs extollente manus ſuas, & Saraceni ingenti ſuô probrô & damnô ſensêre in Caſtris Luſitanorum præſentem in Aldeberto Moyſen, cujus precibus victi ſecundò, cladem eò ferebant acerbiùs, quantò hilariùs paulò ante triumphaverant. Vocandum hìc ſanè in victoriæ participium eſt Ciſtercium, cui datum, novos ex gremio ſuo Eccleſiæ, Regibus, Militibus dare prodigioſos Moyſes, & Oratores. Non tamen Solâ hâc precum efficaciâ ſtetit Aldeberti ſanctitas, acceſsêre virtutes Summæ, miracula, quæ Virum magnum Orbi & Cœlo reddidêre Venerabilem.

Obiit Anno 1125.

Alterum Cœnobii de Tarouca inſigne decus S. JOANNES CIRI-

CIRITA primùm miles, ſubinde Anachoreta, tertiò Monachus Ciſtercienſis in Tarouca, tandem ejusdem Cœnobii ac S. Chriſtophori Abbas: in quo Luſitania Romanis novum oppoſuit Scævolam, qui ſanctiori victoriâ in carne & dæmone geminum triumphaverit Porſenam. Facinus rarum ac nobile, quod omnis ætas ac lingva inter panegyres loquatur! Diverterat aliquando ad cellulam Joannis adhucdum eremicolæ fœmina, ſeu fortè ſub fœminæ vultu tectus laténsque dæmon: ità nimirùm Dæmon & Mulier unô nomine nonnunquam veniunt, ſi amborum vitiô atque inſidiis caſtitas oppugnetur. Finxerat mulier, (ſic utiq; rectiùs appellanda, qualis apparuerat) ſe maritum fugere, qui ſævire vellet in ſe miſeram de adulterio malè ſuſpectam. Vultûs cultúsque elegantia, atque plangentis blanda vox non tam portam cellulæ, quàm ipſum Joannis animum fortiùs pulſabant, ut ingruente jam nocte ſub tectum reciperetur. Reliqua certè omnia commiſeratione & hoſpitiô digna, ſolus ſexus timeri poterat; Sed etiam jam iſte minùs timendus, qui necdum eluiſſet ſeu commiſſi ſeu inſimulati adulterii pœnam. Formidine pœnæ coërcendam haud dubiè novæ culpæ ſuſpicionem; Vix enim poſſe placere crimē fœminæ animali aliunde meticuloſo, cui adhuc trementi timor pœnæ ingens eſſet pœna. Admiſſa igitur ad Cellulam non ingrata oculis & contuberniô hoſpes, & excitatô focô refecta cibis, quos fœmina ipſa non aliô embammate condiverat, quàm dulci colloquiô, in quo aliquid ſupra eremitam ſe jam ſapere ſentiens Joannes, primos quidem aſſultus facilè caſtigavit. Verùm cùm ipſa ſolitudo, nox, contubernium, & fœmina ob confeſſum jam propè delictum ad ſcelus facilis urgerent Virum vehementiùs, jam ſe in hoſpite ſuſcepiſſe hoſtem adhuc in tempore deprehendens moleſtos & ſerpentes per præcordia ignes novâ arte repreſsit. Erat ad manum focus in gratiam hoſpitis excitatus, in cujus incendiis nudatum brachium ſiniſtrum tamdiu immotus Joannes tenuit, donec carnes magna ex parte exuſtæ in ſubjectas prunas defluerent nidore Superis gratiſsimô, ſed quô dæmones plurimùm offenſi horridô ejulatu extra cellam furebant, quos ſcilicèt plùs torquebant illi ipſi ignes à Joanne in brachium armatos, quàm Joannem ipſum, invictô ſilentiô atrociſsimi ſupplicii lætiſsimum Spectatorem. Triumphata igitur per ignes Venus, & Flammæ flammis extinctæ illuſtrem

Obiit Anno 1164.

ſtrem toti Orbi reddidêre Joannem. Fœmina ſeu ſub fœminæ larva abſconditus Cacodæmon celeri turpíque fugâ Joannis fortitudinem ac triumphos confeſſus eſt. Ità nimirùm uſtulatione corporis ſervata mens immunis à vulnere, nobili Aſcetis documentô, quibus melius eſt ſic uri *quàm nubere.* Uſturam & vulnus penè inſanabile, quod virtus fecit, Cœlum in Joannis brachio non absque prodigio modici temporis intervallô penitùs conſanavit. Itaq; eremum pudori tam obnoxiam Divi Joannis Baptiſtæ ſibi apparentis monitu, & Divi Bernardi per epiſtolam hortatu fugiens ſe ſe Ciſtercienſibus novis tunc in Luſitania atque Hiſpania incolis ſocium dedit, atque immortalem Scævolæ Chriſtiani gloriam Ciſtercio implantavit.

Floruit circa Annum 1235.

Contra eandem peſtem, ſed aliô armorum genere pugnavit S. BERNARDUS Abbas SS. Crucium in Hiſpania, quem inter Viros Apoſtolicos laudabimus infra. E ſuggeſtu ille aliquando in quodam Caſtro peroraverat Prædicator Apoſtolicus. Aderat promiſcuum vulgus, & complures fœminæ nobiles, genus præ cæteris curioſum. Hærebant illæ in formoſo Eccleſiaſte, intentæ vultui, non verbis: unum præprimis ſingulæ primùm quidem admirari, ac deinde amare, ebur illud dentiũ in ore Sancti, quòd tam eleganti concinnitate & dentium indiſpunctus Ordo, & eximius eorundem candor in uno amabili ore ſimul ſtarent. Stultæ mulieres! quarum carnales affectus non ampliùs in carnem prurirent, ſed in oſſa; niſì fortaſſis ex eo veniâ dignæ, quòd non ineptè id amarent, ex quo prodierint; Formatæ ſiquidem è coſta Viri mulieres dentibus certè non poſſunt malè velle, qui ſimul cum coſta ad genus Oſsis pertinent. Vir Sanctus cognitô divinitùs nefariô amore, acerbè fremens ſpiritu, frendénsque ſupremùm dentibus, ut deinceps inſanis mulierculis innoxiô & oſſe & ore neque placere neque nocere ulteriùs poſſet, arreptô in media concione lapide dentes omninò omnes ſibi excuſsit, zelóque exſuperante dolores, manu præhenſos unà cum ſangvine, qui ſimul copiosè interfluxerat, in eas ipſas indignabundus projecit, quæ illos tam inſanè amaverant: haberent ſibi ſcilicèt oſſa arida, atque in eis explerent ingentia illa deſideria, quibus antea fœdè æſtuaverant: Venturum aliquando tempus, quô illicitos hos ipſos dentium amores inter muliebres fletus perenni dentium ſtrido-

ſtridore in gehenna olim eſſent luituræ. Similia & majora Vir Sanctus lingvâ multô ſangvine innatante ad ſacrum Audientium horrorem. Illud per omnem deinde vitam in ore Sancti perenne propè miraculum, quòd, cûm nulli alteri dentes in locum excuſſorum ſuccreviſſent; is tamen ipſe notorius dentium defectus nihil prorsùs obfuerit comeſtioni aut concioni : eadem utrobique facultas & facilitas, eadem è ſuggeſtu in dicendo acrimonia ac ſuavitas: nîl aliud cum dentibus excuſſum, niſi nè alienô vitiô mordere ſeu lædere quoquô modô caſtitatem poſſent.

Hæc Joannes Cirita & Bernardus in carne contra carnem, contra ſangvinem: magìs mirabilia in carne, præter, & quaſi extra carnem B. ERO Armentariæ Abbas apud Hiſpanos in Gallacia: qui verbis à Domino Guerrico Abbate mutuatis mihi dicendus videtur *nova antiquitas, & antiqua novitas!* Tam novus, tam antiquus unus idémque Ero ; antiquus, quia ſenex ducentorum quinquaginta & ampliùs annorum; novus, quia qui jam ante duo facilè ſæcula pro mortuo habebatur, è prodigioſa ecſtaſi Anno 1367. redux ad Cœnobium ſuum, qui antiqua reliquerat, nova invenit omnia: De quo præ reliquis veriùs illud poteſt affirmari, quòd abiit, non obiit. Res eadem de alio quodam Aſceta ex antiquis fortè Ægypti Patribus narratur apud Authores, ſed ſinè nomine: nos rei alioquin anonymæ (ut veroſimilior appareat) nomen dabimus, quod veluti ex Fonte hauſimus ex Henriquei Menologio & Faſciculo; Henriqueus verò ex triplici Authore hanc veritatem derivavit, *Angelo* nimirum *Manrique*, Epiſtolâ ad Fratrem Joannem Marietam, *Barnaba de Montalbo* T. 1. L. 2. c. 39. *Malachia Daſô*, ſive *Aſſo*, ùt habet Manriqueus, Monacho Hoctenſi, & poſtmodum Jacenſi Epiſcopo, qui poſterior hanc hiſtoriam in antiquo M.S. libro conſignatam invenit. Itaque B. ERO Hiſpanus Armentariæ Abbas totus penè in eò erat, ut jugi contemplatione in cœleſtis Hieruſalem pulchritudine abſorptus hæreret: ipſa etiam noctium inſomnia quoddam ei Cœlum erant & rerum cœleſtium antea in vigilia cum ingenti voluptate conceptarum jucundiſſima amphitheatra. In aliis jam quietior, hoc unum præcipuè ſuſpenſius admirabatur, quòd identitas objecti beatifici in Beatorum mentibus non pariat faſtidium, neque omnis illa æternitas vel minimum etiam

Serm. 1. de Nativ. Domini Raptus in ecſtaſim An. 1167. & poſt ducentos annos ad ſe & ſuos reverſus obiit Anno 1367.

tædium: Supra captum eſſe, quòd homines tantâ firmitate contemplationi unius duntaxat objecti inſiſtant: Certè objecta quantumvis amabilia, quæ hodie amamus tenerrimè, craſtinâ ſæpè faſtidimus, & nova deſideramus: Igitur Divinitatis pulchritudinem admirandam eſſe oporteat, & prorsùs ineffabilem, quæ omnes animæ affectus ità ſatiet & teneat, ut mille anni ante oculos Beatorum tanquam dies heſterna, quæ præteriit. Iſta ſe quidem credere, ſed non capere. Hæ erant Eronis piæ & juges flammulæ, quibus pius Abbas in momenta penè ſingula incaleſcebat. Quâdam die dum poſt recitatas ex more Divinas laudes ſolitò intenſiùs arderet, aſpiraretque ad illum deliciarum torrentem, cui Beati delicioſiſsimè innatant, egreſſus Monaſterium incidit in peregrinam avim, quæ ſub auroram ſuaviùs modulata huc illúcque volans Virum Sanctum traxit in interiora deſerti, ubi cùm in arbore reſediſſet, Eronem per duo integra ſæcula attentiſſimum habuit auditorem, dulcedine cantûs à ſenſibus divinitùs alienatum. Tulit ille interea tot hyemes & æſtates ſinè cibo, ſinè potu, ſinè motu, ſinè ſomno, unius aviculæ cantione contentus. Evolutis itaque annis ducentis eleganti finali muſicam ſuam clauſit divina avis, & oculis auribúsque Eronis ſe ſubduxit. Tum ille veluti ex profunda contemplatione ſeſe recolligens ſortem ſuam mæſtus deplorabat, quòd unius duntaxat horulæ ſpatio tam felix fuerit Auditor: Optimam cantatricem adhuc equidem potuiſſe addere horulam unam & alteram, neque tamen ſe ideò tardiùs ad Divina eſſe rediturum. Hæc queſtus è Sylvæ latebris Monaſterium repetit, ubi cùm omnia mutata, omnia alia intueretur, vix oculis credens, falſis imaginibus ſe ludi arbitratus, ad portam Monaſterii properat, ubi pariter in ignotum Janitorem incidit, qui nullum Eronem Abbatem nôſſe vellet. Vocati Fratres & ipſe Cœnobii eâ ætate Abbas, ignoti omnes & nuſquam viſi. Hærebant attoniti mutuis aſpectibus Abbates ambo, nec rem quæ agebatur, nec ſe capiebant: Verba penè omnia unà cum lingva preſſerat atque captivaverat admiratio vehemens; audacior tamen Ero hæc cœpit fari: *Ego ſum Ero hujus loci Abbas, qui hodie ante unam horam poſt vigilias matutinas egrediens in nemore viciniori contemplationi inſiſtens paululùm manſi: & ecce cùm jam revertor, brevi temporis intervallô mirabilem mutationem invenio, nec ferè Monaſterium agnoſco, nec Vos, qui in illo habitatis, hactenùs*

nùs vidi. Notatus interim ab omnibus in loquentis vultu cœleſtis quidam ſplendor, & refricata Abbatum Armentarienſium ſeries pleniorem Eroni fidem conciliabant. Receptus igitur à Fratribus cum gaudio, poſtquam de primis Ciſtercii, Hiſpaniæque Patribus, atque etiam de admirabili ſui ipſius ecſtaſi explicatiùs diſſeruiſſet, Sacramentis Eccleſiæ præmunitus ad Cœlitum conſortia tot votis & ſuſpiriis concupita inter ſuorum amplexus jam rectiùs abiit & obiit. Quòd ſi Contemplativis ſuus ſit dandus Patronus ac Tutelaris, nullus ſanè è Ciſtercii Sanctis unô Erone aptior, qui artem meditandi per ducentos & ampliùs annos profeſſus eſt Contemplator Jubilatus. Suo Manriqueum in Annalibus ad Annum 1167. c. 7. vacillare in hac hiſtoria, ſeu potiùs, ùt ibi inſinuat, in hiſtoriæ contextu, & jam primò ad trutinam & examen revocare traditionem, cui olim & ipſe in citata ſuperiùs epiſtola adhæſerat. Noſcitur Angelus noſter ex penna, quâ vix aliter ſuevit tractare hiſtorica, quàm Theologica, rigore utrobique ſummô: atque ea propter fidem maximam apud poſteros meriturus, utpote qui eôdem ſtylô & affectu prodat Familiæ ſuæ tam nævos quàm virtutes, candidè profeſſus ſe in Ciſtercii Faſtis non agere laudatorem ſed Hiſtoricum. Abſit tamen, ut quiſpiam ſibi perſvadeat, Angelum noſtrum ex integro evacuare Eronis hiſtoriam, quam antiquam traditionem vocat. Hæret duntaxat in hiſtoriæ cohærentia, & more ſuô ſcholaſticô dubia paucula proponit, quæ ſolvi & ſuperari optat, ut traditionem abſque ſcrupulo amplecti valeat. Credo ego Angeli votis à domeſticis Hiſpanis jam ſatisfactum eſſe, & ſolutos nodos, qui Virum tenebant: aut ſi adhuc hæreat Angelus; dubia, quæ locô citatô in contrarium adducit, tanta utique non eſſe, quæ ſolvi ab Hiſpanis nequeant; Nam Exteri, qui res Hiſpanicas minùs nôrunt, atque Archiva & Inſtrumenta authentica minùs perſpexerunt, huic Scenæ vix ſufficient. Profectò ſi ſimili ſcrutiniò atque rigore Monachum illum alterum trecentis annis ad ejusmodi aviculæ cantum ſuſpenſum, de quo Collector Magni Speculi Exemplorum diſt: 9. exemplô 65. exploràſſet Manriqueus, plura haud dubiè deprehendiſſet, quæ potuerint hanc ipſam Speculi hiſtoriam magìs reddere ſuſpectam, quàm alteram illam noſtram. Illa enim ſinè certa perſona, loco, Cœnobio, Provincia, tempore veluti quoddam univerſale pro narrantium

libitu quomodocunque contrahibile circumfertur, & tamen fidem hactenùs indubitatam tum in roſtris ſacris, tum in Scriptoribus Aſcetis conſtanter habuit; altera hæc noſtra circumſtantias omnes perſonæ, loci, Cœnobii, Provinciæ, temporis explicatiſsimè producit, atque adeò fidem certè eandem, quam illa prior, & inſuper majorem mereatur oportet: ſiquidem individua vaga in hiſtoria minoris firmitatis ſunt, quàm ad ſuas infimas differentias contracta individua. Manriquei ſcrupuli primò quidem in modicis annis hærent, in quibus de morte ſeu potiùs de raptu Eronis diſsident veteres atque recentiores: ac deinde, quòd illi Virum hunc Ecſtaticum aſſerant fuiſſe Sacriſtam, hi dicant Abbatem. Videat Lector, Manriqueum, atque Manriquei cenſurâ rem ipſam laborare in modicis circumſtantiis, non in ſubſtantia. Reſpondeat Hiſpanus Manriqueo (& reſpondiſſet fortè Hiſpanus Henriqueus, ſi præmaturô fatô raptus Ciſtercio non fuiſſet) & ſuus tam Hiſpaniæ, quàm Armentariæ manebit Ero.

B. ERONI in Regno Gallæciæ Abbati adjungendi alii duo ex eodem regno, GUNDISALVUS uterque, Abbas Azebeyrienſis unus, Junienſis alter, quorum excelſas virtutes ſublimes è turribus campanæ motu propriò olim ſunt locutæ. Et quidem *Obiit Anno 1466.* *Gundiſalvo* illi *Azebeyrienſi* quò frequentiùs eò admirabiliùs ille æris campani ſonitus applauſit; quotiescunque enim ex itinere redux Cœnobio appropinquabat, ſalutaturæ Patrem Venerabilem æneæ illæ lingvæ, filiósque monituræ, ut Abbati Sancto occurrerẽt, nullô movẽte, nullô trahente lætùm ſemper inſonuerũt. *Floruit circa Annum 1300.* Prodigium hoc per omnẽ vitam penè quotidianũ. *Gundiſalvus* ille alter *Junienſium* Abbas vice verſâ æra illa campana, quæ non habuit in vivis, feſtivô compulſu habuit vocalia mox à felici obitu. Ipsâ feliciſsimæ transmigrationis die celebratô manè incruentô Miſſæ ſacrificiô divinitùs de inſtanti morte præmonitus non longè à Cœnobio inter duas rupes ſeſe ingenua dimiſit, atque inibi inter calidas preces ſanctam animam genuflexus exhalavit. Gratulatæ mox ſibi campanæ, quòd in Gundiſalvo novum in Hiſpania nactæ ſint Alexium, Sponte ſuâ lugubri ſonitu ſanctam Patris mortem filiis prodidêre, qui accurrentes eô adhuc flectentis ſitu, quô obierat, oculis manibúſque ſurſùm levatis corpus defuncti repe-

reperiunt, continuatô ſemper campanarum illô prodigioſô pulſu, non antè finiendo, niſi poſtquam ſolemnibus exequiis inter filiorum lachrymas doloris ſimul & gaudii ſancti teſtes de more perſolutis ſacræ exuviæ tumulo fuiſſent illatæ. Sola vita utriusque è Ciſtercio Gundiſalvi cum ſonitu periit, non memoria, quæ hodiedum perſtat apud poſteros in benedictionibus.

Priuſquam ex Hiſpaniis tranſeamus ad Belgium, unus adhuc ex Sanctis Ciſtercienſium Abbatibus memorandus eſt B. ROBERTUS primus Abbas Monaſterii de Mata-Plana, cujus Venerandas reliquias Altiſsimus eô privilegiô ad hanc uſque noſtram ætatem reddidit glorioſas, ut tota ea vicinia in uno Roberto & portentoſum habeat *Moyſen*, qui moleſtas compeſcat locuſtas, & præpotentem *Donatum*, qui ſuô patrociniô coërceat tempeſtates & fulmina; quàm primùm ſiquidem ſeu vorax locuſta campos depaſtura advolat, ſeu minaces nubes incolas terrent, ſolemni ſupplicatione per agros imploratur à Populo B. Robertus, móxque ejusdem meritis locuſtæ altiori quaſi imperiô campis exeſſe juſſæ per agmina dilapſæ aut fugiunt, aut penitùs extinguuntur, atque optata Cœlo ſerenitas pulsô fulmine ac tempeſtate redit. *Floruit Anno 1185.*

Non ſeparanda Hiſpania *à Belgio*, cujus ſacras, quia Catholicas reliquias deinceps adunatas Hiſpanis optamus. Quatuor *Belgas* beatos è ſerie Abbatum hìc dabimus. *B. Eliam Dunenſem, B. Danielem Camberonenſem, B. Radolphum Valcellenſem, & B. Walterum de Trajecto Villarienſem.* B. ELIAS nullâ hìc magìs ratione memorabilis, quàm quòd ſuaviſſimorum morum virtutúmque magnetiſmô corda amoréſque Principum ad ſe attraxerit. Unus Leopoldus Auſtriæ Marchio omiſſis cæteris in hac epitome nobis ſufficiet. Vix credet poſteritas tanta exhibuiſſe Abbati Principem, niſi Auſtriacus is eſſet, id eſt, religioſus ac pius. Flandriam & Auſtriam Patrias à ſe invicem longiùs diſtantes in Elia & Leopoldo intimiùs junxit utriusque pietas atque dilectio. Reliquit ad tempus Princeps adoleſcens Lares patrios, & quia vivô Marchione Parente minùs adhucdum fuerat Provinciæ neceſſarius, ſimulatô genere atque perſonâ, nemine omninò fugæ conſciô Brugas in Flandriam ad Eliam ſe contulit. Affectui, quô Princeps Optimus in Venerabilem Abbatem ferebatur, non ſatìs *Obiit Anno 1203.*

 erat

erat ſpectâſſe Virum, quô Europa plena eſſet, ſed placebat intimior cum eo Societas atque convictus: Et quia ſub pia larva alios fallere neceſſe erat, mirum dictu, ac difficile creditu! perſonam coci induit, ſícque aliquamdiu Abbati Sancto inſerviit: Non ſinè felici omine, quòd munificentiſſimi Principes Auſtriaci olim multa Ciſtercienſibus dabunt ad culinam, multa ad menſam. Non potuit tamen Illuſtris adoleſcens culinæ Sordibus tam tegere nobilem indolem, quin in multis ſe proderet: Unde Venerabilis Abbas eundem moribus pium, vultúque affabilem cubiculo ſuo præfecit, quod munus ille in aulis educatus obiit dexterrimè, nunc tandem ſe plenè felicem exiſtimans, quòd intimiùs inſpicere, luſtraréque poſſet ſanctam & admirabilem Eliæ converſationem. Quæſitus interim per diverſa Orbis climata & Principum aulas Parentum ſedulâ indagine Leopoldus, tandem, cùm Miniſtri ad Abbatiam Dunenſem etiam divertiſſent, eundem lateri Abbatis actu ab obſequiis hærentem mox agnitum genuflexi ſalutant, calidis perfuſi lachrymis Principem ſibi ſuum jam redditum gratulantes. Mutatæ ſtatim obſequii vices, & Venerabilis Abbas tam Illuſtrem Hoſpitem, de quo Domus Dunenſis in æternum gloriari poſſet, pro viribus veneratus, eidem ſe, omnémque Ciſtercienſem Familiam impensè recommendavit. Abiit quidem Parentum imperiô, & ſubditorum precibus compulſus adoleſcens Princeps è Dunenſi Cœnobio; Sed per omnem deinceps vitam ſuam ità egit Ducem Auſtriæ, ut ſimul eſſet amicus, præcipuúſque Fautor Ciſtercii atque Eliæ: Patris locô ac nomine eum habendo, cui olim ſuô famulatu honorem Domini & heri detuliſſet. Feliciſſimi Ciſtercienſes, quibus Auſtriaci Principes non modò benefacere volunt, ſed inſuper ſervire!

Obiit Anno 1196. Alterum illuſtre Belgarum decus B. DANIEL Abbas Camberonæ, de quo id unicum, & quidem inter omnia magìs eximium hìc notare volui, quòd cùm divinorum Librorum lectione ſummè afficeretur, nè hunc fervorem nox extingueret, Cœlum ei pro nocturna lectione digitos accendit, qui non modò noctem, quin imò Danielem ipſum ſplendidiùs, quàm ulla Cleanthis, omniúmque Philoſophorum lampades illuſtrârunt.

Floruit Anno 1143. Tertius inter Beatos Belgas memorabilis B. RADOLPHUS Abbas

Abbas Valcellenſium, qui libertate in pauperes certavit cum Cœlo, &, quod mireris, vicit: Dedit, plus quàm habuit, plus quàm potuit. Certè ſemper minùs dat DEUS, quàm poſſit, & plus poteſt, quàm det. Habuit Radolphus cumulum frumenti tantummodò parvulum, ad paucorum ſuſtentationem vix ſufficientem, & per totam hyemem ſuſtentavit in dies ſingulos ex eo plus quàm quinquies mille pauperes: Repetita per plures hyemes eadem in egenos munificentia nunquam exhauſit Valcellenſium horrea, ſed auxit. Dedit Radolphus plus quàm habuit, plus quàm potuit: erga pauperes quidam inter homines DEUS, & DEUS miſericordiarum. Unâ duntaxat die Salvator multiplicatô per prodigia pane & piſce ſatiavit 5000. hominum, & à grata multitudine Rex conclamatus eſt: Si ſæpiùs cibâſſet, plures utique coronas, plura Regna non ingrata plebs obtuliſſet. Nil minùs Chriſtô, tametſi non ſinè Chriſto Radolphus noſter, quotidie pavit pauperum greges eôdem numerô, quô Chriſtus, meritus certè Coronas mille, ſed in Cœlo.

Quartus è Ciſtercii Belgici Præſulibus fuit B. WALTERUS *de Trajecto*, Abbas de Villario Majorum titulis & ſangvine nobiliſſimus, de quo raram laudem ſuo Menologio & Faſciculo inſeruit Henriqueus: per integros nempe quadraginta annos Walterum neque peccatum mortale, neque veniale grave, ùt vocant Theologi, commiſiſſe unquam. Impeccabilitas hæc tanta ſeu ex divino privilegio, ſeu ex virtute, ſeu, quod verius, ex utroque ſimul profluxerit, argumentum eſt ſummæ apud Villarium Ciſterciúmque perfectionis. Aliud inſuper de Waltero lego ſingulare æque atque memoriâ dignum: eum ſcilicèt, cùm jam provectâ ætate multâ oculorum caligine loboraret, & nonniſi ſub miniſtrorum ductu altare accederet, in ipſis tamen celebrandis, perlegendíſque ſecundùm præſcriptas rubricas Divinis myſteriis tam fuiſſe promptum ac felicem, ut credi potuerit, Walterum, cùm ad aras ſtaret, pro ea temporis ſacratiſſima differentia nullô laborare oculorum vitiô, aut certè lumine cælitùs infusô ea tunc legere, quæ extra ſacrificium nullô conatu aut arte dignoſcere prævaleret. Sed nunquid deſcendente in aras Numine Walterus potuit eſſe ſinè lumine? Vocamur affinitate materiæ & Provinciæ ad vicinas Gallias, ubi tres

Obiit Anno 1221.

memorabimus Abbates Beatos: *S. Stephanum* Abbatem Obacinæ, *B. Hugonem* Abbatem Bonæ-Vallis, & *B. Euſtachium* Abbatem Floreſienſem.

Obiit Anno 1159. S. STEPHANUS non minùs fuit profuſus in pauperes, quàm mox laudatus Radolphus. Erat in promptuario Farris pauxillum, quô ſoli Religioſi filii vix per menſem potuiſſent ali, quod tamen liberali manu famis tempore diſtributum in pauperes per integros ſex menſes multis egenorum millibus ſuffecit. Sic ſcilicèt omnia creſcunt, ſed nullibi meliùs, quàm in manibus pauperum. Habebat Vir Sanctus Monaſterio vicinum Mercatorem quendam, cui nomen, hodie commune, faciemus proprium, & vocabimus Euclionem. Sordidiſſima hominis tenacitas cùm nullâ Obacinenſium Monachorum liberalitate aut moveri aut expugnari poſſet Stephanus aggreſſus Euclionem piô ſtratagemate ex plenis horreis frumenta petiit, quæ ſolvere ipſe gratanter vellet. Inhiabat homo pecunioſus pretio, quod ſtimulante avaritiâ adjecerat ingens: Et quia Vir Sanctus in illud quantumvis immodicum ſinè difficultate conſenſerat, atque inſuper cum fœnore redditurum ſe omnia ſponte ſuâ pollicitus fuerat, habuit Euclionem per omnia ſibi obſequioſum, cui verba fidésque Abbatis Sancti minimè poterant eſſe ſuſpecta. Ivit, redivit Stephanus, donec evacuata horrea eſſent in famelicos egenos. Tum tandem avarus Creditor pretium cum fœnore exegit: cui Stephanus: num tu, Vir Optime, frumenta tua majorì adhuc pretiô expoſuiſſes venalia, ſi quiſpiam majus fortè pretium pollicitus eſſet, quàm ego? Affirmante Mercatore, id ſe haud dubiè voluiſſe, atque etiam ex regula œconomica debuiſſe. Subjungit Stephanus: ecquis, amabo, majora fide infallibili promittit, quàm liberaliſſimus DEUS, qui vilia etiam obſequia pauperibus impenſa centuplô pretiô olim exolvet? En! tua horrea meâ manu effuſa in famelicos tibi, bone Vir, ſolvi debent ſeu per me, ſeu à DEO; elige itaque uter tibi horum debeat eſſe debitor. Stultè egeris, ſi me, aut propè aut omninò nihil habentem tuum conſtitueris debitorem, neglectô DEO, qui pro modicis granis perennem vult rependere mercedem. Agnovit Mercator Stephani piâ fraude ſe factum liberalem, & alienâ virtute jam & ipſe melior & liberalior ceſſit lubens debitori DEO omnia. Sic unâ hâc

hâc arte triplex collatum beneficium, pauperibus, Mercatori, Stephano: pauperibus panis, Mercatori Cœlum, Stephano meritum. Ea Sancti Viri in pauperes benignitas neque morte extingui potuit; In anniverſaria namque mortis die dum numeroſiſſimi pauperum greges (ultra quindecim millia fuiſſe Scriptores perhibent) Obacinam undique cinxiſſent, accepturi ſinguli de more panem cum pulmento & vini menſura: Diſpenſatores collatâ cum tanto egenorum numero eleemoſynæ quantitate vix duobus millibus ſuffecturâ, ut ſinguli participarent de beneficio, jamjam diviſuri erant panes infruſta; Verùm illâ diviſione aliquid Patris Sancti meritis ac gloriæ detrahi ratus Succeſſor Abbas, ſingulis ſingulos panes diſtribui juſſit. Et, en! præſentem DEUM pro gloria Stephani, etiam abſente Stephanô! Priùs è quindecim illis millibus pauperes defecerant, qui panes peterent, quàm panes ipſi, repetitô ſcilicèt rursùs Salvatoris miraculô, qui ſatiatis quinquies mille hominibus colligi juſſit fragmenta, quæ ſuperaverant. Nunquam ſanè liberalior DEUS, quàm pro gloria ſuorum! Hæc DEUS pro Stephano: & hæc Stephanus pauperibus; ſed longè alia ſibi. Præoſtenſus Matri prægnanti ſub forma & agni & catuli paſcentis gregem: aliis utique fuit agnus, ſibi ipſi lupus: toties ſeipſum momordit, quoties duris cruciatibus afflixit: tot dentes in ſe exacuit, quot circulos ferreos in corpus ſuum Sanctus Nero armavit: quos non citiùs depoſuit, niſi poſteaquam rubigine exeſi ipſimet jam ipsô Stephanô molliores defluerent. Venerem, quæ ſe per modicas ſcintillas in animum inſinuaverat, edomuit ſævus ultor aquis frigore rigidis, in quas non raró urente cupidine nudus colletenùs inſiluit, & eousque inibi ſubſtitit, donec noxii ignes eô gelu refrixiſſent: certè aliô apud Cœlites dignus refrigeriô, ad quod tandem meritis & miraculis plenus migravit: à morte prodigioſus Captivorum ſpoliatorúmque Patronus, à quibus in ſubſidium è cœlo advocatus nunquam non occurrit, aut captivis adferens libertatem, aut ſpoliatis res amiſſas: utque beneficium clientibus eò foret jucundius, viſibili ſpecie non raró comparens fures ſeu prodidit, ſeu tenuit, non in Cœlis duntaxat, ſed & in terris felix Comprehenſor.

Alter inter Galliæ Abbates celeberrimus B. HUGO Abbas Bonæ-Vallis ex illuſtri Dominorum *de Caſtro novo* oriundus Proſa- *Obiit Anno 1153.*

 pia,

pia, Vir doctrinâ & ſanctitate vel ipſi Bernardo Venerabilis: quem Alexander III. Pontifex Maximus in Monte Peſſulano aliquamdiu eâ tempeſtate commoratus ſolemni Benedictionis ritu in Abbatem inauguravit: adeò etiam non ſumma magnifiunt, ſi à Summis conferantur. Continuavit Bernardi ad Cœlites aſſumpti miraculorum famam ac ſeriem novus ſuæ Galliæ & Magnus Thaumaturgus. Non modò ipſe, ſed ea omnia, quæ Vir Sanctus tetigerat, Thaumaturgâ pollebant virtute: Neque ſaliva abſque miraculis fuit. Nullô diſcrimine abſentia æque ac præſentia eôdem quaſi oculô intuitus: ità ſcilicèt nîl ei poteſt eſſe abſens, cui DEUS ipſe nunquam non præſens eſt: ad Cujus claram viſionem glorioſus emigravit.

Floruit Anno 1260. B. EVSTACHIUS Abbas Floreſienſis tertius, quem inter Galliæ Abbates memorandum promiſeram, Anglicanæ Gentis quondam Apoſtolus tanti muneris menſuram vitæ ſanctimoniâ, & miraculorum magnitudine ſanctiſſimè implevit. Nîl hìc magis memorandum, nisì unicus ille celeberrimus in Anglia Fons, è quo olim (de hac ætate nihil auſim aſſerere) nunquam defluxit gutta, quæ non fluxerit in nova Evſtachii elogia. Impreſſit illi Fonti Apoſtolicus Abbas ſolâ benedictione vim & efficaciam medicam, ut deinceps non tam aquas funderet quàm pharmaca, tot penè miracula, quot guttas. Neque ſurdi duntaxat aut cœci, aliáve ægritudine laborantes illius fontis potione optatam ſunt conſecuti convaleſcentiam, verùm & Spurcos dæmones velut noxium animæ vomitum Sacer ille liquor non raró ex obſeſsis ejecit. Fatui Dæmones! qui malint ferre gehennæ incendia, quàm ſalutares undas!

Obiit Anno 1225. Nè in hac Abbatum Sanctorum ſerie præter operis aſſumpti rationem longiores ſimus, duos duntaxat adhuc dabimus è magno numero, *B. Hermannum* & *B. Gerardum*, hunc Abbatem Novæ-Vallis in Suecia illum in Hemmenrode in Germania.

HERMANNUS præter inſignes alios favores, quibus à Cœlo, & præcipuè Cœlitũ Regina eſt decoratus, teſtem etiã ſuæ puritatis & ſanctimoniæ habuit Columbam candidiſsimam, quam Viri Sancti Capiti velutì nidulo ſuo inſidentem perſæpè conſpexit B. Henricus in Hemmenrode Converſus: primùm quidem, dum

Sa-

Sacrum habitum novitius Hermannus ab Abbate reciperet, ſubinde cùm altari aſſiſteret Sacerdos, atque etiam cùm in ſolemnioribus actibus officiô Prioris fungeretur: ingenti ſubditorum emolumentô, qui errare non poſſent obſequentes Hermanni imperiis, quæ diviniſſimi Spiritûs interpres columba inſufflâſſet. Senſit teterrimus dæmon Hermannum cum hac ſua columba oppidò ſibi eſſe adverſarium, cui ſcilicèt vel ipſe columbæ candor è diametro obſtaret, nè propiùs aggredi Hermannum auderet. Indè ab Abbate digreſſus in filios ridendus hiſtrio, ſub divina pſalmodia in Choro variô ſpectaculô eis auſus illudere; ſed vidit divinâ revelatione miſerrimi præſtigiatoris ſcenas omnes Hermannus, & quidem aliquando ſub forma deformis æthiopis, aliàs ſub monſtroſâ hominis ruſticani ſpecie, atque etiam, in quo fortè magis ridendus infelix Protheus, ſub figura caudæ vulpinæ. Detectis divinitùs inſani veteratoris inſidiis Abbas Sanctus tam monitis quàm precibus facilè potuit occurrere, nè deinceps incautos fallerent. Quòd ſi tamen importunior dæmon unô alteróve præliô necdum ſatìs triumphatus denuò filios vexaret, non aliis in poſterum armis, quàm Patris Sancti imperiis coërcendus erat, Quod quidem ſæpiùs accidiſſe Author vitæ tradit; Sed in rei ampliorem fidem unô exemplô ſeu eventu hanc Hermanni in dæmones poteſtatem roborâſſe ſufficiat. Erat quidam è Fratribus, qui in conſcientiæ tribunali Hermannô utebatur arbitrô ac directore, hunc impuris impreſſionibus atque ideis fœdus dæmon ad turpe facinus ſolicitabat. Prima quidem jacula frater repreſſit feliciter; at verò ad novas luctas jam ſeu turbatior, ſeu imbecillior, ſibíque in pugna hac ardua minùs fidens, hoſtem, arma, prælia Hermaño Patri ſpirituali prodidit, atque neceſſariam opem enixè imploravit. Juſſit Abbas Sanctus, importuno tentatori, ſi rediret, hæc mandata per fratrem intimari: *Confeſſarius meus tibi præcipit, ut me vexare deſiſtas.* Hòc ſolô imperiô abactus dæmon nunquam deinceps rediit. Facilis victoria, quam imperare poſſis, non extorquere debeas! Sic vincunt, qui precibus Sanctorum pugnant.

B. GERARDUS ùt prænotavimus, novæ-Vallis in Suecia Abbas pulcherrimô vindictæ genere, celeberrimam manſvetudinis ſuæ ac nominis famam transmiſit ad poſteros, dum ſcelus in *Obiit Anno 1195.*

ſe commiſſum recompenſavit beneficiô. Laicus quidam irâ præceps, neſcio quibus agitatus furijs ſacrilegâ manu in Venerabilem Abbatem irruens, eidem ſonantem alapam impegerat. Palmare facinus & enorme, nullâ ſat poenâ eluendum, niſi in Gerardum incidiſſet Virum longè manſvetiſſimum, qui pro accepta injuria mox coràm delinquente humi proſtratus ab eo ipſo veniam petiit, qui contumeliam intulit, haud indignus olim Bernardô in Clara-Valle alumnus, qui pariter à Canonico Regulari (ſed qui nîl minùs erat quod dicebatur, & qui jam ipsô hôc factô irregularis & Regularem exuiſſet & Canonicum) graviter in maxillam percuſſus, dum adſtantes in ſacrilegum percuſſorem irruerent, eos ſeveriſſimè cohibuit, nè ſumerent alienæ offenſæ vindictam, ſinerent in pace abire, cui jam ipſe, qui plagam acceperat, non tam ſciret offendi quàm compati. Non ſentiunt injurias animi excelſi, qui paſsiones humanas virtute calcant plus quàm humanâ, tantùm non Dii: Tum ſcilicèt hôc ipsô nomine dignifsimi, cùm pro ſubditorum culpis ipſi ſibi ſatisfaciunt. Credi vix poteſt, quàm eximiam hâc morum affabilitate ac manſvetudine apud omnes venerationem ſibi comparaverit Venerabilis Abbas. Rex ipſe quanti ſemper Gerardum fecerit, apud Regni Proceres ſibi magìs familiares nonnunquam hiſce verbis confeſſus eſt: *Quacunque horâ Abbatem Gerardum me videre conſidero, tantô timore concutior, ac ſi omnia ſecreta & abſcondita pectoris mei paterent oculis ejus.* Specioſa ac illuſtris laus in ore Regum, qui timere non ſolent Viros religioſos, nisì Sanctos, quos habere ſeu velint ſeu debeant vitæ ſuæ Cenſores.

MONACHUS! Nomen ingens, ſi menſuram: venerabile, ſi vetuſtatem: ſanctum, ſi inſtitutum ac regulam ſpectes! Primitivæ Eccleſiæ decus ac fulcrum: apud Occidentales inſigniter auctum propagatúmque per Divum Benedictum primum Monachorum in Occidente Patrem, hodiedum poſt tot ſæcula glorioſum præcipuè perſtat in Benedictinis & Ciſtercienſibus, qui Monachiſmi nomen, gloriam, antiquitatem, ſanctitatem conſtanter circumferent uſque ad ſæculi conſummationem, ut nempe vetuſtiſsimum hócce atque celeberrimum Nomen natum inter naſcentis Eccleſiæ incunabula, & per quod crevit Eccleſia quàm plurimùm, cum eadem uſque in finem ſtet inconcuſſum.

Habet

Habet jam ſuos Ampliſsimus Ordo Benedictinorum Encomiaſtes, qui numeroſiſsimas tot millium Sanctorum memorias ex antiquitatum cineribus erutas per Orbem Chriſtianum ſuis calamis illuſtrârunt. Solos ego hìc unius rivuli Ciſtercienſis, cujus ego (uti jam alibi profeſſus ſum) non gutta ſum, ſed punctum, & minùs punctô, pauculos Beatos Monachos Beatis Abbatibus ſubjungam: non quòd illuſtris hæc Congregatio è ſerie Beatorum paucos duntaxat habeat, ſed quia tenue hoc compendium plures non ſuſtineat.

Primos Sex dabit *Gallia* Ordinis Mater: quorum agmen ducat S. AYMO quondam celeberrimæ *Congregationis Sabigniacenſis* Abbas, & tandem primus Motor ac Promotor, quòd totum illud Corpus triginta Monaſteria complectens Ciſtercio acceſſerit. Teneram adoleſcentiam formavit ad aſpera & ardua: ſummæ Juvenis Sancti deliciæ eô tempore (quod ſtudiis ſuffurari poterat) hærere inter leproſorum ulcera, & gratanter ferre ulcerum gravem mephitim. Ex quibus ſupplantati appetitûs ſenſitivi triumphis facilè fuit ad majora & diviniora progredi. Initiatus ſubinde Ordinibus ſacris, in ipſa Presbyteratûs ſuſceptione Divinum Spiritum ſenſit in ſe blandô impetu irruere, cujus ſenſibili illapſu totô concuſſus corpore intremuit; Verùm ſacer ille tremor, ac Spiritûs impetus tam erat Aymoni delicioſus, ut deinde faſſus ſit, ſe pro fixo tenere, nîl omninò in humanis, & fortaſſe etiam ſuô quidem tunc arbitratu in ijs quæ ſupra hominem ſunt poſſe quidquam illô amabili illapſu ſibi accidere dulcius aut delectabilius. In Miſſarum celebratione non infrequenter ad miniſtros habuit Angelos, qui altare ſplendidiſsimô ambitu circumſtantes Hoſtiam ſacram è manibus Venerabilis Aymonis reverentiſsimè ſumptam Divinæ Majeſtati obtulerint. Sanè ſi Angeli Sancti aliis ſunt cuſtodes, Sacerdotibus fiunt miniſtri: cuſtodire homines ſolent quà ſuos clientes; Servire Sacerdotibus, quorum Regali Sacerdotiò atque imperio obſequioſi ſtant Angelorum chori, nullibi magìs quàm hìc adminiſtratorii. Non rarò item viſus ſibi non in terris, ſed in media Cœlitum Curia Sacris operari, hærente interim apud altare in Eccleſia immobili corpore, quod tamen ille unà cum anima credebat raptum in Cœlum eſſe ſocium ineffabilis apud Cœlites conſolationis. In

Obiit Anno 1174.

ijs raptibus revelata Aymoni arcana cœleſtia, præcipuè admirabilis gloriæ gradualis diſtinctio: inde nimirùm hauſit cæleſtes illas ideas; quas Sacer Scriptor in duodecim elegantiſsimis Voluminibus de rebus Divinis ſtylô Angelicô effudit. Migravit tandem ad cœli delicias, quas toties antea prælibaverat. Sed cœlũ nullus prælibat, cui mundus priùs non deſipiat. Præoccupato à terrenis palato jam minùs ſapiunt ſuperna. Felicior Aymo, cui nîl aliud tam ſapuit, quàm DEUS.

Obiit Anno 1197. Aymoni ſuppar in alio quidem genere cenſeri debet B. PETRUS cognomentô CANTOR ſic dictus ab officio, quô in Collegio Canonicorum Pariſienſium non parvô tempore functus eſt; Splendorem namque, quem Aymo traxit à rerum cœleſtium revelationibus, eundem Petrus per omnem Galliam rerum agendarum ſeu dexteritate ſeu amplitudine verè Magnus ſibi comparavit ab eximia eruditionis ac Religionis fama, quâ per omnium ora cum ingenti applauſu prædicabatur *Scientiarum omnium facilè Princeps.* Quæ etiam ingenii felicitas eum ad clariſſimos in Alma Univerſitate Pariſienſi honores evexit, ut fuerit Scholæ Theologicæ inſtitutus Rector. Sociavit ſcientiis juſtitiam, id eſt, ſtellis ſuum Solem: Summorum Pontificum, ac præcipuè Cœleſtini unus propè per univerſas Gallias ad componendas lites, expediendáque ardua in primis negotia delegatus nullô unquam munere, nullâ prece, aut reſpectu à norma recti flecti potuit, tam æquus in cauſarum deciſione, quam prudens in earundem diſquiſitione. Minus aliquid Petrô dicerem, ſi eximiis Ejusdem encomiis ex Jacobo Cardinali de Vitriaco Authore graviſſimo huc tranſumptis & Petrum ipſum & paginam hanc non exornarem: Appellat itaque Eminentiſſimus Scriptor Petrum noſtrum. *Tubam cœleſtem*, *Altiſſimam Cypreſſum*, *Lucernam ardentem & lucentem*, *Civitatem ſupra montem poſitam*, *Candelabrum in Domo Domini*, quô omne illud ſæculum, in quo Vir magnus vixit & floruit, eximiè illuſtratum eſt. Nîl ampliùs his laudibus addendum, niſi quod ſibi ſingulari animi demiſſione detraxit Petrus ipſe. Debebantur ſcilicet his grandibus elogiis infulati honores, quos etiam Tornacenſis Clerus, Populus, imò Rex ipſe Viro Magno obtulêre; at Petrus decantatiſſimum undique *Cantoris* nomen cum Epiſcopali dignitate mutare noluit, ſeipsô jam major, dum

cit. in Anno Ciſt. 19. Maij.

dum ſic creſcere nollet. Cúmque importuniùs inſtarent Rex & Cives, fecit Petrus Cantor, quod ſolent Muſici frequenter, adornavit fugam, quâ ſe è ſæculo ſubduxit factus in Longo-Ponte Monachus Ciſtercienſis. Quia tamen eâ ipsâ fugâ extingui non poterant Tornacenſium, imò jam nova & aliorum deſideria, quæ interim hærebant ſuſpenſa, quouſque Petrus abſolviſſet annuum vitæ religioſæ Tyrocinium, Vir humillimus, nè deinceps, dum jam non ſuô ſed aliorum eſſet regendus arbitriô, una obedientia prævaleret humilitati, importunis votis à DEO extorſit, ut adhuc in ipſo probationis anno una mors præſcinderet omnia. Subterfugit infulam, quâ ſibi cantare potuit Illuſtriſſimus Cantor, ad multos annos per multos annos; at verò acquiſivit apud Cœlites humilitatis laureolam, Cantaturus canticum, per annos æternos.

Dum à B. Petro ad B. GERARDUM olim ſub Inſtituto Benedictino Floriaci Abbatem, ac deinde Signiaci CiſtercienſemMonachum deflecto, incido in paradoxa; immortalem enim apud poſteros memoriam, quam Magnus Petrus tot tantísque Eccleſiæ negotiis proſperè expeditis illuſtris meruit operando, B. Gerardus adeptus eſt non operando. Mira antitheſis! res easdem à principiis omninò contrariis potuiſſe profluere. Sed dandum aliquid Sanctis, quod fortè quandoque negandum Philoſophis. Vitam inter pœnitentiæ opera ſanctiſſimè clauſerat Gerardus evocatus ad requiem à Primo Motore, in quo omnis motus quies eſt. Recluſæ quoque à Signiacenſibus Venerabilis Viri Sacræ exuviæ intra terræ viſcera, dictúmque eis, ut in ſinu communis omnium Matris requieſcerent. At nîl à morte tam inquietum quàm Sancti, quibus fratrum ſalus tum maximè cordi eſt, cùm de ſua ſecuri ſunt: Omnem movent lapidem, etiam ſepulchralem, & in miracula prorumpunt, ut in felicitatis participium trahant univerſos. Gerardus noſter tum maximè Sanctus, cùm ad tumulum inciperet eſſe Thaumaturgus, tantô numerô profundens in clientes beneficia, ut in ijs videretur non tam poſſe dici prodigioſus quàm prodigus. Moleſta erat atque ingrata ea miraculorum frequentia Signiacenſibus, ex eò præſertim, quòd jam ob numeroſiſsimum populi accurſum cogerentur rursùs inter homines vivere, qui homines fugiſſent, & modò Signiacum

Floruit circa Annum 1240.

non tam aſceterium eſſet quàm forum, ubi dum perpetuô accurrentium atque recedentium motu gratias à Sancto nullô aliô pretiô, quàm prece nundinarentur ſinguli, nihil poterat eſſe à populi turbis ampliùs inturbatum. Quare ut Signiacum ſervarent Ciſtercio, Thaumaturgum Gerardum per loci Abbatem etiam poſt fata Sacræ obedientiæ vinculô conſtringunt: abſtineret deinceps à prodigiis, nè dum ad extra per beneficia faceret clientes, ad intus perderet fratres: abundè ſatis datum clientibus, concedenda etiam tandem quies fratribus. Imperium hoc erat ultrà limites progreſſum, impotens haud dubiè ligare, niſì volentem. Ut tamen Gerardus apud poſteros pretioſam faceret obedientiam, & in ſe rursùs exprimeret Bernardum, qui ſimili Goſvini Generalis imperiô conſtrictus etiam poſt mortem obediit, maluit deinceps obediens dici, quàm Thaumaturgus: atque ut daret beneficium Ordini, ab ea die à miraculis abſtinuit: majori haud dubiè gloriâ, ſi rectè ſentire velimus, dum cœpit prodigia non operari, quàm dum ea inter Clientum applauſus operaretur, deinceps fortaſſis ſententiæ illius ſcholaſticæ futurus Aſſertor & Patronus, quæ in puram omiſſionem benignior ſuas ei attribuit laudes & præmia.

Floruit Anno 1155. Præcones, gloriæ, quos habuit Gerardus miracula, eos habuit B. GUICHARDUS Sanctus in Clara-Valle Monachus ante obitum Angelos. Ingens beneficium! ab ijsdem laudari lingvis, quas DEUS in ſuas laudes nunquam non habet vocales! Decumbebat gravi ægritudine Guichardus in cella infirmorum, expectans atque optans felicem corporis ſui reſolutionem: Cùm ecce! cæteris Fratribus in Choro alacriter pſallentibus vidit B. ROBERTUS Clara-Vallenſium Abbas ſanctiſsimus, adoleſcentes longè ſpecioſiſsimos Chorum circuire, atque lilia, roſas, alióſque id genus flores in pavimento ſpargere: Quos interpellans Vir Sanctus: quam vos, inquit, novitatem, & rem prorsùs inſolitam in hunc locum audetis, Juvenes Optimi? Nîl nobis & floribus iſtis: ſervate eos vobis! aut ſi beneficium dare vultis, ſpinas ferte, delectabiliùs ſanè his nos inambulabimus, quàm híſce roſis & liliis: Differendæ ſunt hæ florum deliciæ in vitam hâc miſerâ longè feliciorem, ibi plenior per nos erit vobis facultas, non modò pedibus his, verùm etiam capitibus iſtis flores aſpergendi:

Modò

Modò cavete, quia intempeſtivum ver nobis jam incipit eſſe ſuſpectum. Docendus erat Pater Optimus, quinam ij eſſent, qui flores ſpargerent: aut quæ rei tam inſuetæ cauſa: quare unus ex adoleſcentibus, qui Beato Abbati ſteterat proximus, ei in hæc verba reſpondit: Fruſtra indignaris optime Abba, nobis & floribus iſtis, altiori imperiô quàm tuô juſsi ſumus feſtivos hos apparatus adornare: *Quoniam modò jam in Choro iſto celebrabitur nova Cujuſdam novi Sancti Feſtivitas, de cujus ſolemnitate gaudent Angeli, & hymnus Domino cantabitur in Sion.* His dictis unà cum cæteris cùm ſe conſpectui Viri Sancti momentô ſubduceret, atque ſimul ſignô tabulæ vocarentur Fratres ad morientem Guichardum, Robertus de novo Sancto jam doctior primus morienti adhuc in tempore adfuit, in cujus ille manibus ſanctiſsimam animam efflavit. Hâc eunt ad aſtra Ciſtercienſes, viâ non lacteâ modò, ſed & Floridâ: & tametſi in floribus nolint vivere, non poſſunt tamen nisì in Floribus devivere.

Pulchrum equidem eſt, inter flores eſſe, ſi tu tamen ipſe florem induas, & Cœlo, Ciſtercio, Tibi flos ſis, hoc utique illò longè eſt floridius. Magnum Ordinis Exordium mihi hìc erit florilegium: inde quatuor non tam Sanctos legam, quàm flores, quos Author Anni Ciſtercienſis 18. Julii cùm eorundem ignoret nomina CANDIDOS appellat, ex ea quidem ratione, quòd *Floruêre*
ſub ſchemate quatuor Liliorum cuidam Sancto Seniculo Cœ- *circa*
nobii Igniacenſis fuerint exhibiti: qui dum nocte quâdam con- *An. 1147.*
templatione abſorptus Cœmeterium Igniacenſe videret candidiſsimis plenum lilijs, obſervabat inſimul duos fulgentiſſimos adoleſcentes quatuor ex illis præcidere, & auferre. Non potuit diſſimulare inſigne hoc furtum juvenibus vultu & habitu quantumvìs illuſtribus, ſed acriter eosdem objurgans, quid Vos, inquit, tollitis quod non ſeminâſtis? Pulcherrimos hos flores, qui noſtrô labore creverunt, quî vos ex alieno viridario audeatis impunè tollere? Plura fortè dicturus, nisì adoleſcentum alter indignantem continuiſſet, erras, inquit, bone ſenecio! neque tua hæc ſunt nec veſtra, ſed noſtra iſthæc lilia: quatuor quia matura nunc tollimus, reliqua omnia, cùm maturuerint, imò & te ipſum, tollemus deinceps. Ceſſa, bone Vir, ultra indignari huic translationi, quæ non furtum eſt, ùt tu quidem putas, ſed

Ss 2 bene-

beneficium: nîl in te aut lilia hæc peccare poſſumus, qui flores hos in terra & è terra natos in Cœlum transferimus. Hæc fatus cum ſocio Angelo & liliis ad ſidera evolavit. Viſionis veritatem mox confirmârunt ſub eosdem dies quatuor Sanctorum Monachorum Igniacenſium funera, qui procul dubio præſignati fuerant per illa quatuor lilia. Fortè Eccleſiaſticus Ciſtercienſes
cap. 39. præviderit, dum olim cecinit: *Florete flores quaſi lilium!*

Floruit circa Ann. 1610. Occurrit hìc media inter iſthæc lilia B. MICHAEL TRIQUIER Ciſtercienſis in Monaſterio *Fontis Danielis.* Magnus hôc ſæculô *Doctor Sorbonicus*, qui & ipſe lilium eſſe voluit, ſed quale Sponſa in Canticis, inter Spinas. Hinc ſub capitis operimento quod nos caputium vocamus, ad imitationem Coronati Salvatoris ſertum ſpineum geſtavit, quô diu noctúque punctus & compunctus nîl tam doluit, quàm quòd tam paucula membra compaterentur Coronato Spinis Capiti. Invidit in Michaële corpus reliquum Vertici non tam docta hæc quàm ſancta acumina, & quæ ſuâ dignitate mille Academiarum lauros non tam vincerent, quàm expungerent; quare ut membra inter & caput omnem tolleret diſſenſum atque æmulationem, exaſperavit in corpus veſtem plurimâ ferreâ cuſpide acutam, quæ in nuda carne tot imprimeret vulnera, quot puncta. Neque priùs hanc ille veſtem exuit, quàm vitam, & tunc primùm his aculeis & punctis punctum Vale dixit, cùm ex Valle hac lachrymarum ad Cœlos migravit, aut ſi mavis, evolavit, quia tunc vel maximè Michaël, id eſt, Angelus, cui ſuæ ſpinæ jam abiiſſent in pennas. Sic ſcilicèt quod jam aut pondus aut pœna eſt, dum cárnem olim exues, ad Patriam vehiculum & penna erit.

E Gallia tranſeundum eſt ad vicinam Italiam, ibíque apud *Obiit Anno 1181.* Tuſcos memorandus S. GALGANUS eximiæ ſanctitatis Vir qui licèt veriùs Anachoreta dici debeat, quàm Monachus, magìs tamen ad Monachos ſpectare videtur, quàm ad Abbates aut Converſos, è quorum tribus claſſibus hic titulus conſtat. Is primos adoleſcentiæ annos multâ libidine fœdaverat: Monitus bis à Divo Michaële Archangelo in ſomnis, ut à Veneris Caſtris tranſiret ad caſtra Chriſti, meriturus ſtipendia ſub DEO longè majora, quàm ſub DEOrum proſtibulo: à Matre & propinquis ad alia conſilia

ſilia impulſus eſt obtrusâ ſponsâ: ad quam viſendā dum per Montem ſepium jam ſponſus equitaret, equus arcanâ vi ſubitò ſubſtitit, & licèt diu calcaribus à feroce juvene urgeretur, loco moveri non potuit. Memorant inſuper *Philippus Serarius & Aubertus Miræus* Authores fidi equum fuiſſe locutum, fruſtrà ſe tantâ inſaniâ urgeri, premi ſe poſſe, progredi non poſſe, ſtare Angelum ex adverſo, à quo prohibeatur. Tantô motus prodigiô Galganus mentem mutavit & Sponſam, quam ſuô & hortatu & exemplô Ciſtercio alumnam dedit, & ex dote quam habuit, opulenti Parthenonis Fundatricem. Adeò nempè DEUS in naſcentis Ciſtercii incrementis antiqua Brachii ſui reſuſcitavit miracula, & non minori prodigiô equo Galgani, quàm olim aſinæ Baalam loquelam dedit! Monitore itaque ſeu equô ſeu Angelô, ſeu, quod veriùs, ipſo DEO jam aliquid ſupra humana meditans & audens Galganus in cacumine Montis Sepii anachoreticam vitam eſt exorſus ſub Ciſtercienſium legibus: & tametſi vaferrimi communis omnium hoſtis inſidiis deſertæ olim nuptiæ, mulierúmque blandæ ideæ animo ejus frequentiùs obverſarentur, ille tamen ſuo olim equô jam ipſe contumacior nec latô quidem pede à propoſito ſeu loco dimotus eſt, angelicâ ſuâ converſatione cœlo propinquior quàm mundo. Prodebant Viri Sanctimoniam quotidiana & propè innumera prodigia, unde populis ad eum confluentibus jam ex Anachoreta factus Thaumaturgus, futurorum præſcientiâ Propheta, Terror Dæmonum & profligator undique apud vicinos populos ſanctitatis famâ inclaruit. Viſitatis Apoſtolorum liminibus, & ab Alexandro III. benigniſſimè aliquamdiu habitus, atque ut ſe amari ſciret, multis ab Eo muneribus affectus ad cellulam ſuam in Montem Sepium rediit: inde non multò poſt cœlitùs per ea verba ad gloriam evocatus: *Satìs eſt, quòd laborâſti, metes nunc quod ſeminâſti*, vivere deſiit, ſed non benefacere; id enim Sancti ſolent, clientū non oblíviſci, & dum obiiſſe dū abiiſſe creduntur, per beneficia ac prodigia ſuis eſſe magìs præſentes. Extructa in loco ſepulturæ primū parva ædicula, tandē Galganô inter Sanctos relatô excrevit in celebre Ciſtercienſium Aſceterium, in quo ſoli Monachi numerabantur centum ſeptuaginta, demptis Converſis, quorum numerus longè major. Meſſis ſanè multa, & operarii multī! Rogavit utique Galganus Dominum meſſis, ut mitteret Operarios, qui non niſì in fletu ſemina mitterent,

rent, & nonniſi in exultatione manipulos meterent. Tales ſcilicèt è Ciſtercio evocandi erant, qui eo ipſo in loco ubi olim Vir Sanctus, & labores Sancti continuarent, & meſſem Sancti colligerent.

Non quidem in uno Galgano ſtat apud Italos Ciſtercienſium gloria; poſſent plures vocari in ſcenam: ſed nè videamur diffidere Galgano, quòd fortè ſuſtinere non poſſet Vir tantus plurimorum perſonas, aut merita, properamus ad *Hiſpanias*, ubi primâ fronte in Gallæcia occurrit S. FAMIANUS Ciſtercienſis in *Urſaria*, qui olim in Sacro Fonte dictus *Quardus* ſanctimoniâ vitæ, & prodigiorum famâ antiquavit nomen ſuum dictus deinde *Famianus*: pulcherrimâ ſanè metamorphoſi, & digniſſimâ, quam Ovidius faſtis ſuis immiſceat! Patria Famiani Colonia Agrippina, quam cum ampla hæreditate adoleſcens deſeruit, nuſquam reviſit, novus ſui ſæculi & Gentis Abrahamus. Roma Urbs Sancta, Italia, Hiſpania, Syria, & quisquis in his terris locus Sacer eſt, Famiano deinceps præ patria placuit, & pro patria fuit: Annos complures inſumpſit in viſitandis hujusmodi locis ſacris Nobilis Peregrinus & Sanctus. Vitam ſubinde anachoreticam ſub cujusdam Sancti Eremitæ magiſterio exorſus in partibus Galleſiæ, id vitæ genus ibidem ſanctiſſimè tenuit annis Sex: inde in Hiſpanias trajiciens ſalutatô Compoſtellæ Divô Jacobô in ea vicinia annis omninò viginti quinque Sylvarum ſacer incola, & ferarum pijſsimus hoſpes commoratus eſt: cibus ei per omne id tempus ſolæ herbæ, potus vicini fontes, victus ſanè qui non voluptati ſerviret, ſed neceſsitati. Sub idem tempus introducti Ciſtercienſes noviter in Hiſpania ſanctiſsimorum morum fragrantiâ omne mox Regnum implevêre. Non potuit latere Famianum, quod univerſa Hiſpania nôſſet & amaret: quare è ſylvis & latebris egreſſus in Ciſtercio magnetiſmum ſentiens, cui deinceps adhæreret, ſe Ciſtercienſibus in *Urſaria* ſociavit, annos natus quinquaginta & ampliùs. Non multò poſt, quia jam aliquantùm notior populi plauſum & frequentiam ferre non poſſet, de Superiorum licentia ſecundò Romam profectus in ipſo itinere à Divis Apoſtolis Petro & Paulo per viſum admonitus eſt, ut Galleſiam declinaret, cives reviſurus ſibi amicos & devotos. Loco jam vicinum ſitis preſſerat, & quia aqua non aderat, auſus quod olim Moyſes, baculô

Obiit Anno 1150.

uſus

ſuus pro Virga vicinas rupes percuſsit,quæ apertæ in dulciſsimum Fontem hodiedum aquas ſcaturiunt, quarum hauſtu non ſitis modò, ſed & febres præſtingvuntur: duplicatô ſcilicèt portentô, quod habuit Moyſes unum duntaxat, contra populi ſitim. Brevis mora Famiano apud Galleſianos fuit, in morbum enim mox incidit, ex quo ingenti civium mœrore etiam deceſsit, jam tandem peregrinum cum vita exuens, ſed non Thaumaturgum, non ſolô illô ſuô medicô fonte, quem nuper è petra excitaverat, verùm etiam & longè quidem ampliùs in ſacris ſuis exuviis in Cives & clientes per beneficia profuſiſsimus, quæ cùm per dies ſingulos creſcerent, numerúmque jam propè excederent, Hadrianus IV. Pontifex Maximus intelligens, quid Famianus ſibi per ea vellet, cum vix quatuor annis à felici tranſitu elapſis Sanctorum faſtis ſolemniter accenſuit. Unde & Cives, nè tam benefico & ſancto Hoſpiti ſuo ingrati forent, ſumptuosâ & eleganti Baſilicâ ſupra tumulum conſtructâ eum inter Divos ſuos Indigetes aſſertum annuâ feſtâ die ſalutant colúntque Tutelarem Patronum, clientes profectò famâ, cultu, pietate Famiano ſuo ſuper æthera noti. Henriqueus in Menologio, 8. Auguſti aſſerit, tantas Pontificum Summorum indultis in Galleſiana Divi Famiani Eccleſia indulgentias lucrari quempiam poſſe, quantas Aſsiſiis.

Hæret ſæpè in quorundam nominibus imago vitæ & hiſtoriæ: Famianus rei certæ exemplum præſens: cui accedat alter ex Hiſpanis B. PETRUS MARGINET Ciſtercienſis Populetanus; in hoc namque Petro tria latent, Peccator, Pœnitens, Sanctus, ſolô ſuô nomine vitam ſuam moréſque expreſsit quàm vivaciſsimè. Prima ei vitæ religioſæ ſcena Populetum, celebre in Catalonia, Cœnobium, ubi pientiſsimis moribus reliquæ vitæ præluſit & præluxit, quantus olim eſſet futurus. Turbavit ſancta hæc primordia Inſidiator dæmon, miſcuítque optimæ ſcenæ interludium peſsimum, apoſtaſiam, in quam, crebris adverſarii inſultibus petitus Petrus, tandem conſenſit, digreſſúsque Populeto incidit in latrones, qui ſuô jam præcipitiô infelicem hominem facilè pertraxêre ad Scelerum ſocietatem. Non ità tamen ijs ſceleribus primi illi pietatis igniculi penitùs ſuffocati ſunt, ut non quandoque urerent apoſtatæ pectus ſceleſtum quidem, at necdum obduratum, ideóque divinô lumine certè tam non indig-

Obiit Anno 1440.

num. Eô igitur lumine excitatus illuſtratúſque Petrus vidit ſuorum ſcelerum noctem, quàm eſſet mala, quàm fœda, quàm inſanus impetus, qui animam divinæ lucis capacem ad deteſtabiles illas tenebras damnâſſet, quas tandem expectaret æterna apud inferos caligo. Horror, deteſtatio, ſpes, planctus, lachrymæ alias jam ſcenas in Petro adornabant, quæ vel Cœlites ipſos mererentur habere Spectatores. Sociis itaque latronibus relictis Populetum ſponte ſua ad fratres regreſſus, ſibi ipſi Judex & vindex pœnas præſcripſit penè omne genus cruciatuum. Domicilium extra clauſtrum ſpecus horrida: victus, panis, aqua, herbæ: Veſtis, cilicium: atque ut etiam tunc eſſet Petrus inter vincula, ferreas catenas in flagra contexuit, quibus corpus non tam conſtringeret, quàm diſcerperet pius tortor. Somnus ei modicus, imò propè nullus, nisì quem una neceſſitas impoſuiſſet. Preces aſſiduæ, & per integras omninò noctes protelatæ: ſub ſolis occaſum ſe in genua dimittere ſolitus Divinus Orator eô ſitu perſeveravit uſque ad poſterioris diei diluculum ac primam auroram, cum Magno illo Antonio Soli exprobans, quòd præproperô ſuô ab Antipodibus reditu noctis ſibi delicias invideret, atque interturbaret. Habuit exinde in ſuo illo antro Angelos penè quotidie hoſpites, olim prædonum ſocius, nunc Cœlitum, & qui olim ſylvas & cavernas plurimâ cæde infamaverat, nunc Angelorum felix hoſpitiò ſpecum ſuam in Cœlum quoddam transformavit, injuriam beneficiô expungens. Soli inferno ea Petri metamorphoſis erat inviſa & ingrata, qui indigniſſimè ferens, freménſque, tam nobilem tam certam prædam ſibi nunc ereptam, Virum DEI crebrò aggreſſus eſt, larvis, ſtrepitu, terrore; at Petrus jam poſt primam cladem pugnare doctior, ſolô contemptu maximum hoſtem vicit, fugavítque. Id armorum genus ſuperbo dæmoni infenſum quàm maximè, ſe ſcilicèt, qui pugnare, qui vincere vellet, & fortè etiam quandóque poſſet, ab homuncione tot Sordibus tot ſceleribus ſcatente poſſe, imò etiam debere contemni. Facilè utique poteſt vinci, qui timet contemni. Addo ego aliquid amplius, facilè poteſt vinciri, qui poteſt vinci. Scenam narrabo, in qua mille cachinnis nobis & contemnendus & ridendus erit præſtigiator Cacodæmon, qui ut Petro poſſet eſſe moleſtior atque importunior, prægrandis aſini ſpeciem induit, jam non Spiritus, ſed pecus. Agnovit

vit divinitùs in beſtia latentem hoſtem Vir DEI, atque ut toties jam victum tandem etiam haberet vinctum, mox cingulum ſolvit, quô in collum monſtroſi aſini injectô jucundum dictu, dæmonem captivum fecit, habuitque per omnem deinceps vitam. Et nè otioſa eſſet hæc captivitas, portentosô ac ſordidô monſtrô uſus eſt ad comportanda onera, ſaxa, ligna, lapidésque pro amplianda Monaſterii ſtructurâ, ut diſceret tandem etiam aliquando prodeſſe dæmon, qui hactenùs nîl nisì nocere nôſſet. Abeunte è vivis Petrô ad Cœlites emancipatus dæmon ad inferos rediit, ille hominem exuens, hic aſinum. Unum ego hìc noto, Ciſtercium nimirùm creviſſe non modò per Cœlites & homines, verùm etiam (abſit verbo invidia ſeu ſcandalum) per Dæmones.

Non velim Hiſpaniis excedere, quin in compendio memorem ſuaviſsimam mortem B. BENEDICTI Monachi Morerolæ, qui probatiſſimis moribus vixit vitam, quam ſolent Sancti, obiit morte, quâ plectuntur rei, id eſt, genuflexus. Vix extra Ciſtercium, extra ſupplicium legerim mortem tam raram, támque non amaram in morte non cadere, non occumbere, ſed flectere. Fuit Benedictus ſuperiori ſæculô Hiſpaniæ atque Ciſtercii eximium ornamentum: per Patres Congregationis Hiſpanicæ deſignatus Abbas Melonenſis; ſed una Benedicti humilitas præponderare potuit tantorum Virorum votis: Sacerdotis deinceps contentus titulô, quem tamen ob afflictam per nimiam abſtinentiam corporis valetudinem ſanctiùs geſsit, quàm exercuit, miniſtri interim functus officiô, quod ille munus totô tempore antemeridianô tantâ pietate obibat, ut Sacerdotes in Benedicto non hominem ſibi aſsiſtere crederent, ſed Angelum. In eo obſequio vitam clauſit, in quo vixit: tum denique maximè Angelus, cùm hominem moriens exueret. Non moriuntur Sancti, nisì moneantur. Benedictus de inſtanti migratione moneri vix debuit, quia ſemper diſpoſitus; monitus tamen eſt, ut crederet ſe eſſe mortalem. Gratulatus igitur ſibi, non duntaxat quòd mori poſſet, ſed ampliùs, quòd die cœlitus prærevelatâ ſub ultimo poſtremæ ſuæ diei ſacrificio mori deberet, ſumptô ſub Miſſæ finem inter uberes lachrymas è celebrantis manu Evchariſticô epulô animam genuflexus placidiſsimè exhalavit. Te-

Obiit Anno 1588.

nuit eundem flectentis ſitum, qualem in morte habuit, eouſque exanime corpus, donec Conventus gaudens & lachrymans integras pro defuncto exequias perſolviſſet. Haud diſſimili morte & ſitu olim è vivis exceſſit Prima Eremitarum gloria Paulus Ægyptius, Benedicti noſtri felix idea & prototypon, quem mors genuflexum aggreſſa proſternere non potuit, ſed extinguere; hoc hominis fuit, illud virtutis. Atque ita nè haberet ſola Ægyptus in quo poſſet gloriari, dedit in ſeipſo Benedictus Hiſpaniæ, dedit Ciſtercio, nè ampliùs Ægyptus, nè Paulus eſſet ſinè æmulo ſinè exemplô.

Jungendum iterum ſuæ *Hiſpaniæ Belgium*, è quo quinque in theatrum adducemus Beatos Monachos: Tres primos è *Villario*, quartum ex *Alna*, quintum ex *Oliva*.

S: ABUNDUS (hoc nomen ſcribere vix deberet, niſì DEIpara ipſa, tam ſcilicèt penè ſola novit Virgo Mater, quis quantúsve Abundus fuerit) ABUNDUS (repetendum nomen, quod pretium confert huic chartæ) Villarii ſui apud Brabantinos illuſtre Sidus: in quo à teneris nîl parvum fuit, niſì ætas, cætera omnia adhucdum in parvulo grandia. Sodalibus pueris pro ætatis modicæ genio crepundiis ac luſibus occupatis, ipſe ſuas ſibi delicias conſtituit in ædibus Sacris, in multas perſæpè horas Sanctorum imagines de genu ſuaviſſimè deveneratus. Salvatoris Crucifixi effigies teneriùs in pueruli affectus ſeſe inſinuaverat, unde inter parvulas lachrymas penduli è Cruce Redemptoris ſimulachrum penè continuò pius Crucifer circumferens ſtigmata premebat oſculis. Atque nè in ſolo affectu ſtare videretur pietas; duram legem tenero ſuo dictavit corpuſculo, nè deinceps cubare auderet ſuper molles plumas, præparatô in lectuli vicem durô ſaxô, ut huic indormiens nîl omninò per reliquam vitam ſomniare poſſet niſi dura & aſpera, ea enim ipſa ſibi loqui atq; inculcare videbatur rude lignũ, cui Salvator in Calvaria imortuus ſit. Hæc ſanctitatis Tyrocinia extra Villarium Abundus ſibi ipſi Tyro, ſibi Magiſter: longè majora in Villario, cui in ſe Angelum dedit; Sic enim communi ab omnibus vocabulô compellabatur, *Angelus terreſtris.* Atque nè ſolâ nuncupatione ſe Angelum ſciret Abundus, feliciſſimi illi Cœleſtis Patriæ Spiritus ſpecioſa induti corpora ad quotidiana cum Abundo colloquia deſcenderunt, ut Villarienſi-

Floruit circa An. 1228.

rienſibus ex ea ſocietate jam perſpicuum fuerit, Abundum Angelorum ſocium nîl minus poſſe eſſe quàm Angelum: inſigni profectò in Villarium, atque in omne Ciſtercium beneficiô, Monachorum aſceteria fieri Angelorum domicilia, qui viſitationum frequentiâ Abundi, Villarii, Ciſtercii non eſſent hoſpites & advenæ, ſed Cives & domeſtici. Minus erat viſitari, amari ab Angelis, nisì inſuper glorioſa Angelorum Imperatrix longè majora ſupra Angelos auſa, non Civem tantùm ſibi in Abundo, ſed clientem, filium, ſponſum firmâſſet. Dividemus Virginis in Abundum favores, hìc aliquos dabimus, cæteros alibi ſuô locô relaturi, ut ſemel iterúmque Lectorem oblectemus. Creverat Abundi cum Virgine familiaritas in tantum, ut nulla dies ſinè raptu ſinè ecſtaſi abiret: ſenſus interim eô tempore à munere ſuo feriantes animum ad contemplanda DEIparæ arcana evolantem aſſequi non poterant. In dies ſingulos Virgo Mater novam Abundo ſcenam aperuit, quâ aliam ſemper aliámque pulchritudinis ſuæ prærogativam eidem ſpectandam objecit: ut Cœli partem jam in Virgine tenere crederetur Abundus. Omne quod à Virgine petiit, Abundus obtinuit, juſſus id facere ab ipſa Divina Puerpera, ut eò confidentiùs peteret, cui Optima Mater nîl vellet negare: Piô litigiô inter ſe amantiſſimè rixati, Abundô aſſerente, omnia dona cœlitùs ſibi data debere ſe MARIÆ felici patrocinio, at Virgine viciſſim (quæ etiam in cœlis non poſſet eſſe non humilis) humillimè reponente, ea ſcilicèt profluxiſſe à precibus Abundi; ſuſpensô ad ſpectaculum Cœlô, quòd merita Abundi tanta ſint, quæ certare debeant cum meritis Almæ Matris. Indè factum eſt, quòd tam animæ in flammis piacularibus, quàm obſtinati peccatores communem in Abundo habuerint Advocatum, præmonente ſemper Virgine, quos illa optaret per Abundi ſuffragia ſeu è pœnis ſeu è peccatis extrahi. Vix in Cœlo aliquid hâc familiaritate dulcius aut majus à Divina Parente expectare Abundus potuit, nisì quod ſupra Virginem ipſam eſſet, inſcrutabile ſcilicèt Trinitatis Myſterium, ad cujus felicem intuitionem haud dubiè etiam DEIparæ favore ſupra Seraphinos aliquando raptus adhuc in mortali corpore cœpit eâ objecti Beatifici admirandâ prorsùs viſione eſſe Beatus, donec ad crebrò prælibatas Cœli delicias ſemotô carnis ſipariô feliciſſimus & Spectator & Comprehenſor pleniùs fuiſſet admiſſus, nullibi futurus magìs Abundus, quàm

in Coelo, ubi DEUS ipſe omnibus omnia factus etiam ABUNDO fieret ABUNDUS.

Floruit circa An.1201. Alter è Villario B. Monachus fuit GODEFRIDUS ab officio dictus SACRISTA Sacriſtanorum ſeu idea, ſeu Patronus, imò verò utrumque. Donô miraculorum tam illuſtris, ut Brabantia in Godefrido redivivum Bernardum cœlitùs ſibi redditum paſſim gratularetur: non obſcurô argumentô, Godefridum vix poſſe dignè circumferre Thaumaturgi Bernardi nomen ac memoriam, niſì ſimul in ſe circumferret Bernardi mores ac Sanctimoniam. Animô ſupra mortalem perſpicax penetrabat in ſecreta cordium, non tam ſuô, quàm aliorum bonô ac emolumentô, quibus ſæpè profuit, Godefridum habuiſſe ſuæ conſcientiæ inſpectorem, ducem, Medicum. Erat Viro Sancto ſuſpecta prodigiorum frequentia, nè ijs læderetur humilitas, quæ una virtus fulcimentum eſſet perfectionis religioſæ: quare deinceps parcior manum Thaumaturgam rariùs extendit in morborum remedia. At verò ingenioſior langventium pietas ignoranti cingulum ſubtraxit, quod morbidis circumligatum commune contra morbos fuit amuletum. Doctior ex eo eventu Godefridus, non placere ſcilicèt Cœlo humilitatem, quâ in proximum deberet eſſe crudelis, eique ſuffurari beneficia, quæ Cœlites vellent per ſe diſpenſari, pro Ciſtercii gloria in langventes in poſterum fuit liberalior: & ſiquidem ad patranda miracula (utì notant Vitæ ejus Scriptores) quôdam gratiæ motricis impetu ferri ſe deprehenderet, noluit DEO, Ciſtercio, proximo deeſſe, cuivis daturus ſuum, DEO gloriam, Ciſtercio plauſum, proximo beneficium. Hæc Godefridus aliis: aliquid longè excellentius DEUS Godefrido; aliquando namque ſub incruento Miſſæ ſacrificio viſus eſt tenere in manibus non hoſtiam, ſed Infantulum longè ſpecioſiſſimum, qui poſtquam inter amabiles blanditias Viro Sancto aliquamdiu colluſiſſet, tunc primò videri deſiit, cùm à Godefrido ſumi voluit. Abiit ex oculis & manibus ad Godefridi præcordia, novas ibi habiturus cunas, quibus indormiret. Eximios duos alios Godefrido cœlitùs indultos favores ſuis locis dabimus alibi. Hìc illud notâſſe ſufficiat, ab obitu Viri Sancti, dum corpus veterum more lavaretur, inventas in eo fuiſſe cruentas plagas, & recentia flagellorum veſtigia, luculentos

ſcili-

ſcilicèt ſanctitatis characteres, eò cum majori Villarienſium admiratione, quò ille rigor magìs erat omnibus ignotus. Qui legit, intelligat, ſanctas illas rubricas Godefridum ſtylô ferreô Cœlo ſcripſiſſe, non mundo, nè eæ vanâ gloriâ ceu ſpongiâ forſitan delerentur.

Tertius inter Villarienſes Beatos Monachos HENRICUS DE MARILIS quinquagenarius, id eſt, jubilatus Ciſtercienſis, illuſtri apud Belgas locô natus qui per annos complures haud obſcura indicia dedit, quàm illuſtri poſt mortem locô eſſet olim futurus. Ardebat intra viſcera Viri Sancti diu noctúque fulgidiſſima lampas, quam oculis corporeis in pectore Henrici pius quidam in Villario Senex toties vidit, quoties Henrico occurrit. Flamma utique hæc fuit luminis gloriæ ſeu præambula ſeu parallela, quam inviſa mors exſufflare voluit, ſed decepta eſt, cùm in anima Henrici lucem novam oriri conſpexit, cujus occaſum nulla ætas, nulla æternitas ſpectare ſeu expectare audeat. *Floruit circa An. 1280.*

Spectanda etiam poſt Villarium Oliva, celeber Ciſtercienſium Partheno in ſuo Fundatore B. GUILLELMO, qui à fundato Cœnobio dictus eſt *Olivetanus*. Priuſquam Ciſtercienſibus ſe ſociâſſet, antiquorum in Thebaide Patrum rigorem ſuô ſæculô reſuſcitaturus ad eremũ digreſſus eſt, meliùs inter feras quàm inter homines Sanctorum futurus æmulus. Primus ei ac pertinax labor, quô carnis robur, ſeu potiùs dominatum pleniùs attereret. Horret iſthic calamus vel meminiſſe, quæ Guillelmus auſus eſt in corpus ſuum: Mediâ hyeme in rigens ſtagnum collotenùs ſe dimiſit, ibíque in multas horas commoratus, ſervire ſpiritui carnem docuit, dum ſic domuit. Horrido illo balneo egreſſus rectâ ad Eccleſiam properabat, nullô aliô calore ſiccaturus veſtes, niſì quem aut Sacer amor in præcordiis ſuis, aut pectoris externa & frequens concuſſio, atque continua penè genuflexio qualemqualem cauſaverant. Non ſatìs erat Guillelmo, ſemel ſic balneâſſe, reviſit ſæpiùs rigidas undas, unas ſuas velutì delicias, nunquam erga cœlum calidior, quâm dum ſic in aquis frigeret. In his fortè poterat æmulari Veterum Eremicolarum ſancta chariſmata; at in uno hoc viſus eſt imitari beſtias, quòd tempore non modicô quadrupedis inſtar manibus pedibúſque circumreptans nũquam erectô vultu cœlum ſit intuitus; *Obiit Anno 1240.*

Xx Excu-

Excuſandus tamen, imò inſuper laudandus, quòd ſolô corpore, portione ſcilicèt animali ſeu cibô, ſeu ſitu, atque contuberniô inter beſtias hæſerit, quod ſolent pauci, non animum cœlo deſtinatum humi depreſſerit, quod ſolent multi. Monitus tandem inſpiratione divinâ nè deinceps inter feras diutiùs lateret, inventurum ſe inter Ciſtercienſes non homines ſed Angelos, quibus ſecuriùs & ſanctiùs adhæreret, prima fundamenta jecit pro præfato apud Belgas Parthenone Olivenſi, bis Fundator, qui non ſumptibus duntaxat, verùm etiam propriis manibus, imò & dorsô ſaxa bajulans Cœnobii ſtructuram eximiè promoverit. Eripuit Oliva in hoc cæteris Cœnobiis palmam, quòd fortè nullum ex omnibus habuerit Fundatorem tam pronum, qui ſcilicèt & affectum inclinaret ad præſtanda æris ſubſidia, & corpus incurvaret ad congerenda Saxorum pondera.

Obiit Anno 1217. Olivæ jungemus *Alnam* ſplendidum in Belgio Ciſtercienſium aſceterium, & Virorum ſanctiſſimorum domicilium. Nobis hìc ex omni numero memorandus venit B. WERRICUS Domûs illius Prior, cujus eximiam in egenos charitatem vel ipſe equus, cui Vir Venerabilis inſidere conſueverat, elocutus eſt, non lingvâ, ſed factô. Auſcultanda eſt non ſinè ſtupore nova hæc locutio non tam aure, quàm animô. Werricus alter ſui ævi Martinus, quidquid veſtium ſibi ſubtrahere poterat, in obvios pauperes non ſemel erogavit, toties Martinus, quoties ejusmodi diſpenſator. Didicit à Seſſore equus virtutem, quam perſæpè vix homines capiunt, benignitatem nempe in pauperes; quoties namque in itinere mendicabulum conſpexit lacerô centone miſerum, nullô aliô monitore, ſed ſuâ ſponte ſubſtitit, quaſi ſublevari optaret ſe ſeſſorémque ſuum qualiquali veſtimentorum onere, quibus pauperum humeri eſſent tegendi. Quòd ſi verò in quosdam incidiſſet veſtium cultu conſpicuos, celerrimô curſu eos prætervolans Optimum Seſſorem eò ferebat, ubi inter pauperes poſſet eſſe qualis vellet, id eſt, Martinus. Non potuit certè niſi placere Cœlo hæc Werrici benignitas, quod manifeſtum eſt ex eo, quòd aliquando in Choro orantem pulcherrimâ luce in ſeptem radios diviſâ illuſtrârit: Sic namque pro vilibus pannis retributor DEUS cœli lucem in veſtes adornat.

Belgio nihil vicinius quàm Germania, imò Belgium nîl aliud quàm

quàm Germania, inferior ſcilicèt. Laudavimus mox quinque Beatos Monachos Ciſtercienſes ex Germania inferiori, totidem numerô laudabimus ex Germania Superiori.

Et primò quidem BEATUM GUALTERUM DE BIRBACH Monachum Hemmenrodenſem, ſangvinis ſplendore & Virginis Matris clientelâ illuſtrem. In juvenili ætate pro Nobilium more Gualterus ità ſe impendit militaribus exercitiis, ut non negaret ſe Virgini. Diviſit inter Virginem & ſtatum ſuum non ſeipſum, ſed ſtudia, ſed tempora Sanctus Schismaticus. Hanc ſibi legem perpetuam dixit, ut quotidie in DEIparentis honorem ſacrificio Miſſæ aſſiſteret. Ejúsque pervigilia jejuniô ac largâ in pauperes diſpenſatâ eleemoſynâ coleret. Quam adoleſcentis nobilis in ſe pietatem Virgo Mater mox inſigniter remunerata eſt. Properabat nempe aliquando cum ſociis ad militares ludos Gualterus, at in via auditô in vicina Eccleſia cymbalô velutì divinitùs monitus eâ die necdum Virginem à ſe cultam auditione Miſſæ, à Comitibus furtivè dilapſus incruento ſacrificio devotiſſimè adſtitit. Tum hilarior ſe in viam dedit, ad deſtinatos ludos ac ſocios feſtinaturus. Occurrebant interea Gualtero in itinere, qui gratularentur palmam, quam cæteris omnibus unus ipſe agilior ac generoſior in ludis præripuerit. Exiſtimabat primùm attonitus adoleſcens errare fallíque homines in perſona; Sed quia eadem alii aliíque gratulabantur, intellexit tandem Gualterus, hoc opus Virginis eſſe, quæ non fuerit paſſa ſe fruſtra coli, Angelum Virginis juſſu haud dubiè egiſſe perſonam abſentis, & quídni ſub tantis auſpiciis victoriam retuliſſe? Dixit, & ſanctius jam aliquid ſpirans Ciſtercienſi Ordini DEIparæ patrociniô illuſtri ſe devovit, indúitque candidam Cucullam in Hemmenrode: ubi quidquid habebat ingenii, in novos quotidie novósque Virginis cultus totum exhauſit. Rependit illa pro gratis obſequiis vicem, ut quidquid per Virginem rogaret Gualterus, jubere videretur, tam habuit Optimam Matrem ſibi obſequentem ac propitiam, ex cujus beneficio amplum in dæmones, bruta, ventos, ipſúmque Mare Gualterus obtinuit imperium. Artem, quâ morbi animorum in aliis occulti curari poſſint, poſteris reliquit novam ac Sanctam, ſolitus ſe piâ fraude fingere indigere ſalubribus conſiliis contra has aut

Floruit Anno 1260.

illas animi paſſiones, cum quibus illi ipſi conflictabantur, à quibus Vir Sanctus conſilia rogabat: cúmque hâc arte perſvaſi pares animi morbos ac vulnera jam confidentiùs aperirent, tum tandem ille fictam ægri perſonam exuens medicum per opportuna conſilia ſeſe exhibuit prudentiſſimum. E vivis exceſſit DEIparâ præſente, nè Virginis ductu vel in termino errare poſſet ad cœlum viator Gualterus. Relicta in veſtimentis medica curandi vis perſvaſit clientibus; Gualterum non totum eſſe terris ablatum.

Floruit circa An. 1140. Medici officium quod exercuit Gualterus in animas, BEATUS CONRADUS Cœnobii de Hegena immortali ſui nominis famâ exercuit in corpora: Cœci, claudi, ſurdi magnô numerô ad Beatum Virum adducti optatâ ſoſpitate donati, ingentibus encomiis ac nominibus Patronum ornavêre: Inter quæ illuſtrius fuit cognomen MEDICI quô deinceps ob miraculorum frequentiam ac magnitudinem vulgò eſt nuncupatus.

Obiit Anno 1179. Medico jungendus venit *Aſtrologus:* hôc nomine compellare hìc placet B. DAVIDEM Monachum in Hemmenrode, qui in rerum cœleſtium contemplatione tam erat fixus ac abſorptus, ut non infrequenter in multas horas ſtans ſolem intueretur, oculis nullô penitùs nictu cadentibus ac læſis, aquila, non homo, imò utrumque: illuſtre Orbi præbens argumentum, quantâ immobilitate oculus animi ſit olim in gloria inhæſurus Soli DEO, à quo animus non læditur, ſed perficitur, ſi tam fixè inhæreat oculus corporeus tam debili ac infirmâ facultate præditus uni ſideri, à quo lædi poteſt, ac perdi.

Floruit Anno 1170. Neque omitti hìc debet Famoſus *Orator* B. MAYNERUS Prior Hemmenrodenſis, qui præter ordinarium horarum Canonicarum penſum, munerìſque injuncti ingentes labores in dies ſingulos bis integrum Regii Vatis Pſalterium perſolvit: Unde non mirum, quòd moriturus à lectulo ſuo Scalam viderit ad Cœli uſque faſtigia protenſam: quid namque aliud eſt Oratio quàm ſcala Cœli, quam toties ſcandis, quoties oras? Scandit hanc Maynerus, tam Prior officiô quàm tempore, tu, ſi ſequi vis, ora, & ſcandentem in ſublime ſequeris Maynerum.

Floruit circa An. 1200. Habent & ſuam Cantores Scalam, in qua aſcendant deſcendántque non pede, ſed voce. B. ANSELMUS Monachus celebre

bre *Cantoris* nomen apud poſteros meruit, quando ferè toties ſuper Caput ejus columba tam candida quàm ſplendida deſcendit, quoties is aut Diaconus Evangelium aut Sacerdos ſacrum cecinit. Feliciſſimus Scaliger! qui deſcendente diviniſſimo Spiritu ipſe non tam voce, quàm corde & affectu altiſſimè aſcenderit! Veruntamen extra Miſſam aliam ſcalam habuit Anſelmus, in qua infra pedes omnium deſcendens, ſéque animi demiſſione infra omnes abjiciens hominum conſortiô ſe indignum vociferabatur, ſolitus paſſim ſe aliorum precibus recommendare, præſertim *Henrici* pientiſſimi eâ ætate *Converſi*, qui tamen pro Anſelmo ex condictо orans à Diva Maria Magdalena graviter per hæc verba reprehenſus eſt: *Tu oras pro Anſelmo, magìs autem indiges, ut ipſe oret pro te.* Nempe Anſelmus Divinus Cantor cantando meliùs, quia bis oravit. Optimè orat, qui bene cantat.

CONVERSI nomen ſuô etymô Ciſtercienſes, quin imò Religioſos omnes latiſſimè complectitur, qui à ſemitis ſæculi âverſi, & ad DEUM per tria vota ſubſtantialia converſi dicuntur, ſúntque in re *Converſi*. Apud Ciſtercienſes tamen eô nomine ſoli veniunt Fratres, quos aliæ Religioſæ Familiæ aut *Laicos* appellant aut *Coadjutores:* quorum olim apud noſtros ingens fuit numerus, & præcipua ſanctitas. Nos, nè à propoſita brevitatis methodo recedere videamur, pauculos hìc duntaxat recenſebimus. Et quidem ex Gallia Ordinis Matre duos, *B. Conſtantinum, & B. Chriſtianum.*

B. CONSTANTINUS quantum olim in ſæculo latrociniis, rapinis, cædibus per omnem Campaniam infamis, omniúmque Tribunalium ſententiis necdum captivus, ſed adhucdum vagus ad mille furcas condemnatus, tantum deinceps in Clara-Valle pœnitentiæ ac ſanctimoniæ operibus glorioſus, Bernardum habuit ſalutis ſuæ aſſertorem eventu ſanè admirabili; Cùm enim tandem aliquando in caſſes & compedes incidiſſet, unô omnium ore ad funeſtum funem damnatus eſt, quô infelix prædonis gula frangeretur: urgente ſupplicium ipſo Campaniæ Comite Theobaldô. Trahebatur igitur ad infame lignum Conſtantinus eò magis miſerandus, quòd nullus omninò eſſet, qui vel modicô commiſerationis affectu compati vellet homini de omnibus peſſimè merito. Unus Bernardus, qui ſeu caſu, ſeu DEI nutu *Obiit Anno 1191.*

ſub idem planè tempus ſuper quibusdam negotiis cum Theobaldo acturus in Campaniam advenerat, indigniùs tulit, hominem infelicem debere bis mori, fune quia furem, morte æternâ, quia adhuc obſtinatum: quare in medios populi cuneos ſeſe violentè ingerens lictoribus lorum eripuit, quô reus ad ſupplicium ducebatur, acri eos verborum invectivâ compeſcens: *Dimittite*, inquiebat, *mihi ſicarium iſtum, ego eum volo manibus meis ſuſpendere.* Attoniti omnes præſentiâ ac verbis Sancti, non auſi ulteriùs progredi rem inſolitam mox ad Theobaldum non longè tunc abſentem detulêre, qui de adventu Viri DEI ſibi Patriæque plurimùm quidem gratulatus; at verò de eo quod cum latrone acciderat, aliquantùm turbatior eò feſtinavit, ubi in confertiſſima turba medius inter carnifices Vir Sanctus latronem fune poſt ſe trahebat captivum. Motus itaque vehementer indignitate rei, hæc ad Bernardum: Quid hoc agis Pater Sancte? Quid manus tot prodigiis venerabiles perditiſſimâ hâc peſte maculas? Mortem, quam furcifer iſte toties meruit, tandem ſemel æquiſſimè luat! Non dabis, Bernarde, Campaniæ noſtræ beneficium, ſi ſervare volueris, qui tot jam perdidit. Redde carnifici victimam, quam orco immolet. Tenebat interea preſſiùs prædam ſuam Bernardus, atque ad Principem converſus hæc ad eum: Scio, inquit, ſcio, Virorum optime, hunc eſſe latronem longè facinoroſiſſimum, & non unâ tantùm morte mulctandũ: hinc nè tu credideris, me tam impium velle eſſe in leges & Patriam, qui audeam ſalvare, quem omnes damnant. Vide ſis, Optime Princeps, moriatur latro iſte! hoc tu duntaxat dabis Bernardo tuo beneficii, ut mutari poſſit carnifex: non horreo ego carnificis nomen aut munus, nec minùs ſeverus, ùt tu quidem timere poſſes, ero in reum: *Tu namque illum decreveras, brevi ſuppliciô, & momentaneô interitu conſummari: Sed ego eum faciam diuturnô cruciatu & morte longiſſimâ mori. Tu furcis appenſum per unum, aut per plures dies mortuum in patibulo manere permitteres: ego crucifixum per annos plurimos faciam in pœnis jugiter vivere, & pendere.* Dixit, & Principe annuente, in conſpectu univerſæ multitudinis captivo ſuo comam capitis totondit, injectáque propriâ ſuâ cappâ ex latrone Monachum effectum ſecum in Claram-Vallem ad longam ſcilicèt Crucem abduxit: in qua triginta omninò annis, quibus in Ordine vixit, tam conſtanter quàm patienter clavis ſe affixit, quot ſpontaneis crucia-

Vit. Bern. L. 7. c. 16.

cia-

ciatibus ſe afflixit. Panis & aqua omnes erant Conſtantini lautitiæ: Ejus per diem occupatio, labor & oratio: per ſingulas noctes ter quaterque flagellis in ſe atrociter ſæviens priores noxas ſangvine conatus eluere. Oculis hanc legem poſuit, nè cœlum olim toties offenſum auderent deinceps elevati intueri, aſpicerent pro pœna terram, quam ipſe per cædes & latrocinia tam ſceleſtè fœdâſſet. Vix unquam diù noctúque per annos triginta viſus ſinè lachrymis copiosè per maxillas jugiter fluentibus, in quibus tandem enatavit ad portum. Perire non potuit, quem Bernardus tenuit, duxit. Igitur Conſtantinus è duplici tam animæ quàm corporis ſervatus naufragio ſeipſum Bernardo debet bis clientem, millies filium.

CHRISTIANUS alter apud Gallos B. Converſus in Monaſterio *de Eleemoſyna*, priùs nomen dedit vitæ ſolitariæ, ubi nullô aliô victu quàm modicô pane & præterlabente rivulô vitam diu ſuſtentans pro portento fuit, eâ alimoniæ parcitate potuiſſe exhauſto corpuſculo accreſcere tantum ſangvinem, quantum Vir Sanctus per quotidiana flagra ſolitus eſt profundere. Adhuc tamen eâ corporis laniena minùs rigidus ſibi videbatur: ità nimirùm Sanctis omnia, quæ pro DEO, pro Cœlo operantur, nimìs modica & parva ſunt! Ingeniô auxit tormenta; poſtquam enim flagellis ſe de more concidiſſet, ſangvíſque per frequentia vulnera adhuc manaret calidus, calenti vulneri & ſangvini daturus refrigerium, mediâ hyeme in rigentes undas inſiliit, neque priùs inde receſſit, donec inter hiantes cicatrices pendulæ glaciei cruſtæ in immenſum exaſperarent dolorem. Per hæc prælia domitâ carne caſtris Ciſtercienſium in Eleemoſyna acceſſit, Thaumaturgâ manu deinceps in ægros & egenos diſpenſaturus optimam ſtipem miracula. Didicit porrò inter Ciſtercienſes, quàm modicô intervallô ij diſtent à Cœlo, quod per quotidianas rerum ſublimium ac pulcherrimarum revelationes Ghriſtianus penè habuit ſibi domeſticum. Ità nimirùm Cœlo appropinquat, qui Ciſtercio.

Floruit An. 1145.

Apud *Hiſpanos*, *Luſitanósque* trium Beatorum Converſorum veſtigia vel in aquis lego, in quibus tametſi fluant diffluántque cætera, ſola tamen Ciſtercii gloria in ijs perſtat apud Poſteros immobilis. B. HILARIUS & B. MACHARIUS ambo Hiſpani,

ambo Converſi, hic Bonæ-Vallis, ille Morerolæ: hic ſiccô pede, ille ſuperſtratô palliô aquas habuêre ſolidas. Spectaculum in Ciſtercio pulchrum, habere Petros undis in ambulantes, in hoc etiam fonte non ipſis duntaxat aquis, ſed & Petrô Superiores, quòd mergi nec cœperint, nec timuerint.

Obiit circa An. 1151. HILARIUS aliquando ruri inter agreſtes labores occupatus dum ſignô æris campani ad clauſtrum revocaretur, nec cymba adeſſet, quâ ſuper fluvium Ezlam tunc largiùs fortè exundantem tranſportaretur, obedientiæ inſigne ſpecimen exhibiturus, ſtratô ſuper aquas pallio ceu navigio inſedit, undáſque interpellans ait: Vos ego, vos aquas adjuro! Ferte, transferte hoc inutile pondus, quod vobis non temeritas, ſed una impoſuit obedientia: Contra hanc peccabitis, ſi me merſeritis, nuſquam ſanè tot mille guttis eluturæ hoc ſcelus, quod modò poteſtis audere in inſontem. His verbis, ceu imperiô aquas premens, & terrens, ſignóque crucis ſe muniens portu ſolvit, atque ſinè navi, ſinè remige, ſed non ſinè DEO, ſinè prodigio ad alteram fluminis ripam incolumis appulit.

Floruit circa An. 1170. MACHARIUS in Bona-Valle Converſus pari obedientiæ ductu ex agro ad Monaſterium properans, cùm vicini fluvii inundatione præpediretur, magnâ in DEUM fiduciâ, magnô animô calcaturus omnia, quæ vocanti obedientiæ obſtarent, etiam aquas ſiccô pede, ſolidô veſtigiô calcavit, ſícque elemento mobili in ambulans, fortè aliquantùm felicior quàm Hilarius etiam ſinè pallio ſpacioſiſſimum fluvium ſuperavit: attonitis ad rei novitatem, qui ex adverſo littore ſtabant, meſſoribus; imò aquis ipſis, quæ nîl audebant in obedientem.

Floruit Anno 1147. Hiſpanis contermina Luſitania etiam Alcobaciæ ſuum habet famoſum nautam B: DESIDERIUM olim in Clara-Valle Bernardi diſcipulum, qui ruralibus deſtinatus negotiis quotiescunque vicina duo flumina *Coam & Bazam* (quæ Alcobaciam mediam alluunt, unde & illa nomen hauſit) erat trajecturus, non multùm cauſatus, quòd aliquando ſcapha deficeret, detractum ſibi Caputium in aquas projecit, eique inſiſtens feliciſſimè in alteram fluminis partem tranſportatus eſt: docturus in poſterum Grammaticos nova vocabula, poſſe ſcilicèt Ciſtercienſes navigare non

non in ſola navi, verùm etiam, quod mirabiliùs, in pallio & cappa.

E Luſitania *Belgium* repetentibus apud Brabantinos primùm occurrit *Villarium*, & in Villario tres Beati Converſi, *Arnulphus*, *Petrus*, *Everhardus*.

B: ARNULPHUS dictus *de Bruxellis*, ſidus Ciſtercii illuſtre, ampliora apud Ordinis Scriptores Volumina, quàm modicas has paginas meritus, tot in ſe uno clauſit cœli favores, ut cæteros in alium locum reſervaturi, nè Lectorem obruamus, hôc loco aliquos duntaxat referre audeamus. Præluſit Angelicæ in terris converſationi per exquiſitiſſima in corpus ſupplicia; hæc namque ſunt optima ad perfectionem præludia. Primitiæ cruciatuum funis ex ſetis equinis frequentibus nodis tortuoſus & hiſpidus, nudum corpus eâ violentiâ conſtringens, ut nati exinde vermes, & ingratus aliis è vulnere fœtor urgerent Arnulphũ, mutare noxium funem in aliud genus rigoris, quô ſibi crudelior, aliis eſſet minùs gravis. Subſtituit igitur cilicio flagella calcaribus velutì in brutum pecus armata, quibus corpus per bis mille ſolidiſſimos ictus quotidie immaniter dilaniatum nullâ omninò die fuit ſinè cruenta pluvia, per quam meritorum ſeges, ac gloriæ meſſis plurima Arnulpho accrevit. Interluſit cœlum ſanguineæ huic Scenæ quotidianô miraculô; cùm enim poſt plagas & vulnera ingruente nocte modicæ quieti ſe dediſſet Arnulphus, nullas in alterum diem ſupereſſe advertit plagarum notas aut characteres, ſanatam ex integro carnem, & ad novam lanienam plenè reſtauratam. Tranſtulit nempe Cœlum illas Viri Sancti rubricas in Librum Vitæ, in quo ſcribi nihil debet, niſi quod oculis DEI, Cœlitúmque dignum ſit. Talis Arnulphus ſibi, carníque ſuæ; Sed longè alius egenis, quorum obſequiis ac curæ à Moderatoribus ſuis deſtinatus unicè ſibi gratulabatur, jam tandem eô locô ſe eſſe, ut per modicam ſtipem DEUM ſibi Villarióque poſſet facere in egenis debitorem. Non diſtulit diu Debitor Optimus Maximus vicem pro gratis obſequiis, rependit Arnulpho gratiam, quam ſolet ſuis, tribulationes, quas Sancti inter gratias numerant; innocenter namque apud Abbatem delatus, quòd munere ſibi injunctò peſſimè fungeretur, bonorum Monaſterii non prudens in pauperes diſpenſator, ſed maleſanus *Obiit Anno 1228.*

diſſipator. Pro quo qualicunque reatu extra Monaſterium obſcuro carceri incluſus aliquamdiu hæſit, luens pœnam, quam non meruit; Felicior tamen in eo ipſo ergaſtulo, quàm medius in Fratrum conſortio, Conſolatricem habuit Virgineam Matrem, utì nos alibì memorabimus. Prodiit è carcere Virgineo ſidere jam illuſtrior Arnulphus daturus deinceps lucem conſcientiis, in quibus perſcrutandis tam erat oculatus, ut plerumque alii mirarentur, felici haud dubiè proditione patere arcana ſua meliùs Arnulpho quàm ſibi. At ſoli ij ſic vident, quibus Cœlum lucem præfert. Accivit ea conſcientiarum intima diſcuſsio ingentem populi accurſum, dum quique ſibi gratularentur, ſe ſic Viro Sancto proditos eſſe, à quo per ſaluberrima conſilia ac monita jam alii recederent, quàm paulò ante adveniſſent. Stare vix potuit nomen *Converſi* olim labori manuali plurimùm obnoxium cum nomine communis conſcientiarum arbitri ac Conſiliarii, unde Superiores eum ab onere laborandi exemêre. Verùm Arnulphus, quia has ipſas corporis ferias ſuſpectas haberet, nè per eas quidpiam pateretur animus, aliô & quidem longe acerbiori torturæ genere cœpit eſſe carni ſuæ onerofus; loricâ namque catenis ferreis aſperâ nudum corpus circumcinxit, quæ tandem ſubnaſcente & vicinas carnes exedente rubigine ad oſſa uſque penetravit. Et nè interim membra alia ab ea lorica immunia feriari à doloribus poſſent, jugi tormentô herinacei pellibus, & ſpinis induſtriè ad hoc conquiſitis veſtes lectulúmque ità inſtruxit, ut diu noctúque inter ſpineta hærens quid mirum, ſi in roſam effloruerit Cœli viridariis digniſsimam? Erant hæ ſpinæ Salvatori haud ingratæ, quas olim in honoris argumentum geſtâſſet in Capite: quare ijs honorem rursùs daturus in Arnulpho, eâ ſpecie ad Virum Sanctum viſibiliter deſcendit, quâ olim in carne viſus eſt, aperuitque Arnulpho theatrum Romanis illis longè magnificentius, Beatorum in Cœlis gloriam. Non ſtabant hìc vota Viri, ſed quia aliquid Beatis ſublimius in Auguſta Cœlitum Regina ac Sanctiſsimæ Triadis myſterio ſeſe velle videre diceret, juſſus eſt à Chriſto felices oculos levare in DEIparæ thronum, ac DEI in perſonis Trini à ſæculis, oculis, ingeniis abſconditum arcanum, de quo deinceps tantâ ſubtilitate diſſerebat, ut omnibus indubitatum fuerit, Arnulphum pro Magiſtro Cœlum habuiſſe. Exploraturus ſcientiæ tam eximiæ famam Doctor quidam

dam pius in Villarium advenerat, ægrè ſibi perſvadens, Converſum ultrà ſarculum & raſtrum tam ſublimia poſſe ſapere. Qui dum ad propoſitas aliquot graviſsimas quæſtiones audiiſſet Arnulphum profundiſsimè diſſerentem, résque de DEO inexpectatas & captu ſublimes exponentem, ingenti defixus admiratione, ſibíque cum ſuo Doctoris nomine jam admodum vilis, Arnulphum ſummis elogiis per omnem provinciam celebravit, eum nempe unum eſſe ex ijs, de quibus olim Salvator pronunciaverit: *Quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & revelâſti ea parvulis*; Hoc utique datum eſſe honori Ciſtercii, ut Converſos haberent, à quibus diſcerent Doctores privatim, quod ignorabant publicè, quorum deinde publicô è Cathedris pulpitíſque teſtimoniô ſcientia Ciſtercienſium jam olim fieret publica. Non fecit Arnulphus visô DEO longas in carne moras, pauculis pòſt diebus cœlitùs de imminente morte præmonitus, atque Eccleſiæ Sacramentis præmunitus genuflexus animam trinô reſpiriô ſuaviſsimè efflavit. Mori non timuit, qui venientem mortem ter ſalutavit. Quò è carne Arnulphus abierit, ipſi ſibi teſtimonium mox exhibuit; cuidam namque Famulæ DEI ab obitu veſte niveâ & purpureâ decorus, & puerili ſpecie amabilis apparuit; cúmque illa à Viro Sancto ſolicitè perquireret, cur ſtaturâ tam eſſet jam minoratus, qui inter primos Ordinis Sanctos meritorum prærogativâ numeraretur? Repoſuit Arnulphus: puſillam eam ſtaturam haud eſſe argumentum pœnæ, ſed præmium humilitatis; colorem verò niveum mercedem puritatis, purpureum patientiæ. Quibus dictis ad Superos rediit. Scilicèt vix alios Cœlum admittit, quàm parvos.

Alter apud Brabantinos B. Converſus PETRUS Villarienſis, tunc vel maximè Petrus, cùm adhucdum in ſæculo leves quaſdam noxas jugibus lachrymis plangeret, quas tandem abſterſit divinitùs ad eum delapſa vox: *Cur tantô mœrore affligeris? Dimiſſa ſunt tibi peccata tua.* Nè itaque deinceps facere poſſet, quod iterum flere deberet, DEIparæ hortatu Ciſtercienſibus in Villario ſe adjunxit, expertus per omnem vitam Virginem, Virginíſque Filium vix ullis eſſe aut præſentiorem aut frequentiorem, quàm Ciſtercienſibus. Gratulabatur ſibi Villarium, quòd in Petro ſuo novum ſuſcepiſſet Simeonem, in cujus ulnas Divina Mater dul-

Floruit circa Annum 1200.

ciſſimum Virginei uteri ſui pignus aliquando repoſuerit. Neque Petrus in hac tam amabili ſcena aliquid aut minus Simeone, aut tantô bajulô indignum geſſit, ſibi millies cum Simeone imprecatus, liceret huic perſonæ, quam nunquam optaret deponere, mox immori, atque in pace ad Cœlites dimitti. Repetebat hæc vota quotidie inter perennes planctus ad Patriam anhelans, & prælibatos Salvatoris amplexus: Víxque debebant tranquillari anxia hæc deſideria, niſi à Salvatore ipſo, qui Petro apparens his eum verbis eſt ſolatus: *Cur ploras dilecte mi? Noli deficere, noli diffidere, noli metuere. Servi fideliter, profice jugiter, perſevera fortiter. Ego adimplebo omnia vota cordis tui.* Hæc una vox Petri lachrymas ſtitit, & deſideria ità captivavit, ut ultra non auderent eſſe Cœlo importuna: Unde deinceps totus in eo fuit, ut voluntati ſuæ unam præfigeret regulam & amuſſim DEI ordinationem: Quod quàm DEO fuerit gratum, per ampliſſimum favorem Petro collatum Divina Bonitas fecit perſpicuum, eô internunciô ſimul & doni Collatore, qui magna dare, & in nullo fallere poteſt, Christô nimirùm, qui rursùs Petro ſpectabilis ad eum hæc fatus eſt: *Data eſt tibi omnis poteſtas impetrandi quæ vis, ſive in cœlis ſive in terris.* Eôdem ferè ſtylô Salvator olim Petro Apoſtolorum Principi ligandi ſolvendíque munus tradidit, ut in utroque hoc Petro univocatio nominis ſeſe etiam extendere videatur ad analogiam poteſtatis. Huic cum Divo Petro conformitati acceſsit nova alia cum Chriſto, cui non ſolô animô, verùm etiam corpore per ingenioſa tormenta atrociſsimè divexatô ſtuduit eſſe haud diſsimilis, nuſquam utique ſinè vulnere, quod in dorſo & reliqua carne frequens quotidie per vepres, flagra, cilicia recruduit. Sed ſic mitiús ſecum agi arbitratus, medios inter ſentes nudum corpus crebrò immerſit, atque ut vulnera forent magìs hiantia ac patula, in dies forcipe carnem pius tortor immaniter diſcerpſit, indutis mox deſuper pellibus herinacei, ut dolores accumulati doloribus propè extinxiſſe ſenſum viderentur. Forcipibus ſucceſſêre clavi ferrei, quibus manus pedéſque ad Crucifixi pleniorem ſimilitudinem perforavit. Et nè ſolæ hæ corporis extremitates characteribus Crucis eſſent inſignes, ferrô candente inſuper latus exuſsit. Sola Crux Petro videbatur deeſſe; Sed qui ſinè cruciatu non fuit, neque ſinè cruce fuit. Perſanatæ ſunt quidem divinitùs pedum manuúmque cruentæ illæ plagæ; at lateris

vulnus

vulnus per omnem vitam nunquam ex integro coaleſcere potuit ob contortum ex chordis equinis funem, quem in vulneris hiatum immiſerat. Scilicèt pectus ſemel DEO apertum eidem nunquam claudi debet. Abiit tandem Petri anima è corpore per illam ipſam viam, quam ſibi olim ferrô aperuerat: via ſanè, quâ nulla ad cœlum melior, & amantium trita veſtigiis, à Sede amoris tranſire ad amoris Patriam. Redibit tamen Petrus noſter iterum iterúmque inferiùs, ubi geminos favores planè eximios eidem à Chriſto ac DEIpara impenſos memorabimus.

Priusquam calamô excedamus è Villario, ſinè piaculo taceri vix debet B: EVERARDUS Converſus, qui vulgò dictus *Taciturnus* ſive *Silentiarius* tacendo apud Hiſtoricos maximè vocalis adhuc hodie ſuô illô ſilentiô loquitur poſteritati. Et tametſi extra horas ſilentii, de DEO, Cœlo eſſet eloquentior, eò tamen tempore, quô per regulam ſacram tacere jubemur, eâ ſeveritate lingvæ frœnũ tenuit, ut potiùs à militibus verbera ferre, quàm verbum vel unicum proferre elegerit. Rem fuſiori calamô in Chronico Villarienſi relatam in compendio ſic habe. Paſcebat in agro gregem Euerhardus, & quia jam ſub *Taciturni* nomine apud plerosq; erat notior, per milites duos eâ viâ tranſeuntes ex profeſſo provocatus ad confabulandum, cùm diu multúmque per varias quæſtiones tentatus nîl reſponderet, unus militum indignatione fremens ſilentiarium Fratrem ſonante alapâ multavit, quòd malè tacuiſſet; at Everhardus eô colaphô velutì monitore uſus, memor legis Chriſti, mox in genua provolutus maxillam alteram indignanti objecit, ſitu non modò expectans, ſed rogans plagam novam. Cohibita tamen eſt manus ferientis à milite ſocio: cúmque percuſſor equum eſſet conſcenſurus, Everhardus quaſi ingenti eſſet donatus beneficiò, genuflexus ſtapedem aſcendenti tenuit, famulíque imò clientis munere functus mundum docuit pulcherrimum vindictæ genus, obſequium opponere acceptæ injuriæ: Meritus hâc ſuâ manſvetudine, cujus imperiô deinceps feræ manſveſcerent, diſceréntque obtemperare homini, qui medias inter injurias non aliter ſciret iraſci, quàm benefaciendo.

Floruit circa An. 1301.

Belgis hìc etiam inſerendus venit B. ARNULPHUS *de Majorica*, qui licèt profeſſione fuerit Clara-Vallenſis, naſcendi tamen con-

Floruit Anno 1155.

conditione Belga fuit, illuſtri Familiâ oriundus, quem Apoſtolicus Bernardus dum Belgium velutì quidam Sol perluſtraret, ac pervaderet, unicô congreſſu è ſæculi laqueis traxit ſecum in Claram-Vallem: gloriatus deinde non infrequenter, & reſuſcitationem Lazari, & converſionem Arnulphi opus DEI eſſe, & dexteræ Excelſi, neque minus gloriæ redundare in Chriſtum: quòd Arnulphum ſub Ciſtercii vexilla vocârit, quàm quòd Lazarum ad vitam revocârit; hunc tumulô, illum deliciis ac opibus clauſum ſepultúmq; non aliâ virtute potuiſſe è profundis emergere, quàm divinâ. Vita Arnulphi in Clara-Valle digna Bernardi magiſteriô, & quam Pater Sanctus vaticiniô velutì candidô calculô notaret probarétque ſanctam, abituram nimirùm aliquando Arnulphi animam è carne, rectâ in Cœlum, neque vel momentô detinendam purgatoriis ignibus, privilegiô, quod vel ipſe Bernardus cum ſocio è triginta millibus uno ab obitu ſuo habuit ſingulare & eximium. Ratificâſſe videbatur Cœlum hanc Doctoris Melliflui pollicitationem, dum non rarò Angelum ad Arnulphum futurum ſuum olim Concivem & inquilinum ablegavit, qui candidiſſimâ cucullâ in Choro pſallentium conſpicuus toties manibus ſuis Arnulphi caput è continuis morbis langvidum ac pendulum molli obſequiô ſuſtentabat, quoties ille profundiùs ſe ſub finem pſalmorum ad Gloriam Trinitatis inclinabat. Paulô ante felicem corporis reſolutionem Vir Sanctus rem prodidit notatu digniſſimam. Acutiſſimus viſcerum dolor, quo cum morbo penè continuò conflictabatur, vires propè conſumpſerat, jacebátque ægrotus ſinè motu, ſinè ſenſu. Unctus igitur oleô infirmorum tanquam mox expiraturus Cœlo à circumſtantibus recommendabatur, ubi ei Sedem olim Bernardus vaticiniô deſignaverat. Tum ecce! Arnulphus reſumptâ voce, magnâ emphaſi, *Veriſſima ſunt*, exclamat, *quæ DEUS promiſit.* Admirabantur omnes in moriente vocis robur, & quia eadem repeteret Arnulphus, veriſſima omninò eſſe, quæ DEUS promiſerit, interpellatus ab adſtantibus, quidnam ſibi vellet hâc ſententiâ in vitæ mortíſque confinio? In hæc ferè verba lingvam jam propè in morte palpitantem ſolvit: Nôſtis, Fratres Optimi, Salvatoris oraculum eſſe, centuplum ei reddendum, qui propter DEUM reliquerit omnia. Hujus ego promiſſi efficaciam nunc in præſenti perſentiſco, qui totus ineffabili prorsùs conſolatione diffluo, hôc unô infelix,

quòd

quòd puſillum hoc membrum lingva mea nè verbum quidem habeat, quò animæ meæ immenſas delicias vel leviſſimè exprimat. Felices ego appello hos ipſos carnis meæ jamjam emorituræ cruciatus longè ſanè acerbiſſimos, quibus Vos erroneè tot lachrymis compatimini. Non ſunt utique mihi venales dolores iſti, tametſi omnes mundi illecebras ac opes in pretium quispiam numeraverit. Ah! quàm ſentio quidem DEI animæ meæ illabentis dulciſſimum pondus, ſed non capio. Nimìs certè liberalis eſt DEUS pro modica cruce, cui propter ipſum tam levibus clavis affigimur. Quòd ſi tantus voluptatis torrens inundat animam, ubi adhuc in corpore miſera ſuſpirat, qualis erit illa gaudii plenitudo ac infinitas, quando evacuatô eô quod cruciat, tota quanta in inexhauſto deliciarũ pelago feliciſſimô prorsùs naufragiô abſorbebitur! Hæc dicens modicô reſpiriô efflavit animam. Auſit iſte calamus iu morte Arnulphi inſultare morti cum Gentium Doctore: ubi eſt mors ſtimulus tuus? Non potes ampliùs pungere triumphata mors! Puncturæ tuæ non jam dolent, ſed delectant. Si ità delectet cruciari imò mori, quomodo non delectabit coronari?

Non avolabit hæc penna è Belgio in Germaniam, nisì per Ducatum Luxenburgenſem, ubi in *Aurea-Valle* brevem moram factura eſt recolendæ piæ memoriæ B. FLORENTIJ Converſi, *Floruit* olim Mahometani, quem hôc labente ſæculô Hungaria capti- *An. 1615.* vum vidit, quæ tamen captivitas ei libertatem peperit, quâ per baptiſmum jugô Dæmonis & Mahometis excuſsô inter Filios DEI, & quod ampliùs, inter Ciſtercienſes eſt adoptatus. Sacrô eum Fonte abluit *B. Bernardus de Montgaillard* Abbas Aureæ-Vallis, hujus ſæculi illuſtre ſidus. Implevit Florentius menſuram nominis virtutibus, id eſt, floribus, è quibus olim ſertum gloriæ concreſceret. Nulla hyems, nulla regulæ aſperitas quantumvis ſæva turbare potuit hoc virtutum floridiſſimarum ver. Semel tamen Florentius defloruit, cùm in tumulum cecidit; ſed germine floréque longè pulchriori repullulaturus in Patria. Henriquez ſpem facit in ſuo Menologio, quòd aliquando præclara hujus Viri merita excuſa typis pro gloria Ciſtercii lucem publicã videbunt, quæ quidem in his partibus adhuc expectamus. Cæterùm ideò Florentii nomen his foliis inſeruimus, ut Benevolus Lector videret, etiam floribus qui è ſpinis, è Mahometiſmi ſentibus prodeunt,

eunt, decorari Ciſtercium, qui vel ex eo chari, quòd rari.

E numeroſa ſerie Beatorum Converſorum apud *Germanos* tres duntaxat hìc dabimus, ut amatæ brevitati ſtudere videamur: In Hemmenrode quidem duos, tertium in Eberbacienſi Cœnobio. Priores duo Hemmenrodenſes B. HENRICUS & B. OBERTUS ex eo præ cæteris commemorandi, quòd ille cœleſtibus revelationibus, hic virtute patientiæ eximiè claruerit. Conſpexit aliquando *Henricus* circa lectulum ægrotantis cujuſdam Monachi circumvolare fatales volucres, corvos duos prægrandes: quos ille non aliis telis abegit, quàm precibus; quàmprimum namque in genua oraturus procubuit, vidit melius è Cœlo demitti augurium Columbam videlicèt candidiſſimam, quæ ſuô candore ac luce felicius morienti fatum portendit. Abiit quidem bonis utique avibus moriens Monachus ad lucem & requiem, ſed non ità videbatur ab Henrico abiiſſe candida iſthæc columba, quam deinceps non raró conſpexit ſuper caput B. Hermanni Prioris in Choro pſallentis. Ad aliam quoque amabiliſſimam Scenam admiſſus eſt felix ſpectator, quando in Ejuſdem Hermanni ſacrificantis manibus amotis panis ſpeciebus Puſionem Diviniſſimum ludentem vidit. Sed & Virgo Mater in ſpectaculum prodiit, in cujus ulnis hærebat parvulus Unigenitus. Rarius, & hinc fortè admirabilius eſt, quòd Spiritus Sanctus venerandi ſenis ſpeciem præſeferens crebra cum Henrico colloquia miſcuerit: cui cùm Vir pius & ſimplex pro tot donis tam cumulatè ſibi impenſis aliquid videretur velle aliquando rependere, tunicam, cingulúmque Diviniſſimo Largitori obtulit: pro quo munere Optimus debitor alterâ mox die cum cingulo alio adfuit, quod medicâ virtute imbutum non pauci in morborum remedia; præcipuè verò in compeſcendam carnis concupiſcentiam adhibuêre, ſecutô ſemper effectu, quem optabant, feliciſsimô. Ad Superos è corpore abiturus Henricus in ſuprema lucta DEIparam habuit præſentem, ſub quo Scuto vinci non potuit, mori potuit.

Floruit Anno 1221.

OBERTUS alter in Hemmenrode Beatus Converſus Ciſtercienſes docuit, quàm ſit non modò pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum, ſed & quàm ſint pretioſi apud DEUM morbi, & ea, quæ morbos coronat, patientia; Triginta namque annis ægrotis in Xenodochio inſerviit, atque obſequiis & compaſ-

Floruit circa An. 1279.

ſione

ſione aliorum ærumnas ſuas fecit, & cum ærumnis merita. Aliis viginti annis Scenam mutavit, ipſe graviſſimos inter cruciatus lectulo affixus, in patientiæ theatro perſonam Jobi egit patiendo, Jubilatus per annos quinquaginta Infirmarius. Mors ei non pœna fuit, ſed refrigerium & quies. Quinquaginta annis ſive in aliis, ſive in ſeipſo infirmus tunc tandem optimè valere cœpit, cùm corpori grande punctum Vale dixit. Paulò ante felicem obitum in Soporem incidit mortis felicioris præambulum, è quo repentè ſeſe recolligens, Fratres recommendationem animæ de more Ordinis circùm moribundi lectulum lugubri voce decantantes hiſce interpellavit: Non placet auribus his cantus veſter, fratres mei, tot crucibus aſper, tot ſuſpiriis flebilis: Jam lætiori concentu Cœlites me ad jubilum evocârunt, ubi in tolerantiæ meæ præmium eandem mihi cum Divo Protho-Martyre Stephano deſtinavit Sedem ac gloriam Retributor DEUS: Valete! Quibus dictis mox reclinatô ſuper lectulum capite emiſit Spiritum Angelicis ſtatim miſcendum choris.

Tertius apud Germanos memorandus Beatus Converſus ANIANUS Eberbacenſis, virtute miraculorum tam extraneis gratus, quàm ſuis tandem oneroſus, dum ſolô crucis ſignô quoscunque langvidos ad ſe advenientes ſanans, frequenti langventium affluxu turbare videretur quietem Monaſticam, cohibitus eſt Abbatis ſui imperiô deinceps extendere Thaumaturgam dexteram, quod ille Bernardi Melliflui exemplô poſthumô eò promptiùs fecit, quò magìs per id obedientiæ raræ ſpecimen videretur BERNARDO propiùs accedere. *Floruit Anno 1207.*

Atque hoc eſt modicum ſpicilegium è meſſe Sanctorum Ciſtercii quàm plurima, quam in aliis paſſim Authoribus uberiùs Lector benevolus leget, indéque colliget, quanti ex uno Ciſtercio Sanctorum manipuli ſuperna horrea ditent, impleántque.

ROMA

Urbs Urbium
&
Urbs Orbium!

Si non tam *Alexander Magnus* cum Anaxarcho *Plures Orbes fingeret*,
Quam *DEUS Maximus plures faceret:*
Metamorphoſes
Toties *paſſa*, toties *operata*,
Nullas *doctiores* habet, quàm quas *ſcripſit Naſo*,
Nullas *Sanctiores*, quàm quas *fecit Papa*
CLEMENS IV. Pontifex tam *doctus*, quàm *Sanctus*,
Qui in magnifica Bulla (*Fons Parvus*)
Ciſtercium & *Fontem* pronunciavit,
Et è Fonte in *lucem ſolémque* mutavit.
Mira metamorphoſis! imò prodigium!
Unus idémque Ordo Ciſtercius, Ordo melleus,
Fons, *Lux*, *Sol!*
Quæ ſola tria *Mono-ſyllaba*
Vincant mille elogia, & *verba ſesquipedalia!*
Nullæ Fontium *undæ* magìs *diaphanæ*,
Magìs *claræ* & *præclaræ*,
Quàm quæ in Ciſtercii Fonte ſunt:
Inſpice hunc Fontem!
Et videbis in *fonte lucem*, *in luce Solem*,
Illuſtria omnia!
Audeo tibi dicere, Ciſtercium, *amice Fons*,
Aſcende Superiùs!
Non debes hærere *in limo profundi!*
Sed quia apud Pſalten Regium
Jam aliæ *aquæ ſtant ſuper Montes*,
Tu aſcende ſuperiùs!
Aſcende, & ſta *ſuper Montes*, *ſuper nubes!*
Non vehis Tu *aquam tenebroſam in nubibus*, & inter nubes:
Aquæ tuæ Romanô Oraculô *à Luce & Sole*
Illuſtres ſunt,
Inter luminoſos Siderum *Orbes* & *Sphæras*
Evehendæ altiùs,
Id eſt, ad *Illuſtrium* Patriam: Ubi

In cit. Bulla his tribus prædicatis Clemens IV. honorat Ciſtercium.

Luc. 14.
Pſal. 68.

Pſalm. 103.

Pſalm. 17.

Ubi vel ipſa *nox obſcurum nîl* habet,
Sed omnia inter tot mille *Cæli faces*
In luce clareſcunt.
Verùm quid multô & longô ænigmate
Ciſtercii Sanctos tegimus
Fonte, *Luce*, *Sole?*
Si tamen ænigma, id eſt *obſcurum* eſſe poteſt,
Quod *lucem ſolémque* habet pro velamine.
SANCTI
E *Ciſtercio*, *Ciſterna*, *Fonte*
Ad Cœlum ad ſidera aſſumpti
Sunt *Viri illuſtres*
In *lucem*, *ſolémque*, *imò in cœlum* ipſum *& aſtra*
Divinâ metamorphoſi converſi.
Habet ſuas *Fons* iſte *ſtillas*,
Habet ſuas Cœlum iſtud *ſtellas:*
Numera! has *ſtillas*, *has ſtellas!*
Et hæ *ſtellæ* hæ *ſtillæ*
Erunt *mille* iterúmque *mille!*
E *Ciſtercii Fonte*
Non alia ad *Patrem luminum* & Fontium Epiſt. Jac.
Emergunt, aſcendúntque *meteora*,
Quàm quæ transformentur in ſtellas & ſidera.
Non *cadent* tamen hæ *ſtellæ* unquàm *de cœlo;* Matth. 24.
Sic enim tantùm *aſcendunt*, *cadúntq;* ſoli *Luciferi*,
Non *humiles è Ciſtercii Vallibus Cruciferi.*
Pretioſa ſemper *Ciſtercienſibus ſtabilitas*,
In *Cella*, & in *Cœlo:*
Quam hìc per *omnem vitam profitentur*
Eam ibi *per æternam vitam promerentur*,
Rem eandem
In *tempore profeſſi*,
Pro *æternitate promeriti*
Ut ſemper & pro ſemper
Eſſent ſtellæ *fixæ*, *ſtellæ ſtabiles!*
Audi Orbis,
Mobilis in caſum & *interitum Sphæra!*
Etiam Tibi *ſtant* hæ ſtellæ:

Ut patet ex revelatione facta B. Guillelmo Monacho in Clara-Valle, quæ videri poteſt in Ciſt. Menolog. 23. Maij cujus alibi fiet mentio ſuô locô & titulô.

Jaceres!
Nì illæ pro te *fletiſſent*,
Et Vindicis Numinis fulmina *ſtitiſſent.*
Audi Orbis ſervate!
Nè timere poſſis deinceps ullas *cadentias*,
Pete *ſtabiles* ab his Ciſtercii *aſtris influentias*:
Quæ licèt non *valeant cadere*,
Volunt tamen *influere.*
Siderum influxus hucusq; Rhetoribus *metaphora* fuit;
Aquæ enim (nō *ſidera*) *influunt*, *effluunt*, *defluunt*, *refluunt*,
At verò *Ciſtercii aſtris influxus* eſt *proprius*,
Non per *metaphoram* & tropum *ab undis mutuatus.*
Confudit pulcherrimè Pontifex in Ciſtercii elogiis
Fontem cum *luce* & *ſole:*
Illa *ſidera* optimè *influunt*,
Quæ ſimul *Sol*, *Lux*, *Fons* ſunt!
Ciſtercii *Siderum primum Mobile*,
Ciſtercii *Fontium primæ Scaturigines*
Latus Incarnati Numinis,
Mammilla Intaminatæ Virginis!
Inde *fluxêre* & *influxêre* in Ciſtercii *ſtellas* & *Ciſternas*
Sangvis & *Lac*,
Vitæ mortalis & *immortalis dulces Primitiæ.*
Peccati pœna,
Joël. 2. *Luna vertetur in ſangvinem!*
Peccati medela
Sangvis vertetur in *Lucem* & *Solem!*
Quot inde *fluent ſtillicidia*,
Tot inde *cadent ſtellicidia*
In Ciſtercii *Fontem* & *Horizontem*,
Et per hos Divinos Canales
In Orbem reliquum,
Qui hujus *Fontis fluxu*,
Hujus *Horizontis influxu*
Irriguus
Nunquam *hærebit in ſicco.*
Optimi Cœlites!
Non poteſtis timere è Ciſtercio *Prometheos*

Qui

Qui novô fortè *ſacrilegiô*
Sacros Vobis *ignes*
Lucémque auferent
Non tam *Luciferi*, quàm *Lucifures*;
Vix enim credo Ciſtercienſes rapturos aliena,
Qui è Divi Benedicti regula
Etiam *ſua non dicunt ſua.*
Quin imò illi ipſi è Ciſtercio Divi
Novô incrementô novas faces & ſidera Vobis adferent,
Dum ſe Cœlis *in Splendoribus Sanctorum* inferent.
Mihi tamen, noſtríſque
Et ſi forſan & Tu, qui hoc legis, noſter es,
Etiam Tibi
Hoc unum precor & imprecor,
Ut omnis è Ciſtercio Sanctus
Sit mihi Tibíque
Felix è Cœlo *Divinæ Lucis Lucifer*,
Ac Sacer *Prometheus*,
Et ſic ſemper erit *Pro me DEUS*,
Pro Te DEUS,
Pro omnibus DEUS!
Et *ſi DEUS pro Nobis*,
Dic cum Paulo audacter,
Quis contra Nos? Rom. 8.
Ità quidem mi Lector, dum nunc in *via* es,
Sacratioribus è Ciſtercio Prometheis
Divinorum luminum munerúmque magnis Bajulis indiges,
Ut ſcilicèt per hos Divinos *Prometheos*
Sit *Pro te DEUS.*
In Patria
Aliquid dulcius videbis, ſentiéſque in DEO,
Qui non modo tibi erit *Prometheus*
Pro te DEUS,
Sed *vocabis Nomen Ejus Emmanuel*, Iſaiæ 7.
Id eſt. *Nobiſcum DEUS!*

TITULUS VII.
CISTERCIENSES SANCTÆ ET BEATÆ.



NOn duntaxat ſexus diſtingvit præſentem titulum à priore, verùm etiam prærogativa meritorum, & ipſe Virginum numerus non modicus. Vix auſit hic calamus cum reliquo Divorum Ciſtercienſium

coetu

cœtu confundere Virgines, quibus Cœlum peculiarem adornat laureolam, quæque poſt veſtigia Agni novum apud Cœlites cantant Canticum, quod nulla alia vox cantare poterit niſi Virginea, novô etiam hìc titulô diſtinctáque claſſe laudandæ veniunt, non omnes omninò (quis enim è Sexcentis Virginum Ciſterciensiũ Monaſteriis in modicis his paginis id à me expectet?) ſed paucæ quædam, eæque ſanctimoniæ famâ magìs inſignes, & quarum per opuſculi decurſum in aliis titulis nulla aliàs aut facta eſt, aut deinceps fiet mentio.

Atque in primis octo Illuſtres commemorabimus, quas ſeu Belgium Ciſtercio, ſeu Ciſtercium Belgio dedit, mutuô inter ſe beneficiô: è quarum ſerie primas tenet DIVA LUTGARDIS Virgo Brabantina, Aquirienſis Parthenonis quidam Sol, ſi ſummos Cœli favores Virgini Sanctiſſimæ impenſos in radios computes. Deſtinaverant ſibi Lutgardem formâ & opibus pollentem in Sponſam proci complures; at unus è Cœlo Virginis Filius litem mox diremit, cùm Lutgardi illud vulnus oſtendit, quod olim in Cruce non tam lancea, quàm amor aperuit. Non debuit aliô ſeu telô ſeu gladiô pectus Virginis Crucifixi amoribus deinceps deſtinatum ſauciari, quàm eô vulnere, quod Filio DEI unicè cordi eſſet. Cùm igitur unus ille immortalis Sponſus amores Virginis occupâſſet, & nihilominùs cæteri non deſiſterent eſſe importuni, eorundem fœdas ſpes condemnavit, dum è ſæculo fugit aſylum pudicitiæ quæſitura apud Virgines Benedictinas in Divæ Catharinæ Monaſterio, ubi ſub initium paſſa æmulas, quæ zelum in modica adhuc illa ætate, ſuâ quidem opinione intempeſtivum, plurimùm carperent. Verùm quæ è Cœlo ſibi elegiſſet ſponſum, etiam Matrem è cœlo habuit Conſolatricem afflictorum, à qua in propoſito pulcherrimis monitis firmata, ijs paſſibus tenella Virgo ad perfectionem currere, volare viſa eſt, ut aliquando ultra duos cubitos à terris ſuſpenſa in aëre hæreret, dum nempe in die Pentecoſtes hymnum, *Veni Creator Spiritus* in Choro caneret: occurſura ſcilicèt ipſa advenienti Numini, nisì carnea moles aſcendentem animam tenuiſſet. Vice aliâ ſub vigiliis cœleſti lumine ardens, æmulis illis, à quibus ſingularitatis notata fuerat, erroris atque malevolentiæ nebulas penitùs abſterſit. Secuta ſubinde crebra prodigia lu-

Obiit Anno 1246.

culenti ſanctitatis characteres Lutgardem apud domeſticos exterósque reddidêre celebrem. Ipſa Virginis ſputa Thaumaturgâ vi pollebant: quare piâ curioſitate Sorores ea loca obſervabant, quæ Lutgardis ſalivâ ſuâ humectaverat; indè namque ſputi reliquias ſtudiosè colligentes, ſaluberrimô eô humore morbis quibuscunque medebantur, Virgine etiam id ignorante. Erat id medendi donum Lutgardi minùs gratum, cùm langvidorum accurſu interturbarentur illæ animi deliciæ, quibus inter Sponſi Cœleſtis amplexus penè jugiter diffluebat. Placuit igitur à Salvatore aliud donum ſibi poſtulare, quod eſſet internæ quieti ac guſtui minùs adverſarium: quale & obtinuit, lumen ſcilicèt admirabile, quò in Regii Pſaltis vaticinia intimè penetravit. Atque ut auderet ad majora aſpirare, audaciam Virginis Salvator provocavit generali ſponſione, peteret omninò confidenter, daturum ſe omnia ejus precibus, nîl unquam negaturum ſe Sponſæ, quam tantopere amaret. Uſa eſt præclarè Lutgardis ampliſſimô hôc privilegiô; & nè tam liberalem pollicitatorem forſan confunderet rei puſillæ ac indignæ poſtulatione, ſimpliciórne an audentior? Cor Salvatoris petiit, quod Ille quidem mox Lutgardi exhibuit; in viciſſitudinem tamen amoris, ſuum ſibi dari à Virgine voluit. Ex qua cordium permutatione id deinceps beneficii conſecuta eſt Virgo, ut nulla unquam cogitatio, quæ carnem ſaperet aut ſangvinem, momorderit pectus illud, quod Salvator ſibi ſacrâſſet: ſenſitque feliciſſimè, non meliùs amari Deum, quàm eô corde, quod ipſe dediſſet. Solent eſſe amplexus amantium lingvæ, quibus mutuos ad ſe invicem amores ſibi loquuntur. Non ulla in divino hoc idiomate Lutgarde aut doctior aut felicior, quam aliquando ad nocturnas laudes feſtinantem in templi propylæo intercepit ſuſpenſus è Cruce Salvator, avulſóque à latere Crucis dexterô brachiô Lutgardem amorosè amplexatus illud ipſum latus, quod olim ſuxerat Bernardus, Chriſti ille conſangvineus ac collactaneus, etiam Lutgardi ſeu Filiæ ſeu Sponſæ, aut ſi quod nomen hiſce dulcius eſt, ſugendum propinavit. Notatus per omnem deinceps vitam ex ore Virginis Sanctæ halitus opobalſamô quôvis fragrantior, humórque è lingva diſtillans omni melle ſvavior, indubitata ſcilicèt indicia, divinam illam potionem è latere Chriſti olim ſenſibiliter hauſtam nullâ ætate in Lutgarde eſſe evacuandam. Os illud pectoris

Chriſti

Chriſti contactu Sacrum novô privilegiô conſignavit Diſcipulus, quem diligebat JESUS, quaſi ſibi gratulatus, quòd in eo ipſo pectore, in quo olim recubuiſſet, nunc aut ſociam aut æmulam haberet Lutgardem. Advolavit is ad Virginem in formâ aquilæ prægrandis eximiô ſuô fulgore Orbem quaquaverſum colluſtrantis, applicitóque ore ad Virginis labia Virginem in Theologicis pro ſexûs conditione minùs eruditam, ea docuit myſteria, quæ deinde in publicis privatíſque colloquiis profuſura haberet Viros in Scholiis ſummos non Auditores duntaxat, ſed diſcipulos, quòd faterentur, Divinitatis arcana ingeniis humanis alioquin abſcondita à nullo meliùs ediſcere ſe poſſe, quàm à Lutgarde. Succeſſit Joanni Virgo Mater, quæ Lutgardi impoſuit jejunium ſeptennale, efficax ſcilicèt amuletum, quô ipſa non tam ſe, carnémque ſuam, quàm peſtilentiſſimam Albigenſium hæreſim tunc per Gallias ſerpentem, attereret, Numénque offenſum placaret, in excidia mortalium jam minax & accinctum. Leges injuncti ſibi cælitùs jejunii Lutgardis ſibi ipſa poſuit, nempe ut totô illô ſeptenniô præter panem & zythum omninò guſtaret nihil: & tametſi aliis quandóque cibis Superiorum imperiô juberetur fractas corporis vires aliquantulùm reſtaurare, ingeſtos ſuboffenſus ventriculus mox rejecit, inſigni in Lutgardem beneficiô, quæ eô eventu & obedientiæ mercedem retulit, & abſtinentiæ præmium non perdidit. Semel atque iterum cœlô jubente pro expiandis Orbis ſceleribus jejunii hujusmodi rigorem prompta ſuſcepit, ut non deſint magni nominis Authores, qui Albigenſes tandem extinctos Lutgardi magna ex parte deberi fateantur. Quantumcunque autem ſicca fuerint Virginis Sanctæ jejunia: ipſius tamen Oratio arida non fuit, ſed præpingvis, dum è manibus, quas puras in oratione ad Cœlum levaverat, copioſa olei ſtillicidia defluerent, futura langventibus pharmaca. Amabiliſſima cantantis vox ab aliis in Choro diſcreta plurimùm, non hominis putabatur, ſed Angeli: digniſſima planè, quæ non infrequenter haberet DEUM auditorem, in humeris Virginis Sanctæ ſub agni candidiſſimi ſpecie conquieſcentem. Annos nata viginti quatuor, non tam ætatis, quàm meritorum ſuffragiis Abbatiſſa eligitur, quod inviſum nomen ei ſtimulus & calcar fuit, ut relictis unà cum oneroſa dignitatis ſarcinâ Benedictinis ad Ciſtercienſes Aquiriam confugerit, probante conſili-

 um

um factúmque Salvatore, imò DEIparâ inſuper de eo tranſitu maximoperè Lutgardi gratulante, quòd rem feciſſet ſibi utique longè gratiſſimam, novô argumentô jam Lutgardem debere amari à Matre DEI ùt filiam, ùt alumnam, quòd Ordinem Ciſtercienſem amplexa eſſet ſibi eximiè dilectum. Nec minùs id gratum erat Geniis cœleſtibus, qui Aquiriam non ſegniùs ac Cœlum ipſum frequentabant, quotidianis viſitationibus Lutgardem, atque in Lutgarde Ciſtercium omne honorantes. Ijs Angelorum obſequiis miſcebant ſua lamenta animæ in purgantibus flammis recluſæ, Lutgardem communem omnium Advocatam inclamantes, unam nempe illam ingentibus ſuis meritis poteſtatem habere, tot jam vociferationibus pulſatas cœli fores unâ prece reſerandi. Senſit Innocentius III. Pontifex Maximus per id tempus è vivis ereptus, æmulam propè apud Lutgardem eſſe Romanis Clavibus poteſtatem, ut Cœlum, quod Summi Eccleſiæ Præſules claudunt, reſerántque, id poſt fata una præcipuè Lutgardis pro arbitrio aperiat vel ipſi Innocentio, qui ab obitu lugubri habitu ſqualidus Virginis Sanctæ ſuffragiis ſeſe recomendans, paucorum dierum intervallô Lutgardis precibus, primùm è piaculari carcere ad Lutgardem, gratias Liberatrici acturus, ac tandem ad Cœlum felix abiit. Quantumcunque verò ſolicita, ut alios è pœnis eximeret, tantum in ſe rigida, cupiebat non tam diu vivere, quàm diu pati: Et quia ſpontaneæ corporis afflictiones jam Lutgardi viluerant, Sponſo ſangvinum futura conformior, jugi deſideriô Martyrii æſtuabat. Accuſabat cruentos enſes, quòd in jugulum tenellæ Agnetis Martyrii gloriam profuderint, & jam dum Lutgardi parcerent, inciperent eſſe vel ipſâ pietate crudeles: Olim hoc beneficii datum parvulis Innocentibus, ut tot mille puſilli vertices laureolâ ornarentur, quam per ætatem necdum didiciſſent aut nôſſe, aut concupiiſſe: Nunc Martyrium negari adultis votis, quæ Carnificis ferrum tam avidè in cervicem jam inclinatam, jam propè pro fide pro DEO cadentem provocarent. Creſcebat in horas is patiendi fervor in Lutgarde, nec morâ deprehenſus languere, ſed magìs magíſque augeri, uſque tandem ſinè gladio ſinè equuleo, novô divinitùs percuſſa Martyrii genere per omne corpus maderet ſangvine, qui etiam per ipſa veſtimenta ſe foras undique inſinuaverat. Quod ſangvinis profluvium è rupta majori inteſtinorum vena ortum

tantâ

tantâ doloris acerbitate Lutgardem afflixerat, ut membris omnibus langueret: Cui langventi Salvator totus & ipſe ſuis vulneribus rubens inter ſolatia aperuit, ijs cruciatibus Divæ Agnetis Martyris laureolam fore ſibi comparaturam. Aperta ſemel illa cruoris ſcaturigo toties novâ inundatione membra ſingula Virginis Sanctæ perfudit, quoties illa Chriſti patientis tormenta in contemplationis materiam aſſumpſerat. Neque capillis alius eô tempore color, quàm corporis reliqui, ſangvineus ſcilicèt: de quo ingenti prodigio illud eximium ſilere hìc vix poſſim, quòd cincinnus ejusmodi rubicundus Virgini in contemplatione abſorptæ abſciſſus eandem ſangvinis colorísque purpuram tam diu tenuerit, quouſque Lutgardis à contemplatione ad alias functiones ſe tranſtuliſſet: Seu hoc dandum Virginis virtuti, ſeu cœlitùs ei dato privilegio, quòd omnia, & vel ipſi pili in Lutgarde ſentire videantur: eximium id eſt, & fortè contra communem Philoſophorum ſenſum, qui nixi experientiæ licèt eorum aliqui animam capillis non negent, ſentiendi tamen facultatem eis paſſim adimunt. Vix ego crediderim, aliâ animâ capillos Sanctæ Virginis fuiſſe animatos, quàm quæ non tam animat, quàm amat, ut ſcilicèt ideò ſentirent, quatenùs pati deberent. In his tamen quàm maximis paſſionibus ſenſit univerſa Brabantia Lutgardem ſummè activam; nullam namque diem abire paſſa Virgo benefica, quin Thaumaturgâ manu accurrenti multitudini beneficia diſpensârit. Accendebat ea Virginis fama complura Vicinæ Galliæ Monaſteria, à quibus Lutgardis in Abbatiſſam poſtulabatur; ſed eluſit illa importuna hæc vota ingenioſâ indocilitate, quâ cœlitùs per DEIparæ opem impetratâ ad idioma Gallicum prorsùs facta inidonea perſvaſit Gallis, ut nollent habere Matrem, cui loqui non poſſent. Dum itaque deſinerent Galli Lutgardem vocare in Matrem, Angeli eandem ambiêre ſeu paranymphi in Sponſam, ſeu Comites in Sociam; proceſſura ſiquidem ad Epulum Evchariſticum, viſa eſt à duobus ſplendidiſſimis Ephebis, ſimúlque ut comitatus foret eò auguſtior, ab Auguſtiſſima Angelorum Regina eò adduci, pulchris ſanè præludiis, quantô olim apparatu ad Sponſi Cœleſtis Thalamum è corpore ſit abitura. Jugibus interim calidísque lachrymis, quibus in ſingula penè momenta Orbis ſcelera deplorabat, oculorum uſum ità extinxerat, ut undecim integris ante obitum annis deſtituta viſu ſuum

Brabantinis exhibuerit Tobiam; occulatiſſima nihilominùs in aliorum conſcientias, quas vel cœca quôvis oculatô rectiùs ducebat, reducebátque ad vitæ ſemitam. A Salvatore tandem præmonita, ut ſe non tam morti, quàm cœlo ac nuptiis accingeret, annô ætatis ſuæ ſexageſimô quartô inter Angelorũ Choros caſtiſſimam animam exhalavit, portionem ſui meliorem datura DEO, exuvias ſacras Aquiriæ, beneficia ac prodigia hodiedum innumera ad tumulum Patronæ opem implorantibus.

Obiit Anno 1247. Altera Belgii, ſimúlque Ciſtercii gloria DIVA JULIANA in Monte Cornelii propè Leodium Prioriſſa, à loco dicta *Cornelienſis*; vel ex eo ſolo, ſi cætera deeſſent, totô Orbe Orthodoxô celeberrima, quòd Feſti Corporis Chriſti in univerſa Eccleſia ipſa fuerit prima omnium motrix ac promotrix, proutì nos alibi proлixiùs memorabimus. Julianæ infantia non alia, quàm quomodo ſolet Sereniſſimam diem præcurrere pulcherrima aurora. Quinquennem reliquêre pupillam defuncti Parentes; ſed illa in *B. Sapientia* Montis Cornelii Prioriſſa Matrem deinceps habuit omni Patre, Matréque meliorem, cujus optimô Magiſteriô tyrocinia poſuit Ciſterciô Cœlóque digna. Primitiæ virtutis imitatio Divi Nicolai Epiſcopi, de quo cùm ab aliis accepiſſet, quòd adhucdum puſio lactens certis in hebdomada diebus Matris ubera nec tangere quidem, nedum ſugere voluiſſet, ſtatuit ab ea mox die ſibi Nicolaum infantem pædagogum atque ideam: Et ſiquidem à lacte lactantiæ ætatem jam ſupergreſſa ampliùs abſtinere non poſſet, omni cibô ſibi ſtatis diebus interdixit, ſervatura eum abſtinendi tenorem per omnem omninò vitam. At verò quia piâ fraude hoc ſanctum opus absque prævia ſeu inſinuatione, ſeu facultate Magiſtræ ſuæ attentaverat, notata ab ipſa, damnatáque de reatu propriæ voluntatis ad expiationem qualisqualis trangreſſionis extra clauſtrum inter medias nives abjecta eſt, ubi Magiſtræ ſuæ ingens ſpecimen, ſpémque præbuit futuræ ſuæ Sanctimoniæ; Non enim mutavit tenella Virguncula moleſtum, humilémque eum ſitum, ſed quaſi peccâſſet peccatum grande, è mediis nivibus manus innoxias tetendit in Cœlum, oculis humo defixis, corpore reliquô non aliam quàm Thaidis aut Magdalæ cujusdam pœnitentis ſpeciem præſeferens. Juſſa ſubinde admiſſi facinoris veniam petere à Confeſſario, eâ animi demiſſio-

miſſione ac pœnitudine ſeſe ream ac peccatricem proclamavit, ut Vir prudens maxima quæque in Juliana ominaretur. Præter Divina animæ dona certabant in puſillo corpore dotes naturæ perquam eximiæ, præcipuè ingenii vivaciſſima capacitas aliquid ſupra fœminam ſpirans: Unde factum eſt, quòd Divi Auguſtini ac Bernardi latina volumina ſedulâ lectione quaſi una ex Aſcetis ſeu Theologis conſtanter pervolveret, eáque vernaculô idiomate docta translatrix donaret. Animum ab Auguſtino ac Bernardo feriantem occupabant res cœleſtes ac Divinæ, Chriſtus præſertim Patiens, cujus vulnera ac dolores Virgo Sancta contemplationis vehementiâ tam altè ſenſit in animo, ut magnitudo ſeu amoris ſeu doloris erumpens foràs proderet ſe in Virginis vultu roſas pro tunc purpurámque præter morem ſpargente. Horariô propè ad Cœlites Cœlitúmque delicias mentis aſcenſu detraxit Divos è Cœlo ad cellam ſuam Juliana, cum quibus quotidiana miſcens de rebus altiſſimis colloquia, eosdem habuit pædagogos, quos optaverat duntaxat tutelares, ſtupentibus, qui quandóque præ foribus cellulæ auſcultabant, quòd humilis in Ciſtercio Virgo Cœlô docente nôſſet, quæ forſan ignorarent in Scholis Theologi. Ibant, redibántque ad Julianam Cœlites, ingenti quidem Sanctæ ſolatiô, quòd mitigarent acerbitatem exilii; at quia redeuntes ad Patriam ſequi prohiberetur, ſummô Virginis mœrore, qui eò fuerat gravior, quò Divorum quotidianô receſſu frequentior. Præcipuè Julianæ deliciæ in Pane Evchariſtico, quô dum reficeretur, languebat ſenſibus, animâ interim præ dulcedinis impetu vix intra modicum tenuéq; corpuſculum ſe continente. Multô tempore ſolâ Evchariſtiâ vixit, faſtidiente ſtomachô omne id, quod non erat aut DEUS aut Cœlum. Et abiiſſet dudum è corpore Juliana, deliciis æternis jam plurimùm ineſcata, niſi eam afflictorum vota aliquamdiu tenuiſſent, quos illa precibus ſuis ſive ægrotos optatâ ſoſpitate, donavit ſive ardentes è piacularibus flammis in concupitam felicitatẽ non raró aſſeruit. At quemadmodum illa profuſa in afflictos beneficia apud clientes meruêre gratitudinem, itá apud ingratos dæmones concitavêre indignationem, quòd auſa Virgo illos ſalvare, quos illi optarent ſeu perdere ſeu affligere. Objecta inde ſæpiùs Julianæ à Dæmonibus monſtra, terrores, larvæ, quibus illa unicum oppoſuit Crucis ſignum, eôque impotentes orci iras Victrix in-

fregit. Sed communes hæ erant contra hoſtem victoriæ, debebat Juliana pulchriùs vincere dæmonem, qui aliquando protervior non unô prælió vinci voluit, cruce proſtratus, rediit, ut turpiùs caderet pedibus conculcandus à Virgine; hoc namque victoriæ genere triumphavit ſuperbum hoſtem Juliana, dum inſultu terroribúsque infeſtum ac importunum maſculâ virtute manibus præhenſum ſolo allideret, pedibúsque indignabunda proculcaret, ut vel ſic diſceret, aliter tentari fœminas in Paradiſo, aliter in Ciſtercio, hásque irritatas aliud non poſſe, niſi vincere. Vix potuêre Virgines Montis Cornelii ſibi meliorem eligere Matrem quàm Julianam, tot illuſtribus trophæis inſignem, quæ in Prioriſſam electa jam non pro ſe duntaxat, verùm etiam pro ovibus ſuæ fidei commiſſis & vellet præliari, & poſſet vincere. Admiſit tamen Juliana oblatum munus non priùs, niſi poſteaquam reluctans cœpiſſet timere, nè per Superiores Ordinis juſſa præeſſe, ſi renuendo perſeveraret eſſe humilis, non obtemperando inciperet eſſe inobediens: nempe humilitatem haud eſſe virtutem, quæ foret conjuncta cum obedientiæ diſpendio. Ceſſit itaque ſororum votis, Majorum imperiis, præfuítque tam Sanctè, ut Subditæ Virgines immortalitatem in terris Julianæ ſuæ optâſſent, ſi cœlum eandem meliori vitæ non reſervâſſet. Verùm ut Julianæ virtus è Clauſtri tenebris ſeſe in Orbis Theatrum diffunderet, divinâ diſpenſatione factum eſt, ut per Cives Leodienſes excitata ingens contra Julianam tempeſtas eam unà cum Sororibus Monaſterio exturbatam in exilium ejecerit. Tulit illa forti animô procellas omnes atque ærumnas, & quæ potuerit olim dæmones vincere, nunc etiam haud dubiè debuerit ijs fluctibus eſſe Superior, qui tumultuari ampliùs non poſſent, quàm ipſis datum eſſet deſuper. Finiit vitam in exilio, ut eò dulcior eſſet Patria. Deſignavit morti ſuæ diem atque horam longè ante, ut indubitatum eſſet, Julianam medias inter procellas non fuiſſe ſinè DEO, qui dum mortis tempus eidem revelavit (quod ſolet amicis fidis, ijsque eximijs) etiam vires robúrque, imò & ſolatia afflictæ addidiſſe credendus eſt, quod ſolet ſinè delectu pleríſque. Abeunti è carne, mundo, exilio comitatum præſtitêre Cœleſtes Genii, ut homines nôſſent, quòd Juliana cum Angelis ad Cœlum migraverit, ibíque per vota & clientes ſit rursùs convenienda.

Divæ

Divæ Julianæ quinquenni ad Ciſtercium convolanti vix alia ſimilior ſubjungi debet, quàm BEATA BEATRIX *Nazarethana*, quæ ſexennnis Matre orbata, cùm à Patre Converſum Ciſtercienſem in *Valle Florida* induto quibusdam nobilibus Virginibus inſtituenda tradita fuiſſet, ea jam in ſæculo innocentiâ morum Ciſtercium præfigurans dignam ſe exhibuit, cui octenni ad repetitas Parentis preces Aureæ-Vallis Antiſtes facultatem conceſſerit portandi in ea ætatula Ordinis habitum, quem deinceps tot virtutibus eſſet ornatura. Cùm primùm per maturiorem ætatem potuit, Tyrocinium vitæ religioſæ inter Ciſtercienſes auſpicata nîl per probationis annum moleſtiùs ferebat, quàm quòd per Eccleſiæ Canones ſeriùs quàm optaret, à publicis votis arceretur: accuſabat ſolem, quòd neſcio quô fatô curſum annúmque longiùs ſolitò protrahebat: Collidentibus inter ſe dolore ac deſideriô toties in uberes lachrymas erumpens, quæ impetu quòdam in veſtes atque ipſum pavimentum depluebant, quoties felix illud momentum animo occurſabat, quô ſe Sponſam Chriſto per vota ſolemnia eſſet conſecratura. Quibus tandem initiata non aliter ſe præparavit ad Sponſi amplexus, quàm per flagella, catenas, aliáque id genus tormenta, futura haud dubiè acutos inter dolores Sponſa ſangvinum. Uni præſertim capiti auſa duriùs indignari, quòd ſcilicèt membris cæteris ſuas dictaret patiendi regulas, non poſſet tamen id ipſum flagellis aut catenis cruentari: donec ingenioſus Virginis amor ſpinas atque ſenticeta legiſſet in ſertum, quod capiti piô furore imponens ſangvinem expreſſit, non gemitum, novô eô ſertô, antea toties, nunc rursùs Sponſa. Miſſa ſubinde in Monaſterium *Rameja* felici eventu ibi *B. Jdam de Nivellis*, eximiam illam in Divini Amoris ſchola Magiſtram experta eſt in ſe propenſiſſimam ex eo videlicèt, quòd Jda prævideret, atque Beatrici non ingrata vates prædiceret, ingentia Cœlites præparare chariſmata, quibus illam propediem eſſent perfuſuri: præfixítque Sanctæ diem vaticinii eventuri, ut Divinæ illæ influentiæ Beatricem deprehenderet magis diſpoſitam. Et certè non diu ſuſpendit cœlum Jdæ oracula; die namq; prænunciatâ dum Beatrix ingentibus deſideriis expectaret illapſurum Numen, ſubitò extra ſenſus rapta videbatur ſibi Cœlitum ſe mixtam Choris præcinente Vate Regiô Divinas in Coelo laudes ſuaviſſimè modulari, ſublimiúsque ſemper & jubilô & animô

Floruit An. 1235.

mô ſcandentem à præſente Numine veluti guttam à vaſto Oceano penitùs abſorberi: Cúmque amabiliſſimam hanc ecſtaſem per horas aliquot protractam intempeſtivum ſomnum arbitrarentur Virgines Sorores, ſatísque jam dormitum eſſe haud ſinè ſtomacho querelarentur, una earum importunior immobile corpus moleſtâ vellicatione eouſque vexavit, donec Spiritus à Cœleſtibus dolenter avulſus ad corporeas functiones profunda inter ſuſpiria redierit. Manſêre tamen dulces illius raptûs ideæ in animo Virginis per menſem & ampliùs, corde crebriùs ad amiſſas delicias veluti quibusdam motibus ſubſultante, qui præternaturales lætitiæ motus circumſtantibus erant eò magis admirandi, quò minùs, dum erumperent, à Sancta inter ſolatia mox diffluente poterant cohiberi. Verùm ſubſecuta eſt innoxias has animæ voluptates ingens & atrox tempeſtas, quæ Sanctam afflixit, non evertit. Tradita Angelo Sathanæ Beatrix, ut ex arduis præliis creſcerent victrici laureæ & coronæ. Materia belli mollis illa ſenſualitas tot animarum ſcopulus ac Scylia. Totô trienniô, mirum dictu, ſtetit pertinaciſſimus hoſtis continuis machinis concutiens caſtiſſimam Virginis mentem; à quo illa quidem conata eſt per preces atque lachrymas ſe millies milliésque expedire; at quia irritô ſemper effectu, didicit tandem, Numen ſibi velle in Beatrice exhiberi novum Saulum, cui ter Dominum roganti, ut tollerentur infeſti animæ hoſtes, conceſſum nihil, niſi gratia, per quam hoſtes vinci poſſent. Obfirmatô itaque animô ſeſe Divinæ ordinationi pleniſſimè committens, hôc unô ariete, quòd DEI voluntate etiam cuperet eſſe afflicta & deſolata, importunum adverſarium mox è ſpe victoriæ dejecit, fugavítque. Coronavit illuſtrem Sanctæ victoriam Salvator in ſublimi raptu; dum enim Beatrix pro ejus temporis more unà cum aliis Sororibus ab Epiſcopo ſolemni ritu per annulum & coronam foret conſecranda, illa extra ſenſus facta, cœlos omnes ſupergredi ſibi rurſùs viſa eſt, intérque choros Beatorum ſtare mediam, ubi Chriſtus Pontificali ornatu conſpicuus annulum digito, coronam auream capiti Beatricis impoſuit. Intellexit Virgo geminô illô munere ſeſe & Sponſam ornari, & victricem redimiri. Ex eo tempore Salvator Beatrici, quaſi datam nuper fidem Sponſæ ex pacto exoluturus longè familiariſſimus eam frequenter ſive per ſuaviſſimos raptus ad ſe ſuper ſidera evocavit, ſive cœlo ad cellulam

lam

ſam Virginis delapſus plurimâ luce ac gaudiò langventem Divinus Hoſpes perfudit. Lubet hìc duplicem duntaxat ſcenam recenſere, in quarum una Salvator paſtorem egit, in altera Cupidinem. Rapiebatur aliquando Beatrix ſuper cœlorum Orbes, & juſſa velut ovicula ſequi ſponſum ſub paſtoritio habitu Virgini oviculæ blandientem, nuſquam dulciùs aut feliciùs ſe paſtam ſenſit, quàm dum DEUM paſtorem habuit, Coelum ipſum paſcua. Aliàs cùm Divinis ignibus in cellula ſua incaleſceret Virgo Seraphica, adfuit Divinus Cupido pharetrâ arcúque inſignis, qualem ſcilicèt Poëtæ fabulantur, qui amantis pectus ſenſibili ſagittâ aperiens eô vulnere Seraphicæ Thereſiæ ſimili jaculô olim ſauciandæ amantiſſimè præluſit. Repetemus nos infra Seraphicum hoc vulnus, quia ſemel iterúmque delectat audire, Virginem è Ciſtercio ſic vulnerari. Illis favoribus ſublimata ſtabat in culmine perfectionis Beatrix, non modò paſſionibus omnibus ſuperior, ſed & propriâ voluntate, quam dum mortificant alii, Beatrix penitùs extinxerat, nullis deinceps motibus per illam turbanda: Unde etiam deliciis cœlitùs in ſe dulciſſimè illabentibus ideò duntaxat afficiebatur, non quia delectarent, ſed quia DEUS ita vellet, parata ad Numinis nutum privari omnibus. Electa à Virginibus Nazarethanis, (unde & dicta *Nazarethana*) in Abbatiſſam, ſanctiſſimâ Domûs gubernatione abundè prodidit, eſſe in Beatrice aliquid Divinum, quod emortuæ voluntatis locô in omnes Virginis actiones influeret. Ingentibus tandem cumulata meritis, prodigiis atque vaticiniis totô Belgiô celeberrima ad gloriam toties ante prægustatam abiit, nominis ſui menſuram inter Coelites impletura futura æternùm Beatiſsima *Beatrix.*

Lutgardi, Julianæ, Beatrici, tribus mox memoratis illuſtribus è Belgio Virginibus ſubjungere lubet alias tres, quas nominis *Obiit An-*
identitate ad invicem cohærentes vix ſejungere auſim. Prima eſt *1131.*
B. Jda de Lavanio, altera *B. Jda de Nivellis*, tertia *B. Jda de Levvis.* De ſingulis in compendio dicendum eſt aliquid.

B. IDA DE LOVANIO ſortita nomen à loco natalitio, credi potuit vix nata ab hominibus, quæ à teneris nîl ſciret, ſpirarétque nisì DEUM, plus adhuc in modica ætatula hærere ſolita in templis, quàm paternis laribus; præter hodiernum puellarum

morem quæſitura ſibi ipſi ſponſum, qui olim juſsiſſet parvulos ad ſe venire, & qui modò in ſpeciebus Evchariſticis expectaret vocatos. Placuêre teneri atque innoxii Jdæ amores DEO Sponſo, quos altiùs firmaturus dum Virguncula ſeptennis in Miſſæ ſacrificio ſub tempus conſecrationis deſcenſurum dilectum genuflexa præſtolaretur, viſus eſt ei ſub fulgidiſsima ſtella in manus ſacrificantis deſcendere: Scilicèt hæc ipſa ſtella pronuba fuerit, per quam Virgo ad caſtiſſimas cum Agno nuptias invitabatur, pro quibus illa non alium adornavit lectulum, quàm ſarmentis aculeíſque ferreis hiſpidum pungentémque, omni plumarum mollitiæ longiùs è ſtrato quieſcentis deinceps proſcriptâ; cui tamen Virgo per ſingulas noctes ſuaviſsimè indormiit, unâ nempe reminiſcentiâ obtundente pungentes aculeos, quòd etiam dilectus, quem in Sponſum ſibi delegerat, olim lectulo Crucis ſanctiùs inter ſpinas, quàm plumas immortuus fuiſſet. Hâc unâ patientis morientíſque Chriſti perenni cogitatione mentem ità exaſperaverat pia Virgo, ut magnis propoſitis pleniùs tranſitura in ſimilitudinem dilecti tot inter vulnera langventis, cùm minora ſe poſſe cerneret, quàm vellet, oculis eam legem dictaverit, fluerent illi in poſterum jugi ſcaturigine, funderéntque lachrymas, quas Jda poſſet miſcere ſangvineis Chriſti ſtillicidiis. Moverunt ea plangentis gementíſque puellæ vota Salvatorem, ut favorem planè eximium atque Divinum priùs daret Jdæ, quàm Seraphico Franciſco; dum namque aliquando Virgo Sancta inter cordis deliquia ſuſpenſi in Cruce DEI tormenta affectuoſiùs contemplaretur, adfuit Dilectus per tot ſuſpiria vocatus, atque penè emortuæ Virgini quinque ſua ſtigmata impreſsit, quæ deinde per omnem vitam Sanctæ Virginis lateri manibúſque & pedibus velutì gemmæ quædam inhæſerint. Titulus ſequens pulcherrimas has cicatrices fuſiùs repetet. Aliâ iterum vice, cùm Jda non haberet, quo cum de Patientis Salvatoris cruenta cataſtrophe verba, veluti nova in corde vulnera faceret, apparuit ei Chriſtus ſimulatâ pauperis peregrini perſonâ, inſtitutóque ad expectantis votum ſermone, Virginis animum jam millies compati, milliéſque commori paratum per univerſam traxit funeſtæ Paſsionis tragædiam, ut Jda ſingula myſteria totidem velutì ſcenas totidem ex oculis pluviis diſtingueret. Agnovit Sancta tum primùm latentem in paupere Sponſum, cùm ex oculis plangen-

tis

tis ſtupentíſque momentô ſe ſubduxit; Nè verò novis lachrymis Dilecti diſceſſum plangere poſſet Ida, præcordia ejus tantis mox deliciis inundavit, ut facta ſinè ſenſu lugere non poſſet, quod non ſentiret. Gratiora ſcilicèt erant Idæ hæc vulnera, quàm ea, quæ mordaces, impudentéſque lingvæ ei inflixerant, de quibus ſtatim. Ægrotabat aliquando Virgo, atque pondere morbi preſſa in lectulo diu ſolitaria hærebat. Cùm ecce, mox atrox calumnia ſolitariæ famam indignè mordere auſa, eſſe nimirùm eum morbum occulti Sceleris proditorem, qui ægram vix pateretur ampliùs compellare Virginem. Pungebant hi aculei inſontis pectus longè acerbiſſimè; at dum Cœlum ipſum ſuſcepiſſet afflictæ patrocinium, ingentémque ſplendorem per Idæ cubiculum opacum alioquin atque obſcurum ſubitò diffudiſſet, ſceleris injuſti ſuſpicio penitùs ſublata eſt, habitáque deinceps longè ſanctiora de Ida judicia. Addidit Salvator Sponſus dilectæ ſolatium aliud ingens, dum in forma pulcherrimi puſionis inſontibus blanditiis impactæ calumniæ, conceptæque triſtitiæ reliquias biduô in cubiculo ægrotantis commoratus omninò abſterſit. Illuſtrabant præterea Idæ ſanctitatem prodigia, imperiúmque in dæmones & bruta: atque in primis germana Soror nuper defuncta, pérque Virginis Sanctæ preces magnô miraculô ideò ad vitam revocata, ut ſanctiùs moritura viveret ſanctiùs, evaſura ſic pœnas, quibus poſt primùm obitum fuiſſet deſtinata. His favoribus Ida adhuc in ſæculo celeberrima, nè deinceps calumniæ, ſceleri, diſcrimini, vel alienô vitiô poſſet eſſe obnoxia, elegit tandem præ Paterna domo Ciſtercium, ubi Dilecti amplexibus tutiùs firmiúſque eſſet inhæſura. *Valli* igitur *Roſarum* Domui Ciſtercienſium Virginum apud Belgas illuſtri ſeſe Alumnam dedit Ida, ubi impreſſa olim à Sponſo ſtigmata Ciſtercii roſis atque liliis poſſet exornare. Et certè eâ habitûs candidi ſuſceptione confeſſa èſt Virgo Sancta, digniſſimam fuiſſe Ciſtercienſium Familiam, cui illas vulnerum adhucdum perſiſtentium gemmas concrederet, quas olim in pulcherrimam cum Seraphico Franciſco æmulationem eſſet ſervatura. Vix potuit Salvator erga Sponſam eſſe minùs liberalis in Ciſtercio, quàm fuiſſet in ſæculo: acceſſione itaque novi inſtituti aucta chariſmata: quotidie ad cœli delicias rapta non aliter redire ſolebat Ida, quàm oculis radiantibus, quos cum pio horrore ac voluptate Virgines intuebantur, plurimùm

ſibi in eo gratulatæ, quod Sororem haberent, quæ toties Cœlitum felix inquilina ac ſocia vix aliquando indè ad Sorores poſſet redire vacua. Et ſanè aliquam Cœli partem in Vallem Roſarum credenda eſt detraxiſſe, quando toties Angelos comites atque duces habuit, quoties ad Evchariſticas delicias accederet. In perennem tandem Angelorum ſocietatem tranſitura hominem exuit, non Ciſtercienſem, qualem adhuc hodie agit tutelâ ac patrociniô.

Obiit circa An. 1231.

Altera IDA dicta DE NIVELLIS ſive DE RAMEYA, primum vocabulum ſortita à loco, ubi nata mundo, alterum ubi nata Ciſtercio: à teneris annis Monialem ſe geſſit non tam habitu quàm morum candore ac integritate, paſſim appellata non ſinè vaticinio *Monialis Teutonica.* Cùm primùm per ætatem potuit, adjunxit ſe Virginibus Ciſtercienſibus ſub id tempus è Germania in Belgium venientibus, per quas deinde ſurrexit celeber Parthenon de Rameya, in quo Ida vaticinium vulgi implevit facta inter Virgines Teutonicas Monialis Teutonica. Eum Rameyæ mox ſanctimoniæ gradum, famámque aſſecuta eſt, ut ſeu ab ægritudine forent ſublevandi morbidi, ſeu è flammis purgantibus vindicandæ animæ, precibus ſuis nō tam videretur rogare Deum, quàm eidem imperare, adeò ſcilicèt omnia obtinuit, quæ petiit. Unâ tamen re fruſtrata eſt, in qua Sorores Rameyenſes fortiores fuêre. Optaverat nimirùm Virgo Sancta continuis votis, ut morte aliquantùm præmaturâ ad Sponſi amplexus tranſiret: quibus deſideriis cùm Cœlum annuiſſet, Ida ſolitô hilarior ipsô vultu jam cœlum ſpargebat, & quoniam rem magnam ſilere non poſſet, proditô oraculô, imminentéque obitu tam terruit Virgines, ut in Ida omnia penè ſe perdere conclamantes, precibus atque lachrymis Divina decreta ad tempus ſuſpendiſſe, viſa fuerint addiderintque ſuæ Idæ, ſeu nollet, ſeu vellet, annos adhuc tredecim. At verò non erant hæ Virginum preces Idæ gloriam jam propè tenenti, adeò injuriæ, ut non meruerint nomen beneficii, ingentibus namque per eos annos cumulata meritis ſanctior Cœlum intravit, cùm tardior. Auxit Virginis laureas ſtygius Inſidiator, qui ab Ida millies triumphatus fugatúſque nè ſemel quidem Victor è præliis millies reparatis receſſit. Neque importunus & inquietus hoſtis ſatìs habuit, quòd ab Ida victus rejectúſque eſſet;

eſſet, cædi voluit, proſterni debuit; aliquando enim gibboſam vetulam mentitus turpiſſimus Morio, à Virgine obvia ſonantibus alapis multatus, ínque ſolum dejectus, & pedibus proculcatus ab irritata victrice plurimas tulit plagas. In victoriæ prœmium laureatæ Virgini ceſſêre inferni futura alioquin ſpolia peccatores ſcelerati divinitùs Idæ revelati, pro quibus ipſa unicè ſolicita ſpontaneis cruciatibus tam diu in ſe ſæviit, donec placatum Numen miſereri eorum vellet propter aliena ſupplicia, quos perdere decreverat propter propria ſcelera. Eandem Virginis Sanctæ in miſeros pietatem expertæ ſunt in Orbe altero piacularibus ignibus detentæ animæ, quæ ut mitiùs haberētur inſvetâ miſerendi juvandíque arte peculiari privilegiô cœlitùs conceſſô pœnarum pondus Virgo Sancta tranſtulit in humeros ſuos, qui non infrequenter ſangvineô imbre flagellis excitatô madentes extinguere illa incendia poſſent, quibus inibi deſolatæ urerentur. Integris ſex aliquando hebdomadibus ejusmodi acerbiſſimos Purgatorii cruciatus Divinâ diſpenſatione ex æquo cum purgantibus animabus diviſos, & ſpontaneè in ſe ſuſceptos toleravit animô ſupra Virginem forti atque audaci, ut nempe diſcerent univerſi, in Ciſtercio fœminas eſſe, quæ patiendi ardore hujus Orbis cruciatibus non contentæ, etiam ex altero pœnas in ſe auderent provocare, luculentô ſimul argumentô, quòd Ciſtercienſes non duntaxat ſolis ſibi cupiant velíntque, ſed & aliis & vivere & pati. Non potuit Ida tam pia afflictorum Conſolatrix & ipſa non mereri, non ſentire ſolatia: quæ mediis ſuppliciis intermiſcuit Virgo Mater, dum perſæpè diviniſſimum Puſionem in Idæ brachia depoſuit, inter innoxias animi delicias mille baſiis diſſuaviandum. Reddidit Sponſæ Puſio dilectus præter baſia, beneficium rarum atque eximium, ut anima Idæ adhucdum inter oſſa carnémque mortalem hærens eô ferè modô, eô amoris glutinô DEO jungeretur, quô in Cœlis ſolent Beati. Neque hìc ſtetit liberaliſſimus amor amabilis Puſionis, novos favores Virgini adjecit; dum enim illa aliquando ſub incruento Miſſæ ſacrificio Redemptionis myſteria affectuoſiùs contemplaretur, vidit è Pane Evchariſtico ſeptem flammulas, velutì totidem è pharetra ſagittas in pectus ſuum evibrari, ſimúlque per eos ſeptemplices ignes totidem Spiritûs Sancti munera in cor ſuum illabi. Haud potuit diutiùs morari inter mortales Virgo DEO tam propinqua, tam DEO

plena: Itaque quod quidem ante annos tredecim unicè optaverat, mortua eſt, quod debent homines, ſed absque omni omninò dolore aut convulſione, inter animi exultantis læta tripudia, quod ſolent Sancti, iique mirabiles, ac eximii. Ejus fama tumulúsque ex eo potiſſimùm gratæ celebranda poſteritati, quòd Thaumaturgam manum ab obitu multis prompta impenderit, qui minùs de Virginis ſanctitate præfidentes infirmâ duntaxat fide, periculum ſcilicèt facturi, an vera eſſent, quæ de Idæ ſanctimonia narrabantur, Patronæ opem imploravêre, majori procul dubio beneficii gloriâ, quòd ij beneficium minùs meruerint, qui petiverint.

Vixit circa Annum 1400. Tertia tandem IDA dicta DE LEWIS prælibatam domum de Rameya illuſtravit quàm plurimùm: adultam pietatem ad Ciſtercienſes attulit annos duntaxat nata tredecim. Speraverat in modica ea ætate facilem à Virgine victoriam ſupplantator dæmon, hinc vanis primùm ſuggeſtionibus tenerum pectus arietans, cùm in caſſum caderent tentati inſultus, apertò Marte in Virginem furens atrocibus plagis, præcipuè cùm in lectulo quieſceret, eam caſtigavit; at illa docta vincere, non gemere, dum ſiluit, vicit, applauſum de glorioſo ſilentio atque patientia habitura apud Superos. Ut tamen ſciret Ida, ſe viciſſe, non obſcurè victoriam è præmio didicit, dum tantâ internâ luce cœlitùs perfuſa eſt, quæ pectoris ſui aliorúmque receſſus intimos veluti in pellucida cryſtallo inſpiciendos legendóſque ei exhibuerit. Quâ luce Virgo tum maximè uſa eſt, cùm excuſſis aliorum conſcientiis, ea ſecreta animi ulcera tetigit, quæ non ſinerent homines ad Divina eluctari; unde conſpectis his ſordibus, ſeverè improbos monuit, nè paterentur conſcientiæ ſuæ penetralia Divinitatis quædam ſuburbana deinceps inquinari. Aliô item favore in dilectionis eximiæ teſtimonium à Chriſto Sponſo donata eſt Ida, quòd ſcilicèt in Evchariſtico epulo palatô paulò delicatiori ac ſanctiori præ aliis ſenſerit præſentem DEUM, qui ineffabili voluptate ſeſe in animam diffunderet, facerétque externos ſenſus ad munia ſua ſtupidos ac inidoneos. Gravatè tulit hunc favorem Sancta, quòd ex eo inepta redderetur ad Ordinis cæremonias, quas Patres pro communicantium acceſſu & receſſu præſcripſerant. Quare nè videretur peccare contra ſtatutos ritus,

tus, Sponſo ſupplex facta, differret illas delicias uſque ad cellulam, ibi liberrimè ſe explicaturam omnes amoris ſinus Divinis voluptatibus, ubi nullus eſſet, qui per eas offenderetur. Erant hæ amantis preces novô favore digniſſimæ, quòd videlicèt Sancta maluiſſet privari ingentibus ſolatiis, quæ ſinè nota ſinè noxa admittere poterat, quàm obſervantiis Ordinis vel in minimo eſſe difformis. Non diſtulit itaque vocatus Sponſus eô locô ſe ſiſtere, quem Virgo intra Cellulæ ſuæ parietes deſtinaverat, ubi & ipſe poſſet, & Ida vellet dilatis vacare deliciis. Non rogaverat, non expectaverat Sancta Formoſi Puſionis præſentiam, niſì fortè ſemel, atque iterum, non auſa ſcilicèt plus petere pro exilii ſui ſolatio, exuli utique nunc ſufficere, vel ſemel fuiſſe felicem, & reliqua reſervare Patriæ; At verò Salvator oſtenſurus quantì è Ciſtercio faciat Sponſas, ex eo tempore ab Idæ ſocietate nuſquam diſceſſit, ſub viſibili Pueruli amabiliſſimi ſpecie indiſſolubilis Virginis Sponſæ ſocius: Neque properantem ad Chorum dilectus Puſio unquam deſeruit, in ſedentis ſinum ſeſe infantium more recollecturus, atque inſuper, quod amabile dictu, hæſurus è Collo Virginis pendulus, ſi Ida antiphonam ſtans eſſet impoſitura, quòd nos titulo ſequente non ſinè voluptate repetemus. Redditurus tandem hoſpes diviniſſimus pro hoſpitii gratia, alumnæ, ſponſæ, contubernali ſuæ pro cellula cœlum, inter illos ipſos caſtiſsimos amplexus, in quibus eouſque cum dilecta vixit, cum eadem ad Cœlos abiit: ut nunc iterum in Ciſtercio verum ſit, quod de DEO incarnato pronunciavit olim Anſelmus: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Quem delectat ſic mori, delectet ſic vivere.

Poſt laudatas tres Beatas è Ciſtercio Idas Chriſti vulneribus, amplexibus contuberniô illuſtres, calamus iſte punget ulcus, è quo ſanies profiliet aurô quôvis pretioſior, quâ ſcribenda vita eſt B: ALEIDIS LEPROSÆ Virginis Sanctimonialis in *Camera Mariæ* celebri apud Belgas Ciſtercienſium Cœnobio. Jobi ulceroſi hiſtoriam denuò ſuo ſæculo & Brabantiæ exhibuit admirabilis hæc Virgo, percuſſa divinitùs fœdiſſimâ leprâ, non quia in ſcelerum vindictam ſic flagellari meruiſſet, ſed ut haberet ſpinas, quæ licèt pungerent, protruderent tamen roſas, quæ olim coirent in coronam. Corpus Virginis Sanctæ penè nil erat niſì pus *obiit Anno 1170.*

&ulcus, in quo greges vermium nidularentur: Crura unà cum pedibus à putredine ad oſſa uſque exeſa intuentibus horror, & fætor, Aleidi dolor, & quia humanis viribus malum inſuperabile, amaritudo amariſsima. Ea tamen fuit fortiſsimæ Virginis in his malis tolerantia, ut nè querulô quidem verbô aut nutu ſeu ulceri ſeu dolori iraſci voluerit. Et licèt tandem etiam è Sororum ſocietate, nè tabes plures afflaret, ſeparatam ſe videret, patientiſſimè tamen tulit acerbam illam ſolitudinem, digniſsima planè, ad cujus tuguriolum haud infrequenter Orbis Salvator deſcenderit, & brachiis amabiliſsimè conſtrictam pectori appreſſerit, hauſturam ex eo fonte patientiæ venam ac robur. Ablatum fortè quispiam crederet ijs Chriſti amplexibus omne contagium; at ſecùs res accidit, aucti cum plurimo ulcere dolores, adeò quidem, ut per mutuas vices modò gehennæ cruciatus, modò Purgatorii incendia ſe perpeti afflicta Virgo crebriùs exclamaret, in hoc uno illis omninò longè felicior, quòd pœnæ, quas pateretur, non haberent nomen pœnæ, quam culpa præceſſerit, ſed nomen beneficii, per quod ſibi lauream, peccatoribus veniam, piis animabus in flammis æſtuantibus refrigerium in ſingula momenta mereri poſſet; id namque edocta à Chriſto eſt, nîl gratiùs ſe facturam æterno Patri ſuo, quàm ſi æquâ bilance pœnas divideret, portionem unam offerens irato Numini, nè ſceleratos ſinè prævia pœnitudine mox perderet, alteram Juſto Vindici, ut reos è purgatorii ergaſtulo eximeret; ideò enim pati Aleidem, ut alii eſſent felices. Quin imò morbidi, & quod ampliùs, leproſi ſolô Virginis contactu ſanabantur, manente Virgine, ùt antea, ſemper leproſâ & afflictâ, fortè quia non poſſet eſſe aliter in alios miſericors, niſì & ipſa eſſet miſera, miſericordiæ nimirùm ſupremùm genus eſt, propter alios eſſe miſerum. Agebantur aliquando Divæ Urſulæ Sociarúmque feſta ſolemnia, & quia è vicino Oratorio Aleidis voces pſallentium Virginum audire poterat, inter profundos gemitus multùm apud DEUM queſta eſt, quòd Patronas non liceret cum Sororibus venerari ſuavi in Choro cantione, hærentem hìc inter triſtia ſilentia in lectulo privari haud dubiè canentium meritô. Interrupit benigniſsimus Salvator Virginis lamenta, & intempeſtivos queſtus mox compoſuit, cùm ſpopondit, leproſam Aleidem eô locô & gradu eſſe apud DEUM & Cœlites, ut non duntaxat canentium in Choro

Virgi-

Virginum merita, verùm & triumphantium in Cœlo, quas modò colerent, Martyrum lauros & triumphos eſſet conſecutura. Meliùs placere Cœlo Aleidem in dolorum lectulo, quàm in canentium choro; & præſtare magìs jam pati, quàm canere. Acquievit Virgo Sancta Salvatoris oraculo, & ſiquidem inter dolores ſpirandum expirandúmque eſſet, Magnæ Thereſiæ olim datura ideam atque exemplar, mori maluit, quàm non pati. Supremùm vi morbi privata viſu non priùs finē fecit patiendi, quàm vivendi: haud alia dignior ſanctiórque Patientium Patrona, quàm una Aleidis, quæ ſimul & pati & miſereri didicerit. Quòd ſi fas ſit, ut ſe in proſa laudare auſit Virgo ipſa, Virgilii ore canendum carmen eſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Non velim hìc inter Belgii, Ciſterciíque Sanctas ſilere BEATAM IVETAM nobilem Belgam, quæ conjugii implicita vinculis non ſuô quidem arbitratu, ſed Parentum imperiô impoſitis, quanquam Ciſtercii Virginibus accenſeri non poſſit, omittenda tamen nequaquam eſt inter Familiæ noſtræ Fœminas ſanctitate illuſtres. Annô ætatis decimô tertiô Virginem alioquin ſuâ voluntate Sponsô DEO digniſsimam, Parentes ad matrimonium coëgêre magìs, quàm invitavère; at verò mors Parentibus paulò humanior Ivetam ſub jugo gementem intra paucos annos à compedibus abſolvit, cùm procreatâ jam geminâ prole maſculâ maritum abſtulit. Incendebant quidem opes Ivetæ non modicæ, formáque elegans procos ad novas conjugii ſpes; ſed illa, cui jam divinior Sponſus erat in amoribus, facilè procos omnes carnales contempſit. Unus tamen ex adoleſcentibus cæteris procacior cùm eludi videret à fœmina amores ſuos, conſtituit vi aggredi prædam, quæ ſuâ ſponte in caſſes ire nollet: quare noctu furtivè in cubile quieſcentis irruit ſolam facilè oppreſſurus, ſi ſolam deprehendiſſet: At nunquam ſoli ſunt, pro quibus Cœlum excubias agit. Advocata mox à periclitante in præſidium Virgo Mater, ut pudorem ſervaret, quem jam damnatis ſecundis nuptiis Filio conſecrâſſet. Adhuc hærebant in labiis calentia vota, tum ecce! cubile ingreſſa Mater Domini, ſole ſplendidior noctem, ſcelus, inſidias, vímque omnem unà cum laſcivo adoleſcente indè ejecit, fugavítque. Erepta præſentiſſimo periculo Iveta nè for-

obiit Anno 1227.

tè deinceps etiam invita per ſummum ſcelus poſſet violari, confugit ad leproſorum obſequia, ut jam minùs ſolicitaretur ad delicias, quæ non cuperet tractare, niſi ulcera & ſordes. Stupebat univerſa vicinia fœminæ nobilis atque delicatæ novum conſilium & factum, nemine è procis urgente ampliùs cum ea nuptias, quæ ſe tot ſordibus fædâſſet. Itaque ſibi DEOque jam integrè relicta eas cœpit tractare curas, quomodo Parentem, ambóſque Filios è ſæculi naufragio ad Religionis portum educeret, ubi extra procellas ſtarent ſecuri. Et ſiquidem optimè noverat, quòd non aliis armis feliciùs pateretur ſe Cœlum expugnari, quàm precibus, magnô fervore aggreſſa negotium, Parentem Villario, majorem natu filium Aureæ-Valli, alterum Monaſterio Trium-Fontium Ciſtercienſes dedit: feliciſſima Mater, quæ jam ſecundò in ſpem melioris vitæ parturiret filiolos, & ſanctiori geneſi carnalem Patrem auderet compellare Filium. Nè tamen (poſtquàm tam dilecta pignora Ciſtercio genuiſſet) videretur aliquid Sanctæ noſtræ Familiæ ſubtrahere, ſi nollet eſſe, quod eſſent Filii, Paréniſque ab Aureæ-Vallis Abbate habitum Ciſtercienſem obtinuit, in quo conformiter ad Ciſtercii leges ſolitariæ incluſa cellulæ deinceps ſanctiſſimè vixit, tandémque devixit. Anguſti autem ſui domicilii non aliam voluit habere Præſidem ac Patronam, quàm Virginem Matrem, non immemor beneficii, quod illa nuper periclitanti præſtitiſſet, eadem in poſterum ſperans, imò etiam majora; ſub hac namque Matre ac Tutelari malè eſſe non poſſe clienti ac alumnæ. Experta ſtatim quàm bene Mariam in Advocatam elegerit; Dum enim aliquando videretur ſibi ad Tribunal Chriſti Judicis ſiſti, & rigidâ totius vitæ diſcuſſione proclamari ream, quòd olim, dum ad continentiam aſpiraret, mariti mortem optârit, non utique potuiſſe dici bonum, quod fuiſſet conjunctũ cum ſcelere. Trepidabat Iveta ad ſingula Judicis verba quaſi ad fulmina. At ſubitò mutata ſcena eſt, cùm DEIpara ſuſceptô reæ patrociniô crimen objectũ tantâ facundiâ diluit, ut Salvator omiſsâ judicii formâ vultum Sponſi aſſumpſerit, atque Ivetam blandiſſimè ad oſcula vocatam, admiſsámque Virgineæ ſuæ Matris perenni tutelæ ſub titulo *ſingularis depoſiti*, ſuô olim tempore repetendi, recommendârit. Mores exinde Matronæ Sanctæ non alii, quàm quos olim in judicio CHRISTUS non tam reprehendere poſſet, quàm laudare. Raptus in Cœlum frequentes,

nè

nè affligerent ſuſcepti labores, quos tanta maneret merces: Prodigia tam non rara, ut nullus uſpiam ex afflictis queri potuerit, diſceſſiſſe ſe ab Iveta ſinè ſolatio ſinè remedio. Præmonita tandem longè ante, ut ſe itineri accingeret, abitura ad bravium & gloriam, poſtquam intellexiſſet ex ore Salvatoris, dimiſſa ſibi eſſe peccata (de quo titulo ſequente redibit mentio) in manus DEIparæ præſentis animam ſuaviſſimè exhalavit, mox ex pacto velutì fidei commiſſum conſignandam Filio. Ab obitu filius natu major jam tunc in Aurea-Valle Abbas Matrem Ivetam monitricem habuit, ut dignitatem excuteret, venturum ſe ſinè onere ſinè ſarcina expeditiùs ad Patriam, aliàs ſub jugo fortè ſuccubiturum: verbô, cederet, aut caderet: Prævertit Vir pius ceſſione caſum, & ad verbum Matris ex dignitate deſcendens ſapientiſſimè deprehendit, Cœlum non meliùs ſcandi poſſe, quàm cùm deſcenditur: ſícque Iveta jam tertiùm Filio ſuo facta Mater, cùm Cœlo cùm gloriæ eum genuit, mundum in filio docuit, quàm cupiat eſſe pia Mater, in tumulo verò ſuo Thaumaturga, quàm optet vocari & invocari afflictorum Patrona.

Creſceret opuſculum hoc præſens ultra propoſitam menſuram, ſi ex ſolo Belgio ſingulæ Virgines in medium eſſent producendæ, per quas crevit Ciſtercii fama atque gloria; duabus tamen vix poſſum eſſe injurius, quin eas hìc raptim duntaxat atque obiter, ad alia nempe jam properaturus, commemorem. Eæ ſunt S. MARIA DE ÆGNIES & B: CHRISTINA MIRABILIS, [illegible] S. [illegible] de [illegible] quas ſufficiat hìc nominâſſe, atque ex Henriquei, Manriquei, atque Montalbi teſtimonio Ciſtercienſes affirmâſſe; utriuſque enim admirabilis vitæ ſanctimonia ex Jacobo de Vitriaco Cardinali, Vincentio Belluacenſi, atque Thoma Cantipratano, tam eſt nota Orbi, ut nemo penè ignoret aut dubitet, Mariam atque Chriſtinam Sanctas, & quod mirabiliùs, Mirabiles Sanctas fuiſſe; At verò fuiſſe Ciſtercienſes, fortè eſſent qui negarent, quos oportet redargui per tres illos graves Familiæ noſtræ Authores mox citatos, quorum authoritas priùs eſt triumphanda, quàm tam illuſtres Sanctæ auferendæ Ciſtercio.

Nunc è Belgio egreſſi reliquas plagas percurramus, methodô aliquantò breviori, non quia alibi non eſſent Ciſtercienſes Virgines, quas fuſiùs laudaremus, ſed quia modicus iſte, ſtrictúſque;

ſtylus aptus non ſit, qui in tam amplam meſſem ſeſe pro dignitate immittat. Itaque præprimis ex Luſitanis & Hiſpanis memorandæ hìc veniunt celebres è Ciſtercio Sanctæ. Quas inter prima

Floruit circa An. 1300.

ſit apud Luſitanos B: ELISABETHA Virgo Sanctimonialis in Cœnobio S. Benedicti de Caſtris, cui ea fuit cum Cœlitibus familiaritas, per quam ſolam fortaſſis probari potuerit Virginis ſanctitas; nulla enim Cœlo cum ſcelere commercia: quos viſitat, aut Sanctos invenit, aut Sanctos facit. Præcipui è Cœlo Virginis hoſpites Divi Patres Benedictus ac Bernardus, eò gratiores, quò aliàs per regulam ac habitum magìs domeſtici, qui nunquam è cellula alumnæ receſſerunt, nisì copioſa ſpiritûs ſolatia velutì in hoſpitii mercedem Virgini ſolviſſent. Cùm ex ergaſtulo carnis ad Cœlites toties hactenùs apud ſe hoſpites eſſet abitura, Diva Urſula undecies mille Socias cellulæ morientis infudit, quarum illa mox numerum auxit, in ſpeciem immenſi triumphi per tot Victrices Heroinas aſtris importanda.

Vixit circa Ann. 1400.

Lubet etiam alteram ex eodem Caſtrenſi Parthenone hìc memorare officiô Prioriſſam, vocabulô MENCIAM meritò Beatam, ſuper cujus emortuæ tumulum Divinos ſplendores & cœleſtia lumina per complures dies tota vidit & obſtupuit Ebòra.

Floruit circa Ann. 1500

Lorvanium inſignis apud Luſitanos Ciſtercienſium Virginum Domus in B: MARIA Converſa celebrem ſui memoriam tranſmiſit ad Poſteros. Vix credet Philoſophus, qui hæc leget, Mariam cognomentô dictam *Peregrinam* hæſiſſe Lorvanii, & ſimul in ſpiritu raptam peragrâſſe Syriam, & univerſa loca Sancta, magnô quidem miraculô, ùt ſcribit, Henriquez, ſed quali, nec ipſe quidem auſus exprimere, fortè quia non potuit. Loquebatur Virgo ab itinere tam prodigioſo redux veriora & conformiora, quàm omnes ij, qui Hieroſolymas & Palæſtinam præſentes inſpexerint, cùm tamen ipſa nè pedem quidem è Luſitania extulerit: præcipuè verò cùm de locis Sermo eſſet, quæ Salvator cunis, vinculis, ſangvine, morte nobilitaverat, tantâ gratiâ, tantâ energiâ Virginibus loquebatur, ut jam inciperent & ipſæ dubitare, an Lorvanii adhuc eſſent, an verò cum MARIA peregrina in Bethlehem ad Divini Puſionis incunabula, ſeu in vertice Calvariæ ad DEI emorientis tragædiam. Addebant verbis & rebus pondus vita mo-

résſ-

réſque Mariæ ſanctiſſimi, & à Sanctæ obitu præclaris miraculis approbati. Deſiit tandem vivere ſimul & peregrinari ſitu pulcherrimô, locô ſanctiſſimô, functione angelicâ, flexis ſcilicèt ante DEUM Evchariſticum genibus, manibus atq; oculis in cœlum ſublevatis, quaſi adhuc immobiles pupillæ vellent prodere illud iter, quô anima è peregrinatione; è corpore ad Patriam elapſa ſit.

Simili fatô ſitúque hominem apud Luſitanos exuit B: VIOLANTIA Virgo Converſa, quæ dum ante Sponſum ſub panis nube latentem aliquando in oratione effunderet cor ſuum, ſimul effudit & animam, inclinatô enim capite orare & ſpirare deſiit. Sinus præſentis Sponſi Violantiæ pro reclinatorio fuit: Vix illa meliùs alibi in Domino obdormire potuit. Auditus mox Angelorum jubilus Sorores velutì ſignô monuit, Violantiam ad cœleſtem thalamum abiiſſe. *Floruit Anno 1500.*

Non debet hìc inter illuſtres Virgines Luſitanas omitti B: HELENA Cellenſis Parthenonis Virgo Sanctimonialis, quæ Luſitaniæ univerſæ amores, quos olim Bernardo Patrono & debuit, & exhibuit, in ſe una velutì in compendio expreſſit, toties in dulces ecſtaſes velutì in favos & mella diffluere viſa, quoties Bernardi Melliflui aut nomen aut ectypon oculis animóve occurrere. Nuſquam ſicci ſtetêre Virginis oculi, tumultuariô imbre impetum affectuum prodentes, cùm primùm pupillas Virginis illa Virginis, Chriſtíque pupilla Bernardus in quocunque artificiato ſimulachro per colorum ſpecies aut monuiſſet, aut moviſſet. *Floruit circa Annum 140[illegible]*

Regnorum propinquitate lubet Virginibus Luſitanis pauculas (præter Reginas & Virgines Principes infrà laudandas) ex Hiſpaniis adjungere. Et in primis quidem B: MARIAM in Urbe Toletana ad S. Clementem Ciſtercienſem Sanctimonialem, Virgineæ Matri tam devotam, tam dilectam, ut annis abhinc facilè centum in ſuo ad Cœlos feliciſſimo tranſitu eundem Ciſtercienſibus ſuis exhibuerit triumphum, quô olim Angelorum Regina Cœlis invecta fuit. Favor quidem ingens & rarus; at quoniam à DEIpara in Ciſtercium collatus, minùs dubius, quòd Optima Mater non modò omnia ſua, ſed & ſeipſam Ciſtercienſibus *Obiit circa A. 16[illegible]*

toties fecerit communem ſeu Patronam, ſeu Advocatam. Petierat à Diva Matre alumna magnis precibus, ut in argumentum, quòd ab ipſa amaretur, liceret ſibi eâdem die & horâ Cœlitibus jungi, quibus illa olim corpore ſoluta ſidera conſcendiſſet. Annuit votis benigna Domina, & Apoſtolorum ſtipata collegiô facta clienti ſpectabilis, præter vota novos Virgini adjecit favores, quòd inſuper auditura eſſet eosdem concentus, quibus ipſam ſub ſiderum ingreſſum ſalutâſſent Auguſtam Coeli Imperatricẽ Coeleſtes Genii. Igitur cùm decimâ quintâ Auguſti læta expectaret oraculorum eventum, ſub ipſam auroram dum horologium audiiſſet, totô ore vultúque ingentem lætitiam præſeferens in has voces ſubitò erupit: *Jam tandem*, inquit, *migrandi tempus expectatum advenit, tali horâ glorioſiſſima Cœli Regina ſuper Choros Angelorum exaltata ad æthereа regna conſcendit, Dominam ancilla ſequatur.* Dixit & carne exuta inter Virgineos Choros unà cum Matre Virgine eâ horâ ad Coelos abiit. Vultus emortuæ longè formoſior, quàm viventis atque ut præter & ſupra naturam id fieri intelligerent Sorores, præfulgidus, & qualis ſolet eſſe Angelorũ, cùm humana corpora induunt: ità nimirùm pulcherrimâ æmulatione velutì pugnatum eſt inter carnem & Spiritum, præoccupante corpore gloriam, quæ olim poſt communem omnium reſurrectionem eſt reſervata.

Vixit Anno 1529. Neque altera in Hiſpaniis MARIA dicta *à Matre DEI* inane DEIparæ nomen geſſit, cujus Sacræ exuviæ hodiedum in Parthenone Jepenſi aſſervantur incorruptæ, non audente terrâ corrumpere carnem, quam virtus ſervâſſet à ſcelere illibatam.

Obiit Anno 1595. Geminam MARIAM ſequatur BERNARDA (quod enim nomen ſub Coelo MARIÆ propinquius?) Abbatiſſa *S. Spiritûs de Olmedo*, Virgo verè Seraphica, ſuperioris ſæculi inſigne decus, quæ tantis ignibus æſtuabat erga DEUM ac cœleſtia, ut non infrequenter Spiritus in ſublime affectu evolans traheret ſecum grave corpus, tenerétque aliquot ſupra terram cubitis Divinâ haud dubiè virtute in aëre pendulum, ſuſpenſis ad novitatem miraculi Sororibus. Odor deinde ille ſuaviſſimus, qui aliquot ab obitu Sanctæ annis ex recluſo ſarcophago ſe latiſſimè per Eccleſiam diffudit, non potuit niſì indubius proditor, quàm ibi florida lætáque Tempe anima Virginis teneat.

Etiam

Etiam *Galliæ* ſua non deſunt è Ciſtercio lilia Virgines, quarum hìc duntaxat duas dabimus, B: MARIAM Wallencuriæ Monialem, & B: HEMELINAM Virginem ſub Ciſtercienſium inſtituto *Eremitam* Sanctiſſimam. MARIA B. Aſcelinæ inter conſangvineos Bernardi nuper laudatæ diſcipula, Magiſtram ab obitu docuit, in quantam gloriam ejus Magiſteriô evecta ſit; in Sphæra namque ignea plurimô fulgida lumine Aſcelinæ ſe ſpectandam exhibens eidem gloriam ſuam Regii Vatis oraculô nunciavit: *Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate DEI noſtri.* Sícque legatione functa rursùs ad Cœleſtes Orbes velutì rutilans ſidus evolavit, paulò pòſt Matrem, cujus beneficiô eò perveniſſet, inter illas micantes flammas habitura gloriæ & luminis conſortem. *Obiit circa Annum 1153.*

HEMELINA alterum Galliarum jubar in vaſtiſſima eremo non tam feras domuit, quàm carnem, inediâ, labore, ciliciô, imò & ferrô domeſticum hoſtem triumphans. Miſſis aliis cruciatuum inſtrumentis ſolus hìc mihi ad horrorem memorandus venit ferreus ille circulus, quô nudum corpuſculum tantâ vi conſtrinxit, ut caro ad latera ferri excreſcens ferrum intra viſcera abſconderet, horridô tormentô, ſed Hemelinæ, cui Cœlum in votis erat, volupi. Vexabant ſylvarum ſilentia, & Virginis ſolitudinem crocitantes corvi & cornices, quibus illa ſilentium & fugam imperavit, ingratis cantoribus mox ad Sanctæ imperium celeri fugâ dilabentibus. Viſitabant non raro Cellulam Virginis Viri Comites & Nobiles, ut ad bella proceſſuri audirent ex Hemelina Propheticô Spiritu plena de belli eventu oracula. Tandem cùm anima Virginis ex eremo & carne migrâſſet ad Cœlites, corpus Sanctæ ex eremo translatum ad Partam-Siccam, quæ eſt una è grangiis Parthenonis Wallencuriæ, glorioſè tumulatum eſt, ſuſpensâ ſupra tumbam lampade diu noctúque jugiter ardente: ſed magìs Hemelina Ciſtercium & Gallias, quàm lampas ſepulchrum atque reliquias Hemelinæ illuſtrat. *Floruiſſe videtur circa Annum 1200.*

Porrò licèt Italia atque Ciſtercium in una *Francha* genere, virtute, miraculis per omnem Eccleſiam celeberrima, & à nobis alibi inter Principes fœminas digniùs memoranda ſatìs ſupérque ſplendoris habeat, Soli tamen ſua neganda non ſunt minora ſidera, inter quæ B: MARGARETA & B: CARENTIA ambæ Ciſter-

ſtercienſes Virgines plurimùm claruêre: Quarum Illa Hetruriæ horizontem ſanctimoniæ radiis tam præclarè illuſtravit, ut recommendari meruerit Abrahami Bzovii illuſtri calamô atque elogiô; Hæc verò è *Placentinorum Vice-Comitum* orta progenie ſub *B.Carentia floruit circa An.1212.* Divæ Franchæ magiſterio eam laudem hodiedum apud gratam poſteritatem habeat, quòd prima poſt Magiſtram fuerit, quam DEUS dilatando per Italiam Ciſtercio cœlitùs deſtinaverit.

Floruit circa An.1140. Satis jam per alia climata divagati, nunc etiam quasdam illuſtres ſtellas ex climate Germanico atque patrio producamus. Prima igitur ſit S: HILDEGARDIS Abbatiſſa *Bingenſis*, olim quidem Benedictina, ſed tandem Ciſtercienſis, vitæ meritô, ac præſertim divinis revelationibus celeberrima, quas eô locô habuit Evgenius III. Summus Pontifex, ut eas Treviris in conſeſſu Cardinalium atque Prælatorum ore propriô publicè recitatas primus omnium laudaverit, atque Apoſtolicâ authoritate confirmaverit. Similes honores Hildegardi habuêre Succeſſores Pontifices Anaſtaſius IV. Adrianus IV. Alexander III. Eandem epiſtolis perſæpè dignati, in quibus ſe, ac Eccleſiæ univerſalis ſtatum Sanctæ orationibus impensè recommendabant. Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis Archi-Epiſcopi, aliíque Germaniæ Præſules tantâ veneratione patrium hoc ſidus ſunt proſecuti, ut in epiſtolis ad eam datis nunquam Filiam eam compellare voluerint, quod tamen absque præſumptione poterant; verùm magnificis titulis eam aut Matrem, Dominam, Magiſtram veluti inferiores, aut nonnunquam amantiſſimam Sororem veluti æquales devotiſſimè ſalutârint. Solus Bernardus, tametſi cæteroquin animi demiſſione præcipuus, Hildegardem in Epiſtola dilectam in Chriſto filiam compellavit, non ſuâ quidem præſumptione, ſed quia Hildegardis unicè optaverit à Bernardo Patre dici filia, quòd jam Ciſtercienſis habitûs ac inſtituti ſuſceptione unà cum toto ſuo Parthenone jam antea id eſſet, quod à Bernardo vellet dici. Virtutes Virginis Sanctæ atque prodigia, qui volet, leget fuſiùs apud *Theodoricum Abbatem*, *Vincentium in Spec: Hiſt:* *Joannem Trithemium*, *Arnoldum de Wion*, alióſque. Nobis his ex *Barnaba* de Montalbo *T.* 1. *L.*2.*c.*40. *Chryſoſt. Henriq.* in Liliis *Ciſt: L.* 1. *diſt.* 8. *c.* 1. inſinuâſſe ſufficiat, Hildegardem olim Benedictinam, tandem inter Ciſtercienſes feliciſſimè conſummatam fuiſſe,

ſe, ſicque merita, virtutes, prærogativas, utpote perſonalia ſimul intuliſſe Ciſtercio.

Non minori celebritate in Germania floruit S. ELISABETHA Abbatiſſa *Schœnaugienſis*, quæ Angelô quotidianô Magiſtrô *Floruit Anno 1275.* uſa ea didicit, ea doctiſſimô ſuô calamô docuit, quæ adhuc hodie ſuſpicimus poſteri, ſed fortè non integrè capimus, quod Virgo nunquam aut latinum idioma, aut Theologiam edocta, tam aptè res divinas atque arcanas tractare nôrit, ut Sermones ab ipſa conſcripti, non tam fœminam, quàm Theologum, & Eccleſiaſten ſapere videantur. Et quidem mores Virginis inculpati & Angelici nihil diſſidebant à Magiſtro & calamo. Quòd ſi carnem & oſſa non habuiſſet Eliſabetha, Angelus Pædagogus non modò diſcipulam eam habuiſſet, ſed ſociam. Egregiè tamen per tormenta carni ſuæ iraſci novit Virgo Sancta; annos namque nata duodecim calcatô mundô cœnobium ingreſſa per proximè ſequentem annorum duodenam penè nihil didicit, niſì carnem per exquiſitos cruciatus attenuare: unde non mirum, quòd moribus, converſatione, virtute Angelicam planè Viraginem præter Angelum doctorem quotidie Cœleſtes Genii viſitàrint, Angelorum Dominâ non raró comitatum præſtante, habitôque ibi de rebus divinis colloquiô viciſſim Virginem per viam ecſtaticæ contemplationis ad ſe frequenter ſuper ſidera ſeu invitaverint, ſeu traxerint. Oculos Virginis toties dignos, qui Angelos viderint, Salvator Sponſus inſuper novô favore donavit, quòd ſcilicèt remotô ſpecierum ſipariô in manu Sacerdotis aliquando non hoſtiam viderit, ſed carnem ſub vero carnis colore. Delectabant quidem mentem Sanctæ plurimùm hæ viſiones, & animum ſatiare non poterant, qui DEO impleri cupiebat, ad cujus intuitivam viſionem tandem è corpore abiit feliciſſima Divinitatis ſpectatrix.

Eadem cum Cœlitibus ſanctiſſima commercia fuêre B: CATHARINÆ Virgini ſanctimoniali in Germania, quæ amantium *Vixit circa An. 1200.* quodam pactô tam habuit Sponſum DEUM ſibi obſequentem, ut ad nutum Virginis quoties illa voluiſſet, ad ejus cellulam deſcenderit. Et nè dulciſſimus Hoſpes diſceſſu ſuô turbaret Catharinæ delicias, per crebras ecſtaſes Virginem ad ſe ſuper ſidera rapuit, lege penè ordinariâ de die ſepties, ut ità per mutuas vices

propè continuò aut hæreret inter Sponſi amplexus in cellula, aut in Sponſi thalamo in Cœlo. Protracta eſt aliquando per dies viginti portentoſa ecſtaſis corpuſculô omni per id tempus ad ſenſuum functiones omninò emortuô. Cùm primùm verò ad ſe rediit, viſa ſunt integra Angelorum agmina apud Catharinam non rarò divertere, reciprocæque viſitationis obſequium concivi ſuæ exhibere: cum quibus tandem abjectâ carnis ſarcinâ, quæ ſola utique hactenùs ſtabile apud Cœlites domicilium Virgini impedivíſſet, ad Patriam jam expeditior evolavit.

Eliſabetha vixit circa Ann. 1241. Euphemia circa Ann. 1219. Bertradis circa Ann. 1203.

B: ELISABETHA & B: EUPHEMIA illa Abbatiſſa, hæc ſanctimonialis in Parthenone Hovenenſi itémque B: BERTRADIS Virgo Weſtphala, dum ſæculum fugiſſent atque homines, è cœlo ad obſequia, ad colloquia, ad ſolatia habuêre Angelos, qui crebrâ viſitatione non modicam promiſſi centupli portionem alumnis ſuis impenderent. *B: Eliſabeth* aliô inſuper elogiô digna eſt, quòd nempe habuerit *B: Joſephum Steinfeldenſem* Candidiſſimæ Præmonſtratenſis Familiæ inſignè decus, virtutum ſuarum ſanctiſsimum Præconem, qui vicino Hovenenſi Cœnobio, quin imò toti Ciſtercio daturus immortale beneficium vitam memoratæ Beatæ Abbatiſſæ doctô & ſanctô calamô poſteritati tranſcripſit.

Huic titulo jucundum imponent Colophonem geminæ è Ciſtercio *Beatæ* Virgines MARGARITHA & HILDEGUNDIS quæ ſanctô dolô ſexum inter Viros Milites & Monachos mentitæ novas ſuô ævô exhibuêre Marinas. De *Margarita* (dicta vulgò *Hieroſolymitana*, eò quòd à Matre gravida, dum actu viſitatione Terræ Sanctæ ex Anglia illùc profecta occuparetur, in lucem ſit edita) & Anglia, & Palæſtina, & Gallia piô litigiô diſceptare poſſunt; Anglia ſiquidem per Parentes ſangvinem, Palæſtina cunas, Gallia habitum Ciſtercienſem Margaritæ dederant; Sed omnium eſt Margarita, olim alumna, nunc Patrona; neque enim virtutis aut ſplendoris tam modici cenſeri debet, ut ſuâ tutelâ ac patrociniô pluribus ſit impar. Reportata eſt perſolutis votis à Matre è Palæſtina in Angliam, atque ibidem ſanctiſsimè educata, cùm annorum eſſet triginta matrem imitata Terrã inviſit, quæ ſibi & Salvatori olim fuiſſet natalis, loca ſingula calidis rigans lachrymis, quæ CHRISTUS ſuô ſangvine ſacrâſſet. Repetita peregri-

regrinatio pedeſtris per vices quatuor: & nè pudori obeſſet peregrina pietas, placuit oculos Inſidiatorum fallere alienâ veſte, mentiendo virum, qui ſexus eſſet ſceleri & externæ violentiæ minùs obnoxius. Mixta deinde Chriſtianis militibus, arma non aliô fine geſsit, quàm ut ijs defenderet pudoris integritatem. Et credebant ſe ſocii milites in Margarita non fœminam alere, ſed Hectorem, tam ſcilicèt audaciâ maſculâ in hoſtes graſſari ſolita, ut decorô vulnere in fronte notata omnibus deinde pleniorem fidem fecerit, haud dubiè Margaritam aliquid ampliùs ſuprà fœminam eſſe, quæ non in tergo, ſed à Fronte vulnerata ſit. Aliquoties ſubinde captiva non meliori lytrô è manibus hoſtium erepta eſt, quàm ope Divæ Virginis, quam in Virginitatis, peregrinationis, atque armorum ſuorum præſidem elegerat. Pudori tamen tum quàm optimè conſuluit, cùm per Mercatores in Gallias abducta fratris ſui Thomæ in Monte frigido Monachi hortatu inter Ciſtercienſes Virgines ex peregrino, & milite facta eſſet Monialis, deinceps fortiùs triumphatura dæmones, quàm milites Saracenos. Poſt vitam ſanctiſsimam è Ciſtercio & Galliis ad meliorem ſuâ Patriâ Angliam migravit, ornanda inter Angelos laureis, quas peregrina, miles, Ciſtercienſis meruerit.

Eadem ferè Cæſarius Heiſterbacenſis, cæteríque paſsim Scriptores de B: HILDEGUNDE Virgine ſanctimoniali Schoenaugiæ apud Germanos, eô duntaxat diſcrimine, quòd ſexum, quem Margareta in Galliis inter Moniales prodidit, Hildegundis etiam uſque ad felicem obitum ſub JOSEPHI nomine inter Monachos texerit. Orbata matre, cum Patre ad ſepulchrum Domini Hieroſolymas abiit, Patris imperiô ſimulatô ſexu, Viríque & nomine & habitu aſſumptô, nè fortè & Hildegundi malè eſſet propter ſexum, & Parenti non bene propter Filiam. Patre verò in medio itinere per mortem ſublatô non tam proſperas habuit peregrinationis reliquias, derelicta, nummíſque exuta à famulo, cujus fideli ſervitio ac tutelæ eam moriens Genitor impensè recommendaverat. Repetitâ porrò atque peragratâ Palæſtinâ in Germaniam reverſa ſub Joſephi fabula etiam Patriam fefellit. Ubi paulò poſt atrocem de admiſſo furto paſſa calumniam, in criminis intentati ſupplicium infami ligno appenſa eſt. Sed longè mitiùs quàm homines cum innoxia Virgine

obiit Anno 1188.

egêre Cœleſtes Genii, qui pendulam in trabe Hildegundem ſuis manibus ſuſtentantes, nè pondere corporis gula frangeretur, ſervavêre incolumem, depoſitámque meliori comitatu, quàm ad patibulum educta ſit, ad vicinum Cœnobium Schœnaugenſe deduxêre, glorioſiùs inter Ciſtercienſes morituram in clauſtro, quàm inter Carnifices in patibulo. Habita eſt à Viris pro Viro, atque in Monachum tonſa Joſephum retinuit in nomine: in moribus chariſmata æmulata meliora, puritate in primis aliíſque virtutibus eximia vitam ſimul & fabulam clauſit. Emortuæ corpus cùm pro antiquo more Ordinis lavaretur, piam fraudem prodidit, ſerpente mox per nonnullos præcipite judiciô ſimulationem ſexûs inſuſpicionem ſceleris trahente. Verùm correxit Cœlum præproperas de inſonte cenſuras, cùm egregiis ad tumulum patratis miraculis nullus deinceps auderet dubitare de Hildegundis ſanctitate: quare & Bernardus Brito Scriptor Ciſtercienſis eam Sanctis Ordinis accenſet. Nos pro tituli hujus coronide Hildegundis atque etiam Margaritæ noſtræ piæ fraudi, & indè promeritæ laudi Grammaticum hemiſtichium ſubſcribimus: *Laus Fraus muliebria ſunto!*

HORTUM hìc pando, FLORES oſtendo,
Amice hoſpes! non inimice Lector!
Mille Tibi *oculos*, mille *naſos* opto,
Nullam manum!
Rides manca vota Lector *ſerie!*
Sed crede, *meliùs tibi eſſe*
Cum nulla manu intrare in has areolas,
Quam vel unam manum mittere
In Divinos hos, quia Virgineos, flores.
Lege, & intellige!
Non eſt hìc *Floricarpium*,
Sed *Florilegium.*
Flores hos,
Quos *oculis* tuis non *manibus*, mi lector, legi & collegi,
Oculis legere debes,

Manu

Manu & *ungve carpere* non audes,
Imò & potes naſô *odorare:*
Et quia hi flores *Sacri* ſunt,
Inſuper *adorare*:
Neque hâc *odoratione* & *adoratione*
Committes *idololatriam;*
Hortum enim & flores,
Quos DEUS plantavit rigavit, coluit,
Et Tu, cui DEUS prima lex, idea, exemplar eſt,
Sinè ſcelere *coles*!
Cole igitur & *lege* pudicos hos flores;
Sed noli eos aut tangere aut *carpere;*
Soli namque DEO
Surgunt, ſtant, florent, cadunt,
Solus eas *carpat*,
Qui tam in Cœlo, in *Polo* eſt *Poli carpus*,
Quam in terra in horto *Flori carpus.*
Mœſta vox Jobi in terra Huſs *queritantis*, *Job. 19.*
Et *læta vox* Floris in Ciſtercio *gratulantis*
eſt:
Manus Domini tetigit me!
Non tangat florem manus alia, niſi quæ plantavit.
Manus Domini!
Salvator, qui olim Magdalæ *hortulani ſpeciem præſetulit* *Joann. 20.*
Ciſtercio *Hortulani officium exhibuit*,
Dum tot *hortos*, quot *Parthenones*,
Tot *flores* quot *Virgines*
Plantavit, *Rigavit*,
Et quod magìs, eis *incrementum*,
Et quod maximum, eis *perennitatem dedit!*
Flores iſti nunquam decident, nunquam deſinent,
Sive eos ſpectes, qui ſurſum in illa *Patria* ſunt,
Cui nec *roſæ* nec *lilia* deſunt,
Sive eos, qui deſurſum in *ſpinoſa* mundi *valle* ſunt,
Cui ſicut nec ſuæ ſpinæ, ita nec ſuæ pariter roſæ deſunt.
Malim ego tamen Ciſtercii Virgines præ aliis floribus nuncupare
Aut *Lilia inter Roſas*,
Si jam ſint in *Patria;*

Aut *Lilia* inter *Spinas*,
Si adhuc ſtent *in via.*
Candor ille *veſtis*
Donatæ à Virgine Alberico,
Candor ille *lactis*
Infuſi à Virgine Bernardo
Candidis *liliis*, & caſtis *Virginibus*
Eſt *concolor:*
Candidus color, Virgineus color!
Conquerar, an gratuler?
Quòd Henriqueus flos ille Hiſpaniæ, ille Ciſtercii
In florido ſuo volumine prævenerit me
Dixerítque Ciſtercii Virgines
Lilia Ciſtercii?
Sed quantũ Ciſtercio de Henriquei operibus, floribúsq; gratulor,
Tantum mihi de floridis Viri veſtigiis congratulor,
Quæ dum *premo*, non *premor*,
Dum *ſequor*, non *labor*,
Quia eadem & *mollia* & *mellea*,
Et *florida* & *ſolida* ſunt.
Non potuit *Hiſpanus Galliæ* Ciſtercii Matri
Aliquid dulciùs nominare, quàm *lilia*,
Pulcherrima *Regum Franciæ* inſignia.
Neque debuit Eccleſia Ciſtercio alias dare Sedes ac Domicilia,
Quàm ubi in *Domibus Regum domeſtica* eſſent *Lilia.*
Fuerit olim Poëtarum ænigma:
Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Naſcantur flores inſcripti Nomine Regum!
Solvit Gallia ænigma in Ciſtercio,
Cui Lilia,
Flores, Nomine, auſpiciô, Majeſtate, *Regios*
In *Scutum* dedit.
Geminata Felicitas!
Ijsdem *floribus tegitur*,
Eôdem *Scuto protegitur*
Et Gallia per Ciſterciũ, & Ciſterciũ per Galliam.
Perderet aliquid ſui Francia, ſi perderet Ciſtercium,
Nunquam futura tam *florida*,

Sinè

Sinè *Candida* Ciſtercii *Familia*
E qua ſibi, Eccleſiæ, Orbi tot accrevêre *Lilia!*
Deſcende mecum Gallia, deſcende Orbis in Ciſtercienſium *Valles*,
Quibus neque *clariores*,
Neque habere debetis *chariores*.
Vallium harum pulcherrimus Flos
Talis, qualis Sponſus in Canticis
Lilium Convallium. Cantic. 2.
Creſcunt in hiſce Vallibus *Lilia* inter *Virgines*,
Et *Virgines inter Lilia:*
Scilicèt ſi *Sponſus* ad dulcia debeat vocari *paſcua*, Ibidem.
Ad has ipſas Virgines, ad hæc *Lilia* vocandus erit,
Cujus nempe unæ deliciæ *paſci inter Lilia.*
Poſt dulcia paſcua
Invitandus eſt Sponſus
Ad caſta connubia.
Vetus eſt paræmia:
Si vis nubere, nube pari.
Sponſo Lilio non alia ſimilior, non dignior Sponsâ Liliô:
Hæc vocanda è *Ciſtercio*,
Ille è *Cælo.*
Et vocandi ambo *nomine Suô*
Lilia Convallium.
Candidum, Liligerum Par!
Jungite in candidum fœdus felices dexteras:
Et *Manibus date Lilia plenis!*
Date Lilia,
Quæ reciprocentur in *arrham*,
Nectantur in *ſertum*,
Sternantur in *lectulum!*
Sint arrhæ, ſint ſerta candida,
Sit *lectulus* veſter *floridus.* Cantic. 1.
Sint florida omnia!
Parthenopolis Germaniæ *Urbs Virgo*
Nunquam *per hoſtes* triumphata,
Nunquam *per enſes deflorata*
Nuper *florem perdidit*,
Cùm *Norbertum* in ſacris Exuvijs amiſit.

Candidus iſte Vir flos fuit, Lilium fuit.
Vix oculus vidit pictum, ſculptum *Norbertum* ſinè *lilio.*
Perdidit Parthenopolis in *Norberto Lilium*,
In *lilio Florem*,
Deflorata eſt.
Feliciores fuêre *Ciſtercii Parthenopoles*
Semper *floridæ*, ſemper *Virgines*,
Per illum, in illo, cum illo,
Qui eſt *Flos Campi*, & *Lilium Convallium*,
Lilium Virginum Ciſtercienſium,
Cui
Conjunctæ per colloquia & revelationes in *Juliana*,
Conglutinatæ per baſia *in Ida de Nivellis*,
Conſtrictæ per amplexus *in Lutgarde*
Convulneratæ per impreſſa ſtigmata in *Eliſabetha.*
Aſſimilatæ per Coronam Spineam *in Beatrice*
Factæ ſunt cum *Florido Sponſo*
Cor unum Flos unus.
Hærent jam illæ in *circulo æternitatis*
Feliciſſimâ implicantiâ
Dilecti amplexibus; veluti *Floribus*
Implexa Lilia,
Et *Flores* è terra Sorores
Invitant, expectant,
Ut unà ſecum
Floreant in æternum ante Dominum!
Etiam Tu mi Lector,
Si ſimul *Vir* & *Virgo* ſis,
His Liliis immiſceri poteris;
Quoniam *Virginem* non facit *Sexus*
Sed *Virtus!*

TITU-

TITULUS VIII.
CISTERCIENSES JESUITÆ.



JESUITA Nomen dulce, Sanctum, Novum; Sed res antiqua. Non potuit Doctor Gentium Nomen JESU portare coràm Gentibus, & non eſſe *Jeſuita.* Eôdem deinde zelô atque animi teneritudine in Venerabile hoc Nomen exarſit Melliflu-us Bernardus, ut, dum ei eſſet *JESUS in ore mel, in aure melos, in cor-* *Serm. 35. in Cant.*

de jubilus, ſuaviſſimâ & rerum & nominum conjunctione dici potuerit *Ciſtercienſis-Jeſuita*. Et quidem Salvatori ipſi in Summis ſemper deliciis fuêre Ciſtercienſes, ut favoribus tantô numerô & tam eximiis ab eo cumulati aliter hodie nuncupari non velint nisì *Ciſtercienſes Jeſuitæ*; Dum namque Chriſtum video ruere in amabiliſſimos Ciſtercienſium amplexus, quantum capio, quantum ſapio, ardenter utique amantium hoc eſt. Sufficeret pro hoc argumento, pro hac Scenâ unus Bernardus, quem Salvator ſolutis de Cruce brachiis tenerrimè amplexatus eſt; Sed Solem
Floruit circa Annum 1222. ſua ſequantur ſidera: B: PETRUS de *Confluentia* Livoniæ Apoſtolus, in cujus pariter amplexus ſe demiſit Crucifixus Salvator, eíque hôc amplexu donum puritatis contulit.
Obiit Anno 1170. B: ALEYDIS in *Camera MARIÆ* Virgo Sanctimonialis, quam Chriſtus ſæpiùs inter ſuaviſſimos amplexus arcana cœleſtia docuit.
Vixit circa Ann. 1195. B: GUIDO Monachus Clara-Vallenſis, qui Angelicos inter concentus ad Chriſti amplexus eſt admiſſus.
Obiit Anno 1617. B: MARIA VELA in Abulenſi Parthenone apud Hiſpanos Ciſtercienſis Monialis, quam Sponſam amantiſſimam JESUS Sponſus amplexu ſibi adſtrinxit.
Obiit Anno 1231. B: IDA *de Nivellis* Ciſtercienſis in Monaſterio de Rameya apud Belgas, cui Virgo Mater Puerum JESUM in ulnas & brachia declinavit mille baſiis, mille amplexibus diſſuaviandum.
Vixit circa Ann. 1400. B: IDA *de Lewis* Ciſtercienſis Sanctimonialis in eadem Domo de Rameya cujus in gremio in Choro ſedentis dum diviniſſimus Puſio aliquando ſuaviſſimè deliciaretur, illáque ex more aſſurgere, atque manibus demiſſis Verſum canere deberet, dulciſſimus Puellus circumplicatis collo brachiis tam diu pendulus hæſit, donec in reſidentis ſinum ſe recolligeret.
Floruit Anno 1224. B: NICOLAUS Ciſtercienſis in Brabantia, qui amabiliſſimum Puerum JESUM medias inter nives flentem & ejulantem in ſinum collegit, ferventiſſimíſque oſculis atque amplexibus fovit. Ignoſcet Lector, toties hìc repeti vocabulum *amplexus*; eſt enim vis & ſuavitas in hoc verbo, & ſi fortè decies, ſi millies pro Ciſtercii gloria repetatur, diſplicere res tanta non debebit, non poterit. De memorato mox *Nicolao* paulò prolixior eſt *Thomas Cantipratanus. Lib.* 2. *de Bono Univerſ. cap.* 1. *part.* 23. ubi videri ſuaviſsima hæc hiſtoria poterit. Aut ſi rem in aliquàli compendio ſpectare velit Lector, ex Cantipratano hiſce habeat. Inciderat, dum iter per Brabantiam aliquando faceret Nicolaus in puerum formæ elegantiſsimæ, jacentem plo-

plorantémque amariſsimè inter nives, cujus aſpectu & lamentis motus equo deſilit, ſimúlque parvulo complorans cauſam fletus ſcrutatur, an fortè matrem perdidiſſet? aut alicujus fortaſsis injuriâ in deſertos hos campos, & rigentem brumam ejectus ſit? Reſpondit ad quæſtionem puer fortiori planctu, atque erumpente ex oculis novô imbre per modica hæc verba fontem uberrimæ lachrymæ pandit: *Heu me! heu me!* inquiebat, *quare non flerem, quare non ejularem? Ecce, vides, quòd egens, ſolus, & in frigore ſedeo, & non eſt, qui colligat me, & hoſpitium præſtet!* Conſolatus pro viribus puſionem Nicolaus, eundem è nivibus in brachia, ſinum, oſcula, amplexus ſuaviſsimè collegit, ducturus frigentem ad hoſpitium; Sed dum equum aſcenderet, puer ex tenentis brachiis ſeſe evolvens momentô diſparuit, *quia*, ùt ſcribit Cantipratanus, *Christus Filius Virginis fuit.* Novis igitur fletibus, novis lamentis diſpendio dulciſsimi Puſionis diu multúmque illachrymatus Vir pius ſeſe in illas ipſas nives injecit, inter quas Divinus Puer conſederat, per ſingulas lachrymas puſionem! ah ſuaviſsimum ſuum puſionem ad priores & longiores amplexus & delicias revocans, *heu me! heu me!* ajebat, *puer bone, puer pulcherrime! quare me dereliquiſti? cur tam citò abiiſti? cur te perdidiſti?* Jacuit ſic, ploravítque diu inter nives Nicolaus, donec à ſervulo quæſitus & inventus, atq; ad hoſpitium reductus eſt, inceſſanter plorans, & iterum iterúmque ingeminans: Ah *Puer dulciſſime! Puer Optime!* Scilicèt non negabat Salvator Nicolao ulteriores amplexus, ſed ad modicos admiſſum docuit pleniora ſolatia differre in felicem æternitatem.

Hæc inter amplexus Chriſtus. Quin imò ut amores ſuos erga Ciſtercienſes apertiùs proderet DEUS in Evchariſtia abſconditus, latentem Majeſtatem eisdem perſæpè revelavit, ut amicis eſſent omnia communia. B: GODESCHALCHUS Ciſtercienſis in *Valle S. Petri* apud Germanos, dum in nocte Nativitatis Dominicæ Miſſam celebraret, conſpexit ſub ſpeciebus panis Formoſum illum præ Filiis hominum, tantóque prodigiô, divinô quaſi monitus imperiô vagientem in manibus ſuis Diviniſsimum Puſionem tenerrimè eſt amplexatus. B: GEREKINUS Converſus *Alvaſtræ* in Suecia in Miſſæ ſacrificio dum Sacra Hoſtia populo adoranda elevaretur, amabiliſsimô ſpectaculô haud infrequenter non hoſtiam vidit, ſed amotâ ſpecierum nubæ

Floruit Anno 1222.

Obiit Anno 1345.

formoſiſsimum infantulum. B: BRIOLAYA Ciſtercienſis in Mo-
Floruit circa Anno 1500. naſterio Eboracenſi in Luſitania Sponſum ſuum in Sacra Hoſtia crebriùs ſub blandientis, & quandoque ſpinis coronati puelli
Obiit Anno 1160. amoroſa ſpecie revelatâ facie eſt intuita. B: WALLENO Ciſtercienſi Wardæ in Anglia dum ſacratiſsimâ naſcentis Chriſti nocte ſacrum faceret, poſt conſecrationis formam mutata eſt hoſtia in ſpecioſiſsimum infantem aureâ redimitum coronâ, in
Obiit Anno 1231. Cujus ille oſculis, amplexibúsque delicioſiſsimè hæſit. B: IDA *de Nivellis* latentem poſt cancellos Dilectum reductô ſpecierum Evchariſticarum ſipariô ſub Pueri pulcherrimi forma frequentiſſimè conſpexit: Cúmque anxietate non modicâ turbaretur, nè fortè id fieret, ut eô miraculô fluctuantem dubiámque in hoc myſterio fidem ſuam DEUS firmaret, vidit eundem ſuaviſsimũ Puellum ad ſe venientem, qui inter baſia & amplexus dilectam ſuam conſolatus eſt, eam nempe viſionum frequentiam è nullo alio fonte, niſì è ſola Divini amoris in Sponſam ſuam ubertate
Floruit Anno 1203. promanare. B: DANIEL Ciſtercienſis Abbas Schœnaugienſis dum ſacris operaretur, prolatâ conſecrationis formâ Calicem non ſpeciebus Vini, ſed verô ſangvine repletum advertit. Erubuit primùm ad magnitudinem prodigii Vir religioſus, & excuſſô mox conſcientiæ ſinu cùm neutiquam aliquid erubeſcendum deprehenderet. Chriſti ſangvinem ſub miraculoſa forma perſeverantem ingenti perfuſus gaudiô ſumpſit, animô ſtatim cœleſtibus ſolatiis dulciſsimè innatante.
I. Floruit circa An. 1220. II. An. 1153. III. An. 1201. B: HERMANNO Priori in Hemmenrode, B: ODONI Suppriori in Clara-Valle, & B: GODEFRIDO Sacriſtæ in Villario, dum munere Sacerdotii ad ſacras aras fungerentur, pulcherrimi Puſiones viſi ſunt ab adſtantibus inter dulcia blandimenta Viris Sanctis colludere. Et ſufficeret in argumentum Divini erga Ciſtercium non modici amoris ſpectâſſe hæc ſemel, & credidiſſe ſemper; Sed magnis amoribus atque amatoribus nihil ſatìs eſt. Spectavit Divinam hanc
Floruit Anno 1163. Scenam, ſtupendum dictu! quotidie B: PETRUS *Toloſanus*, in Clara-Valle Monachus, cui indies ſacrificanti viſæ ſunt ſpecies panis ſemper mutari in puerum ſpecioſiſsimum, qui ſub eô ſchemate nil aliud poſſet, aut vellet, niſì Petro ſuaviſsimè abblandiri.
Obiit Anno 1231. B: FULCO Vir Apoſtolicus ex Abbate Floreffienſi Archi-Epiſcopus Toloſanus in ſumptione Sacræ Evchariſtiæ miniſtram columbam habuit, eámque candidam, ut ſciret è Cœlo miſſam eſ-

ſe,

ſe, Candidorum patria; dum enim aliquando Præſul Sanctus Divina Sacrificii incruenti myſteria celebraret, & ante communionem in tãtæ rei magnitudine & dignitate deliciofiſſimâ comtemplatione aliquamdiu abſorptus hæreret, columba Sacratiſſimam eſcam roſtrô ex ara levatam in Sacrificantis os & labia immiſit. Vix alius dignior diviniſſimi Pignoris bajulus, quàm ſub columba latens DEUS ipſe. B: HUGO Monaſterii de Porta Cœli vulgò Tennenbacenſis apud Suevos ſanctiſſimus Monachus ſpectavit in Vigilia Pentecoſtes à DEO Evchariſtico Ciſtercienſibus impendi favorem, quem extra ultimam Cœnam, & Caſtellum Emautinum vix alibi ſpectaverit quiſpiam. Integerrimam noctem Sacerrimi Spiritûs hoſpitio, parvulæ ſcilicèt illi hominis parti (cordi) digniùs per preces & comtemplationes adornandæ deſtinaverat Hugo. Sub noctis igitur medium vidit Salvatorem deſcendentem ad Eccleſiæ aram, atque mox Sacerdotis fungentem munere, omnéſque è domo Tennenbacenſi Monachos & Converſos Sacratiſſimo Corporis ſui epulô reficientem. Sub divini convivii finem juſſit Salvator omnium Convivarum nomina candidô calculô per Angelum inſeri Libro Vitæ, ut deinceps noſſet Hugo, tot ſe habere Sanctorum Concives, quot Sanctos Confratres, quorum jam apud Cœlites hæreditas divinô eſſet præordinata imperiô, Angelicô conſignata miniſteriô. *Obiit Anno 1264.*

B: WILLELMUS Abbas Villarienſis apud Brabantinos Miſſam aliquando celebraturus interpellatus eſt à Miniſtro Monacho, adoleſcente pio & timorato, ut liceret ſibi ſub eo ſacrificio Evchariſticô epulô refici. Non diſplicebant Abbati Sancto vota Miniſtri; ſed quia illâ die per Ordinis leges nil ſtatutum de communione, monuit Fratrem de ſingularitate, ſvaſítque differre intempeſtivam pietatem, minùs utique probatam per Patrum decreta & conſvetudinem, *crede*, ait, *& manduca ſaltem ſpiritualiter, licèt non ſacramentaliter.* Obediit conſiliis, & fortè imperiis Patris Sancti Optimus Miniſter, omnéſque pectoris ſui Evchariſticos affectus, amoréſque in myſticam Divinæ Cœnæ ſumptionem quàm potuit, devotiſſimè adornavit. Frangebat jam in divinis myſteriis ex Canonis præſcripto hoſtiam ſacram in tres partes Willelmus, quarum tertiam ſacro cruori immiſit, reliquas duas reponens ſuper patenam: cùm ecce grandi prodigiô una ex illis *Floruit circa Annum 1230.*

duabus è patena deperditur, atque in Miniſtri os & labia Angelicô haud dubiè miniſteriô reponitur. Multa hìc ego obſervo: Miniſtri pietatem, & obediendi promptitudinem, coronatam utramque præſenti prodigiô: Abbatis ſanctum zelum, & cautelam in manutenendis Ordinis communibus ſtatutis: Atque DEI Evchariſtici inter Abbatem & Miniſtrum carnem & ſangvinem, id eſt, immenſos amores ſuos per portenta diſpenſantis. Heribertus Rosweydus Author inſignis in Epiſt. dedicat: invita D. Paulini Nolani prodigioſæ huic communioni hæc verba ſubſcribit: *Renovatur videlicèt in eremo* (Villarienſi) *vetus miraculum, quod Marco olim in eremo præſtitum.* Hæç & complura alia eximia erga Ciſtercienſes Numen Evchariſticum: & quis, quæſo, expectare quis petere majora audeat?

Miſcuit hos inter amores etiam Crucis dolores, dum in Cruce pendens in Ciſtercienſes ſe exhibuit propenſiſſimum Salvator Crucifixus. Venerabilis Vidua, ſimúlque poſt unius anni connubium intaminata Virgo ELISABETHA *de Wans* Ciſtercienſis Aquiriæ in Brabantia per annos tres continuos diu noctúq; Chriſtum è Cruce pendentem conſpexit; cúmque mundanis aliquando cogitationibus animus ejus pulſaretur, Salvator ſolutâ de Cruce dexterâ, oríque dilectæ admotâ motus importunos tranquillavit, ſuaviſſimô amoris incendiô à ſacratiſſimæ manûs contactu in pectus Sanctæ transfusô. *Vixit Anno 1224.* B: DANIELI Ciſtercienſi in Hemmenrode in triplici ſcenâ ſe Salvator ſpectabilem exhibuit: *Obiit Anno 1206.* primò quidem in Cruce, ſecundò in candidiſſimo amictu, tertiò in forma ignea, Sed intimior, frequentiórque Danieli cum CHRISTO è Cruce pendente familiaritas; à quo cùm ampliſſima ei oblata eſſet optio, peteret quidquid vellet, precibus amici conceſſurum ſe omnia, Vir pius donum lachrymarum lachrymis petiit, quod & mirabile per totum vitæ decurſum habuit. Alterum admirabilius ſpectaculum ſubjicit idem Hemenrodenſe Cœnobium in B: GEREONE Monacho, qui dum ſe inter dulces lachrymas & gemitus ad ſumptionem Evchariſtiæ præpararet, intimô doloris ſimúlque amoris ſenſu conſpexit Puerum JESUM Cruci affixum, è cujus vulneribus rivuli defluebant ſacratiſsimi cruoris in ſubjectum Calicem. *Videtur floruiſſe tempore Cæſarii Heiſterbac: id eſt, ante 4. ſæcula & amplius.* B: RODOLPHUS Converſus de Luka Ciſtercienſium in Saxonia Cœnobio, dum inter preces *Floruit Anno 1221.*

preces ſub diluculum ſolis ortum aliquando præſtolaretur, vidit inter Solis orientis ſplendores CHRISTUM Cruci ſuffixum; atque ut haberet tribulationũ ſocios cingebant latera Crucis quindecim religioſi Ciſtercienſes, omnes ex illa Congregatione de Luka, qui totidem affixi crucibus Solem ſuum Crucifixum quaſi radii pulcherrimô ambitu cingebant. Quos omnes Rodolphus ùt confratres cùm è facie dignoſceret, & ancipite cogitatione ſuſpenſus ruminaret, quidnam glorioſum hoc ſpectaculum portenderet, à CHRISTO edoctus eſt, ſingulos eô ordine, quô penderent, paucorum dierum intervallô è ſcala Crucis Cœli faſtigia conſcenſuros, futuros ſibi ſocios conſolationum, qui fuerant hìc ſocii paſsionum. B: ALQUIRINUS Ciſtercienſis in Clara-Valle ſciẽtiâ medica eximius, nauſeantis naturæ glorioſus victor, qui morbidorum ulcera ac ſaniem non ſecùs ac delicias ſuas tangere & oſculari ſolitus, in victoriæ mercedem à JESU Crucifixo ad amabiliſsima vulnerum ſuorum oſcula & amplexus fuit admiſſus. *Floruit Anno 1169.*

B: CONRADUS Converſus Heiſterbacenſis gravi ægritudine affectus, animôque planè deſolatô lectulo affixus Chriſtum Crucifixum habuit Conſolatorem, qui Conradum ad dolores magnô animô & forti tolerandos his verbis eſt adhortatus: *Conrade, vide, quanta propter te ſuſtinuerim.* *Floruit circa Annum 1217.*

B: GUNZELINUS Monachus in Clara-Valle Vir auſteritate vitæ, & animi demiſsione ſummus è cathera Crucis CHRISTUM habuit Pædagogum, qui plagis calidum adhuc recentémque ſtillantibus ſangvinem cruentus Gunzelinum docuit, non aliâ ad Cœlum perveniri viâ, niſì quam Ille olim ſangvineis ad Golgotham veſtigiis ſub pondere Crucis laſſus & gemens ſignâſſet. *Floruit circa Anno 1171.*

Monachi *de Fuſniaco*, quæ eſt Domus Ciſtercienſis in Gallia, cùm obortâ tempeſtate inter fulmina & turbines in Choro clamarent ad communem CiſtercienſiumMatrem, atque in Antiphona *Salve Regina*, quæ contra tempeſtates decantari ſolet, illa verba in genua provoluti affectuoſiſsimè modularentur: *Et JESUM Benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende!* Crucifixi ſimulachrum, quod inter Chorum Monachorum & Converſorum ſtabat medium, faciem, quam antea converſam habuit ad Converſos, convertit ad cantantes Monachos, oculóſque ſupra univerſam Congregationem ſuaviſsimè aperuit. Iraſci atque fulminare cœlum ampliùs non potuit, cùm Cœli Dominum tantô prodigiô placatum Fuſniaco vidit! *Circa Anno 1232.*

Sed nemo è Ciſtercienſibus inter Chriſti amores ac dolores plus meritus aut plus expertus, quàm B: IDA de *Lovanio*, Ciſtercienſis in Valle Roſarum, ac B: ELISABETHA *de Spalbeck* Ciſtercienſis in Parthenone Herkenrodenſi, Franciſci Seraphici geminæ æmulæ, ac Seraphica ſpecula, quot à Chriſto impreſſis ſibi vulnerum ſtigmatibus, tot Solibus orbe totô Illuſtriſſimæ Virgines.

Obiit Anno 1131. B: IDA inter perennes planctus & deliquia, Spinas & clavos, vulnera & mortem Dilecti profundiſſimè cordi ſuo inſculpſerat: Corpori duntaxat ſua deerant ſtigmata, quæ aliquando in amoris immenſi argumentum Salvator è Cruce manibus, pedibus, ac pectori Virginis præ amore langventis impreſſerat, remanentibus per omnem deinde vitam vulnerum veſtigiis, gemmarum inſtar pretiosô fulgore coruſcantibus. Pectoris præſertim vulnus tam erat amplum, ut inter reſpirandum halitus ex illo cordis ſpiraculo efflari notaretur. Sed neque abſque dolore hæc vulnera aut impreſſa aut ſervata ſunt. De vulnere pectoris Author vitæ ejus teſtatum deliquit, illud fuiſſe ſenſationis prorsùs tenerrimæ, ut contactu etiam leviſſimô in dolores recrudeſceret longè acerbiſſimos, animô Virginis in mediis cruciatibus exultante.

Floruit circa An. 1304. B: ELISABETHA receptum illud antiquitatis dogma: *Virtutis laus in actione conſiſtit*, novô vitæ genere penitùs in ſe invertit, dum tota Sanctæ Virginis vita & virtus aut paſſio fuit, aut cum patiente CHRISTO compaſſio. Septies indies per contemplationem intenſiſſimam Salvatori in Cruce compaſſa, ſepties ibidem langvente præ compaſſione animâ deliquium paſſa eſt, corpore interim ad vitæ functiones omninò immobili, hærente ſanè ad tot prodigia calamo, Virginem teneram toties quotidie potuiſſe pati, & non potuiſſe, non debuiſſe mori. Quoties anima Eliſabethæ per ſublimes ecſtaſes abiit à ſenſibus, toties evolavit in Crucem. Verùm toties prodigiosè reviviſcens, novô tandem miraculô facta eſt Virgo Sancta toti mundo ingens miraculum, dum Crucifixus Redemptor quinque vulnera ſua non animo modò ſed & corpori ejus impreſſit. Et nè tam prodigi, tam prodigioſi in Eliſabetham, univerſúmque Ciſtercium Divini amoris periret uſpiam memoria, vulnera ejus per omnem vitam manſerunt patula magnæ animæ, magníque amoris ſpiramina, ſingulis Sextis Feriis copiosô ſangvine redundantia: Aluit in his duabus Seraphicis Virginibus Seraphicum Ciſtercium Ma-

gno

gno illi Franciſco Aſſiſinati vel ſorores vel ſocias. Et quoniam Eccleſiæ in *Thereſia* accrevit nova *Mater Seraphica*, novam etiam in B: BEATRICE *Nazarethana* Ciſtercium Eccleſiæ genuit *Seraphicam Filiam*, quæ eximiis ſupra mortalium vota à Chriſto affectâ favoribus, tandem veluti altera Thereſia DEUM ſenſit mutatum in amabiliſſimum Cupidinem, quando ſenſibili viſibilíque ignitô telô ſagittarius ille cœleſtis cor Seraphicæ Sponſæ amantiſsimâ vi transverberavit. At neque hìc ſtetit Ciſtercienſium Felicitas. S: LUTGARDIS Aquiriæ in Brabantia, & Eccleſiæ univerſæ Sereniſsimum Sidus, in tam ſublimes Sponſi cœleſtis amores penetravit, ut juſſa ab eo quævis pro libitu petere, nil ſe tali Sponſæ aut velle aut poſſe denegare, auſu hactenùs inauditô Cor Ejus divinum cuperet ſibi donari. Merita forſan humanô judiciô reprehenſionem, qualem Phaëton apud Naſonem:

Floruit Anno 1235.

Obiit Anno 12[illegible].

> *Magna petis Phaëton, & quæ non viribus iſtis*
> *Munera conveniunt!*

Metamo. L. 2.

Sed divinus Sponſus erga Lutgardem ſuam profuſiſsimus, qui neſcit alium amandi modum, niſì amare ſinè modò, viſibili & mirabili prorsùs ſpectaculo Divinum cor ſuum Sponſæ donavit, reddente ſibi viciſsim mutuô munere cor ſuum Lutgarde. Ex eo momento Lutgardis nullum uſpiam in corde ſenſit motum, qui ſupra omnia hæc caduca ſolô DEO cœlóque non eſſet digniſsimus.

Atque ut ad amoris ſoliditatem adderet affectuum teneritudinem Incarnatus DEUS, induit in Ciſtercienſium gratiam novâ nativitate denuò infantilia membra tam Mirabilis quàm mutabilis DEUS erga Sanctos ſuos, Dilectos ſuos, amoris magiſteriô formas ſe mutans in omnes. Septennis Bernardus primitias favoris hujus in nocte Nativitatis Dominicæ inter animi liqueſcentis delicias è Ciſtercienſibus expertus eſt primus; dum namque in Divionenſi Eccleſia innocenti quiete oppreſſus caſtiſsimas palpebras in ſuaviſsimum ſomnum clauſiſſet, amabiliſsimam ſacratiſsimæ Geneſeos Scenam Bernardo ſuo Cœlum aperuit, qui clauſos quidem tenebat oculos carnales, animô tamen interim ad myſterii magnitudinem, & ad Diviniſsimi Puſionis in cunis vagientis amores excitatô ac vigili. B: CHRISTINÆ Ciſtercienſi in Monaſterio S. Walburgis propè Coloniam crebris

Floruit circa Anno 1160.

Cœli favoribus claræ Virginis teneros affectus Salvator aliter fa-
ſciare non voluit, niſi inter infantiles faſcias in præſepè reclina-
tus tener puellus, qualem ſe unà cum Divina Parente, ac Nutri-
tio Joſepho Sponſus Virginum ſpectabilem exhibuit corporeis
[*Floruit circa An. 1228.*] Chriſtinæ Virgineæ Sponſæ ſuæ obtutibus. B: ABUNDUS Ci-
ſtercienſis Villarii in Brabantia poſtquàm Salvatorem ſæpè in
throno Majeſtatis inter Angelorum cuneos fuiſſet contempla-
tus, tandem vidit eandem Majeſtatem inclinantem cœlos & de-
ſcendentẽ, ac ſub ſpecioſiſſimi Pueri forma *Abundum* ſuum abun-
dè conſolantem. B: CLEMENS Monachus in Clara-Valle
[*Videtur floruiſſe Primò Ordinis ſæculo.*] cum infernalibus larvis quaſi alter Antonius certare ſolitus, ac de
illis triumphare eſt aſſvetus. Induit in triumphi augmentum
Salvator amabiliſſimum puellum, atque dulciſsimô hôc ſpecta-
culô oculis Clementis horrore larvarum territis omnem mœſti-
[*Obiit Anno 1577.*] tiam abſterſit. B: MARIA *de Satillon* Ciſtercienſis in Monaſterio
Bello-pratenſi delicias ſuas cum CHRISTO ſub amabilis puelli
ſpecie continuò præſente nuſquam interrupit, cujus perſæpè
pedibus advoluta incomprehenſibilem Majeſtatem in tam tenui-
bus membris latentem profundiſsimè adoravit. B: RICH-
[*Floruit circa Anno 1219.*] MUNDA Ciſtercienſis in Monte S. Walburgis, inter inſig-
nes, quibus nobilitata fuit, revelationes, amoris magnetiſmo Re-
gem gloriæ in cunarum anguſtias, & faſciarum captivitatem cœ-
lo detraxit, quem oculis præ ſolatio inter lachrymas natantibus
intuita audiit cœleſtem vocem: *Hic eſt Filius meus dilectus.* B: DO-
MINICUS Monachus Ciſtercienſis Cœnobii *Nucalenſis* in Hi-
ſpania à tenerrimis in Puerum JESUM amoribus totâ Hiſpaniâ
celeberrimus, quidquid à choro ſupererat, cellulæ ſuæ incluſus
coram JEſuli imagine, quæ ſola erat & opulenta Dominici ſup-
pellex, inter mille animi delicias ſuaviſsimè exegit. Non paſſus
eſt parvus Puſio magnitudine amoris ſe vinci, immenſa Cœlo-
rum ſpatia & Cœlitum gaudia Dominico in theatrum aperiens,
atque pro jucundiſsimi ſpectaculi coronide eundem ad amabi-
les ſui amplexus admittens. Pulcherrimâ exinde nuncupatio-
ne ab univerſa Congregatione Hiſpanica dictus eſt *Dominicus à*
[*Obiit Anno 1613.*] *Puero JESU.* B: AMBROSIO Ferrarienſi per Regna Galleriæ, Le-
gionis & Caſtellæ Ciſtercienſis Congregationis in Hiſpania Ge-
nerali Reformatori gravi aliquando corporis invaletudine lan-
gventi ſpectaculum Puer JESUS exhibuit totô Ciſterciô, quin
imò

imò totô Orbe digniſſimum, dum ſcilicèt amabiliſſimus Puerulus in candidiſſima Ciſtercienſium cuculla Viro Sanćto ſpećtabilis, publicè ſanćtéque eô amićtu profeſſus eſt, ſe eſſe erga Ciſtercienſes non modò candidi pećtoris, ſed etiam de larga manica. Quod experimentô didicit Ambroſius, cui perditæ per morbum vires unicâ in candida Ciſtercienſium tunica ſeſe viſitantis tam albicantis hoſpitis largâ liberalíque manu pleniſſimè ſunt refuſæ. B: ARNULPHUS Converſus Villarienſis in Belgio, quem *Tit:* 6. laudavimus, à Divina Puerpera aliquando viſitatus, juſſus eſt fungi Simeonis vice, cùm ſcilicèt Alma Parens ſuaviſſimum Puſionem, quem materna tenebat inter brachia, in ulnas Arnulphi reclinavit, baſiorúmque atque amplexuum ſacras illecebras indulſit clienti, quæ alioquin ſoli Matri licerent. Vix dulce & Divinum onus Arnulphi brachiis implicuerat Mater dulciſſima, cùm Vir Sanćtus amoris pondus & voluptatis caſtiſſimæ magnitudinem non ferens ad præſentem atque expećtantem Virginem audaćter hæc: *Tolle!* ajebat, *ô Domina, tolle à me hoc gaudium! ſufficit mihi in hac vita ipſius gratia, hæc quæ Tu Mater in Filio indulges, in alteram reſervemus. Quid enim deinceps paterer, cùm hujus inundatio gaudii pellat à me omnem ſenſum doloris?* Rara virtus, ſolas hic amare cruces & ſpinas, & non aliquando etiam ſubnaſcentia ultro è ſpinis roſeta amplecti. Hæc Ciſtercienſibus ſuis parvulus puer JEſus

Obiit Anno 1228.

Mutatâ ſubinde ſcenâ egeni perſonam induit, atque vili amićtus centone Rex gloriæ à S: ROBERTO Ciſtercienſi Neo-Monaſterii in Anglia Abbate hoſpitiô exceptus eſt: nè poſſet deinceps conqueri Joannes dilećtus: *Et ſui eum non receperunt.* Quid enim CHRISTO tam ſuum, quàm Ciſtercium? & quid tandem aliud Ciſtercium univerſum, niſi Salvatoris ex aſtris in terram deſcendentis frequens, dulcéque diverſorium? Senſit Robertus, neſcio quô animi præſagiô peregrinum domi ſuæ commorari Numen, quare humillimô obſequiô ſe ad pedes Ejus demiſit, eóſq; & undis abluit, & oſculis preſſit. Gratus è cœlo Hoſpes rependit Ciſtercio vices. Pugnant ſcilicèt amantes mutuis favoribus, & amantium prælia ſunt mutua ad invicem beneficia. Obſtupuit aliquando Petrus à Domino ſibi lavari pedes. Hæc eadem ſcena repetita eſt cum totius Orbis admiratione in B: GODEFRIDO Ciſtercienſi Viro Sanćtiſſimo, Sacriſta Villarii in Bra-

Obiit Anno 1159.

Floruit circa Anno 1261.

bantia, ubi hodiedum in veneratione habetur locus, ubi Salvator *Paſchæ typum Cultori ſuo exhibuit, & ùt olim Divo Petro, ità Godefrido miniſtras pedibus aquas præbuit.* Pauculis his verbis rem grandem complexus eſt Scriptor celeberrimus *Heribertus Rosweydus*, Chronicô interim Villarienſi prodigium hoc fuſiùs expendente. Summus utique amor! qui DEUM Ciſtercio ſuo in Beatiſsimo hoc Viro ad pedes uſque inclinavit! Sacratiſsimas illas, & mille baſiis adorandas manus, quas Salvator lavandis Godefridi pedibus benigniſsimè extendit. B: HONORATUS Converſus in Clara-Valle juſſus à CHRISTO oſculari, inter pia oſcula intellexit ſe brevì è corpore ad beatam immortalitatem exceſſurum. Non poſſum me tam citò explicare è diviniſsimis his manibus, in Ciſtercii non ſola duntaxat beneficia, ſed inſuper obſequia ſemel iterúmque extenſis. B: FULCARDUS in Clara-Valle ſub Bernardo Parente Sanctus Converſus colendo agro & ruri deſtinatus, dum aliquando improbô labore mittendo ſemini terram aratrô præpararet, habuit Salvatorem laboris ſocium, & in regendo aratro fidum Coadjutorem. Non poteſt eſſe Ciſtercienſium œconomia minùs proſpera quam DEUS Optimus non modò plantat & rigat, ſed inſuper ei incrementum, atque quod ampliùs, quod hactenùs vix auditum, obſequium & adjutorium ipſe manibus propriis præſtat. Divertat quæſo mecum Lector, ex agro in culinam, ab œconomia extrinſeca ſeu rurali ad domeſticam, & videbit in Monaſterio *de Hovenes* apud Germanos B: GUDAM Sororem Converſam eâdem JESU ſocietate jam ante annos quingentos, & quod excurrit, in ipſis culinæ Sordibus felicem. Injunctæ erant Gudæ res & curæ culinares, quas ſic tractabat, ut ſimul in una Guda & Hovenenſes ſuam Martham, & Salvator Cœlitéſque ſuam haberent Mariam. In eo tamen Guda multò felicior Marthâ fuit, quòd illa adjutricem ſororem Magdalenam petierit, neque tamen obtinuerit; Guda verò non Sororem aliquam, ſed Dominum Majeſtatis ultrò Coadjutorem habuerit, quem nè quidem auſa ſolicitare in abjecti miniſterii ſocietatem ſub forma pueri duodennis in culinæ miniſterio ſibi familiariùs velutì Sponſæ, amicæ, ſociæ confabulantem, & ſacras illas manus in culinaria obſequia extendentem frequenter vidit & experta eſt. Vix credo (è Divi Benedicti Regula, ubi *Coadjutores* vocantur *ſolatia*) ullum unquam ex omnibus Ciſtercienſium Officiali-

In Epiſt. dedicat: Vitæ S. Paulini Nolani.

Floruit circa Ann. 1135.

Floruit circa Ann. 1140.

Floruit circa Ann. 1180.

cialibus Miniſtris majus dulciúsque in munere ſuo habuiſſe ſolatium, quàm *Optimam* hanc *Gudam.* Et quis Regum, amabò, cibos unquam guſtaverit, quos DEUS ipſe aut coxerit, aut condierit? Scilicèt in Solo Ciſtercio divinæ hæ lautitiæ, quæ Regiorum Conviviorum luxum longiſſimè exſuperant, ſpectandæ ſunt.

Tot ac tantos Ciſtercienſibus ſuis liberaliſſimè impenſos favores coronavit tandem benigniſſimus Salvator novis gratiis, cùm in ultima lucta, ſeu etiam antecedenter ad illam quosdam è noſtris & ſuâ præſentiâ, & cœleſtis gloriæ præoſtenſione dulciſſimè conſolatus, alios omnes docuit, ſub tam fida Redemptoris ſui aſſiſtentia mortem non formidare. B: ALARDO Ciſtercienſi in Luka apud Saxones CHRISTUS factus eſt imminentis mortis fidelis præmonitor, & ejusdem à corpore ſoluti inter Angelorum catervas individuus viæ ad Patriam dux ac comes. B: REMBERTO Villarienſi Converſo, ut fatalem mortis ictum ſecurus expectaret, ac lætus exciperet, paucis ante obitum diebus CHRISTUS comitante gloriosâ Virgine prædeſtinatum in Cœlis locum prædeſignavit. B: IGNATIUS Ciſtercienſis Moreroïæ in Hiſpania poſteaquam jam ſemel defunctus magnô prodigiô reviviſcens vultu ſplendidô atq; eloquiô ſuper mel & favum dulci ſuam & Ciſtercienſium ſuorum ineffabilem in Cœlis gloriam Fratribus revelâſſet, CHRISTO, Virgine DEIparâ, Divis Patribus Benedictô & Bernardô latera ſuaviſſimè denuò obeuntis, & ad ſidera abeuntis inter copioſam Beatorum Spirituum frequentiam viſibiliter ſtipantibus præordinatum ſibi apud Superos locum glorioſus conſcendit. B: EMEBERTUS Ciſtercienſis in Clara-Valle acutis ac diutinis morbis penè confectus Salvatorem habuit ſuaviſſimum Conſolatorem, à quo ad magnorum dolorum copioſam mercedem blandè evocatus præeuntem in ſublime è carne abiens inſecutus eſt. B: ROBERTUS Converſus in Cœnobio Fontis Mauriniaci, quinque ante felicem ſuum exceſſum diebus in hortum amœniſſimum deductus à Salvatore, Virgine Matre, ac Divo Bernardo inaudiit, ſe floridiſsimo immarceſsibilis gloriæ ſertô tot ſuaviſsimis floribus, quot præclariſsimis virtutibus à ſe contextô mox fore coronandum. B: GABRIELI Ciſtercienſi in Monaſterio Nucalenſi Novitio agoni jam proximo Salvator ſpinis coronatus & plagis cruentus (ut nempe meminiſ-

Obiit Anno 1216.

Floruit circa Annum 1250.

Floruit Anno 1556.

Obiit circa Ann. 1190.

Obiit Anno 1169.

Obiit Anno 1620.

miniſſet Vir Sanctus, ſe è ſpinis & crucibus transferendum ad
Vixit circa Ann. 1200. roſas & Coronas) viam ad Cœlum adornavit. B: THEODARDUS Ciſtercienſis *Cara-Silvæ* in Dania è Choro terreſtrium abiturus ad Choros Angelorum Cœleſtium, ad DEI laudes ſinè fine in cœlo dicendas Invitatorem habuit Chriſtum, qui in ſplendido
Floruit Anno 1300. cœlitum comitatu novum concivem ad ſuperna deduxit. B: HOSTRADUS in Gallia Abbas triduô ante felicem migrationem cùm in Refectorio menſæ accumberet, vidit Divinam Parentem, è cujus collo pendebat parvulus Salvator, per Refectorium ad ſe accedentem. Hæſit Vir Sanctus aliquamdiu in utriuſque vultûs ſuaviſsima Majeſtate, tandem (quæ erat Viri pia ſimplicitas) arbitratus Divinos hos Hoſpites non gratìs ſub id refectionis tempus ad ſe veniſſe, invitari haud dubiè ſe velle, & convivas agere, quare tenerrimè blanditus amantiſsimo Puſioni, partem ei cibi inter dulces blanditias obtulit, juſsítque parvulum ſecum prandere: *Comede, comede*, ajebat, *pulcherrime infans!* Subriſit Puſio, atque in gratæ invitationis viciſsitudinem Hoſtradum in Cœlum ad meliores lautitias his verbis invitavit: *Non ego tuis cibis indigeo, ſed potiùs ego te ad meas epulas invito: & poſt tres dies ſedebis ſuper menſam meam in regno meo, ut ſatieris, cùm apparuerit gloria mea.* Quibus dictis momentô diſparuit cum Matre parvulus, quos ille poſt tri-
Obiit Anno 1227 duum ſecutus eſt ſuaviſsimô fatô conſummatus. B: IVETA inter Ciſtercienſes Belgas illuſtris fœmina laudata uberiùs titulô ſuperiore, annô integrô ante corporis reſolutionem per viſum à Diva pœnitente Magdala ad ſacratiſsimos Salvatoris pedes deducta eſt, quos cùm ijsdem fontibus & undis rigaret, quibus olim Sancta Hieroſolymarum Peccatrix, non aliâ voce, aut verbis â Diviniſsimo Pœnitentiario abſoluta fuit, quàm olim in domo Simonis leproſi laudata Magdala, *dimiſſa*, ſcilicèt *ſibi eſſe peccata ſua, quoniam dilexiſſet multum.* Quidni poſt tam amplam criminum abſolutionem Iveta expectârit, habuerítque feliciſsimam corporis reſolutionem?

Ivetâ à peccatorum & carnis vinculis ſolutâ, abſolutâ, reſolutâ neque ego ulteriùs hærere audeo in hoc titulo, non quia ſanctâ tituli epigraphe minùs fortè cuperem teneri, qui in hac ſcena & vellem & poſſem eſſe per Ciſtercii Annales propè infinitus, ſed quia exiſtimo, Lectorem tam Thomam aut incredulum non eſſe
qui

qui pluribus perſuaderi & urgeri debeat, ut credat Ciſtercienſes eſſe Jeſuitas.

PEtis à me mi curioſe Lector,
An ſit *ità*
Quòd aliquando in *mea vita*
Fuerim *Jeſuita?*
Reſpondeo tibi quòd *ſit ità*,
Cœpi namq; eſſe *Jeſuita*, cùm cœpi eſſe *Bernardita*,
Et qualis *olim cœpi*,
Talis *modò ſum*,
Talis *deinceps ero*,
Totâ mea vitâ
Ciſtercienſis Jeſuita.
Non *capis*, quod ego jam pridem eſſe *cœpi*?
Ciſtercium & *Societas*
Sunt duæ *Familiæ*
JESU Sociæ, *MARIÆ Filiæ.*
Si una Mundi ætas tuliſſet
Bernardum & *Ignatium*
Ambo ſibi non modò fuiſſent *Socii*,
Sed quod ampliùs, à MARIÆ ubere *Collactanei*,
à JESU vulnere *Conſangvinei*
Verbô *Fratres.*
Mea vita!
Ergo *Bernardus* fuit *Jeſuita?*
Tu dicis, & *eſt ità!*
Tota *Bernardi vita* fuit *JESU vita:*
Eadem utrique in *Matre ubera*
Eadem *Crux inter brachia*,
Eadem *ſupra dorſum flagella*,
Idem penè *ſangvis* & *amor inter præcordia!*
Sis tu nunc mi Lector nobis *Athanaſius*,
Et dic, infer, conclude,

 Qua-

Qualis Pater, talis Filius.
Omnes *Bernardi* Filii ſunt *JESU Socii*,
Et in rhythmo,
Omnes *Bernarditæ* ſunt *Jeſuitæ.*
Sed *quomodo fiet iſtud*,
Ut *Bernarditæ* in *Choris albi*,
Et *Jeſuitæ* in *Scholis nigri*
Nunc *bene conveniant*,
Et in *una Sede*, nomine, titulo, affectu *morentur?*
Utique (ſic enim ex aliorum mente loquor)
Jeſuitæ in *nigro congregativi*,
Bernarditæ *in albo disgregativi*,
Vix poterunt in bona & *religioſa Philoſophia*
Eſſe *Congregatio*, Familia, Societas *una*?
Ità quidem illi,
Qui non *Congregare* vellent, ſed *disgregare*
Ciſtercienſes & *Jeſuitas.*
At ſola eſt hæc *colorum pugna*, non rerum, non affectuum:
Non pugnant inter ſe *Bernarditæ* & *Jeſuitæ*,
Sed Bernarditarum color & Jeſuitarum color,
Ille albus, hic niger:
Neque iſta *colorum prælia* evincent unquam,
Ciſtercienſes non eſſe Jeſuitas.
Novi ego ex Divi Benedicti regula *Ciſtercienſes* meos,
Reg. S Be-ned. c. 55. Qui nîl *cauſantur* de *colore.*
Albi ſint, nigri ſint, nîl intereſt,
Modò Jeſuitæ ſint, & ſufficit.
Quaſi verò repugnaret, *Bernarditas* dicere *Jeſuitas albos*
Et *Ignatianos Jeſuitas nigros?*
Si Superi in illa pacis viſione
Non minùs *Simones Nigros* patiantur, quàm *Candidos* & *Albericos*,
Quidni & ferat *JESU Societas*
Jeſuitas in *Bernardi Filiis albos*
In *Ignatii Sociis nigros?*
Eſt tamen (*candidè* ego *Candidus Jeſuita* fateor)
Inter Ciſtercium & Societatem
Non modò *colorum pugna*, ſed & humorum.
Ciſtercienſes nati *è Ciſternis* vehunt ſecum *aquas*,

Jeſui-

Jeſuitæ prognati ab *Ignatio* trahunt ſecum *ignes:*
Quis ſinè præliis componere audeat
Aquas & *Ignes?*
Sed nè timeas maria & ignes
Mi Lector!
Etiam ſua ſunt *aquis* & *flammis pax* & *fœdera.*
Idem Dominus
Apud Vatem Regium *ſuper aquas multas,* Pſalm. 28.
Apud Moyſen Ægyptium *in flamma ignis.* Exod. 3.
Idem Spiritus
In Mundi primordiis *ſuper aquas,* Geneſ. 1.
In Eccleſiæ exordiis *in lingvis & flammis.* Actuum. 2.
In eodem Cœlo
Et *ſidera, & faces, & ignes,*
Et *Torrens voluptatis,* & *Fons,* & *aqua ſalientis in vitas,*
Et in *albos* & *nigros Jeſuitas.*
Ijdem Cœlites
Transvecti *per ignem* Pſalm. 65.
Transvecti *per aquam*
Educti *in refrigerium.*
Idem baptiſmus
Apud Matthæum in *Spiritu ſancto & igni,* Cap. 3.
Apud Joannem in *Spiritu Sancto & aqua.* Cap. 3.
Baptizetur ergo unusquisque veſtrûm, Actuum. 2.
Unusquisque *noſtrûm!*
Sive è *Ciſtercii Fontibus,*
Sive ex *Ignatii Ignibus,*
Atque dicatur eô nomine, quô fortè illi,
Qui *tantùm* erant *baptizati in Nomine Domini Jeſu* Actuum. 8.
JESUita!
Et nunquid etiam hodie pyrotechnicæ artis ingeniô
Ad oculi & animi delicias
Ignes ludunt in undis?
Non eſt igitur, mi Lector, quòd timeas
Inter *Ciſtercii undas, & Ignatii flammas*
Bella & pugnas,
Nisì fortè *amantium prælia* ſint,
Qualia nuper ſpectavi in D. Ignatii panegyri,

Cui præfixum Thema:
Amantium Prælia!
Jungatur itaque *Bernardus Ignatio*,
Non modò in uno *Excellentiſſimo Martinicio*
Nuper Supremo Regni Bohemiæ Burgravio,
Qui pulcherrimâ nominũ confœderatione dictus
Bernardus Ignatius
Huic noſtro *titulo*, & novo *baptiſmo*
Bonô *nomine*, bonô *omine*
Felicisſimè prælusit
Illuſtriſſimus & *Excellentiſſimus*
Ciſtercienſis-Ieſuita.
Gemina hæc *Bernardi* & *Ignatii* Nomina
Sint tibi, mi Lector, pro idea:
Inſpice & *dic*,
Si Bernardi & Ignatii *cliens es*,
Inſpice & *fac*,
Si Bernardi & Ignatii *Filius es*,
Ut omnis *Bernardita* ſit ſemper idem, quod *Ieſuita.*
Non poſſum *aliter*, ſed debeo *loqui ità*,
Doctus per illa è *Metaphyſicis principia:*
Eadem uni Tertio, eadem inter ſe!
Et quidni etiam,
Unita uni tertio, unita inter ſe!
Divina Nomina, divina Chariſmata
Junxêre Bernardum & Ignatium
Uni Tertio
In *Divinis inter Patrem & Spiritum*,
In *humanis* inter *Societatem & Ciſtercium*
JESU Medio:
Et quis ſacrilegũ divortiũ inter eos tentare audeat,
Quos DEUS in Nomine ſuo conjunxit,
Et unos voluit *dici* & *eſſe*,
Alteros *eſſe* & *dici*,
JESUITAS?
JESUS
Vocans, invitans, trahens
Bernardum & *Richmundam* ad ſuas *cunas*,

Domi-

Dominicum & *Idam* ad *baſia*,
Guidonem & *Aleydem* ad *amplexus*,
Danielem & *Eliſabetham* ad *Crucem*,
Alquirinum & *Idam* ad *vulnera*,
Gerekinum & *Briolayam* ad *ſpectacula Evchariſtica*,
Godefridum ad *pedum lavacra*,
Et alios iterúmque alios ad mille beneficia,
Non potuit hos omnes *Ciſtercienſes*
Non facere *Ieſuitas.*
Igitur *Bernardi* & *Ignatii alumni*, *ſocii*, *filii*,
Tam Divinô glutinô, Trinitatis Mediô uniti
Sint maneántque
Sibi, *DEO*, *Mundo*
JESUITÆ!
Si vidiſſet olim Dominus Guerricus Abbas de Igniaco ſimul
Hos *novos*, hos *antiquos*
Fratres Ieſuitas,
De utrisque pronuntiâſſet,
Quod ille aliquando de Divina æternitate
Antiqua Novitas! & nova Antiquitas! Serm. 1. de Nat. Dom.
Cape myſterium!
Nomen JESUitæ
In *Societate* eſt *nova Antiquitas!*
In Ciſtercio eſt antiqua novitas,
His Magni Abbatis verbis parvulum plauſum addo,
Et felicem *utramque Familiam* pronuntio,
Quòd poſſit *de theſauro ſuo proferre* Matth. 13.
Nova & Vetera!
Atque etiam mihi gratulor,
Quòd nunc in *Ciſtercio*, *in Oſſeco Bernardita*,
Sim ſive *vetus* ſive *novus* *IESUita!*

TITULUS IX.
CISTERCIENSES MARIANI.



NEque ſanctius, neque dulcius de Magna Ciſtercienſium Domina quidpiam ſcribere potero, quàm ſi calamum in lactis ſtillicidia, quæ à Virgineo MARIÆ ubere in Bernardi labia defluxerunt, immerſero, & paucula indè verba quaſi divina mella extraxero. Scribit ille in *Sermone 2. de Virgine* DEIpara: *Tolle corpus hoc ſola-*

ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle MARIAM hanc maris ſtellam, quid niſi caligo involvens? Non foret ſanè pulcherrimâ Bernardi allegoriâ Ciſtercium Cœlum tam illuſtre ſinè Muliere amicta ſole, neque Mare tam fœcundum atque exuberans ſinè MARIA Maris hujus feliciſſima ſtella. Melleum & cedrô dignum Bernardi de DEO & Ciſtercienſibus ſuis acroama eſt: *Totum nos habere voluit per MARIAM.* Naſcentis Ciſtercii prima incunabula MARIÆ auſpiciis cœpêre. Deſponſavit ſibi glorioſa Virgo D: ROBERTUM Ciſtercienſium glorioſum Fundatorem adhucdum in maternis Emergardis viſceribus hærentem in nocturna viſione annulô aureô, alterum utique in Roberto olim habitura Joſephum, qui novæ prolis tot præſagiis, tot prodigiis, tot virtutibus per Orbem univerſum illuſtriſſimæ aut Nutritius foret, aut ex tam fœcunda Numinis Ciſterciíque Parente rectiùs tantâ filiorum ſerie feliciſſimus Pater. Prima, & ſi plauſum ſpectes, maxima Ciſtercienſium gloria, quòd Ordo iſte noſter inter omnes omninò in partibus Occidentalibus primus ſit, qui ſub Marianis vexillis, atque immortali Virginis tutela olim ſurrexerit, hodiéque ſtet, floreat: Hinc præter nomen, quod in Divina Parente reſpectu ſuorum Ciſtercienſium eſt ſuper omne nomen, quòd nempe ijdem poſt lactatum Bernardum MARIAM MATREM compellare poſſint & audeant, eandem Ordinis univerſi *Patronam, Dominam, Protectricem, & Advocatam* perenni & juratô cultu devenerantur. Alter Ciſtercii Abbas S: ALBERICUS propriô *Obiit Anno 1109.* experimentô didicit, ſe unà cum Ciſtercio ſuo Magnæ Matris eſſe albicantem, dum quintâ Auguſti in Divinis laudibus cum Choro pſallentium Fratrum conſtituto ſole clarior Cœli Regina candidiſsimam Cucullam è Cœlo attulit, & ut gratius donum eſſet, ſtupentis humeris manibus ipſa propriis amanter injecit. Summô mox prodigiô omnium in Choro præſentium cucullæ è nigris mutatæ ſunt in albas, quales hodiedum in perennem tantæ rei memoriam portant Ciſtercienſes noſtri. D: STEPHANO ter- *Obiit Anno 1134.* tio Ciſtercii Abbati, & Ordinis jam creſcentis primo Generali, dum in agro cum meſſoribus ſpicas colligeret, DEIpara album cingulum obtulit, quô Scapulare circumligaret, nè in laboris impedimentum moleſtè deflueret. Sub hoc Viro Sancto Ciſtercienſi Familiæ acceſsit Eximius Virginis Cultor & cliens BERNARDUS, ſolus ille, ſi deficerent alii, ſuô ſtylô ſuô melle, ſuô la- *Obiit Anno 1153.*

cte aut facturus, aut conſervaturus Ciſtercium ex integro Marianum. Lacteus profectò ille liquor, quem Cœlitum Auguſta Imperatrix in Eccleſia S. Beroli Caſtri Caſtellionis ſuper Sequanam in Gallia è mammilla in os Bernardi deſtillavit, in filiorum animis in æternum non exſiccabitur, qui Bernardum ſuum inauditô fortè ab omnibus retrò ſæculis privilegiô JESU Filii DEI collactaneum divinô prorsùs elogiô dicent, coléntque. Et nè cum dilecta in Epithalamio aut queri poſſet, aut quærere: *quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te ſolum foris, & deoſculer te?* dulciſſima Mater diviniſſimum Puſionem Cœlitum hominúmque delicias inter Bernardi ſui brachia non infrequenter repoſuit, cujus ille tanquam fratris amabiliſſima labia eôdem quô ſua lacte madentia oſculatus, ab ejus amplexibus vix potuit avelli. Neque voluit Virgo Mater domeſticos inter parietes latere amores ſuos, quibus in Bernardum fuerat propenſiſſima, ſed Spiræ velutì in Imperiali Germaniæ theatro Bernardum pro tunc Nuncii Apoſtolici munere fungentem, dum in magna Principum, vulgíque frequentia in Eccleſia Cathedrali ſe in effigie ſua ter profundè genuflexus pientiſſimè ſalutâſſet, *Salve Regina!* audita eſt ab omni populo adventantem gratiſſimum hoſpitem ſuum ſuaviſſimè reſalutare: *Salve Bernarde!* Perſtitit Spiræ uſque ad nuperas Mavortias tempeſtates hæc eadem ſtatua prodigiis & cultu fidelium celeberrima, nobile & immortale Mariani in Bernardum amoris monimentum; An verò perſtet hodie inſigne hoc Divinæ Parentis Palladium, per Urbis excidium, ruinas, buſta, dubitare jubeor. Affligemii in Belgio repetita eſt hæc ipſiſſima Scena, reſalutante itidem humaniſſimâ Virgine è ſtatua Bernardum ſuum inter ſalutationis Angelicæ obſequia in genua devotiſſimè prolapſum.

Cantic. 8.

Fecit ſanè Bernardus eximiâ ſuâ in Virginem pietate eandem Ciſtercio penè domeſticam, utriſque egregiè inter ſe certantibus, Virgine gratiis ac favoribus, clientibus cultu & affectu. Nunc quaſi in quadam breviuſcula congerie beneficia DEIparæ recitabimus. B: JOANNEM *de Iardin* Villarii in Brabantia B: GUILLELMUM Olivetani Monaſterii Fundatorem in Hannonia, B: SIFRIDUM Heiſterbaci in Germania, B: MARGARETHAM in Valle Roſarum propè Mechliniam, B: JACOBUM in Monaſterio

Ferè omnes ante annos propè quingentos floruêre, exceptâ B. Margarethâ, quæ obiit annô hujus

ſterio S. Galgani in Tuſcia, B: CHRISTIANUM in Monaſterio de Eleemoſyna in Gallia, B: GEREONEM in Monaſterio Hemmenrodenſi apud Treviros, alióſque peramanter ac ſæpè per tam diverſa Orbis climata maternâ prorsùs ſolicitudine corporaliter viſitavit, nè ſcilicèt quid abſente Matre turbaretur domi. Et ut creſceret ſolatii magnitudo, familiari colloquiô ſingulos conſolata univerſis audaciam addidit, ut piâ fiduciâ ad Matrem confugerent, quæ etiam non expectata ſuis adeſſet. *ſæculi decimô octavô.*

Invidit novis filiis Optimam hanc Parentem antiquus ſerpens, quare eos tum per inſidias, tum vi apertâ aggreſſus eſt; ſed novis pro Ciſtercienſium ſalute victoriis contrivit Virgo glorioſa caput Inſidiatoris. Pauculos ex numeroſa ſerie triumphos hìc ſpectabimus. B: PETRUM Alphonſi Regis Luſitanorum fratrem Ciſtercienſem in Alcobacia fœdus dæmon ſpiritu luxuriæ acerrimè, & quia armis domeſticis, periculoſiſſimè oppugnaverat. Datura vires ac victoriam Virgo Mater luctanti Petro mox adſtitit, impreſsóque fronti ejus Crucis ſignô, unicô ictu impudentiſſimum hoſtem proſtravit. B: WERNERUS *Junior*, Ciſtercienſis Heiſterbaci, pientiſſimus per omnem vitam Magnæ Matris Cultor, dum in mortuali lectulo infeſtam dæmonum catervam impetu in ſe ruere anxius conſpiceret, Mariæ nomen, velutì Divinam contra hoſtes teſſeram inclamavit. Adfuit momentô quaſi ex pacto vocanti clienti terribilis illa ùt caſtrorum acies ordinata, tantâque vi turpes larvas præcipitavit, ut Vir Sanctus in jucundiſsimum riſum ſolutus Victis dæmonibus occlamaret: *Modò jacete vos ibi, modò jacete vos ibi!* B: CLEMENS *Gimenez* Ciſtercienſis Vallis Paradiſi in Hiſpania ſimili agone ante mortem cum inferni monſtris decertans adjutricem habuit Mariam plurimô decoram fulgore, à qua infelices tenebriones in fugam acti ſunt, acclamante interim Virô piô pulcherrimæ victoriæ: *Vicimus vicimus Fratres! Fuſus eſt, fugatúſque eſt!* B: EUPHEMIA in Parthenone Hovenenſi apud Flandros ſacrata DEO Virgo, à teneris plurimùm per Dæmones tentata atque afflicta, tum denique ſenſit vel maximè irritatos teterrimos hoſtes, cùm candidam Ciſtercienſium cucullam eſſet aſſumptura. Per larvarum igitur terriculamenta inſani geſticulatores pertinaciter agitavêre firma teneræ Virginis propoſita; ſed præter larvas & terrores effe- *Obiit Anno 1165.* *Obiit circa Ann. 1219.* *Obiit Anno 1584.* *Floruit Anno 1219.*

ctum nihil, Euphemiâ ſemper infernum triumphante. Tandem cùm inhumanior Dæmon ſub larva Senis abſconditus Virginem jamjam eſſet daturus è feneſtra præcipitem, illa hoſti & diſcrimini ſeſe ereptura Mariam vitæ, virginitatis, propoſiti ſui amantiſsimam Præſidem inclamat, cujus ſolô nomine Veterator in fugam actus novô præcipitiô in orcum abjectus, pœnã quam inferre Euphemiæ voluit, ipſe novô nomine, novô jure per MARIAM luit. B: MARTINUS Ciſtercienſis Novitius in Monaſterio *Vallis Eccleſiarum* apud Hiſpanos, adversùs omnes Dæmonum inſultus, & ingeſtas menti carnis illecebras animum invictum ijs triumphis egregiè laceſsivit obſcœnos hoſtes, qui deſperatis victoriis, quas de caſtiſsimi Viri mente expectaverant, deinceps in Martini corpus partem ſcilicèt infirmiorem tantâ immanitate ſævierunt, ut flagris, pugnis, plagis lividus ſæpè ſæpiùs penè exanimis à Magiſtro Novitiorum fuerit repertus. Non deſeruit Martinum ſuum afflictorum Mater, ſed aliquando à dæmonibus tantùm non ſuffocato glorioſa adfuit, ſuaviſsimô Puſione inter Virginis ubera hærente: quô ſpectaculô fugati ſunt hoſtes, & Martinus mille inter vulnera cruentus glorioſiſsimus Victor Virginem audiit de tot victoriis amantiſsimè ſibi gratulantem, quam ille, cùm enormes plagæ à furiis infernalibus ſibi inflictæ in vitalia ſerperent, ſolutus paulò pòſt corporis ergaſtulô in aſtra præeuntem ſubſecutus eſt laureandus Victor.

Floruit Anno 1589.

Hæreſis, (Europæ plaga nulla ſatìs lachrymâ deploranda) experta eſt pariter, Mariam ſcutum eſſe, quô tegatur protegatúrque Ciſtercium; Nam dum Anno 1581. Sexcenti milites Hæretici odiô Religioſorum æſtuantes Camberonenſe celebre in Brabantia Ciſtercienſium Cœnobium, ferrô & igne illud devaſtaturi, auſu ſacrilegô fuiſſent aggreſsi, jámque Eccleſia ampliſsima à ſuggeſtis ſubtùs ignibus mox erat arſura, & reliquum Cœnobiũ ſparsô per immenſum incendiô triſte buſtum & Troja mox foret futurum, deſperatis rebus humanis Ciſtercienſes deſolati ad Matrem confugiunt, & in ſinum MARIÆ ſpes & res, vota & preces deponentes, magnis clamoribus opem à Virgine implorant. Cùm ſubitò apparuit alia rerum facies, hoſtes perculſi præcipiti fugâ elapſi jucundum Ciſtercienſibus ſpectaculum fuêre, vidêre nempe fugientes, nemine perſequente. Verùm cùm

Incidit hæc miraculoſa Camberonæ propugnatio in Ann. 1581.

cùm ſtupentibus deinde omnibus fugæ cauſam in candidos equites intra Monaſterium cum horrore conſpectos refunderent, gloria Magnæ Matris ab ipſis juratis Mariani Nominis hoſtibus divulgata Cameronenſes magnitudine miraculi ſuſpenſos eò induxit, ut ſolemni quotannis ſupplicatione MARIÆ Conſervatrici diem 29. Martii Feſtum agerent.

Hæc Virgo Camberonæ pro Ciſtercienſibus per Angelos: Coloniæ Agrippinæ ipſa per ſe cuidam Juveni procaci, qui animô paſſionibus turbatô ſacerrimæ Familiæ noſtræ maculas ac diffamiam aſperſerat, fronte ſeveritatem minásque ſpirante facta ſpectabilis mordacem Zoilum hoc verborum tonitru compeſcuit: *Male puer! Optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo, maledicis & detrahis?*

Incidit Inſignis hæc Ordinis Ciſtercienſis defenſio in Ann. 1201.

Sed nullus pro præſente veritate adſtruenda teſtis illuſtrior, aut Sanctior, quàm *Innocentius III.* Pontifex Maximus, qui per malos æmulos Ordini ſuboffenſus è Sedis Apoſtolicæ culmine Ciſtercio aut meditabatur aut minabatur fulmina & iras, nî facerent, quæ æmuli contra Ordinis immunitates non bene ſuggeſſiſſent Pontifici. Horrore periculi attoniti Ciſtercienſes indictis ubique precibus proſtrati jacebant in cinere & cilicio, nudis pedibus inter planctus & lachrymas Magnæ Matris præſidium magnâ fiduciâ poſtulantes. Audiit Benigniſſima Parens tot ſuorum vota, & delegatô ad Innocentium Reynerô Virô pientiſſimô, qui eidem erat à confeſſionibus, Optimum Pontificem quot verbis, tot fulminibus terruit, perculit: *Tu Ordinem Ciſtercienſem* (ſic Virgo per Reynerum Pontifici) *Tu*, inquit, *Ordinem Ciſtercienſem, cujus Advocata ego ſum, deſtruere conaris, ſed non prævalebis, & niſì citiùs de tuo propoſito reſipiſcas, ego te & omnem poteſtatem tuam conteram.* Non debent hæ Virginis minæ intelligi eô ſenſu, quaſi procederent adversùs Pontificiam Cathedram, quæ divinô Salvatoris oraculô everti non poteſt, & cujus Optima Parens non hoſtis eſt, ſed Patrona & Advocata; Vitæ duntaxat Pontificis atque æmulorum eas minas poſuit pro Ciſtercio irata Virgo, prout alibi dicam, cùm rem hanc ex induſtria fuſiùs repetam. Innocentius igitur, qui non ſuómet vitiô, ſed aliorum impulſu Ordini malè fuerat affectus, mitioribus deinceps conſiliis uſus animô mutatô eximiis favoribus Marianam Familiam cumulavit: quos inter duo planè inſi-

ſignes, in continenti, poſtquàm nimirùm Pontifex per DEIparam Ciſtercienſibus fuiſſet reconciliatus, in veteris offenſæ integram abolitionem Ordini collati: Primus, ut in negotiorum concurſu Ordo Ciſtercienſis præ aliis religioſis Familiis in Curia Romana haberet præcedentiam: Secundus, ut Guido Ciſtercii Generalis in Collegio Cardinalium ſumeret purpuram, quatenùs ſcilicèt ex Capitis gloria diſcerent cætera Familiæ membra ſe à Roma & amari, & honorari.

Reſtitutô in integrum Ordine in Urbe & Curia Pontificia, non deſiit ſolicita Mater etiam aliis recommendare, quod ipſa *Obiit Anno 1620.* diligeret. Hærenti enim in bivio B: GABRIELI Ciſtercienſi deinde Novitio, quemnam Ordinem ex omnibus amplecteretur, Virgo Mater viſibiliter apparens præclarô elogiô recommendavit ei Ordinem Ciſtercienſem, ſibi Filióque ſuo præ aliis dilectũ. *Obiit Anno 1246.* S: LUTGARDI à Benedictinis ad Aquirienſe Ciſtercienſium Cœnobium tranſeunti DEIpara amantiſsimè gratulata eſt, quòd Inſtituto ſibi perquàm charo ſeſe mancipâſſet. *Obiit Anno 1222.* B: CATHARINA Coloniæ Agrippinæ è Parentibus Judæis orienda ſuadente Virgine Matre Religionem Catholicam, atque inſuper Ordinem *Floruit circa Anno 1220.* Ciſtercienſem in *Parco Dominarum* amplexa eſt. Eâdem Reginâ Angelorum monente B: HENRICUS olim Coloniæ S. Cuniber- *Floruit Anno 1142.* ti Canonicus in Monaſterio Bergenſi in Germania, B: PETRUS *Floruit circa An. 1160,* Morerole in Hiſpania, B: GUNTELINUS in Anglia Ordinẽ Ciſtercienſem profeſsi, in propoſito firmi perſtitêre.

Quin imò ut & habitu profiteretur, quod jam antea fuerat in *Floruit circa Annum 1280.* affectu & effectu B: HERMANNUM Villarii Converſum habitu Ciſtercienſiũ decora non jam quaſi clientem, ſed velutì fratrem crebriùs inviſit. Atque ut Ciſtercienſium Cucullam redderet *Floruit circa Annum 1218.* dignatione ſuâ pretioſiorem, mirabile dictu! B. CHRISTIANO Monacho Hemmenrodenſi gravi ægritudine laboranti ſe unà cum Salvatore Sociam ac Conſolatricem adjunxit in candidiſsima Ordinis cuculla: & quoniam eâ die Vir pius ob morbi moleſtias ſolitum orationis penſum in ſerum uſque veſperum diſtulerat, Clementiſsima Ciſtercienſium Domina Clientem ſuum ex parte ſublevatura cœpit cum eo pſalmorum verſiculos alternare, & integrum Breviarium perſolvere, ſtupente interim rem novam, rem miram Viro Beato, & quot pauſis, tot ſuſpiriis orationem ſuaviſsimè diſtinguente. Mira-

Mirabilius eſt, quod de B: HERMANNO alio in Hemmenrode Converſo produnt Ordinis Hiſtorici, qui dum aliquando labore laſſus veſperi ſe ad quietem compoſuiſſet, jamjam cadentibus palpebris dulcem capturus ſomnum, cœpit animum ejus cogitatio vehementer pulſare, conſvetas tributarias preces dulciſſimæ Patronæ ſuæ eâ die Hermannum Marianū clientem haud perſolviſſe, quare excuſſis ſomni illecebris ſe lecto proripit, in genua demittit, daturus Virgini inter preces cor ſuum, quod etiam ipsô dormiente ad eam vigilaret. Verùm benigniſſima Domina nolens neceſſariâ quiete privare clientem ſuum, blandô imperiô juſſit cubitum ire, toties ſe fideli obſequiô cultam, ac millies iterúmque millies ſalutatam poſſe velléque etiam ſemel loco Hermanni ſui vigilare ac orare. Ivit Dominæ juſſu, ac dormivit Hermannus nunquam ſuaviùs aut ſecuriùs, quàm vigilante quàm orante pro Hermanno Reginâ Cœli. Felices planè in hoc Ciſtercienſes, quòd Virginis in eos propenſio tam mira ſit, ut non contenta pro eis orare, dormire inſuper jubeat, ac vices eorum amanter ſupplens precando non modò vigilantibus, quin imò dormientibus aſtra pandat. *Floruit circa Anno 1170.*

Æque mirabile ac dulce eſt, quod à Virgine meruit B: THOMAS Ciſtercienſis Monachus in Arnsberg Germaniæ Cœnobio, qui diutinô ac devotô famulatu eandem ſibi in tantùm devinxit, ut in gratiam ſui, gratiâ hucusque vix auditâ, ſuaviſſimè modulata ſit; dum namque nocte quâdam contemplationis oculô cœli immenſas delicias introſpiceret, & animô in cœleſtia vigili ab oculis quoque corporeis nocturnus ſopor fugeret, ſtrato exiliens ſub profundam noctem ſe in contiguo pomario in virides herbas langvens effudit. Affuêre illicò Divæ Virgines Catharina & Agnes cœleſti ſplendore circumfuſæ, quæ elegantiſſimô, & ad DEIparæ melos quôdam quaſi præambulô concentu aures animúmque Beati Viri ſuaviſſimè demulcebant. Quas in ſplendoribus Sanctorum & Angelorum infinita propemodum frequentia ſubſecuta glorioſa Cœli Imperatrix hiſce verbis Clientem ſuum dulciſſimè affata eſt: *Chariſſime Frater, ſi placuerit, qualitercunque recompenſabo devotiſſimum famulatum tuum dulci melodiâ.* Dixit, & cecinit dilecto clienti tantâ ſuavitate, Choris ſimul Angelorum Dominæ ſuæ lætùm accinentibus, ut feliciſſimus Thomas *Floruit Anno 1121.*

 dulce-

dulcedine tam amabilis harmoniæ plenè abſorptus grata animi deliquia paſſus, à Fratribus ſub naſcentis auroræ diluculum ſemianimis fuerit repertus. Redeunte tandem ſenſu imperiô Abbatis rei ſeriem ſtupentibus inter ſuſpiria recenſuit. Hoc Cœleſte canticum amabile fortaſſe fuerit epithalamium, conjugiíque ſpiritualis inter Virginem Matrem ac B: PETRUM Converſum Villarienſem nobile præſagium. Res ſtupenda! Non voluit Cœlitum Regina ſuorum Ciſtercienſium eſſe tantummodò Mater, Domina, Advocata; teneritudo amoris Eam etiam in Sponſam eorundem conſecravit; Dum namque prælibatus Vir beatus DEIparæ cultor præcipuus, aliquando in Eccleſia extra ſenſus poſitus ad Salvatorem & dulciſſimam Matrem per paranymphos Angelos eſſet deductus, benigniſſimus Redemptor munere Sacerdotis fungens ritibus ſecundùm Eccleſiæ rubricas exactè ſervatis, junctíſque de more dextris amantiſſimam Matrem ſuam B: Petro *in perpetuum ſpiritualis conjugii fœdus deſponſavit.* Hinc deinceps mutua inter ambos caſta oſcula quaſi quædam affectûs longè tenerrimi erant ſigilla.

Floruit circa An. 1200.

Floruit circa Annum 1228.

Eadem ferè à Virgine ABUNDUS Villarii apud Brabantinos Sanctus Monachus, qui præterquam quòd ab Ipſa non aliter compellaretur, quàm *Chariſſimus*, *dilectiſſimus*, *Filius & Amicus*, eandem inſuper ſuaviſſimô experimentô didicit eſſe Sponſam, dum labiis Illa Abundi dulciſſimum oſculum libavit, eundémque ad ſe pariter diſſuaviandam inter caſtiſsimas amoris ſummi blanditias invitavit. Neque hôc ſolô, ſed aliô inſuper favore Virgo Mater ſuos in Abundum amores abundè conſignavit; dum etenim ſub tempus Divini officii inter frequentes raptus aliquando in contemplatione defixus antiphonam decantandam Vir pius omitteret, benigniſsima Virgo cucullâ Ciſtercienſium induta viſibiliter Choro aſsiſtens omiſſam cantionem ſuaviſsimè modulata eſt.

Porrò ſi amoris menſura ex munerum magnitudine ac pretio deſumenda ſit, amor MARIÆ in Ciſtercienſes procul dubio fuit propè immenſus. Tranſeamus hanc Scenam in compendio. B: FASTRADO VII. Ordinis Generali Auguſtiſsima Domina per viſum apparens diviniſsimum uteri ſui Partum ad ejusdem oſcula atque amplexus inter brachia reclinavit. B: WALTERO

Obiit Anno 1163.

Floruit Anno 1260.

TERO *de Birbach* Ducibus Brabantiæ ſangvine juncto Monacho
in Hemmenrode per Sacerdotem quendam pium cum adjuncto
ſchediaſmate ſubmiſit Crucem auream miri ſplendoris ac elegan-
tiæ, quæ diu magnô honore in Hemmenrode à Ciſtercienſibus
aſſervata, tandem in Hollandiam ad inſtantiſsimas preces ejus-
dem Provinciæ Comitiſſæ tranſlata eſt. B: MARIÆ Ciſtercien- *Vixit circa Ann. 1191.*
ſi Virgini, quæ fuit Soror B. Caroli Abbatis Villarienſis, viſibiliter
impoſuit floridiſsimum ſertum, eámque in conſpectu Univerſæ
Curiæ Cœleſtis Filio ſuo deſponſavit. B: STEPO in Monte Sal- *Obiit An-*
vatoris Virginibus Ciſtercienſibus à confeſsionibus poſtquam ad *no 1221.*
ſidera felix comprehenſor eſſet evectus, viſus eſt per eandem glo-
rioſiſsimam Matrem pulcherrimâ coronâ redimiri. B: LAU- *Floruit An-*
RENTIUS Ciſtercienſis in Dunenſi Flandriæ cœnobio in amo- *no 1261.*
ris præcipui ſignificationem Angelô internunciô à DEIpara deca-
dem Roſarii obtinuit. B: HENRICUM Heiſterbaci apud Ger- *Obiit An-*
manos Abbatem vidit B. Sifridus Propheta Ciſtercienſis à Regi- *no 1219.*
na Angelorum ante inſtantem electionis actum Baculô paſtorali
in Abbatem inaugurari. B: RAINALDO Optimo in Clara-Valle *Obiit An-*
Seni, & veterano ſuo clienti DEIpara Virgo manibus ipſa propri- *no 1162.*
is veſtimenta candida & pretioſa in ſupernæ gloriæ amictum ad-
ornavit. B: THEOBALDUS Abbas Vallium Sernay Divæ Pa- *Obiit An-*
rentis patrociniô donum miraculorum tantâ amplitudine obti- *no 1247.*
nuit, ut invocatô ſolô MARIÆ nomine omne ferè morborum
genus ab ægrotis propulſaret. Diffluebat Viri Sancti pectus in
affectus longè tenerrimos, cùm primùm lingva pronuntiaret
ſuaviſsimum Matris dulciſsimæ Nomen: affectus interim, qui
velutì cœleſtes igniculi animum Viri urebant, prodebat per hæc
aut his ſimilia verba: *MARIA! Suaviſſimum, & ſanctiſſimum Nomen
eſt, nomen venerabile, nomen benedictum, nomen ineffabile, nomen cunctis
amabile!* Cúmque nonnunquam (hodiernô ferè Heterodoxo-
rum ſtylô) à frigidis Magnæ Matris clientibus argueretur, nimi-
um audere Theobaldum in Divæ cultu, per quem decreſceret
honor ac veneratio Numinis, repreſsit MARIÆ juratus Zelotes
eruditè & ſolidè tepida dicteria, dum reſpondit: Nullibi DEUM
coli adoraríque digniùs, quàm in ſuo Throno; hunc verò alium
non eſſe, quàm Sacratiſsimæ Virginis ſinum. In confeſſo utiq;
eſſe, per cultum Throni Regii nîl detrahi Regiis honoribus, quin
imò hos ipſos creſcere per ejusdem venerationem. Suſpectos

ſanè omnes illos eſſe, qui Marianô cultu offenduntur, quòd fortè minùs credant, DEUM eſſe ab Illa conceptum, natum, lactatum, quæ eſt blaſphæmia apud Chriſtianos execrabilis. Merebatur hic Theobaldi pro DEIpara zelus ac amor, ut Illa ſuô interventu donum miraculorum aliáque in dilectionis viciſsitudinem fido ſervulo refunderet.

His à MARIA favoribus plantatus, rigatúsque Ordo Ciſtercius firmis radicibus crevit cultu, affectu, fiduciâ erga eandem Optimam Parentem, ut etiam mortui Ciſtercienſes prodigiis quaſi linguis loquerentur, quantùm MARIAM dilexerint vivi.
Vixit circa Ann. 1200. B: EUSTACHIUS Monachus Ciſtercienſis apud Suecos in lingva ſua ſalutationem Angelicam, *Ave Maria*, quâ toties Virginem puriſſimus & ipſe Angelus ſalutaverat, poſt felicem tranſitũ aureis characteribus expreſſam ſtupentibus exhibuit. B: GU-
Obiit Anno 1157. ILLELMUS Montis Peſſulani Dominus, teſte Henriqueô in
Floruit circa An. 1140. Menologio ad diem 9. Aprilis, & B: JOANNES teſte Authore Anni Ciſtercienſis ad 21. Decembr. ambo Ciſtercienſes in Grandi-Sylva Galliæ Cœnobio, pulcherrimô liliô poſt mortem ex ore utriusque pullulante, in cujus foliis aureæ ſpectabantur literæ *Ave Maria*, floridam ſuam erga Divinam Virginem pietatem neque morte deflorere potuiſſe, floridiſſimô hôc & aureô pla-
Floruit Anno 1221. nè documentô conteſtati fuêre. B. LADISLAUS apud Polonos è Milite Ciſtercienſis Converſus indocilem alioquin memoriam nullâ re tam fatigavit, quàm in ediſcenda Angelici ad Virginem nuncii ſalutatione, in qua ſubinde inter lingvæ, pectoris, animíque ingentes delicias millies milliésque repetenda per dies noctésque fuit aſſiduus. Ab obitu Viri arbor excrevit è tumulo, in cujus ſingulis foliis Divina manus per elegantiſſimos characteres ſcripſerat Cœleſtis Oratoris Angelica verba: *Ave Maria.* Plantatam fuiſſe arborem à Numine, à Virgine non malè ſuſpicati Ciſtercienſes noſtri, effoſsâ è loculis humô obſervavêre, pulcherrimæ arboris primas radices è Ladislai corde ſurgere. Optaviſſe Virum Sanctum poſt fata in Divinæ Parentis laudes atque obſequia tot linguas, quot folia, imò tot olim habuiſſe in Virginem affectus, quis quæſo, ambigat? Sed unde lactea hæc in Ciſtercienſium lingvis crevêre lilia, præterquam à fœcundo illo lacte è Virginis mammillis in Bernardi labia defluente? Neque Bernardus

nardus è Ciſtercio ſolus eſt JESU collactaneus: in utroque ſexu quaſi in gemina columna fundatus Ordo, in utroque debuit à Virgine lactari, quæ utriusque Matrem lactando ſe monſtrare voluit. Nobile Abulenſe in Hiſpania Ciſtercienſium Cœnobium illuſtrem Virginem aluit B: MARIAM VELAM hujus ſæculi pulcherrimam nuper auroram, alteram è Ciſtercio CHRISTI collactaneam, quæ indies à Salvatore & DEIpara viſitata, ab utroque favores geminos, quos olim Bernardus, obtinuit, caſtiſsimos ſcilicèt CHRISTI Redemptoris amplexus, & Virginis lactantis materna ubera. *Obiit Ann. 1617.*

Quemadmodum autem quot lactis Mariani guttas, tot gemmas, & ſi quid gemmis pretioſius eſt, in Bernardi atque MARIÆ Velæ labiis ſe habere gratulantur Ciſtercienſes, ita viciſsim Regina Cœli alias gemmas in ſuis Ciſtercienſibus habet & æſtimat, guttas videlicèt pretioſi ſudoris, quas è facie laborantium deciduas velutì gemmas olim abſterſit atque collegit. Res eſt apud Authores notiſsima, B: RAYNALDO Monachô in Clara-Valle jucundiſsimam hanc ſcenam inter ſolatia aſpectante, qui dum aliquando in meſſe cum Fratribus cæteris in agro occupatus urente ſolis æſtu totus langueret, atque inter profundos gemitus de hac ipſa moleſtia apud Virginem modeſtè quereretur, vidit mox Eandem Optimam Parentem Meſſores ſingulos circuire, & copioſum ſudorem è ſingulorum frontibus, non ſecùs ac margaritas longè pretioſiſsimas linteô abſtergere, ſolicitéque aſſervare. Nec ſic abſoluta amoris ſcena eſt, addidit Virgo favorem novum, ſingulos namque per Ordinem amplexata omnem ſimul obrepentis tædii ſenſum, ac animi in laborando moleſtiam eximiis his in Ciſtercienſes beneficiis in Raynaldo & ſociis penitùs oppreſsit. *Obiit Anno 1162.*

Pretioſas has Virginis manus, in quibus humor ſudoriferus concrevit in gemmas, Ciſtercium pariter ſenſit medicas, quando Salus infirmorũ MARIA B: ADAMO Monacho de Luka apud Saxones capitis dolore graviſsimè afflicto, atque in Eccleſia inter ardentia ſuſpiria oranti choris cincta Sanctarum Virginum apparuit, ejúsque capiti manum imponens hæc non tam verba, quàm pharmaca adjecit: *Ab hac die uſque ad diem mortis tuæ non dolebis caput tuum.* Mederi debuit, quæ mentiri per ea verba non po- *Floruit An. 1213.*

tuit è Cœlo evocata humani generis Excellentiſſima Mediatrix. B: CHRISTIANUS Heiſterbacenſis fermè ſecundùm ſtylum *Obiit Anno 1201.* Doctoris Gentium tunc *fortior* (dicam ego *felicior*) cùm *infirmior*, Divam Virginem præſentem habuit, ſensítque, cùm fatigatô per preces capite langveret. Solâ Virginis præſentiâ fugatus eſt omnis à langvente dolor, & Chriſtianus ad novas preces, & Almæ Parentis obſequia per reparatæ valetudinis beneficium denuò initiatus. Nempe eos morbos Superi non ægrè curant, qui non aliam radicem habent, quàm ſanctiſſimum in pietate exceſ- *Obiit circa An. 1205.* ſum. B: ANDREAS Monachus Ciſtercienſis in Rivo-Sicco apud Hiſpanos aliquando ægrotans dulciſſima Virginis labia pro ſua habuit pharmacopæa; decumbenti enim in lectulo Divina Mater amanter baſia impreſſit, per quæ cœleſtia pharmaca, labia, oſcula feliciſſimus patiens ampliùs malè valere non potuit.

Morbus & mors humani generis ſuprema mala ſunt, quæ quidem ex eo minùs fortè ſentimus, aut reſentimus, quia mala communia ſint, quæ quoniam omnes afficiunt, à ſingulis minùs ſentiuntur. DEIpara Virgo apud Ciſtercienſes mali nomen abſterſit morbo & morti, quæ duæ res ſub Magnæ Virginis aſſiſtentia, præſidio, tutela formidari ampliùs non debeant. Vidimus nos Optimam Matrem in Ciſtercio apud ægrotos, videamus *Floruit Anno 1169.* nunc Eandem apud morientes. B: ROBERTUS Clara-Vallenſis Converſus paulò ante mortem in ecſtaſim raptus, audiit Divam Virginem, quam per omnem vitam plurimis obſequiis ſibi devinxerat, egregiè apud Filii tribunal ſolicitantem pro ſua, id eſt Mariani clientis æterna felicitate, ad quam per Matris preces *Floruit Anno 1300.* impetratam poſt quinque dies evolavit. B: RAYNERUS Monachus Villarienſis, olim puer aquis hauſtus, & per Divam Parentem ereptus, tandem inter Ciſtercienſes Aſcetas moriens Eandem habuit ſui agonis inter Angelorum choros auſpicatam Præſidem, & viæ ad ſidera fidiſſimam Ducem. B: GODEFIDO *Floruit circa An. 1240.* PACHOMIO ex eadem Brabantiæ Domo ſanctiſſimo Monacho, è ſtadio & Villario migraturo ad bravium, Divina Virgo in occurſum ſimul & comitatum effudit undecies mille laureatas è Divæ Urſulæ Societate Virgines, cum quibus & Ipſa majeſta- *Floruit Anno 1160.* tem comitatûs auctura obviam morienti proceſſit. B: TEZELINUS Sanctus in Clara-Valle Monachus dum ad beatiſſimam im-

immortalitatem evocaretur, Eandem Divam Parentem mille inter Angelicos Spiritus mediam, quaſi Matrem filiolo ſibi habuit occurrentem. B: SIGERUS Monachus in Hemmenrode *Floruit circa Ann. 1210.* cùm in vitæ confinio jamjam animam eſſet acturus, fratrésque datô ſignô ad morientem properarent, inter mæſtos leſſus, triſtésque cantiones animam exeuntem Superis recommendaturi, nactus eſt futuræ ſuæ apud Cœlites gloriæ omni Mercuriô feliciorem bajulam ac prænunciam Virginem Matrem, quæ cuidam è Converſis obvia juſſit nunciare mæſtis Cantoribus ut miſsis triſtibus, potiùs circùm morientis lectulum lætô Divi Ambroſii carmine ac jubilô, *Te DEUM laudamus* Victori acclamarent; id enim mereri & Viri vitam ac nomen, qui tum maximè eſſet *Sigerus*, cùm poſt mille victorias ad æternos triumphos ſub Virginis præſidio ac ductu abiret. B: ANTONIA S. Benedicti de Caſtris *Floruit Anno 1500.* apud Luſitanos Virgo Sanctimonialis Supremâ vitæ horâ in ecſtaſi ad tribunal CHRISTI ducta vidit Auxiliatricem Matrem pro ſe Filio ſupplicem, atque inſuper pronunciatâ in ſui favorem ſententiâ ſibi manum porrigentem, quâ ſe ſuper ſidera ad gloriam & Sponſi perennes amplexus attraxit.

Quoniam de Ciſtercienſium per Virginem in Cœlos aſſumptione hìc ſermo fuit, aliquid etiam ſeu rerum ſeu verborum analogiâ dicendum venit de ipſius Virginis corporali ſuper ſidera aſſumptione. Pulchrum ac Ciſtercio per magnificum, in re maxima ab Eccleſia admiſſam revelationem è Ciſtercio in partem oraculorum, per quæ adſtrui, firmaríque poſſit Virginis ſuper Cœlos aſſumptio corporalis. B: BERTRAMUS Ciſtercienſis *Floruit An. 1195.* B: MARIÆ de Carixto in Lombardia ille Virginis cliens, magnæ hujus rei feliciſſimus fuit Internuncius. Summæ illius deliciæ, loqui de Virgine magnifica quæque ac glorioſa: ingens tormentum, audire vel ſubdubitari de corporali Ejusdem aſſumptione. Placuit Reginæ Cœli Bertrami zelus, quare inſigni apparitione veritatem rei placuit poſteritati conſignare. Inſtabat in proximo is ipſe feſtus dies, quô univerſa Eccleſia Auguſtiſſimam Cœli terræque Imperatricem ſuper Choros Angelorum elevatam votis & feſtivis acclamationibus piè proſequitur. In ſacra pervigilii nocte legendus erat in Choro ſermo quidam Divo Hieronymo perperam adſcriptus, in quo affirmabatur, animam Virgi-

nis cœlis ab Angelis illatam eſſe, non corpus. Grande ex hoc vulnus timebat cordi ſuo Bertramus: quapropter de Abbatis facultate in proxima villa Vigilias ſolus planè feſtivè celebravit; Raptus namque ab Angelo, & in vicinam Eccleſiam trans fluvium poſitus, DEIparam in ſublimi ſolio Cœleſtis Curiæ frequentiâ circumſtipatam conſpexit, audiítque Divini Officii horas per Ordinē à Cœlitibus ſecundùm rubricas Monaſticas ſolemniſſimè decantari. Quibus perſolutis Auguſta Domina Bertramum amœnâ fronte ad ſe venire juſſum dulciſſimè affata eſt: *Bene ſcio, Bertrame, quare nunc egreſſus ſis de clauſtro: Noveris pro certo, me in utraque ſubſtantia, id eſt, corpore & anima glorificatam, & die quadrageſimô à mortuis reſuſcitatam.* Viſione hâc præclarâ per Ordinem divulgatâ crevit pietas atque devotio erga Virginem in Cœlos aſſumptam, tantíſque incrementis eſt aucta, ut penè omnes Ciſtercienſium Baſilicæ Honori Magnæ Matris ſuper ſidereos Orbes aſſumptæ ſint dedicatæ, ſcilicèt ut totos Ciſtercienſes haberet MARIA, qui totum, quot habent, habent à MARIA.

Neq; duntaxat ſingulares favores in perſonas ſingulares; Verùm etiam ſingularia beneficia integris non raròCommunitatibus diſpenſare voluit Mater benefica. B: HENRICUS Monachus Hemmenrodenſis Divam Virginem in Choro aliquando obambulantem conſpexit, hilaríque vultu annuentem atque gratulantem Filiis, quòd tantâ alacritate Divinas Laudes concinerent, Cœleſtium Geniorum tam egregii hìc in Choro æmuli, atque olim tam digni eorundem in Cœlo ſocii. Jucundum Pſalterium, quod Auguſta Virgo tam auſcultare voluit, quàm laudare! Jungendus Henrico alter ex Hemmenrode Vir Sanctus. B: EUSTACHIUS ejuſdem Cœnobii Abbas, qui dum pro ſui muneris exigentia Heiſterbacenſem Domum Filiam aliquando viſitaret, ſtarétque in Choro pſallentium jubilans cum cœtu Fratrum Ambroſianum Canticum: Te *DEUM laudamus*, Viſa eſt B: Chriſtinæ ſanctimoniali Ordinis noſtri in Monte S. Walburgis propè Coloniam longiùs diſtanti Divina Parens auguſtiſſimô ſpectaculô ſuper numeroſam illam Congregationem coronam auream tenere ſuſpenſam, immenſum jubar per omne Oratorium diffundentem. Fulgebat in ſummitate coronæ gemma prægrandis, cui è Bernardi labiis ac præcordiis inſculpti hi affectus, hæc mella:

Floruit circa An. 1209.

Obiit Anno 1197.

mella: *O Clemens, ô pia, ô dulcis MARIA!* MARIÆ magnificum Nomen velutì fulgidum ſidus ſpectabatur, in cujus illuſtri ambitu & peripheria pulcherrimô ordine in ſingulis radiis ſingula omnium præſentium Monachorum, atque etiam ipſius Evſtachii Hoſpitúmque Abbatum nomina viſebantur. Decantatô Ambroſianô jubilô Divina Virgo auguſto huic ſpectaculo dulce gratúmque epiphonema in hæc verba adjecit: *Sicut ego hodie ſum in gloria mea, ita iſti omnes mecum erunt in æternum!* Oraculum hoc Heiſterbacenſibus eò dulciùs, quia nempe à mente & labio dulciſſimæ Ciſtercii Matris profectum, è quo gemino fonte nihil in filios potuerit profluere amarum!

E Choro & Eccleſia egreſſuri videamus novos DEIparæ in Ciſtercium affectus. Habent Ciſtercienſes in lege & more, ut Completoriô atque conſcientiæ examine veſperi perſolutis omnes juxta ordinem profeſſionis ad aquam luſtralem accedant aſpergendi ibi à Superiore ſeu Chori Præſide. Hoc aſpergendi munus Diva Parens uſurpare voluit in Monaſterio Tennenbacenſi apud Suevos, ubi B: HUGO illius Domûs ſanctiſſimus Monachus aliquando conſpexit Cœli Reginam fungentem Officiô Præſidis, Fratréſque ex Oratorio ad luſtralem fontem properantes benedictô illô liquore amantiſſimè aſpergentem. Non potuêre nempe à tam Candida Matre ſuper nivem non dealbari candidæ Ciſtercienſium & cucullæ & animæ. Idem Spectator Hugo vidit Ciſtercienſium Dominam in Refectorio non ſecùs ac ſolicitam Martham obambulantem, & Fratrum cibis parcô cæteroquin aromate conditis divinam quandam ambroſiam, & Angelicum nectar, atque cum nectare ſaporem atque ingentem ſuavitatem affundentem. Quis nauſeet jam Ciſtercienſium cibos, quos tam bona tam Divina Virginis manus condierit?

[illegible] 1204.

Aliud ferè ſimile lego in *Exord: Magn: Lib:* 3. c. 19. de Monacho quodam Clara-Vallenſi, vitæ quidem probatæ, ſed in ciborum delectu atque medicaminum uſu aliquantùm, ùt habet Exordii textus, *ſuperſtitioſo*, quibus tamen non vitiosè in ſoliùs ſenſualitatis obſequium afficiebatur, ſed quia erat corpore non minùs *delicatus*, quàm *infirmus*. Afflicta valetudo cauſa apud Religioſos profectò non mala, quæ quandóque aliquid ampliùs ægrotis per leges ac Superiores indulgeat. At quoniam hac in re ſervare me-

Marri[illegible] [illegible] 1150. [illegible]

medium ac tenere ſemitam, difficile atque arduum, naturâ ultrò propendente & nos trahente in res ſenſuales, bonus ille Vir correptione quaſi ferulâ à Diva Parente multatus reſipuit: quod quidem citatô locô ſic eveniſſe lego. Exiſtimabat ſe in viſione nocturna cum corona Fratrum accurrere ad Divinas laudes. Feſtinare ad opus DEI viſi è Clara-Valle omnes, neque ipſe ſegnior ad Oratorium properabat. Stabat in Eccleſiæ propylæo Ciſtercienſium pientiſſima Advocata cum pretioſo electuario, quod per Ordinem ingredientibus pauliſper ſubſiſtere juſſis diſpenſabat ipſa, quomodo ferè Matres ſolent, cùm pueros manè datô modicô jentaculô ad ludos & gymnaſia urgent. Nîl minùs timuit Vir ille bonus, quàm in communi omnium Clara-Vallenſium felicitate ſe unum fore excludendum à Divino bolo; quod tamen re ipſa evenit, cùm namque aliis recedentibus ipſe pariter de electuario participaturus acceſſiſſet, retraxit Virgo manum, & ſevera vultu, verbíſque aſpera Virum apertô ore præſtolantem acerbè ità redarguit: *Nunquid noſtrô medicamine opus habes? Nónne ſapiens medicus es? & tuimet ſolicitè curam geris? Vade itaque, vade, & tuis medicamentis, ſicut volueris, utere, quia modò de his, qui curam ſuam ſuper Dominum & Filium meum jactant, cura eſt mihi.* Agnovit illicò reatum ſuum delicatus medicus, & procidens ad ſacros DEIparæ pedes ſanctiora ſe deinceps ſervaturum ſpopondit: quare conceſsâ mox veniâ guſtavit, quemadmodum cæteri, è Virginis manibus dulcem eſcam. Non debent videri dura Ciſtercienſibus cantio, clamor, vigiliæ, quæ Virgo, nè amara eſſent, eduliis cœleſtibus jam olim dulcoraverit. Inſpicienda ſunt etiam Ciſtercienſium Cubilia, neque illa quidem ſinè Diva Virgine. B: WALTERUS Converſus Meylroſenſis in Scotia hujus aſſertionis oculatus ſit teſtis, qui aliquando Angelorum Reginam duabus è Sanctis Virginibus utrinque latus ſtipantibus per memoratæ Domûs Meylronenſis dormitaria ambulantem conſpexit, ſignantémque quorundam è Fratribus nomina, adjectô bonæ notæ optimô argumentô: *Hos nempe eſſe paratos.* Intellexit ſtatim Walterus Divina Virginis oracula, cùm Marianâ nuper manu & nutu notatos Fratres poſt paucos dies compendioſô fatô feliciſſimè extinctos & ipſe candidô calculô notavit. Vix locum, mi Lector, in Ciſtercienſium Domibus invenias, quem munifica Virgo ſibi & Numini non ſacrâſſet gratiis & beneficiis: atque ita ſi *Ubiquiſtarum* ſenſa

Floruit circa Annum 1163.

alicubi

alicubi vera eſſe poſſint, nullibi in ſenſu ſano & ſancto veriora eſſe videantur, quàm apud Ciſtercienſes, apud quos Divina Parens profectò eſt ubique, & DEIparæ è Ciſtercio clientes, qui Virginem per favores ſentiunt *ubique*, nuncupari cum plauſu poſſunt Mariani Ubiquiſtæ.

Et quis tandem ſingula memoret, quis univerſa expendat, quæ Auguſtiſſima Cœlorum Domina è brachiis, manibus, ſinu, uberibus, labiis in Ciſtercienſes ſuos profudit beneficia? Credat ſanè Lector, poſtquam hæc legerit, Ciſtercienſes noſtros longè tenerrimè amari â Virgine, quæ illis tanta, atque etiam ſeipſam, & quidem toties donavit?

CALAME MI!
Hæc tua *Calamitas!*
Quòd *penna* ſis, non *lingva*:
MARIAM,
Dulcem Ciſtercii *Matrem*
Scribat *lingva non penna!*
Calame mi!
Hæc tua *pœna*, quòd *penna* ſis.
Non ſcribes MARIAM!
Una lingva
Dulce uberum ſcrutinium,
Suave mammillarum ſpiculum
Molle lactis vehiculum,
Una hæc Lingva
Lacteum *MATRIS Nomen* ſcribat.
Igitur *calame mi*
Hæc tua *calamitas*,
Quòd ſis, *quod es!*
O quàm nunc vellem per Vatis vota,
Ut mihi ſint lingvæ centum, ſint oráque centum!
Et tua tuúmq; in primis præ lingvis centum, præ oribus centum
Lingva & Os

Bernarde Lactee!
Nulla lingva meliùs *MATREM* ſcribat,
Quàm Bernardi,
Cui MARIA *MATRIS Nomen inſtillavit in LACTE.*
Cant. 5. Lingvam Ille habet, qualem Sponſa in Canticis
Sub qua *MEL & LAC.*
Hæreo ego in LACTE,
Nec ſatis *capio*, nec *ſatis ſapio*,
Cur *Virginis LAC* hæreat Bernardo
Sub lingva, & non *ſupra lingvam?*
Si DEUS *lingvas infantium faceret diſertas*,
Infantes omnes *diſertè & apertè farentur & faterentur*,
Se lac quòd à mammillis Matrum ſugunt
Habere *ſupra lingvam, non ſub lingva.*
Unus Bernardus non eſt *ſicut Cæteri lactentes*,
Subtus habet, quod alii *ſupra*!
Fortè quia Bernardi lingva *ſit lingva Filiorum omnium?*
Quæ ſcilicèt pro omnium neceſſitate ad Patrem *oret*,
Pro omnium ſalute Filio Judici *ſpondeat* & *reſpondeat*,
Pro omnium ſanctificatione ad *ſpiritum Sanctum ſpiret* & *ſuſpiret*,
Atque etiam pro omnium lingvis *Divina* Matris *ubera ſugat?*
Sugunt alii, ſed *ſibi* duntaxat, *non aliis.*
Sugit Bernardus; ſed *ſibi* & *Filiis*
Illud Virginis lac, quod *ſupra lingvam*, *BERNARDI eſt*,
Quod *ſub lingva*, *Filiorum.*
Bernardi lingva utriusq; lactis promptuarium eſt & diſpenſatrix;
Utrobique tamen lac unum & idem,
Et ijdem à lacte Filii.
Actuum 2. *Loquebantur* olim *varijs lingvis Apoſtoli*,
Et hoc per *Spiritum igneum:*
Loquuntur hodie Ciſtercienſes *lingvâ* duntaxat *unicâ*
Et hoc per *Bernardum Lacteum.*
Illa *lingvarum varietas delectabat* Apoſtolos,
Hæc *lingvæ unitas delectat* Bernardi Filios.
Geneſ. 11. *Diviſis* in ſtructura Babel in *diverſa idiomata lingvis*,
Unos Ciſtercienſes non tetigiſſe videtur *lingvarum ſchiſma*
Qui uſque hodie *unius ſunt labii*,
Lingvâ loquuntur unicâ,

Et

Et *Lingvâ MATERNA*,
Quâ, *Magiſtrô Lacte*, *MARIAM* vocant
MATREM.
Et *Matrem filiorum lætantem*,
Et *Matrem Filios lactantem.*
Prodidit lingva Petrum, quòd Galilæus eſſet: Matth. 26.
Prodit lingva Ciſtercienſes, quòd *Mariani ſint*:
In ſingulorum namque *labiis* & *lingvis*
Virgineô lacte à MARIA olim *inſcriptos*
Adhuc hodie lego *Characteres lacteos*:
Filius meus es tu! Ego genui te, Pſam. 2.
Lactavi te!
Quib9 *titulis* in Ciſtercio & *Matris* Nomẽ promerita eſt, & *Nutricis*
Fuerit aliquando fortè felix *Melchiſedech*,
Quòd eſſet *ſinè Patre*, *ſinè Matre*, *ſinè Genealogia*; Hebr. c. 7.
Hodie ille inter Ciſtercienſes tam felix non eſſet,
Si *MATREM in MARIA non haberet.*
Ingens Alexandri Macedonis gloria
Patrem habuiſſe Philippum!
Ingens Ciſtercii decus,
MATREM habere MARIAM!
Et quantumvìs inter Ciſtercienſes mille iterúmq; mille reperiãtur
Secundùm Ordinem Melchiſedech;
Nullus tamen vult eſſe alter Melchiſedech,
Sinè MATRE, *ſinè MARIA.*
Contra ſtylum ſæculi eſt,
Illuſtria ſtemmatum Nomina deſumere *à Matre*;
Privilegium Ciſtercii eſt,
Totum id, quod eſt, dici ab illa MATRE,
Per quam totum illud habet, quod habet:
Ut ſcilicèt pulcherrimô *matronymicô*
à Solis ortu uſque ad occaſum,
Ab *Aquilone* uſque *ad Mare*
à MARIA
Ciſtercium dicatur *MARIANUM*:
Salvatoris exemplô
Qui licèt *Splendor Paternæ Gloriæ*, & *figura ſubſtantiæ Ejus*
Potuerit, debuerítque ab omnibus dici, coli, adorari

Filius DEI;
Honori tamen & *Amori*
MARIÆ Matris Suæ
Divinô ſuô *ore* & *oraculô* vix alium ſe dixit,
Quàm *Filium Hominis*,
Genealogiâ deſumptâ *à Matre Homine.*
Non deſinunt Ciſtercienſes eſſe *Jeſuitæ*
Cùm incipiunt eſſe *Mariani*,
Imò tũ maximè *Jeſuitæ*, cùm maximè *Mariani*,
Cùm nempe non ſunt *ſicut cæteri hominum*,
Sed *ſicut Filius Hominis*
Hominis MARIÆ Filii.
Romulus & *Remus*
Romanæ Urbis Parentes
Lactati *à lupa*, *lupam* habuêre *nutricem*
Hominum Filii, & *homines Filii*,
Sed *lupæ alumni.*
Ciſtercienſes
Romanæ Cathedræ alumni, *clientes*, *Filii*
Quà Hominum Filii
Homines habuêre Progenitores,
Quà *Ciſtercienſes*
MARIAM Advocatam, *Patronam*, *Dominam*,
Quà Bernardini
Ab *ubere*, *à lacte*, Mariam *MATREM*, *Nutricem.*
Dic jam tu, Divina tu, mi Erudite Lector,
Utri ex his majores ſint,
An Romulus Remúſque *lactati à lupa*,
An Ciſtercienſes in Bernardo *lactati à Diva?*
Sit, fateor *Roma ſupra Ciſtercium!*
Non eſt tamen *Romulus ſupra Bernardum:*
Quidni enim *Alumnus Virginis*
Potior ſit *alumnô lupæ?*
Ad Te igitur
Mellifluì Sodalitij Alma & Summa Parens!
Ad Te
Hæc brachia, hæc pectora in tenera vota, affectúſque
Pando & explico,

Neq;

Méque Ciſterciúmque meum in mille nodos, & modos
Quò ſtrictiùs, eò feliciùs implico.
Satìs ſatis, hucusque ſatis
Solviſti vincla reis,
Deinceps
Quodcunque ligaveris, erit ligatum. Matth. 16.
Ciſtercium omne
Per mille gratitudinis compedes
Tibi devinctum
Tam nempè eſt *reſolutum*,
Ut nunquam *cupiat diſſolvi*
Et non eſſe tecum.
Serva! Auguſta Domina,
Serva Bernardi Tui poſthumam Sobolem,
Quæ Te
Parentis melleô & lacteô labiô
Æviternùm compellabit
MATREM.

TITULUS X.
CISTERCIENSES MARTYRES.



HUcusque inter MARIÆ ubera feliciſſimi Ciſtercienſes inceſsêre viâ lacteâ: deinceps inter hæreſeos & paganiſmi ſævientium cruces ac cataſtas cruenta calcabunt veſtigia; ſed quæ grata filiorum poſteritas mille oſculis premat. Anglia, Scotia, Hybernia, Germania, Bohemia, Sileſia, Polonia, Pruſſia, Svecia, Gallia,

lia, Belgium, Hiſpania, India, Africa, Syria, totidem quaſi ſunt amphitheatra, in quibus publicis luctis frendens hæreſis & trux paganiſmus Ciſtercienſes immaniter torsêre, expreſsóque per tormenta ſangvine candidiſſimas eorundem cucullas purpuravêre.

Sævior tempeſtas in ANGLIA, Inſulíſque conterminis in noſtros detonuit B: GUILLELMUS *Haddoc* Cisterciensis in Monaſterio Wallensi, ab hæreticis comprehensus, ac primúm blanditiis, deinde verò minis, plagis, tormentis tentatus cùm Romanam Religionem ejurare nollet, Lancaſtriæ ſuſpenſus, & in qvatuor partes ſectus laureatū ſpiritum transmiſit ad Superos. *Paſſus Anno 1536.* Labente Annô eódem B: JOANNES *Pasleus* Abbas Wallenſis, unáque B. Abbas Saulienſis, cujus nomen temporum injuriâ interiit, ſimili ſupplicii genere Lancaſtriæ membratim diſcerpti gloriosô martyriô avitam Romanorum fidem confirmavêre. *Paſſi Anno 1536.* B: RICHARDUS *Wobitinges* Abbas Glaſtemburienſis. B: JOANNES *Torne*, & B: ROGERIUS *James* ejusdem Cœnobii Aſcetæ unô animô Apoſtolicæ Cathedræ authoritatem, ringente contra impiô Henricô VIII. publicè conſtantérque inter vincula & catenas confeſſi, ab eodem Anglicano Nerone ad mortem condemnati ſuſpendiô & crudeli membrorum lanienâ illuſtres CHRISTI victimæ evolârunt ad Cœlos. *Paſſi Anno 1536. 22. Nov.* B: GUILLELMUS *Truſt* Abbas Fontanenſis, ſimúlque B. Abbas Riverienſis (cujus Martyrii gloria cum plauſu ſuperſtes nominis deperditi diſpendia ſupplere debeat) contra Schiſma Anglicanum gemini pugiles iniquô Regis decretô in furcam acti, & ſemivivi in fruſta diviſi vivere priùs deſierunt, quàm vincere. *Paſſi Anno 1536.* B: THOMAS natione Anglus profeſſione Ciſtercienſis Dunis in Flandria, flagrante jam latè incendiô Anglicani diſturbii à Dunenſibus in Angliam miſſus, ut cum charactere *Præpoſiti* Inſulam de *Stapeya*, quam olim Rex Richardus Dunenſibus in perpetuum donaverat (ùt alibi memorabimus) in poſſeſſionem reciperet, ab Henrico altero Eccleſiæ Juliano Apoſtata, quòd auctoritatem Romanæ Sedis Vir Apoſtolicus liberrimè contra truces Judicum minas & terriculamenta palàm defenderit, morti adjudicatus furcam pro ſcala habuit, quâ Cœlos conſcendit, tot trophæis ſuper aſtra glorioſus in quot partes per Carnificem diviſus. *Paſſus circa Ann. 158[illegible].* Neque tam modicâ ſe-

rie ſtant aut conſtant Martyres è Ciſtercienſibus in Magna Britannia coronati, numerus eorundem haud parvus eſt, qui nempe excreſcit ultrà ducentos & ampliùs invictos Eccleſiæ Heroës, ſub Henrico, & nè hæreſi, ſua Turia infernalis deeſſet, ſub Eliſabetha è Ciſtercio pro Roma & Romani Pontificis aſſertione per diverſa tormenta immaniter trucidatos.

Paſſi Anno 1222. In SCOTIA pro immunitate Eccleſiaſtica occubuêre B: ADAM Epiſcopus Cathaneſienſis, & B: SERLO ejusdem in munio Coadjutor, utérque Ciſtercienſis è Cœnobio Meilroſenſi, ubi B. Adam priùs fuerat Abbas. Petierat fortè à Diæceſanis ſubditis de more conſvetas & Clericis debitas decimas optimus Præſul, ùt refert Bzovius, atque in contumaces meritum anathema fulminaverat: Quô tonitru incentore Comite Cathaneſiô exciti populares in Epiſcopum auſu nefandô irruunt, eúmque fœdè vulneratum, unà cum Beato Serlone barbari parricidæ ſemivivum in fumantem furnum injectum flammis exurunt. Enorme facinus mox, urgente haud dubiè ultionem offensô Numine, vindicavit Alexander Rex Scotiæ, qui facilè quadringentos ſceleris auctores & complices comprehenſos omnes ſuppliciô extremô affecit: atque nè poſteritas ſceleratâ hâc progenie notaretur aut infamaretur, trucidatis univerſim complicum filiis puberibus, impuberes teſticulis privavit, qui loco in quem projecti, infamem pepererunt nuncupationem, ut deinceps fuerit dictus Collis teſticulorum.

In HIBERNIA quò zelus fidei major, eò perſecutio ſævior: & quò numeroſiores pro Religione Catholica ferrô, igni, fune cadunt, eò copioſior Martyrum ſeges quaſi multiplicatô granô indè ſuccreſcit. Et quanquam per Sacerdotum Catholicorum exilia atque exitia ingentem in ijs Partibus plagam nuper acceperit Romana fides; Hiberna tamen religio ùt palma florebit, quæ preſſa ſe extollet ſublimiùs. E Ciſtercienſibus apud Hibernos pro fide cruentæ victimæ recidêre complures. Ac primùm quidem *Paſſi Anno 1606.* B: EVGENIUS *Ogallahurre*, & B: BERNARDUS *Trejur*, ille Abbas, hic Ciſtercienſis Monachus B: MARIÆ de Samaria, qui dum Regem ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput negarent, ambo per lictoris ferrum capite minuti cum triumphalibus laureis *Paſſus Anno 1580.* ad Martyrum choros evolavêre. B: GELASIUS *Oculenam* Abbas

bas Boylenſis, ſangvinem, quem è Familia Regum Momoniæ traxit, pro fide Orthodoxa nobiliſſimus Martyr profudit: carcerum ſqualore factus illuſtrior, tormentíſque robuſtior: Tandem communi Catholicorum Sacerdotum fatô ſuſpenſus in patibulo,& ut hæreticorum ſatiaretur crudelitas, membratim conciſus perennes acturus triumphos ad Cœlitum ſocietatem abiit. Ductus ad ſupplicium, zelô flammeus Apoſtolicæ prædicationis verbô in via plusquam quingentos hæreticos ad fidem converſos Eccleſiæ reſtituit, tot utique gemmas inſerturus ſuæ coronæ, quot animas reſtituit Eccleſiæ. Habuit Gelaſius Martyrii & gloriæ conſortem B: EVGENIUM *Omulkeram*, Monachum Ciſter- *Paſſi Anno*
cienſem, & B: JOANNEM *Kiranum* Abbatem Præmonſtraten- *1580.*
ſem. B: PATRITIUS & B: MALACHIAS Uterque in Mona- *Paſſi Anno*
ſterio Bullienſi Ciſtercienſium alumnus, uterque pro Eccleſia *1585.*
glorioſus in furca Martyr, prior adhuc ſpirans in quatuor partes dismembratus, alter lanceâ in pectore confoſſus animas emeritas ad capiendum bravium beatiſsimè efflârunt. Nihil tamen tota Hibernia inter Ciſtercienſes Martyres illuſtrius habuit, quàm QUADRAGINTA illos BEATOS ASCETAS Magienſis Cœ- *Paſſi Anno 1591.*
nobii, quos unà cum Abbate in pervigilio Virginis ſuper Cœlos aſſumptæ ferox Hæreticorum turba ante Venerabile Sacramentum in Eccleſia proſtratos, fatalémque ictum præſtolantes capite truncavit. Solus Cellarius ijs horis à Monaſterio abſens funeſtæ ſtragi ſuperfuit, qui conſpectâ tam atroci & ſacrilegâ Confratrum lanienâ profundè ingemuit, magnóque planctu indoluit, non eſſe jam eô pervigiliô in ſolemnibus Veſperis qui Magnam Ciſtercienſium Dominam ſuper Cœlos ſcandentem votis atque vocibus in ſublime euntibus comitarerur. Lamenta hæc animô volvens Chorum ingreſſus eſt, & en prodigium grande! vidit ſacratiſsimos Martyres reaſſumptis capitibus in ſtallis ſuis pro Ordinis more conſiſtere, qui longè dulciſſimâ, & Divinum aliquid ſpirante modulatione Veſperas ex integro ſolemniſſimè decantârunt, auſcultante ſuperſtite Monachô inter dulces gemitus Sociorum Divinos jubilos, atque inter mortalia ſuſpiria feliciſſimæ Sodalium immortalitati millies applaudente. Augebat jucunditatem ſpectaculi relictum in ſingulorum gutture enſis veſtigium, circulus circùm collum rubeus. Perſolutis Veſperis cervices ſingulorum rursùm à corporibus ſponte avulſæ ani-

mabus viam aperuêre, quâ ſinè obſtaculo dulciſſimam Matrem ſuper ſidera euntem ſequerentur.

Apud HISPANOS primitias Martyrum conſecravit Regia Trias S: BERNARDUS *Alziranus* ſic dictus à loco ſepulturæ, & geminæ Bernardi Sorores MARIA & GRATIA poſt repudiatum fœdum Alcoranum è Mahometanis Chriſtiani, Ciſtercienſes, & Martyres. De quibus alibi infra. Horum illuſtrem in Martyrio purpuram æmulati ſunt BIS MILLE pro Hiſpania, pro Luſitania, pro Eccleſia Hercules, Ordinis Ciſtercienſis DE CALATRAVA Milites, qui Alphonsô Rege infelici præliô à Jucaf Saracenorum Principe juxta Caſtrum Alarcos devictô, & Arce Calatravâ in Victoriæ appendicem à barbaro victore vi expugnatâ, dum in truculenti Principis poteſtatem Sacri Pugiles captivi traherentur malô dolô tentandi, ut Saracenorum dogmata amplectꝫerentur, nullis machinis, nullis irritamentis induci poterant, ut in ſacrilegas compedes tam impiæ Sectæ Viri nobiles, ac Chriſtianæ libertatis acerrimi defenſores ſeſe ullô pactô conjicerent. Igitur trux Jucaf univerſos internecione delevit, ac martyriô coronatos crudeli quidem obſequiô vinculis carneis & ferreis exemptos libertate Filiorum DEI donavit. Sacræ Martyrum exuviæ Tyranni permiſſu terræ mandatæ ſunt collectæ in locum unum, ubi poſtmodum Sacellum à Chriſtianis extructum eſt *S. MARIÆ ad Martyres* nuncupatum: Cui Leo X. Pontifex Maximus ad Sanctos hos Martyres fidelium aucturus devotionem, ampliſſimas id viſitantibus conceſſit indulgentias. Quorum triumphos eleganti panegyri Magnus ille Angelus Manrique in die Sanctis his Martyribus Feſtô divulgavit. Habet præterea Hiſpania è Militaribus Ciſtercienſium Ordinibus tantô numerô glorioſos Martyres, ut Chryſoſtomus Henriquez in Menologio ad diem 26. Novembris calculô in infinitum propemodum protensô INNUMERABILES pronunciet Martyres *de Calatrava, de Alcantara, Aviſio, Chriſto, & Monteſa*, qui pro vindicanda à Maurorum jugo Hiſpania, & fide Chriſti inter Paganos propaganda fortunarum, ſanguinis, vitæ diſpendia paſſi, exantlatis immenſis laboribus inter gladios & enſes, inter flammas & furcas tot trophæis laureati Martyres evolârunt ad Superos.

Paſſi Anno 1180.

Paſſi Anno 1195.

Alcobacienſes Marty-

In LUSITANIA illuſtris eſt Ciſtercienſium Domus *Alcobacienſis*,

cienſis, cui Univerſus Ordo parem non habet. Aliti in ea conſtanter præter complures Converſorũ centurias Regiâ Alphonſi I. Fundatoris munificentiâ Monachi 999. Divinis in Choro laudibus jugiter occupati. Annus Chriſti 1195. quô Saraceni penetrârunt in Hiſpanias, huic Cœnobio, ſi humana hæc ſpectes, funeſtus fuit, ſi cœlum & laureas, glorioſus. Spes opulentæ prædæ, & innatum nominis Chriſtiani odium Barbaros accenderant, ut rudimenta cruentæ tyrannidis ponerent Alcobaciæ in Monachis. Jugulati Aſcetæ omnes Saracenorum ferrô, neque inviti, ſed opinione Manriquei aut ultrò Barbaris Obvii, aut in Eccleſia, ad quam in Choros diſtinctæ tot Monachorum atq; Converſorum centuriæ confugerant, inter Canticorum, Pſalmorúmque jubilos futuris in Cœlo triumphis egregiè præludentes. Felix Eccleſia! quæ in una Ciſtercii Domo, unâ die ultra mille ſpectavit illuſtres pro fide victimas: & tamen, quemadmodum *non omnes Fabios*, ita nec omnes ex Alcobacia ex Ciſtercio pro Roma pugiles *abſtulit una dies.*

res Paſſi 1195.

Manriq. ad Ann. 1195. c. 2.

In AFRICA gemini Athletæ pro Religione uſque ad ſangvinem & mortem decertârunt. B: FERDINANDUS Princeps Luſitaniæ, Generalis Magiſter Militiæ *de Avis*, & B: MICHAEL Miles *de Monteſia*, ambo Ciſtercienſes. FERDINANDUS à pietate in DEUM, miſericordia in egenos, à Virginitate illibata tumulo illata, à tolerantia in adverſis, & zelo fidei totô Orbe Illuſtriſſimus Princeps, dum inſtructiſſimâ claſſe Africam ac Saracenos in Tingitana obſidione non modicô terrore perculiſſet, per inſidias ab hoſtibus interceptus, carcere, vinculis, ærumnis, opprobriis ſolicitatus ad turpem à caſtris Chriſtianis fugam, excelsâ indole Tyrannum Jazeraquium, cruciatus omnes, mortémque ipſam audacter deſpexit. Tandem laureolæ maturus longum martyrium in ſqualido carcere feliciſſimâ morte clauſit, DEIparâ Virgine, Divô Joanne Evangeliſtâ, ac S. Michaële Arch-Angelo paulò ante obitum Ferdinandum ad duplicatam Martyrii & Virginitatis laureolam viſibiliter evocantibus. Corpus exanime Tyrannus in capſa lignea è mœnibus ſuſpendit, ſed humaniores Tyrannô boni Cœlites ſanctiſſimi Concivis ſui exuvias per multas noctes ingenti ſplendore, DEUS Optimus! mirandis prodigiis illuſtrârunt. Requieſcit nunc ſacrum Martyris corpus

Paſſus Anno 1443.

pus Bataliæ in hæreditario Principum Luſitaniæ Mauſolæo miraculis percelebré. B: MICHAEL *de Monteſia* Miles, Apoſtolus, Martyr in Africa: qui domeſticô hoſte per inediam, flagra, cilicia ſub jugum redactô, & ad tormenta ſolidè obfirmatô, zelô Apoſtolicô æſtuans ex Hiſpaniis in Africam navigavit, atque ibi Crucifixi Salvatoris effigiem quaſi militare labrum manu tenens Evangelicæ prædicationis claſſicô barbaris Gentibus Chriſti fidem liberrimè annunciavit. Quapropter comprehenſus & in compedes compactus, minis, plagis, blandimentis longè ſuperior, vivus à Saracenis in ignes injicitur daturus flam̃is novum ipſe ſplendorem, futurúsque ſuaviſſimum DEO holocauſtum.

Paſſus circa Ann. 1350,

INDIA *Orientalis* non tam ſuis opibus, quàm Martyrum ſangvine pretioſa præter complures alios egregios pro fide Athletas pariter immolavit Cœlo præclaras è Ciſtercio victimas. B: CHRISTOPHORUM & B: JOANNEM utrumque Militem *de Chriſto*, cum aliis ſex ejuſdem inſtituti commilitonibus. CHRISTOPHORUS antequam impiô ferrô caderet pro religione hoſtia, armis ſtrenuus præclaris præliis inimicos Crucis CHRISTI Victor crebrò cæcidit, adeò quidem, ut Rex Zeilæ Gradametus virtutes vel in hoſte Chriſtophoro ſuſpiceret; amarétque, oblatâ eidem ſummâ Exercitûs præfecturâ, eâ ſcilicèt conditione, ut non modò arm̃is, verùm inſuper animô fidéque Mahometanis accederet. Contempſit hæc lenocinia invictus Heros, atq; cùm videret Regem ex eo contemptu in ſe furentem, cervicem præcidendam genuflexus Tyranno exhibuit, quam purpuratus latro frameâ truculentus illicò amputavit. Hâc capitis detruncatione acceſſit inclytis Chriſti Martyribus novus collega, Chriſtianis verò populis in Tingri Provincia & confiniis novus Tutelaris Patronus, qui annis ſingulis Martyrii diem apud illius loci Chriſticolas cultui ſuo dedicatam habet. B: JOANNES cum parvo ſuorum manipulo facinus Heroë Chriſtianô digniſſimum Dianci in India audacter aggreſſus, dum deturbando infami Mahometis vexillo, atque in ejus locum extollendo Sanctæ Crucis ſigno ſtrenuè occuparetur, à Saracenis circumventus, barbaréque unà cum Sociis trucidatus pro gloria Crucis occubuit. Martyrum corpora in mare abjecta adversô maris æſtu, fluctúque reciprocô obſiſtente, Angelicô, ùt creditum eſt, miniſteriô ad Portum

Henriquez B. Chriſtophorum memorat in Menol. 12. Novemb. & B. Joannem cum Sociis 27. Decemb. ſed in neutro locô annum Martyrii exprimit.

tum Caſtro Luſitanorum vicinum delata, ità animos militum ad pugnæ fervorem, ſpémque victoriæ indubiam erexêre, ut collatis mox ſignis ingentem in Barbaris ſtragem ediderint, pugnantibus nempe è Cœlo pro Chriſtiadum gloria Sanctis Martyribus.

In SYRIA Clariſſimi Martyres Milites Templi ſeu TEMPLARII Turcarum ferociæ, atque præpotenti in dominando libidini formidabile frœnum impoſituri, inſigne munimentum *Vadum Jacob* ex eo nuncupatum quòd eo in loco Jacob Patriarcha cum Angelo luctatus ſit, ripæ Jordanis ſuperſtruxerant, barbaris hoſtibus ac æmulis infeſtum ſummopere atque inviſum: quod illi proinde collectis totius Imperii viribus feroci impetu aggreſſi admotis machinis vi cepêre. Victoriæ truculenta appendix horrida Militum Templariorum laniena; omnes namq; quotquot è Præſidiariis capi poterant, im̃ani barbarie ſerris media viſcera rimantibus crudeliſſimè Secti evolârunt ad promeritas in cœlo Coronas. *Paſſi Anno 1180.*

Redeundum è Plagis Paganorum ad Chriſtianam Europam eſt, atque in primis ſpectanda ITALIA Sacerrimæ Religionis pulcherrima Sedes, quam quidem olim Decii atque Diocletiani Chriſtianorum victimis, ſed & poſt hos Fridericus Ænobarbus Cæſar, & Friderici juſſu Sacrilegi milites multô Religioſorum ſangvine in *Morimundenſi* Cœnobio apud *Mediolanenſes*, atque in *Clara-Vallenſi* apud *Placentinos* cruentârunt. De Italiæ Morimundo hæc ſcribit Manriqueus ad *Annum* 1236. c. 8. à Friderico ſæviente in Eccleſiam *per milites Papienſes* pudendô ſacrilegiô *nudatos eſſe Monachos, cæſóſque, combuſtas domos, ipſa Sacra myſteria prophanata.* Atque ut poſt trucidatos Monachos eò illuſtrior eſſet Cæſaris ſacrilegus furor, ſævitum in Epiſcopos & Cardinales victimas ſcilicèt è Ciſtercio illuſtriores. Manriquei ferè verbis citatô locô iterum hìc loquendum eſt: *effuſô pudore*, ſcribit ille, *Cardinales, Epiſcopos, Abbates ex Ciſtercio ferè omnes ab ipſô Friderico vinctos fuiſſe compedibus, qui glorioſiſſimô fatô inter vincula felices exhalârint animas.* De Monachis Clara-Vallis Placentinæ, quæ Domus vulgò dicta eſt *de Columba* teſtatur Carolus de Viſch in ſua *Biblioth. Script. Ord. Ciſt. pag.* 235. juſſu Friderici Cæſaris in Summi Pontificis contemptum atque abominationem incenſum eversúmque eſſe Cœnobium, atque nè ſacrilegis incendiis ſua deeſſent ſacer- *Monachi in Morimundo Mediolanenſi Paſſi ſunt An. 1237.* *Sub idem tempus etiam Martyriô coronati Monachi de Columba*

rima holocauſta, Cœnobitas omnes ad unum militum gladiis innoxias victimas cecidiſſe pro Pontifice & Eccleſia.

Paſſi ſunt Martyres Firmitatis Ann. 1300.

Neque GALLIÆ deſunt ſuæ victoriæ aut Victores. In uno *Firmitatis* Cœnobio Annô 1300. ab Heterodoxis trucidati unà cum Abbate Monachi plusquam quinquaginta numerô felici, quia media ex parte jubilæô, perennes jubilos acturi migrârunt ad Superos. Major Martyrum numerus per reliquam Galliam Edmundô à Cruce, & Angelô Manrique Illuſtribus teſtibus facilè excreſcit ultra centuriam, integerrimô ſcilicèt jubilæô, qui omnes, in locis quidem diſcretis, unô tamen zelô, unô corde ac Spiritu impia Novatorum dogmata cane pejus & angve averſati veritati Catholicæ ſubſcripſerunt. Quos inter B: STEPHANUS Abbas Elnenſis Albigenſium juratus æmulus, qui dum à Comite Foxenſi in Villam S. Ægidii ad Legatos Apoſtolicos in negotio fidei contra Albigenſes fuiſſet miſſus, in medio itinere per inſidias à Gerardo de Pipio homine fero ac hæretico triginta ſex, itineris verò ſocius B: ILDEBRANDUS Converſus viginti quatuor vulnerib9 cõfoſſi ambo inter tot vulnera meruêre illuſtria in cœlis trophæa. Habet præterea Gallia præclaram pro juſtitia ac diſciplinæ Monaſticæ Zelo victimam B: GERARDUM Sextum in Clara-Valle Abbatem, Proto-Martyrem in univerſo Ciſtercio, qui Sacrilegâ ſicâ Igniaci confoſſus primitias ſangvinis Ciſtercienſis conſecravit in zelo ac juſtitia. Habuit Gerardus inſtantis ſui Martyrii atque laureolæ monitores è Cœlo Divos, *Maternum*, *Evcharium*, atque *Valerium*, Trevirenſium Apoſtolos, Patronos ſibi inprimis familiares (dum nempe viſitaturus ſuæ Lineæ Filias Domos, Trevirim ad Eorundem ſepulchra ſupplex Cultor ſemel iterúmque divertiſſet) atque ab ijsdem juſſus ſeſe accingere glorioſæ morti. Acceſsit alter monitor è Clara-Valle Frater quidam Sanctus, qui Gerardo abituro Igniacum, quod eſt Galliæ Cœnobium Claræ-Vallis Filia, vitæ periculum atque diſpendium apertiſsimè eſt vaticinatus. Nîl tamen terrere poterat prævisa atrox cædes Virum ad Cœlitum Societatem maximopore anhelantem. Ivit igitur magnis animis ſanctiſsimo fato obviam Gerardus, Igniacíque, ùt jam præmonui, ſub nocturna ſilentia oblongô cultrô perfidè confoſſus nec gemitum dedit, nec queſtum, ſed quaſi per facta ſibi nuper de marty-

Paſſus Anno 1209. (beside "veritati Catholicæ ... NUS Abbas")

Paſſus Anno 1209. (beside "ta ſex ... ti quatuor")

Paſſus Anno [illegible] (beside "juſtitia ac diſciplinæ")

rio

rio cœleſtia oracula in tormentis, juſſus eſſet ſilere, percuſſorem non unô contentum vulnere, verùm horridâ lanienâ immerſam in intima viſcera ſicam diu multúmque verſantem his ſolùm verbis affatus eſt: Parce! quæſo, *Ceſſet jam manus tua; quia nullô modô de cætero vivere potero.* Fugit nefarius conſummatô ſcelere, & Gerardus nè aliquô clamore aut gemitu proditus percuſſor traheretur ad ſupplicia, tamdiu tenuit ſummos inter dolores ſilentium, quousque à Fratribus mæſtùm conclamantibus inventus eſſet. Supervixit biduô unicè ſolicitùs de percuſſoris ſalute, ex corde ei conceſsâ criminis indulgentiâ: precatus cæteros, nè de reo vindictam quôquo modô ſumerent. Obiit poſt ſuſcepta Eccleſiæ Sacramenta non modò morte Chriſtianâ, ſed & morte CHRISTI, inter ardentes ad DEUM preces pro percuſſore. In Ejus tranſitu auditi ſunt Angelorum concentus, lætæ velutì Triumphatori acclamationes, quòd vicerit, triumphâritque parcendo: ipséqne Martyr Sanctus ſemel iterúmque S. Petro Monoculo Igniaci Abbati, atque etiam Clara-Vallenſibus ſuis ab obitu in gloria apparuit ſuæ laureæ coronatus Præco. Sacras exuvias Claram-Vallem translatas egregia illuſtravêre miracula. Sacrilegus percuſſor fugâ dilapſus nunquam ad frugem rediit, ſed Manriquei teſtimonio *cit: loco:* c. 3. fatô proditoris Iſcariotis impœnitens obiit.

Apud BELGAS dum ſuperiore ſæculô in funeſto Religionis bello inter reliqua Cœnobiorum excidia etiam Boneffienſe Ciſtercienſium Monaſterium ſubjectis flammis arderet, B: PAULUS *Lamps*, Ejusdem Cœnobii Sacerdos Sparſa jam latè incendia fugiens in manus Satellitum Auriaci incidit, qui odiô religionis ac Sacerdotii efferati mox Virum pium laqueô in gula conſtrictum in Crucem egêre, & animam pendentis ægrè duntaxat in afflicto corpuſculo hærentem indignabundi copiosâ plumbeâ grandine ſclopetis explosâ penitùs excuſsêre, quæ per multiplicata martyria è cruce, laqueo, & plumbea grandine evolavit ad multiplicata Martyribus prœmia. Altera Belgarum è Ciſtercio victima fuit: B: CORNELIUS *Poldermanns* Prior Monaſterii in Urbe Zirikzea apud Zeelandos, qui poſteaquam longâ monaſticæ vitæ exercitatione apud Ciſtercienſes & pati & mori didiciſſet, furente per Belgium hæreſi contumelias, plagas, ma-

Paſſus Anno 1556.

Paſſus Anno 1572.

gnô animô tolerans per hæc dura præludia ad imminentem mortem accinctus, eandem pro Orthodoxa religione fortiſſimè oppetiit.

In GERMANIA ut cumulatior Ciſtercio accreſceret gloria, integros paſſim Conventus per exquiſita tormenta exciſos Martyriô coronavit hæreſis. Et primò quidem Monachi Ciſtercienſes Cœnobii SETICHENBEKENSIS à Gerardo Comite Mansfeldio in odium fidei omnes ad unum trucidati ſunt, ſolô Abbate pro ſtatûs dignitate, ſeu fortè meliùs ludibrio ad inſigniora ſupplicia reſervato, quem deinde impius tortor perticæ alligatum vivum in igne torreri juſſit. Supplicium atrox! niſi in novum Laurentium incidiſſet, qui medias inter flammas inſuper nova majoráque ſitiret tormenta. Neque multò mitiùs egêre ſangviſugæ Huſſitæ cum Monachis Vetero-Cellenſibus in Miſnia, quos omnes truncatis manibus & pedibus pro CHRISTO & Religione inter acerbiſſimos dolores ſangvini ſuo innatantes iniquô, at verò Ciſtercienſibus noſtris pergratô obſequiô transmiſſerunt ad perennes laureolas. SEXAGINTA deinde illi Germani Martyres, quorum Manriqueus & Henriqueus meminêre 9. Martii: Et SEXAGINTA illi QUATUOR quorum ab ijsdem Authoribus 14. Decembris facta mentio quid aliud ſunt, quàm pulcherrimæ roſæ ab hæreticorum gladiis quaſi à domeſticis ſpinis ſuômet ſangvine cruentatæ?

Paſſi Anno 1376.

Neque Henriqueus neque Manriqueus Annum Martyrii locis cit. produnt.

Transfusô è Germania in propinquam SUECIAM Lutheri novô dogmate, è ſemine peſſimo ſurrexit optima ſeges, glorioſi Martyres è *Nova-Valle*, qui ipsâ Purificantis Divæ Parentis feſtâ die poſteaquam ſe omnes ſacrâ Synaxi, cibô fortium ad inſtantem luctam armâſſent, à crudeli Tyranno Chriſtierno II. Danorum Rege multis vulneribus confoſſi, in aquas præterlabentes præcipites dati præclarô Martyriô ceu navigiô enatârunt ad Portum ſupernæ felicitatis.

Paſſi circa An. 1480.

Pari in Ciſtercienſes atrocitate ſævitum eſt in PRUSSIA & POLONIA, mutati duntaxat in Scena Carnifices; alibi enim ſub Chriſtianorum larvis hæretici, hìc ſub hominum larvis belluæ, truces Tartari atrocia auſi in noſtros. Celebre eſt in Pruſſia Cœnobium OLIVA nuncupatum, vel ipsô nomine floridum ac pingve:

gve: nuper in Coronæ Polonicæ ambitu Sereniſſimorum Æmulorum ac Principum Friderici Auguſti Electoris Saxoniæ, ac Ludovici Principis Conti hoſpitiô per omnem Europam famâ notiſsimum. In hac Oliva crevêre pro Martyribus palmæ, quando Barbari irruptione factâ B: CASIMIRUM Abbatem, universámque Congregationem Olivenſem per palmam Martyrii miſerunt ad capeſſendam alteram illam, quæ ſurſum eſt, pacis ſempiternæ Olivam.

Paſſi ſunt Olivenſes An. 1224.

In POLONIA triplex Martyrum cohors cæſis totidem integris pro fide, Ciſtercienſium Conventibus, ſangvinis effuſi ſacratiſſimâ purpurâ nobilitavit Eccleſiam. Primæ Victimæ Martyres Cœnobii CUPRUNICENSIS, qui â Tartaris trucidati hodiedum annuâ feſtivitate Sendomiriæ coluntur in ſolemnitatis augmentum inſignibus à Romanis Pontificibus conceſſis confirmatíſque indulgentiis. Alteræ pro religione victimæ ecidêre per Tartaros *in Monaſterio Sanctæ Crucis* penès Cracoviam in Monte Calvo. Percuſſus in hoc Ciſtercienſium ovili Illuſtriſſimus Paſtor S: STANISLAUS Abbas, Regis Boleslai Pudici conſangvineus, unà cum ſanctiſſimo Monachorum grege, numerô 82. Tertiæ pro Eccleſia victimæ fuêre Virgines VITAVIENSES quæ à Paganis excisô Monaſterio crudeli ferrô cæſæ victrices animas CHRISTO Sponſo conſignârunt.

Paſſi circa Ann. 1[illegible] *Paſſi Anno 1260.* *Paſſæ circa An. 1260.*

Apud SILESIOS B: BENIGNA Wratislavienſis Parthenonis illuſtris Virgo & Martyr, Virginei pudoris, fideíque Orthodoxæ cuſtos ſtudioſiſſima, dum tormenta atque blanditias indole ſupra ſexum generosâ conſtanter contemneret, hoſtili Tartarorum gladiô in Virgineam cervicem ſæviente glorioſa triumphatrix evolavit ad ſidera.

Paſſa circa Ann. 125[illegible]

In LUSATIA per Huſſitas non tam ſuô calice, quàm furore ebrios tumultuatum eſt: devaſtata per eos celeberrima duo Ciſtercienſium Cœnobia *Nova-Cella*, & *Grunbeimium*, jugulatiq́; Aſcetæ omnes, qui inſanos eorundem errores, ac ſacrilegas in Eccleſiam blaſphæmias unô ore deteſtantes furentium in ſe gladios læti exceperunt.

Martyres de Nova Cella paſſi Ann. 14[illegible]. ſub idem etiam tempus martyrii corona Monachi de Grunbermio.

Immanior tempeſtas Ciſtercienſes afflixit in BOHEMIA Calixtinis in Monaſteria & Viros religioſos paſſim inſanè debac-

Bbbb chan-

chantibus. SEDLICIUM, PLASSIUM, OSSECUM-SANCTA CORONA, AULA REGIA ſplendida olim Cœnobia, infeſta & cruenta hodiedum ſentiunt Huſſitarum veſtigia: ſacrilegâ manu transformatæ Sacræ Domus in horrida macella, tot hoſtiis pro fide fortiter cadentibus, quot Ciſtercienſibus pro Eccleſia intrepidè ſtantibus. Poſt Religioſorum crudeles interneciones ſævitum eſt in lapides, ut hi nempe perennes in ſæcula teſtes eſſent barbaræ lanienæ, per quam trucidati tot Viri inclyti, Sacratiores Regni Atlantes, per quorum merita felicitas Patriæ magna ex parte & creverit & eouſque ſteterit. In tanta malorum congerie illud Sedlicii, Sanctæ-Coronæ, & Aulæ-Regiæ ad noſtram uſque ætatem perquam jucundum, quòd Tiliæ, in quibus furcarum forſan defectu ſuſpenſi olim Ciſtercienſes noſtri, *folia caputiata* ad pium intuentium ſtuporem protruſerint; ſcilicèt hæc florida caputia laureæ ſunt, quibus gratiſſimæ arbores Martyres ſuos ad Heterodoxorum invidiam ornent atque coronent.


Religioſi ex his quatuor Cœnobiis paſſi ſunt circa Annum 1421.

Claudo titulum, & calamum votáque mea Honori ſacratiſſimorum Martyrum in his ipſis Tilijs quàm reverentiſſimè ſuſpendo. Nec tamen mihi perſvaſerim, neque Lector velim perſuadeat ſibi, præter hos laudatos Chriſti & Eccleſiæ egregios pugiles, nullos alios produci poſſe â Ciſtercienſibus Scriptoribus præſertim cùm in tot Monaſteriorum excidiis ſangviſugæ Heterodoxi vix peperciſſe credendi ſint Religioſis, propter quos ità ab ijs ſævitum ac tumultuatum eſt in lapides, ædéſque ſacras. Hos quidem mihi memorâſſe hìc ſufficiat, alii alios induſtriô ſcrutiniô inveſtigent, quos ſeu panegyricô, ſeu hiſtoricô calamô laudent.

MAR:

MARTYRES.

ECcleſiæ naſcentis *Semen*,
Creſcentis *Flos*,
Militantis *robur*,
Triumphantis *decus!*
Tu, mi Lector, *felices* homines diceres,
Si *mori* non *potuiſſent*:
Ego *infelices* pronũciarem, ſi *mori* non poſſent.
Nunc tandẽ iterũ verũ *Magni Aurelii* oraculũ,
Felix eſſe *Adæ peccatum!*
Per quod intravit *mors* in mundum,
Et per *mortem* Cœlitum Amores
Purpurati *Martyres:*
Quid enim ijs *pati* prodeſſet,
Si mori non oportuiſſet?
THERESIÆ affectus:
Aut pati, aut mori?
Martyrum vota:
Et pati, & mori!
Nempe ijs, *pati* voluptas;
Mori felicitas!
Larvam detraxêre *morti Martyres*,
Quâ terruit Mortales.
Non timuêre *mori*, qui optavêre *pati*.
Mors eis *beneficium* fuit, non *pœna*.
Homo & *Mortalis* hodie res eædem:
Ab initio autem non fuit ſic.
Adam *primus homo*,
Priùs homo, quàm *Mortalis*,
Mori cœpit, cùm *veſci:* Geneſ. 3.
Deinceps *ſimul Homo*, & *Mortalis*.
Aliorum Parens, *quà homo*,
Martyrum, *quà Mortalis*.

In *ſolum DEUM* peccaviſſe videri Adam potuit, cùm comedit,
Non in *Martyres Nepotes*,
Qui maluêre habere *Patrem mortalem*,
Quàm qui nec *pati*, nec *mori* poſſet.
Martyrium & *Ciſtercium*
Non diſsimiles Matres
Similes peperêre filios
Dictos *Morimundenſes*;
Quidni enim Martyres Sancti, ſi fuiſſent omnes Ciſtercienſes,
Fuiſſent omnes *de Morimundo Morimundenſes?*
Singulis *Morimundi* Matris *Filiabus Domibus*
Pro dote data inſcripta *

Mors in *votis*, Mors in *Scutis*,
Mors in *portis*, Mors in *Ollis*,
Psalm. 115. Atque ut *pretioſa* eſſet *Mors*
In *conſpectu*, *aſpectu*, *reſpectu*,
Inciſa etiam *gemmis* & *annulis*,
Geſtata Abbatum *digitis*,
Culta clientum *oſculis*.
Denique dulcis *Martyribus* atq; *Ciſtercienſibus* Vox,
MORI MUNDO!
Fuêre olim docta Poëtarum ſomnia,
Mortem cum *Amore* mutaviſſe ſpicula,
Per quæ deinceps *dulciùs* homines *potuêre mori.*
Amoris ſagittas Amantes non ſentiunt
Niſi cum *voluptate.*
Mille in Martyribus *vulnera*
Sunt mille *Amoris ſignacula*,
Quòd millies *deviverent*, ſi millies *viverent.*
Dixi, & quia *bene*, non *malè* repeto,
Pati & *mori* Martyrum *Felicitas* eſt,
Ampliùs dico,
Inſuper *voluptas* eſt.
Sapient. cap. 2. *Damnatæ* jam olim *deliciæ*,
Coronare ſe Roſis.
Diadema ferre ſpinis rigidum,
Hoc planè Regium, hoc Divinum.
Seu in Cruce *Spinæ* ornaverint *Salvatorem*,

Seu

Seu *Salvator* ornaverit *Spinas*,
Utrumque Spinis honori eſt,
Quas inter DEUS mori voluit,
Neglectis *Roſis*.
In Ciſtercii *Rubricis*
Invenio celebrari *Feſtum Spinæ*
Non *Roſæ*. *11. Auguſti.*
Fragmentum hymni de *Spina* eſt:
Spina eſt triumphis aptior. *In hymno Feſti ſuſceptionis S. Coronæ Dñi.*
Quidni etiam
Spina eſt *coronis* aptior?
Prælia, *ſerta*, *trophæa*
Ciſtercii Martyres è *Spineto* legunt.
Charior ipſis
Bernardus Spina,
Quàm
Bernardus Roſa,
Uterque quidem Ciſtercii *Flos*, *Griſſovienſium apud Sileſios Abbas laudatiſſimus qui obiit Annô 1696.*
Sed magìs ille,
Qui *plenis amplexibus*
Cruces, *lanceas*, *clavos*, *Spinas*
In effigie præſefert
Bernardus *Mellifluus*,
Novô cognomentô
Bernardus *Spina*.
Offendet Bernardum pictor,
Qui *Crucem* in *amplexus* inſinuabit
Redimitam *Roſis*, non *Spinis*.
Dulces nempè haud dubiè ſunt *ſpinarum punctura*,
Quas *Salvatoris vertex*, & *Bernardi amplexus*
Dulcoravêre!
Pungant, *expungántque* è Ciſtercii inclytis Martyribus
Et *ſangvinem* & *vitam*:
Scilicèt ex puncturæ & vulneris hiatu
Evolabunt victrices animæ
Ad immarceſcibiles *roſas* & *laureolas*,
Quæ non crevêre niſi è *ſpinis*,
Neque coronabunt niſi *ſpinas*;

Quid enim *Roſa* tam coronat, quàm *Spinam?*
Dictum olim,
Maledicta terra
Geneſ. 3. cap. *Spinas & tribulos germinabit!*
Sed hoc dictum antiquis.
Hodie in *Spinis* ac *tribulis*
Terra *benedicta* eſt,
Nata ferre *benedictos fructus*
Chriſti *Martyres*,
Qui malint habere in *terra terram*
Cum *Spinis*, quàm cum *Roſis.*
Catharina *de Senis*,
(Sit venia calamo, ex induſtria errabo, & dicam)
Catharina *de Spinis*
Coronam *auream* neglexit,
Spineam elegit,
Idea Martyrum!
Qui eligunt hìc *ſpinis*, *lanceis*, *gladijs*,
Pungi, *premi*, *pati*, *mori*,
Et expectare coronas *aureas* in alia ſæcula,
Quæ ab immenſa felicitate erunt *aurea.*
Ante *ultimum* Tituli præſentis *punctum*
Habeo adhuc Tibi dicere *unum punctum*
Benevole Lector!
Coronari vis? *Pungi velis!*
Non eris de numero *coronandorum*,
Si non fueris de numero *punctorum.*
Spina Roſæ Mater eſt:
Cape Matrem, & *carpes Filiam*,
Sinè ſcelere hìc potes, imò & debes
Et *Matrem amare & Filiam.*
Hoc fac & vives,
Hic in tempore *ſpinis punctus*
Ibi in æternitate *roſis redimitus!*
Atque unum hoc tibi *dicere*, & *optare* volui
Punctum. Vale!

TITU-

TITULUS XI.

CISTERCIENSES VIRI APOSTOLICI.



MOnendus in limine Lector de præſentis Tituli pretio, inter ſummas nempè Ciſtercii laudes præcipuè haberi, ſuſceptos eſſe à noſtris ingentes pro Eccleſia labores, converſas Gentes, everſos idolorum cultus, triumphatas hæreſes, compoſita ſchiſmata, propagatam fidem, vindicatam Romam. Magna hæc ſunt

 in

in *Monachis*, &, quòd mireris ampliùs, in *Ciſtercienſibus*, qui elongati à turbis ſæculi inter dulcia Montium concava vitæ contemplativæ ſuaviſsimam felicitatem totis animæ viſceribus ſectabantur. Poſt conditum Ciſtercium ſimilia per alios quoque in Eccleſiæ & populorum obſequia fuiſſe facta, non diſsimulo, neque diffiteor; ij tamen tales fuêre, qui ex primo inſtituto ſuo operosã *Martham* profeſsi, omnes propè labores ampliandæ Orthodoxæ fidei, convertendíſque, atque ad Eccleſiæ gremium adducendis infidelibus ſanctiſsimè conſecravêre. At verò Ciſtercienſes noſtros cum MARIA ad pedes Domini in pulchritudine contemplationis conſidentes in opus Evangelii ſeu ultrò, ſeu ad unos Pontificum nutus ingenti alacritate, & toties conſurrexiſſe, id planè magnum & dignum admiratione ac plauſu. Atque is Religionis zelus, animarúmque ſalus magnetis inſtar pertraxerunt olim, ſervántq; hodie Ciſtercienſes tam extra quàm intra clauſtra non modicô numerô in ſacra fideliũ obſequia promptos atque expeditos. Ex modicis Authoribus, qui ad manum ſunt, paucula hæc ſelegi, quam illi materiam per volumina ſua ſparſerant. Credo, me latere plura alia pro cumulando hoc titulo, & libenter pro Ciſtercii gloria hanc ex parte mea ignorantiam confiteor.

Apoſtolicum itaque ſpiritum Ciſtercienſibus inſufflavit *Apoſtolicus* BERNARDUS, qui expugnatis *Petri Abailardi*, *Arnaldi de Brixia*, *Petri Toloſani*, *Gilberti Porretani*, aliorúmque inſignium Hæreſiarcharum ac Novatorum falſis dogmatibus, pacatóque prævalidô *Petri Leonis* ſchiſmate, *Guillelmô Aquitaniæ* Duce verborum fulminibus ad ſanctiora compulsô, *Rogeriô Siciliæ Rege* Eccleſiæ reconciliatô, & hoſtibus æmuliſque alioquin infenſiſsimis ad Innocentii pedes ſuppliciter proſtratis, publicis Populi Romani applauſibus Urbe egrediens jure optimô ſalutatus fuit, *Pacificator Orbis*, *Eccleſiaſticæ libertatis Vindex! Patriæ Pater!* Hæc Bernardus encomia ſibi & Ciſtercio ſuo meruit & intulit, felicior Tulliô, ac verior Patriæ, imò Eccleſiæ univerſæ Pater.

Paſſus Anno 1208. Armavit eôdem hôc Apoſtolicô zelô Bernardus in gloriam jam translatus S: PETRUM DE CASTRO NOVO, qui in Monte Frigido apud Gallos Ciſtercienſem indutus, pietatis incrementis, ac ſcientiæ profectu ſecundùm ſanctiſsimam ſuam ideam, Bernardum nempe, quem magnis paſsibus æmulatus eſt, in

in Hæreticorum malleum concrevit. Tulit à Ciſtercienſibus hunc ipſum malleum Innocentius III. atque in ſublime *Sacræ Inquiſitionis Tribunal* levavit, ut ſcilicèt lapſu graviore rueret in contumaces hæreſes, *conquaſſaturus capita in terra* heterodoxorum. Et hic eſt ille Petrus, qui pro immortali florentiſsimi Ciſtercii gloria *naſcentis* Sacri *hujus Tribunalis* contra Albigenſium hæreticorum infame & informe monſtrum *Primus* in univerſa Eccleſia inſtitutus eſt *Supremus pravitatis hæreticæ Inquiſitor.* Sensêre mox Albigenſium viperarum ſacrilega genimina è Ciſtercio natum, ab Innocentio datum ſibi Herculem, qui noxios Orbi Chriſtiano ſerpentes ſuô zelô, ſociorúmque Apoſtolicô flatu elideret. Trepidatum diu eſt undique apud Eccleſiæ hoſtes ſub novo hoc pro Roma Hannibale, qui pro re nata durus & aſper in contumaces merita, reis ſupplicia decidebat: bonus viciſſim in reſipiſcentes, quos manſvetudine ac benignitate fovebat. Repurgata eſt Gallia zelô atque induſtriâ Petri magna ex parte à peſtifera Albigenſium lue; ſed arcanô Numinis conſiliô penitùs non extincta, ut ſcilicèt Roma ſuam haberet Carthaginem, Ciſtercium æmulos, hæreſim, ſchiſma, per quæ continuis præliis exercitatum agitatúmque acueretur in novas ſemper ſuccreſcentium victoriarum meſſes. Tantis Viri Eximii laboribus reſtabat unica in terris, unica in cœlis merces, laureola Martyrii, quam ex voto adeptus eſt, in odium fidei à ſubornato aliquo ex Albigenſibus lanceâ confoſſus. At ſolum ſangvinem & carnem tetigit hoc ferrum, ad invictum Viri animum pertingere neutiquam potuit; manante enim undique è patuli vulneris hiatu copiosô cruore, fronte & mente tranquillâ ſceleſto percuſſori immeritam veniam ad Salvatoris in Cruce emorientis exemplum ab offenſo Numine amantiſſimè precatus eſt: *Indulgeat*, inquit, *tibi DEUS frater, nam & ego tibi indulgeo.* Martyris glorioſi corpus annis aliquot à funere evolutis cùm novis honoribus cumulandum in aliam Eccleſiam transportaretur, repertum eſt rarô DEI munere incorruptum, odore fragrantiſſimum, atque prodigiis clariſſimum.

Suffeciſſet Ciſtercienſium gloriæ dediſſe è gremio ſuo Eccleſiæ *prima Inquiſitionis Sacræ* incunabula, *primúmque* Orbi Chriſtiano *Inquiſitorem*; at verò Summi Eccleſiæ Præſules in Ciſtercium inſigniter munifici noſtris etiam reluctantibus, & ad amicas ſibi

Dddd ſoli-

ſolitudines è dignitatum fluctibus ſeſe omni conatu evolventibus eandem muneris à Ciſtercio tam præclarè cœpti plenitudinem cum ſupremo imperio iterum iterum iterúmque voluêre imponi. Hinc Manriqueus in ſuis Annalibus alios adhuc expreſsè memorat, qui Inquiſitoris charactere apud Gallos contra Albigenſes floruêre. Primus eſt B: ARNALDUS Archi-Epiſcopus Narbonenſis infra inter Archi-Præſules *Tit:* 14. laudandus. Secundus, B: FULCO Archi-Epiſcopus Tholoſanus, pro domo DEI, libertate Eccleſiaſticâ, ac Religionis veritate ardentiſſimus zelotes, Lingvâ & ferrô Albigenſium ſtrenuus Exterminator. Tertius, ABBAS CURIÆ-DEI Manriquei calculô, Vir magni nominis, licèt interim ſinè nomine ſub ſolo Abbatis titulo Virum laudet Angelus, cui ab Arnaldo per alia negotio diſtracto munus Inquiſitoris ſubdelegatum eſt, quô ille charactere ornatus dicam, an armatus? velutì Sacri Exercitûs tuba Apoſtolicæ prædicationis clangore, quemadmodum caſtra Orthodoxorum ad ardorem pugnæ, & ſpem victoriæ excitavit, animavítque, ita vehementer terruit, perculit Hæreticorum confuſam multitudinem. Neque inter Sacros Inquiſitores tacendus B: RADULPHUS Monachus Fontis Frigidi, *Petri de Caſtro Novo* individuus comes: qui licèt Supremi Inquiſitoris munere & nomine functus non ſit, quia tamen à latere & manu conſtanter hæſit laudati Petri *Generalis & Primi Inquiſitoris*, participatione onerum atque laborum meruit etiam participationem honorum, ut ſcilicèt inter primas Sacerrimi Tribunalis Columnas numerari, laudaríq; non immeritò debeat Apoſtolicus Radulphus. Audiamus Manriqueum ad *Annum* 1204. c. 2. ijsdem omninò laudibus atque elogiis ornantem *Radulphum* ac *Petrum*: fuiſſe ſcilicèt ambos *ad hoc opus* (Apoſtòlicum) *idoneòs omninò Viros, prudentes, juſtos, doctos, & nulli prorsùs labori parcentes, quô errantes reducerent.* Dignus proinde procul dubiô Radulphus ſupremô Tribunalis gradu, ſi Petrus Innocentii ſuffragiô non præceſſiſſet, cui ille tamen, quod ſolent Viri Magni & Sancti, de præcepto munere non invidit, ſed applauſit. Spectandus cæteroquin, legendúsque ſæpiùs apud citatum *Manriqueum* Radulphus noſter, tam inter Apoſtolicos labores, quàm inter promerita inſignia encomia. Et hi quidem apud Gallos ſeu ſupremi Inquiſitores, ſeu his Viri ſuppares, locô atque gradu ſecundi, non zelô & labore. Quibus ex Hiſpaniis accen-

Obiit Anno 1225.

Obiit Anno 1231.

Floruit circa Annum 1211. & deinceps.

Floruit Anno 1204. & deinceps.

accenſendus eſt S. BERNARDUS Epiſcopus *Vicquenſis* Supremus apud Iberias Gentes hæreticæ pravitatis *Inquiſitor*, cujus nomen, munus, laudes mox infra prodibunt. *Floruit Annô 1235. & deinceps.*

Nihil deinde Sanctius, nihil illuſtrius Sacerrimô illô *Senatu*, qui juſſu *Innocentii III.* Pontificis Maximi è *duodecim* Ciſterciæ Familiæ *Abbatibus* contra pullulantes hæreſes coaluit. Datum Arnaldo Abbati Ciſtercii *Anno* 1206. à Papa negotium, ex univerſo Generali Capitulo apud Ciſtercium pro tunc congregato, acciendi Viros induſtrios, & Apoſtolicum zelum habentes lateri ſuo. Tenor mandati Apoſtolici ex parte fuit talis (ea nempè de cauſa ex uno præcipuè Ciſtercio à Vicario Chriſti deſiderari operarios (Miſſionarios hodierni appellant) *quòd in Ordine veſtro* (ſunt verba Innocentii in Epiſtola) *multi reperiuntur habentes zelum DEI ſecundùm ſcientiam, potentes in opere & ſermone, ac parati de ea, quæ in nobis eſt, fide & ſpe, Omnipotenti reddere rationem.* Videat Lector, quanta fuerit Pontificis Summi de Viris Ciſtercii in propaganda fide exiſtimatio. Sacro huic *duodenario Collegio*, Apoſtolici illius Collegii redivivæ ideæ, acceſſit novus ſplendor, cùm præterea Authoritate Apoſtolicâ Sacer Ordo *triginta* ex univerſo gremio *Viros* clariſſimos in partem ſolicitudinis Supremo illi Senatui adjunxiſſet.

Hoc tamen inter Ciſtercii elogia planè eximium, quòd ad tam illuſtres in Eccleſia functiones nullâ ambitione, aut æmulatione, verùm unius obedientiæ ductu fuerint ſubvecti, atque cùm poſſent honores à Papa, ab Eccleſia ſibi ultrò oblatos, ultrò ingeſtos Ordini facere perennes; reliquis nihilominùs ſacris Familiis arctiſſimô dilectionis nexu ſibi adſtrictis tam glorioſa munia, propemodum jam ſibi, non ſuô quidem ambitu, ſed Pontificum indultô propria, tantis affectibus communicaverint. Et hinc eſt, quòd lapſu temporis Sacro Inquiſitionis Tribunali alii pariter Religioſi Ordines adlecti ſint; &, ùt loquitur *Manriqueus* contra hoſtes fidei non ſolùm aſſumpti fuerint Sacri pugiles *ex Noſtris, ùt factum hactenùs, ſed tamen nîl ſinè noſtris.*

Erat eâ ætate Ciſtercium Albigenſibus nomen terribile atque fatale, adeò quidem, ut eò ipſo, quòd quiſpiam Ciſtercienſis eſſet, ſolô nomine quaſi claſſicô hoſtes terreret. Neque mirum

 eſt,

eſt, exinde noſtros ad vulnera, plagas, neces ab hæreticis quæſitos fuiſſe, nullô aliô vitiô, quàm quòd eſſent Ciſtercienſes, pulcherrimâ utique confuſione inter cauſam Eccleſiæ, & cauſam Ciſtercii, quæ vel ipſorum hoſtium ſuffragiô una eadémque eſſet. *cit: à Manriq. ad añ. 1209. cap. 6.* Quare eleganter ad rem noſtram *Hugo Menardus* in notis ad Martyrologium Monaſteicum *de B. Stephano Abbate, & B. Hildebrando Converſo* illuſtribus Albigenſium ferrô pro fide Martyribus obſervat: *Notanda verò* inquit *cauſa homicidii, nimirùm eò quòd eſſent Ciſtercienſes; Nam Ciſtercienſes Monachi tunc temporis Albigenſes hæreticos acriter impugnabant.* Verùm diviſa in tot errores & capita infernalis hæc hydra unô præliô, unô ictu à Ciſtercienſibus vinci nec potuit, ſubnaſcentibus ſemper novis in ea capitibus, neque debuit, ut ſcilicèt ex novis ſemper hoſtibus naſcerentur Ciſtercienſibus nova prælia, atque ex præliis novæ victoriæ. Extincta eſt tandem mille inter trophæa potentiſſima Albigenſium hæreſis per Ciſtercienſes, uti fusè & fundatè in ſuis *Annalibus* perhibet *Angelus* noſter, præcipuè ad *Annum* 1178. c. 2. n. 9.

Inter Viros Apoſtolicos, qui authoritate Pontificiâ crucem contra Albigenſes prædicârunt, eminuêre præcipui è Ciſtercienſibus. *Obiit Anno 1210.* B: BONUS Abbas *Caſæ-DEI*, ſacrarum literarum ſcientiâ, zelóque fidei illuſtriſſimus. *Obiit Anno 1207.* B: DIDACUS DE ACEBES olim Epiſcopus *Oxomenſis*, Magni *Dominici* Ordinis Prædicatorum glorioſiſſimi Parentis Magnus nuper *Magiſter*, qui prædicatum tam eximii Magiſterii Ciſtercio intulit, ab Arnaldo ſupra laudato XVII. Ordinis Generali in Archi-Cœnobio ſacrô habitu donatus. Induit Didacus cum Ciſtercii veſte zelum Apoſtolicum, quô plenus ſubinde cum Sociis ab eodem Arnaldo Supremo per Gallias Inquiſitionis Præſide contra Albigenſes miſſus, nudis pedibus miniſteriô Apoſtolico tam præclarè functus eſt, ut animas plurimorum perfidis dogmatibus illaqueatas Verbi Divini ardentiſſimâ prædicatione feliciter rursùs evolverit, Eccleſiæque poſtliminiò reſtituerit. *Floruit Annô 1215.* His accedit B: GUIDO Epiſcopus *Carcaſſonenſis*, qui *Innocentii III.* juſſu in partibus Aquitaniæ contemptis vitæ periculis adversùs Albigenſium errores fulmine Sacri eloquii tonans innumeros ab hæreſeos veterno ad fidei per opera viventis activitatem, vitæque ſanctimoniam feliciſſimè excitavit.

Hæc Ciſtercienſes in *Gallia* contra naſcentes primùm, ac ſubinde

inde etiam adultas hæreſes. Neque tamen ampliſſimis quantumvis Galliarum finibus circumſcribi potuit Ciſtercienſium eximius pro Eccleſia, pro fide zelus: quærendæ extra Gallias erant novæ terræ, quas eorundem ardor ac Spiritus pervaderet. Itaque Innocentius III. *Anno* 1212. datô ad Capitulum Generale Brevi Apoſtolicô noſtris viam aperuit, meſsémque obtulit admodum copioſam, prædicandi nimirùm munus Apoſtolicum per *Pruſſiam*, & *Lubaviam*, convicinásque Plagas Septentrionales. Utque ſperari poſſet fructus eò amplior, Pontifex novos è Ciſtercio Apoſtolos *Gnesnenſi* Archi-Epiſcopo per literas impensè recommendaverat. Addit *Manriquens* ad *Annum* 1212. c.7. ſcripſiſſe Innocentium Epiſtolas alias ad Abbates & Monachos Ordinis Ciſtercienſis per univerſam *Moraviam*, *Pomeraniam*, & *Poloniam*, in quibus eadem deſiderabat, eadem urgebat, quæ apud Abbates Ciſtercii congregatos. Laudatus in ijs literis plurimùm noſtrorum zelus, recommendatáque præcipuè in gerendis Apoſtolatûs oblati honoribus inſignis modeſtia. Audiamus hac ſuper re Gloſſam Angeli noſtri de argumento literarum in hæc verba ſcribentis: ideò nempè à Pontifice laudatos noſtros, *quòd non ſibi arrogarent prædicationem, non eam ambirent, aut de illa cum aliis decertarent: reprimerent ebullientem fervorem magìs, atque ardentiorem zelum cohiberent: ut neque ſuos aſſumi paterentur, ſi minùs aptos: neque aptiores repelli procurarent, quia alienos. Charitas non æmulatur, non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti. Atque ô utinam omnes Prophetæ eſſent!* Hæc *Angelus*, & vera. Selecti igitur ad Romani Pontificis imperia ex univerſo Ordine Viri præſtantiſſimi, qui magnis animis opus Divinum aggreſſi, inter magnos atque etiam pro more illius ævi armatos labores feliciſſimis tandem incrementis promoverint. Eorum Duces Sanctiſſimi B: CHRISTIANUS ET PHILIPPUS ambo *Lubaviæ* Apoſtoli, ab *Innocentio* in literis Apoſtolicis egregiè laudati: quorum prior in Ciſtercienſium Apoſtolatûs perenne monumentum *Culmenſem Epiſcopatum* erexit.

Ad Annum 1212. c. 7. num. 9.

Floruêre An. 1227.

LIVONIÆ converſiò non minùs operoſa ſuos etiam è Ciſtercio excivit Apoſtolos. Atque in primis B: MAYNARDUS qui è Germania per Mercatores transportatus in Livoniam, Ejus Gentis Apoſtolus & Epiſcopus fidem quam verbô plantavit, ſuô ſangvine rigavit, barbarorum gladiis glorioſus pro fide Chriſti

Floruit An. 1180.

Martyr. Succeſſit Maynardo in utroque Epiſcopatûs ſcilicèt & Apoſtolatûs munere B: BERTHOLDUS Abbas *de Luka* in Saxonia, qui Optimus Paſtor copiosô Livonum grege ovile Dominicum cumulavit, multis Paganorum millibus Matris Eccleſiæ gremium amplexantibus. Sola pretioſis hiſce laboribus aliquamdiu defuerat laureola Martyrii, quâ tandem coronatus ad perennes in cœlo triumphos evolavit. Neque ſolus ſinè ſociis tantam meſſem tentavit Vir magnus, operariis è domeſtica Ciſtercienſi Familia non è *Luka* duntaxat, verùm & reliqua Germania in ingentes ſpes, labores, profectus, magnô numerô aſſumptis. *Angelus* in ſuo *Sanctorali* Ciſtercienſi L. 3. *diſcurſ.* 1. §. 7. glorioſiſſimum Bertholdi Apoſtolatum Sermone panegyricô egregiè honorat, ubi inter Viri laudes etiam ſummum patiendi ardorem his verbis memorat: *Vix puto, aliquem hominem reperiri poſſe, qui tot peragrârit Provincias, ut mortem fugeret, quàm hic, ut inveniret; nec qui tam laboraverit, tantámque adhibuerit diligentiam, ut viveret, quàm hic ut martyrij acciperet coronam.* Hæc ille. Per arduos ſubinde labores ſtabilitâ apud Livones fide cœpit haberi Bertholdo cultus à Popularibus, ùt ſuo olim Apoſtolo ac Magiſtro, atque deinceps ùt ſuo Tutelari ac Patrono. Sacris Martyris exuviis ſuus pariter impenſus à clientibus honor, & refuſæ è tumulo, an è cœlo? per Sanctum in clientes gratiæ, exhibitæ venerationis optima atque pulcherrima merces. Aliquantò pòſt Bertholdi labores novis ardoribus reſumpſit, & præclaris incrementis continuavit B: ALBERTUS, qui eos in *Bremenſi* Ciſtercienſium Cœnobio Apoſtolicos hauſit Spiritus, per quos poſſet Livonia olim ad fidem reſpirare. Conſecratus à Bremenſium Archi-Præſule in Epiſcopum *Rigenſem*, triginta integros annos Livonibus religione Orthodoxâ imbuendis indefeſſus in vinea Domini operarius impendit. Sub Ejus auſpiciis ſurrexit novus Militum *Ordo Gladiferorum*, cujus operâ multa Livonum millia relictis Dijs & ſuperſtitionibus Patriis, Chriſtianis ſacris fuêre initiati. Alberto porrò aliiſque, quos memoravimus, ad Superos & laureolas translatis ſucceſſit B: PETRUS cognomentô nuncupatus DE CONFLUENTIA, qui ex *Hemmenrodenſi* Ciſtercienſium palæſtra novus fidei athleta in Livoniam abiit: Salvatoris nuper amplexu, donô lachrymarum, Cœlitum viſitatione, ac tandem Apoſtolatûs honore inter Ciſtercienſes clariſſimus. Accēſendus his venit ABBAS LANGHEI-

Obiit Annô 1198.

Floruit Anno 1203.

Floruit circa Annum 1222.

Floruit An. 1206. & deinceps.

HEIMENSIS è Franconia (cujus præclaros labores ac laudes ſinè nomine recitat *Manriqueus* ad *Annum* 1206. cap. 3.) Vix multò ardens zelô, qui nunciatâ Ciſtercienſium per Livoniam, Pruſſiámque durâ captivitate, ingemuit, in tam copioſa animarum meſſe operarios teneri in vinculis: quapropter laborioſo ſimul ac periculoſo accinctus itineri, Provinciæ Tyrannum obſequiô, eloquiô, aurô egregiè ſibi devinxit, atque per eas artes Viros Apoſtolicos eduxit de domo carceris: Cúmque ad ſuos reditum pararet, cœlitùs ſibi oſtensâ viſione ſegetis albeſcentis detentus eſt, juſsúsque ad meſſem præparari. Quare Romam profectus à Domino meſſis *Innocentio III. Livoniæ, Pruſſiæque Apoſtolus* eſt conſtitutus, impertitâ facultate ampliſſimâ, ut Ciſtercienſes, alióſque idoneos, quos vellet, in partem ſolicitudinis ſibi aſſociaret. Extat apud Manriqueum Epiſtola ab Innocentio ad Archi-Epiſcopos & Epiſcopos Poloniæ Annô 1206. perſcripta, quâ Apoſtolicum Abbatem eisdem eximiè recommendavit. Lubet Viri Apoſtolici magnas laudes claudere unô Magni Manriquei elogiô: *De fructu per Abbatem Lankheimenſem facto id unum audeo dicere, quô annô ab Innocentio miſſus eſt, in Citizenſi Chronico notari, converſam eam Provinciam magna ex parte: ut non immeritò prædicationi ejus, ſociorúmque, ea converſio veniat attribuenda.* (ad Annum 1206. cap. 3. num. 5.) Illud præterea in cumulum gloriæ de Ciſtercienſibus ex *Angelo & Bzovio* taceri non debet, Innocentium III. intellectô B. Bertholdi martyriô in Livoniam novos miſiſſe Prædicatores ex Ciſtercio *præcipuè: Tum, quòd præ alijs Ciſtercienſes deſiderarent, qui operi inſiſtebant: Tum, ut ab his qui cœpiſſent, & promoviſſent, glorioſô fine, ùt ſperabat, conſummaretur.* (Manriq. ad Annum 1204. c. 5. n. 6.) Neque tacendus hôc locô PRIOR de *Riddershuſen* apud *Brunſvicenſes* in Diœceſi *Halberſtadienſi*, non ſecus ac antecedens absque nomine, quod quidem apud Veteres non infrequens, qui magìs attendebant ad Virorum illuſtrium munia, quàm nomina. (Floruit circa Annum 1230. & deinceps.) Semel iterúmque Apoſtolicus hic Vir in *Livoniam* profectus egregii Prædicatoris partes implevit, dives ſanctiſſimis manipulis, quos è Gentilibus ad Chriſti Eccleſiam non modicos transportavit. *Gregorii IX.* Pontificis Maximi verba, in clariſſimi Oratoris elogia huc tranſcribamus. Intellexerat Pontifex *Priorem* memoratum è Livoniæ Apoſtolica meſſe, veluti jam ſatìs defunctum magnis laboribus receſſiſſe ad clauſtrum, & eô quidem propoſitô, ut animum in operoſæ *Marthæ* ſocietate ab extra jam plurimùm

fatigatum reduceret ad MARIÆ ſedentis ad Domini pedes dulciſſimam felicitatem, ubi hauſtas nuper apud *Livones* moleſtias inter Rachelis contemplativæ ſanctiſſimos amplexus Divinis voluptatibus valeret abluere. Itaque ad inſtantiam Livonienſium Epiſcopi, qui magnis queſtibus Pontificiam authoritatem ſuper Viri diſceſſu, atque etiam reditu pulſaverat, epiſtolam ad Abbatem *de Riddershuſen* perſcripſit Gregorius, injunxítque, ut Oratorem Apoſtolicum etiam per Sacra obedientiæ imperia compelleret ad reſumendam infidelium meſſem, quoniam ipſe ſcilicèt, (addit Pontifex) *multos de tenebris gentilis erroris ad lucem revocaverit Catholicæ veritatis. - Nè igitur data prædicto Priori à Domino gratia de jure privetur, ſi eam uſque adeò ſibi velit habere privatam, quòd communicare alijs pertimeſcat, eidem noſtris dedimus literis in mandatis, ut timens, nè torpore ſilentii tot perdidiſſe animas Domino videatur, quot vigore prædicationis lucrifacere potuiſſet; & præmii ſpe illectus, eò quòd erunt tanquam ſtellæ perpetuò in firmamento locatæ, qui multos erudiunt ad ſalutem; prædicationis officium reſumere non poſtponat; ità quòd credita ſibi talenta Domino referens geminata, commendari ab ipſo, & in gaudium ejus recipi feliciter mereatur.* Videat Lector, ab ipſo Pontifice commendari Viri labores, laborúmque egregios fructus, &, ſi ultrà ad opus fidei ſeſe ille accinxerit, ampliores propagandæ Religionis ſpes, ac demum repoſita apud Superos pro cumulatiſſimis meritis immenſa præmia.

Manriq. ad Ann. 1235. cap. 4. n. 1. & 2.

Et quidnì etiam *Oſſeca* noſtra antiqua Ciſtercii domus in Regno Bohemiæ in tam multa animarum meſſe in participium gloriæ vocanda ſit in illuſtri SLAVCONE tertio loci Abbate, ſangvinem illuſtrem trahente è linea Fundatorum? Legi ſæpè, audivi ſæpiùs Slavconem noſtrum *Pruſſiæ* fuiſſe Epiſcopum: quod palàm fit è Codice Privilegiorum Domûs noſtræ, ubi ille *Epiſcopus Pruſſiæ* inſcribitur, séque ipſum talem *Slauco* ſemel, iterúmq; in quibusdam inſtrumentis nuncupat. Spectatur hodiedum in Cœnobii Eccleſia Viri illuſtris tumulus, non humilis, qualis cæterorum Procerum, Fundatorum ac Abbatum, qui pedibus calcari poſſit; ſed in ſiniſtro Chori latere elevatus ac ſupereminens: In tumuli ſuperficie inſculpta eſt effigies Epiſcopi cum Paſtorali pedo, atque ut Epiſcopum fuiſſe certiùs ſciretur, cum infula, cujus uſus necdum eâ ætate (quantum quidem è Ciſtercii hiſto-

Floruit circa An. 1212. & deinceps.

hiſtoria noverim) Abbatibus fuerat in uſu. Igitur & literæ, & tumulus, & traditio Slavconem Epiſcopum probant. Verùm mihi non ſatìs eſt, illum nuncupâſſe Epiſcopum, pro Oſſecii gloria aliquid ampliùs in Præſule veneror, quòd ſcilicèt *Pruſſiæ* inſuper fuerit *Apoſtolus*. Non impetu hoc loquor, nec affectu, ſed lego id in temporum computu; Sub ipſos enim annos, quibus *Innocentii Papæ* juſſu, ùt ſuperiùs inſinuavi, è Ciſtercienſi Familia Viri eligebantur, qui Prutenis, Livonibus, aliíſque finitimis Gentibus ſacra fidei dogmata añunciarent, Epiſcopales in Pruſſia honores collatos obſervo Slavconi noſtro, quod quidem ille munus ſub converſionis primordia adipiſci vix potuit ſinè Apoſtolatûs officio; ſiquidem non tam quærebantur è Ciſtercio qui eſſent Prutenorum Epiſcopi, quàm Apoſtoli, non difficulter ſubinde ornandi ſacris Infulis, ſi priùs illos honores per publicos & eximios Apoſtolatûs labores egregiè meruiſſent: quod experimentô conſtat in *B. Chriſtiano* & *B. Philippo* ſupra hôc titulô laudatis, qui ideò dati Lubavienſibus Epiſcopi, quòd fuiſſent priùs eorundem Apoſtoli. Auſim proinde ego ex his conjecturis non timidè pronunciare, Slavconem noſtrum Pruſſiæ non minùs Apoſtolum, quàm Epiſcopum, qui, quemadmodum cæteri è Ciſtercio, ad infulas ſanè admiſſus non ſit, quàm poſteaquam Apoſtolicis laboribus præclarè functus eſſet. Et hæc quidem pro Slavconis Epiſcopatu & Apoſtolatu. De Viri Apoſtolici ſociis nihil reperio; veroſimile tamen eſt, illum, utpote & titulô & charactere Epiſcopi inſignem absque ſociis vix aggreſſum Divinum opus, præſertim cùm Pontifex in literis ad univerſum Generale Capitulum, atque etiam, ùt ſuprà monui, ſpecialiter ad Abbates & Monachos Ciſtercienſes Poloniæ, Pomeraniæ, atq; Moraviæ perſcriptis deſideraverit Viros è Ciſtercio ſinè determinato numero, & quò plures, eò haud dubiè gratiores, ut in plurima meſſe non tardaret operariorum paucitas ingentes Eccleſiæ ſpes, de infidelium converſione tunc conceptas. Et hos quidem à Slavcone electos potiùs de alieno Inſtituto, quàm Ciſtercienſi, aut ex alia Domo, quàm ſua Oſſecenſi, quis aſſerat? Injurius ſanè forem Illuſtriſſimo Præſuli, ſi Socios illius lateri alios fortè jungerem, quàm quos habuerit filios. Oſſecenſibus haud dubiè concedenda hæc gloria, quòd Prutenis Populis olim infidelibus ipſi inter primos dederint in Slavcone Epiſcopum, in

Epiſcopo Apoſtolum, atque in Slavconis filijs & ſociis Apoſtolici muneris induſtrios cooperatores.

Poſt Oſſecii laudes laudanda quoque apud Bohemos *Aula Regia Wenceslaô II.* pientiſſimô Bohemorum Rege Fundatore digna
Floruit circa An. 1415. Domus in Viro Apoſtolico MATTHÆO Monacho, qui *Huſſio* atque *Hieronymo Pragenſi* admodum infeſtus, naſcentem in Patria Wiclephi hæreſim preſſit repreſsitq; plurimùm; at quia altiori Numinis conſiliô Martyrum cuneis è Bohemiæ Clero & clauſtris magnô numerô augendi mox erant Cœlites, non ſuppreſſit. Provocati ab eo non infrequenter Huſſius atque Hieronymus cum globo Sectatorum ad congreſſus publicos, privatósque, indigniſsimè ferebant Matthæi in diſputando zelum, eloquentiam, victorias, confuſi triumphatíque à Monacho toties, quoties ſeu ipſi provocare auſi Virum, ſeu provocati auſi comparere. Quæ victoriæ illos eò magìs momordêre, quòd nollent vinci per Monachos, in quorum cervices per mille enſes & mortes mox eſſent debacchaturi. Conjuratum igitur eſt à novæ ſectæ aſſeclis in necem feliciſsimi Oratoris, quô ſuperſtite res Huſsii ſurgere vix poterant, accurrente ſemper è vicina Aula Regia velutì ex inſidiis Matthæô, atque impios conatus pro viribus caſtigante. Ceſsit perſequentium furori Triumphator egregius atque cum mille partis laureis in vicinam Miſniam in *Veterem Cellam* Ciſtercienſium Cœnobium digreſſus eſt, ubi præclaris Voluminibus Ciſtercium, Scholas, noménque ſuum illuſtrans clauſit vitam, non famam, quâ immortali apud ſeros & gratos Bohemiæ Catholicæ Poſteros longè eſt digniſsimus. Inſinuat porrò *Angelus* noſter ad Annum 1208. cap. 8. n. 5. remiſsivè noſtrorum etiam Apoſtolatum in SCLAVONIA, quam terram Viri è Ciſtercio Apoſtolicô zelô æſtuantes ad Eccleſiæ Romanæ felicia incrementa peragraverint.

In SUECIA rem Chriſtianam efficaciter promovit B: STE-
Obiit Annô 1185. PHANUS ex Monacho *Alvaſtrenſi* ad inſtantiam Regis *Erici ſtenchylli*, ultimi Septentrionis non modica ex parte Paganiſmi adhuc tenebris involuti Apoſtolicus Phoſphorus, ac tandem poſt tot triſtes eclypſes, quot à Paganis inflictas plagas, ac cruciatûs prodigiis per univerſam Sueciam celeberrimus Apoſtolus, Primúsque *Upſalenſium* Archi-Præſul præcipuô DEOrum delubrô con-

converſô in Sedem Metropolitanam. Stephani in ſpargenda doctrina Chriſtiana per omnem Sueciam Apoſtolicus fuit Coadjutor ADALVARDUS de quo licèt Veteres nihil expreſſerint, cujusnam fuerit inſtituti; veroſimilius tamen eſt, ex eadem Ciſtercii Familia, & *Alvaſtræ* Domo fuiſſe *Stephanum* & *Adalvardum*: quod quidem pro omninò indubitatis haberi non velim, cùm ipſe Manriqueus in Ciſtercii rebus atque laudibus eximius in hac re aliquantùm hæreat, nihilque certum pronunciet: *De Adalvardo*, ſcribit ille ad Annum 1162. cap. 3. *aliquale dubium ineſt, & cùm non videam expreſſum ab antiquis, neque affirmare auſim, neque negare.* Quidquid ſit, ſi alicujus Religioſæ Familiæ eſt Adalvardus, nullius tam eſt, quam Ciſtercienſium, qui ex Stephano Socio malint, & fortè non audeant alium dicere Adalvardum, quàm Ciſtercienſem. Et certè ſi per Manriquei verba in Ciſtercii favorem vincere debeamus, non modicâ conjecturâ Stephanus, Adalvardus, ſociíque Ciſtercienſes omnes fuêre. Loquatur, pugnet *Angelus* verbis non aliis, quàm ſuis, per quæ libenter vincor, & poſt res fidei captivo intellectum meum. *Nec dubium* (ait ille locô ſupra citatô) *quin ex Ciſtercio aſſumptus* (Stephanus) *ad tantum opus, ex eo plures aſſumpſiſſe Coadjutores credendus ſit, quos vel externus non foret prætermiſſurus.* Igitur Manriquei arbitriô Apoſtolicis Stephani honoribus aliquid ii detrahunt, qui haud ignari, Virum iſtum de Ciſtercii fuiſſe Familia, credere tamen ipſi, ac perſvadere aliis velint, Viri Socios è Ciſtercii gremio non fuiſſe: quaſi verò Vir tantus ſuos neglexerit, quos Evangelicæ prædicationi noverat per idoneos. Succeſsit Stephano in glorioſam & Apoſtolicam meſſem B: JOANNES Archi-Epiſcopus *Upſalenſis* aſſumptus pariter è Ciſtercio, *Canuto* Regi tam charus tam venerandus, ut perpetratô contrà divinas humanásque Tabulas publicô homicidiô juſſus à Sanctô Præſule in culpæ & ſcandali expiationem offenſum Numen publicâ placare pœnâ, alterum ſuis Suecis exhibuerit *Theodoſium*, cùm ſcilicèt videret in Joanne alterum in ſe Eccleſiaſticô fulmine armatum *Ambroſium*. Coronatus eſt martyriô Præſul optimus ab *Eſtonibus*, qui unà cum *Moſcis. Ruſsiſq;* in Sueciam hoſtilibus copiis penetraverant. Sanctiſsimis elogiis Joannem ornat *Manriqueus* ad Annum 1188. cap. 4. 1. ubi hæc ille: *Coronatus martyriô* (Joannes nempe) *conſcendit Superos, ingens ſui deſiderium relinquens populis, quos doctrinâ, & exemplô*

Floruit circa An. 1162. & deinceps.

Paſſus An. 1188.

Ffff 2 *æquè*

æquè paſcebat. Sed præomnibus Canuto Regi, qui auditô eô multa faciebat, & in omnibus libentiſſimè auſcultabat.

NORWEGIA præterea & SUECIA è Ciſtercio NICOLAUM ANGLICUM dictum deinde in Summo Pontificatu *Hadrianum IV.* obtinuêre, Virum ab imis per merita & munera evectum ad Summa, dignum omninò quem *Evgenius III.* ornatum purpurâ *Norwegiæ* & *Sueciæ* cum plenitudine poteſtatis dederit Legatum Apoſtolicum, quod ille munus tantô exercuit zelô atque induſtriâ, ut Viri magni maximas laudes modicis verbis complexus Henriqueus in *Faſcic: præfat: ad Lect:* hæc de eo ſcripſerit: *Nicolaus Monachus Ciſtercienſis omnes penè Norwegiæ incolas ad Chriſtum convertit.* Redibit Nicolaus ſub nomine Hadriani titulô ſubſequenti inter Pontifices.

Floruit in ſuo Apoſtolatu Annô 1146. & deinceps.

WANDALIS quoque è Ciſtercio Anno 1133. datus Apoſtolus BENNO ſeu *Bruno* tertius *Meklenburgenſium* Epiſcopus, Ciſtercium profeſſus in *Amelongesborna* apud Saxones Inferiores qui gentem illam idolorum cultu plurimâ adhuc ſaperſtitione occupatam zelotes Prædicator in Chriſti ovile magnô numerô aggregavit. Laudat Viri zelum, labores & ſucceſſus *Albertus Krantzius* in ſua *hiſtoria Wandalica* L. 6. c. 36. ubi hæc de Bennone: *Hic eſt ille, qui in gente duræ cervicis multas contumelias accepit, & verbera expertus non deſtitit ab opere pietatis. - Incredibile eſt memoratu, quantos pro Chriſto pertulerit labores, quæ ſubjerit vitæ pericula, quoties ludibriô habitus, ad ſacrificia attractus à Barbaris! Ille tamen per Chriſtum confortatus, culturas dæmonum eliminavit, lucos ſuccidit, bonum certamen certavit, fidem non ſolùm ſervavit, ſed mirificè in Populo barbaro ampliavit, & à bono curſu conſummato indubitanter ad coronam, & ſupernæ vocationis bravium pervenit.* Quid ampliùs dici potuit de Magnis primitivæ Eccleſiæ Apoſtolis, magníſque Eorundem pro DEO, pro Eccleſia, pro Gentium ſalute exantlatis laboribus? Accivit Benno Apoſtolatûs ſui ſocios non ex alio gremio, quàm è quo ipſe prodierit, *Ciſtercienſes* ſcilicèt, utì ex *Krantzio* tradit *Manriquems* ad Annum 1133. cap. 3. Quare inter Ciſtercii triumphos ſcribenda etiam eſt Wandalia, per noſtros non parva ex parte purgata ab idolis, & adſcripta Vero Numini.

Floruit Annô 1133. & deinceps.

Floruit Annô 1160.

Wagria etiam atque *Megapolenſium* Patria è Ciſtercio Virum obtinuêre in dilatanda fide CHRISTI induſtrium, CONRADUM ſecundùm Abbatem Riddagshuſanum apud Bruns-

Brunſvicenſes, ſubinde Lubecenſis Cathedræ ſecundum Antiſtitem, qui cum germano fratre ſuo *Geroldo* primo Lubecæ Epiſcopo ad eos populos digreſſus, idolis primùm, truncíſque Deaſtris in Apoſtolico ſpiritu fortitudinis feliciter exciſis, pulcherrima ſanctæ religionis ſemina Gentilium animis implantavit.

In Inſulis BRITANNICIS dum ejuratâ Româ hæreſes undique è ſentiendi libertate ac libidine enaſcerentur, Apoſtolicô zelô labantem religionem vel ſuſtentaverunt, vel lapſam reſtabiliverunt Viri è Ciſtercio inſignes: B: NICOLAUS FAGAN natione Hibernus, deſignatus Epiſcopus *Watterfordienſis*, qui poſteaquàm in Hiſpaniis capaciſſimam indolem ſtudiis ac virtutibus præclarè excoluiſſet, per hæreſum calamitoſa incendia fumantem eminùs patriam conſpiciens, tactus dolore cordis intrinſecùs ad immenſos pro fide labores pectus obarmavit. Vix proſperis ventis & velis ad Inſulam, ſuóſque appulerat, electus à Fratribus Cœnobii *Sanctæ MARIÆ de Surio* Abbas, Paſtoris Optimi officium non ad ſuos duntaxat Ciſtercienſes, verùm inſuper & vel maximè ad errantes per Hiberniam oviculas omnibus numeris atq; affectibus operoſiſſimè exercuit. Urebat pii Patris paterna viſcera tot animarum infelix ruina, quare zelô Divinô ſuccenſus contra atroces Heterodoxorum minas mille inter vitæ diſpendia per vicos & caſtella, per avia & devia evangelizando circumiens, toties ex voto Martyr animam ſuam pro ovibus poſuit, quoties perditam cujuſpiam animam ad electum Romani ovilis gregem reduxit. Perſæpè fuſtium lapidúmque grandine in Virum Sanctum atrociter deſæviit truculenta hæreſis, quem ille plurimô ſtillans ſangvine fortiſſimè ſemper tulit. Aliquando glans plumbea è ſclopeto per impium hæreticum exploſa concionantis brachium gravi vulnere ſauciavit. Tandem grandium meritorum intuitu Epiſcopus *Watterfordienſis* deſignatus, ante conſecrationis ſolemnia cum ingenti Catholicorum luctu hominem ſanctiſſimè exuit. Suprà tumulum inter cætera elogia ornatus titulô *Theologi abſolutiſſimi.* B: GUILIELMUS WALCHÆUS è Ciſtercienſium gremio ob præclaras virtutes à *Midentibus* in Hibernia ad Epiſcopalem dignitatem evectus eſt. In ſublimi poſitus contra novitia Novatorum dogmata, & præſertim adversùs Anglicanæ Eccleſiæ muliebre Caput, *Eliſabetham*, Spiritu vehementi & Apo-

Obiit Annô 1617.

Obiit Annô 1577.

ſtolicô egregiè fulminavit. At non paſſa eſt Regina Veritatis Præconem diu locô ſubſiſtere, ſed è Throno Epiſcopali per feſtinata decreta deturbatum ſordidiſſimo ac deterrimô carceri mancipavit, in quo per tredecim integros annos indigna quæque invictiſſimâ patientiâ tolerans, publicô tandem decretô ex Inſula proſcriptus *Compluti* apud Hiſpanos vitam tot ærumnis fractam & afflictam piiſſimô fatô clauſit. Eximius ejusdem ab obitu Encomiaſtes, & omni exceptione major fuit *Petrus Lorca* Ciſtercienſis Hiſpanus, ſæculi ſui & Ordinis magnus ſplendor, qui auditâ Viri Apoſtolici ultimâ confeſſione generali conſtanter teſtatus eſt, ſe nullum in eo lethale peccatum per omnem omninò vitam deprehendiſſe. Rarum elogium, & in tanti Viri ore pretioſum.

Obiit Annô 1606. B: THOMAS LOMBARDUS è Catholica Hibernia oriundus in Superatenſi Hiſpaniæ Cœnobio ſub Ciſtercienſium legibus in Virum Apoſtolicum evaſit: inde in Patriam redux gladiô Verbi DEI in arenam cum Eccleſiæ hoſtibus ſtrenuiſſimus pugil deſcendit. Fremebant impotenti furore ſacrilegi Novatores à Thoma convicti & confuſi, non valentes reſiſtere ſpiritui, qui loquebatur in eo. At verò Cives *Watterfordienſes*, qui à Thoma quaſi ab oraculo pendebant, Viri Sancti zelô in tantum exarsêre, ut, dum novo Regi *Jacobo I.* Sacramentum facturi, cogerentur aut ab avita fide deſciſcere, aut fortunarum omnium pati jacturam, obfirmatis animis alterum hoc fortiter amplexi, primum conſtanter rejecerint. Illud præprimis initia prædicationis Oratoris Apoſtolici reddidit glorioſa, quòd dum pauculos adhuc haberet ſui & Romanæ Fidei ſequaces, Civibus & Magnatibus majori ex parte Calvino aut Luthero adhærentibus, in ſolemnitate tamen *Corporis CHRISTI*, Numine haud dubiè è Cœlo afflatus, Sacratiſſimum *Sacramentum* per Urbem ampliſſimam publicæ venerationi parvô illô Catholicorum ſtipatus manipulô quaſi in publicum victricis Eccleſiæ Romanæ triumphum glorioſiſſimè circũtulerit; omnibus interim Heterodoxis ſolemniſſimo atque diviniſſimo huic ſpectaculo ultra modum occultis iris indignantibus, at nè unô quidem è tot millibus contra hiſcere auſô.

Obiit Annô 1616. B: CANDIDUS cognomentô FURLONGIUS nobilis Hibernus, nè fidei inter tot ſchiſmatum diſturbia pateretur naufragium, Patriâ exceſsit, ac Româ viſitatâ in Hiſpanias transfretavit, ubi Nucalenſe Ciſtercienſium Cœnobium ei pro portu fuit, in quo candidâ

didâ cucullâ, & candore morum pectus ſuum adverſùs mille deinceps hoſtium tela ſtrenuè obarmavit, ità ut jam tunc dæmones ſibi non infrequenter viſibiliter infeſtos pulcherrimis victoriis triumphârit. Rogatus de modo & ratione præliandi cum dœmonibus, quî fieri poſſit, ut horrida illa inferni monſtra, ad quorum ſolos aſpectus & nomina totis oſſibus trepidant alii, ille tantâ felicitate non videat modò, ſed inſuper & vincat? Reſpõdit Fratribus in hæc verba *Candidus: quando priùs illos* (dæmones) *videre cœpi, aliquantulùm horrui; jam verò non meâ, ſed Divinâ fretus virtute etiamſi omnia inferorum agmina contra me viſibiliter venirent, & inſurgerent, minimè formidarem eorum præſentiam, imò illa, ceu muſcas à me abigerem.* Præliator felix, qui hos hoſtes non timeat! Theologiæ curſu *Salmanticæ* abſolutô illuſtre hoc Sidus in natale ſolum à Moderatoribus deſtinatur. Credi vix poteſt, quantô Catholicæ rei emolumentô Operi Apoſtolico inſudaverit *Candidus*; moribus namque angelicis, divinóque flammeus zelô univerſam Britanniam illuſtravit. Ex plebe ad fidem converſorum numerus tam eſt ingens, ut iniri nequeat. Sola ſeries Nobilium ſeu hominum notæ alicujus majoris per Candidum ad Eccleſiam reductorum facilè excrevit ad *quinque millia*, ut absque omni planè hæſitatione Candidus noſter *Magnæ Britanniæ* hujus ſæculi *Apoſtolus* dici debeat. Muneri Sancto reſpondebat ſanctitas morum. Noctes penè ducebat inſomnes, horis nonniſì tribus neceſſariæ quieti indulgens: Eccleſiaſticum indies penſum perſolvebat genuflexus: Quotidianis flagellis nunquam non cruentus. Miraculorum gloriâ infinitâ propè ſerie per omnem Angliam, Scotiam atque Hiberniam celeberrimus, *Religioſi* perſonâ nonnunquam diſſimulatâ, ſub *Medici* famoſiſsimi charactere ac larva piâ fraude ad Principum aulas ſecurus penetravit. Atque licèt artis Medicæ prorsùs fuerit imperitus, herbis tamen viliſsimis atque obviis à ſe benedictis morbos omninò fatales feliciſsimè perſanavit: útque divinis prodigiis ſua eſſet certitudo, cœcis viſum, mortuis vitam reſtituit; quæ poſteriores gratiæ per ſolas herbarum virtutes naturales mortalibus evenire non poſſunt, ſtante in contrarium Philoſophorum dogmate: non dari naturaliter regreſſum à privatione ad habitum. Illud præſertim memorabile atque jucundum, quòd Medici, Pharmacopolæ, & Chirurgi publicis querimoniis Regem interpellârint, ſe lucris

 ſuis

ſuis ac ſtipendiis unius *Furlongii novâ medendi arte* fruſtrari. Et verò hac curandi methodô hæreſim peſſimum animæ virus à tot hominum millibus propulſavit. Quærebatur perſæpè ad necem per inſidias *Candidus*; Verùm per medios ille hoſtium cuneos erupit, evaſit, hoſtibus interim divinâ virtute cœcitate percuſſis. Malos è gehennæ hoſpites ab energumenis ſolô imperiô ad tartara relegavit. Prophetiæ Spiritu, & ſcientiâ infusâ non Britanniam modò ſed orbem Chriſtianum in ſui admirationem rapuit. Momentô mortis longè ante à ſe prænunciatô candorem animæ è Sacro fonte illibatum *absque mortali labe* in tumulum cœlúmque aſportavit Vir Sanctus, non fruſtrà utique *Candidus*, nomini ſuo ac virtuti vitium nunquam intulit *Candidorum* omnium & *Candidatorum* haud dubie Tutelaris Patronus. Tribus ab obitu hebdomadis apertus tumulus adhuc ſpiravit exhibuítque *Candidum incorruptum*, multâque odoris fragrantiâ adſtantes perfundentem.

Floruit Annô 1235. & deinceps.

In HISPANIA contra Saracenos rem Chriſtianam mirificè promovit S: BERNARDUS Abbas *Sanctarum Crucium*, Manriqueô teſte, in illis Partibus Supremus hæreticæ pravitatis Inquiſitor, Epiſcopus *Viquenſis*, Vir Apoſtolicus, qui zelô zelatus pro animarum ſalute per Urbes, caſtella, vicóſque circumvolans verbô prædicationis peccatores obſtinatiſſimos ad condignam pœnitentiam emolliit. Atque ut Paſtor ipſe fieret forma & exemplar gregis, tantâ floruit vitæ integritate, ut *Angelicum* illum caſtitatis florem nullô unquàm turpi afflatu contaminârit. Loquebantur perpetuô miraculô Viri Apoſtolici ſanctitatem *campanæ ipſæ*, quæ toties nullô impellente in Eccleſia Cathedrali Divinâ vi motæ ſonabant, quoties Vir Sanctus à munere Apoſtolicô eò revertebatur. Duriores erant ad verbum vitæ pleræque Saracenorum Urbes, quas Bernardus Apoſtolicus belli Sacri Dux, cùm prædicatione apud contumaces non prævaleret, copiis machiníſque militaribus expugnatas profligatis inde Mahometanis per Chriſtianas colonias Saracenorum implevit ruinas. Multi nihilominùs è Paganis calcatô *Mahomete* ad CHRISTI vexilla Bernardi eloquiis non armis convicti ſponte ſuâ convolârunt. Pretioſâ tandem morte Apoſtolicos labores coronavit, prodigiis ad tumulum celeberrimus. *Vicquenſis* diœceſis Sancto

ctoPræſuli *decimâ ſextâ Octobris* quotannis feſtos habet honores.

GRÆCIAM Apoſtolicô Spiritu per & illuſtravit B: BRUNO antehac Virginibus in Parthenone *Divi Antonii Pariſijs* à confeſſionibus, tandem Superiorum imperiô Religionis Catholicæ in Græcia Apoſtolicus Propagator, qui crebris ibidem prodigiis inclaruit. *Obiit Anno 1227.*

In Partibus ITALIÆ reprimendæ novæ hæreſi authoritate Innocentii III. oppoſitus eſt B: ALACHRINUS olim in Cœnobio *Caſæ-Marii* Ciſtercienſium alumnus, ſubinde cum acceſſione Apoſtolatûs ab eodem Innocentio conſecratus Epiſcopus: *Divo Dominico* intimâ familiaritate junctus: qui ambo mutuis operis gliſcentem hæreſim in tempore veluti in herba ſuffocaverunt. *Obiit Anno 1240.*

Apoſtolicis his pro fide, pro Eccleſia laboribus occupatos Ciſtercienſes noſtros Summi Eccleſiæ Præſules contra *Saracenos* ſacrum claſſicum canentes *Cruciatæ Expeditionis* præcipuos *Duces* ac Promotores non rarò voluêre, *commiſsâ*, (ut loquitur Manriqueus) *Ciſtercienſibus Abbatibus prædicatione Crucis, quæ illis à Bernardo familiaris raró per alios, ſinè ipſis vix unquam prævaluiſſet.* In glorioſa hac ſcena ſpectandi in primis Pontifices Maximi, qui favores hóſce conceſsêre; atque etiam memorandi è Ciſtercio Viri, qui hæc munera pro dignitate & meruerint & geſſerint. *Eugenius III.* Cruciatæ contra Turcas expeditioni Supremum Ducem dedit Magnum BERNARDUM. Gregorius VIII. & mox ei ſubrogatus Clemens III. *Henrico Cardinali Albanenſi* olim Ciſtercienſi cum Summo imperio Crucis prædicationem per Orbem Chriſtianum impoſuêre, approbante Cœlô quod de tanto Viro Pontifices ſtatuiſſent in terris; dum namque *Reges Franciæ & Angliæ* in die *Sanctæ Agnetis* cruce ſignaret, viſæ ſunt pariter ab univerſis Epiſcopis duæ pulcherrimæ Cruces ſuper caput utriuſque Regis divinitùs in aëre ſuſpenſæ. *Innocentius III.* in plures è Ciſtercio Abbates grande hoc opus prædicandæ Crucis diſpertiit, aſſignatô ſingulis populô, quem prædicando pervaderent, vocaturi ad arma ſacra ſtrenuos Præliatores; *Everardo* Abbati Salemitano & *Petro* de novo Caſtro data Provincia Moguntina, *Abbati de Sichem* Diœceſes Magdeburgenſis atque Bremenſis, *Martino* Pariſienſi *Ad annum 1235. cap. 4. num. 4.*

Theutonia reliqua, *Abbati Mellifontis* Hibernia, *Rievallenſi* Anglia, *Luca* Sambucinenſi Italia, quibus omnibus per literas à Pontifice cauſa Chriſti, & promovendæ expeditionis impensè recommendata fuit. MARTINUM mox memoratum Abbatem de Pariſio, quæ eſt domus Ordinis noſtri in Epiſcopatu Baſileenſi, vix ſolô nomine noſcet Lector. Multus & facundus eſt Manriqueus in laudando hoc Viro in *Annalium* ſuorum *Tomo* 3. per loca complura, è quibus paucula in Martini laudes ſelegi. Acceptô igitur Pontificis Summi imperiô Vir Apoſtolicus primum Sermonem habuit *Baſileæ* coràm Clero & Populo tantô ardore, ac vi, ut inter uberes lachrymas Apoſtolico Oratori applaudentes univerſi, magnô numeró arma & crucem ſumerent, præliaturi contra Saracenos. Electus inſuper à Sacra Militia *Teutonica* in belli ducem, Bernardi gloriam ac famam rursùs ſuſcitavit, ex eò fortè Bernardô felicior, utì obſervat *Manriquens* ad Annum 1202. cap. 3. quòd nempè Mellifluus Parens *milites deſeruit, quos armaviſſet, hic anteceſſit.* Quem Ducem ſibi Germani Heroës elegerant, experti fuêre inſuper aliquid Duce amplius atque amabilius, Patrem ſcilicèt, qui quidem ſemper, at ſerpente per Exercitum peſtilenti contagiô potiſſimùm & Patris officium egregiè præſtiterit, & ducis. In muneris Apoſtolici promerita ſtipendia oblati ei in Oriente ſacri honores *Patriarchatûs Theſſalonicenſis*, quos ille magnâ animi demiſſione declinavit. Exanthlatis ſubinde ingentibus laboribus, expugnatâ per noſtros Conſtantinopoli, in Germaniam redux ſacratiſſima ſpolia ſecum in Patriam aſportavit, immenſum nempe *reliquiarum* Theſaurum, de quibus fortè nos alibi enucleatiùs aliquid recitabimus. Quare inter cæteras ejus laudes etiam eſt illud, quòd Germania ditata ſit ſacris reliquiis præcipuè per *Martinum noſtrum*, quas hodie colere Poſteri non poſſint, ſinè Martini pia & grata reminiſcentia. Præterea noſtris *generalem Crucis prædicationem* injunxit *Gregorius* IX. Abbati ſcilicèt *Heiſterbacenſi* per provinciam Trevirenſem, *Lucellano* per Biſuntinam, *Alberſtadienſi* quondam Epiſcopo, tunc Monacho per Magdeburgenſem, atque aliis per alias multas, datis ad ſingulos literis Apoſtolicis. Qui Pontificum eximii favores, & recommendata ſumma negotia luculenta debent eſſe Poſteris argumenta, quantô zelô noſtri pro religione, atque Eccleſiæ Sanctæ exaltatione æſtuaverint.

Floruit Annô 1202. & deinceps.

Neq;

Neque minori in pretio ab *Oecumenicis Conciliis* habiti Ciſtercienſes: non tolerati modò ut adeſſent, ſed juſſi, ſed compulſi adeſſe è Ciſtercio qui ſimul Judices conſiliorum gravitate, ac ſententiarum pondere Orbis Chriſtiani negotiis præſiderent. Bernardus præcipuè dum viveret, Synodorum cùm Provincialium tum Generalium pars ſemper magna, & omnium quædam quaſi anima fuit, dum Pontifices Maximi, cæteríque Conciliorum Patres conſtanter crederent, errare ſe non poſſe, ſi Bernardum, omnium opinione Spiritûs Sancti organum, pro oraculo, pro regula ſibi proponerent. Conciliata exinde eſt Ciſtercienſibus per unum Bernardum in univerſis Conciliis magna & perennis fama atque exiſtimatio. Nos hìc ex duobus. *Conſtantienſi* nimirùm & *Baſileenſi* tangemus ad rem noſtram paucula. Primo interfuêre complures è noſtris, Ordinis, Eccleſiæ, Regum, Principum nomine. *Joannes de Martiniaco* Ciſtercienſium Generalis XXXVIII. pro ſe & Ordine, *Abbas Clara-Vallenſis* Ambaſiator (ſic ſcribo & loquor cum Manriqueo) Eccleſiæ Gallicanæ, *Abbas Pontigniacenſis* Legatus à Concilio ad Regnum Scotiæ, *Abbas de Runa* Ambaſiator Archi-Ducis Auſtriæ, *Abbas de Precibus*, & præcipuè (ùt ſcribit Angelus) *Matthæus Abbas de Aula-Regia*. *Joanni Generali* ſimúlque duobus *Cardinalibus* & uni *Epiſcopo* delata eſt ab univerſo Patrum cœtu poteſtatis plenitudo, inquirendi de doctrina *Wiclephi Huſſij*, atque complicum. Stetit *Joannes* unà cum ſuis è Ciſtercio Coabbatibus magnis animis, zelóque Apoſtolicô adversùs *Huſſium*, Viríque contumaciſsimi peſsima dogmata; atq; per ſe, perquè ſuos tam feliciter pugnavit, ut Synodi Univerſalis decretô unà cum corrivali & cliente ſuo *Hieronymo* flammis abſumeretur. E cineribus tamen prorumpente novô incendiô, novô inter Bohemos ſchiſmate celebratum eſt ab Eccleſiæ Patribus *Concilium Baſileæ*, cui nomine *Ordinis*, atque *Almæ Univerſitatis Pariſienſis* interfuit *Joannes de Alneto* Ciſtercii Generalis XXXIX. Vir ob prudentiæ laudes apud omnes celeberrimus, eáq; de cauſa ſolus *Orator ad Bohemos*, & cum duobus doctiſsimis Epiſcopis electus eſt *Judex* in *cauſis fidei*. Neque *Joannes* ſolus Ciſtercii gloriam in Concilio ſuſtentavit: Habuit ſcilicèt participes onerum, participes munerum illuſtres è Ciſtercio Atlantes, *Abbatem Eberbacenſem & Langheimenſem* Sacri Concilii Nuncios; *Thomam Dundrunenſem*, unum & primum è Viris triginta duobus, in quos idem Concili-

um compromiſit: *Joannem Gelbuſium* Mulbrunenſem, qui ex eo à Patribus ad Synodum eſt accitus, *quòd eô propter dexteritatem ingenii, & Regionum ac rerum experientiam multùm egerent ad Concilii legationes.*

Quòd ſi porrò ii, qui *Schiſma* premunt, ac tollunt, dicendi ſunt Viri Apoſtolici, ecquis, amabò, Ciſtercienſibus hanc gloriam invideat, qui Virorum magnorum egregiô teſtimoniô penè ſoli fuêre, per quos calamitoſum illud & atrox ſchiſma inter *Fridericum Cæſarem*, & *Alexandrum III.* Pontificem repreſſum eſt, atq; ſopitum? Non movere Viros poterant minæ, exilia, carceres, vincula, quibus per publica Imperatoris decreta deſtinabantur illi, qui Alexandro adhærerent. Hilares inſuper in ferreas ruebant compedes Ciſtercienſes noſtri, per quas nimirùm ſalva conſiſteret Eccleſiæ ſacratiſſima auctaritas atque libertas. Manriqueus ad Annum 1166. cap. 1. eximiè noſtrorum conſtantiam extollit: *Divinâ providentiâ effectum eſt, ut Ciſtercienſes toties agitati nunquam deficerent, ſed novis edictis novos ſemper exules darent: Monaſteriis quantumlibet exhauſtis, nunquam tamen ad fundum exhauriendis.* Satìs hoc, atque pro dignitate ſua laudari non poterit, ſtetiſſe nempe Ciſtercienſes Monachos in Romanæ Sedis obſequium ac ſtabilimentum non ſecùs ac Marpeſias cautes contrà excitatas in Alexandrum Papam procellas & Tempeſtates. Meminerit Lector, eos nimirùm qui ſic ſteterint, & per quos Pontifex teneri voluerit, Monachos fuiſſe, quorum utique profeſſio principalis atque immediata adeò non fuerit, ſe Pontificum, Principúmque litigiis implicare, & per eam ipſam implicantiam de ſuis, atque etiam de ſeipſis periclitari. Ignoravêre tunc Optimi Ciſtercienſes noſtri problemata, ignari humeros & animos in utriuſque adverſæ partis ficta obſequia & inclinare & fingere. Nolim ego per ſingulos Athletas augere hanc hiſtoriam in immenſum; afflavit namque turbo iſte Communitates integras, eáſque per *Germaniam* non paucas, quæ maluerint per Cœſaris decreta aut eſſe exules, aut ferre compedes, quàm unicum apicem ſentire, quem Roma non probâſſet. Per opuſculi decurſum non infrequens occurret mentio eorum, qui hac in ſcena è Ciſtercio perſonas ſuas præclarè egerint. Hic obiter omnes, non ſingulos, non tam laudâſſe, quàm inſinuâſſe ſufficiat.

Pro

Pro Tituli coronide memorandi eſſent Viri, qui in *Lutherum*, *Calvinum*, aliósque nuperos Novatores ſeſe & ſtylô & calamô è noſtris armaverint; Verùm adornavêre fortè jam alii, aut adornaturi ſunt deinceps hanc ſcenam fuſiùs, qui copioſiores è Germaniæ notitiis in calamos ſuos habent influxus. In argumentum laudis pro Ciſtercio ſit, tot per Imperium ſupereſſe Virorum mulierúmque illuſtria Cœnobia, quæ medias inter hæreſes ad noſtram uſque ætatem pervenerint. Inſpiciendi ſunt Germaniæ circuli, & in circulis plerisque Ciſtercii reliquiæ, quæ ſic ſupereſſe non potuerint ſinè ingentibus cum hæreſi præliis, partísque de ea victoriis. Nimìs hodie indignè ſentiunt de Ciſtercienſibus, qui eorundem avitum zelum intepuiſſe autumant. Non quærunt illi, fateor, infideles, quos convertant extra Europam, ſiquidem Apoſtolicos ſuos ſpiritus atque labores impendere poſſunt in reducendis Heterodoxis, quos domi ſufficientes habent. Succêſſere hodie in locum Ciſtercienſium, qui id agant, quod olim egêre noſtri. Neque cùm novi recentésque venerunt, Ciſtercienſes in opere Apoſtolico quieſcunt; quòd ſi enim coactô calculô numerari deberent, qui per noſtros è Lutheri, aliorúmque Hæreſiarcharum clientibus ad ſacra fidei Catholicæ dogmata reducti ſunt, excreſceret facilè numerus ad millia: Inter quæ numeroſiſſima hoſti erepta ſpolia apud Sileſios Ciſtercienſes ſunt integra ferè ſubditorum Dominia, è quibus noſtri nuper proſcripsêre Lutheri hæreſim, religione Catholicâ in antiquas Sedes poſtliminiò revocatâ. Mitto alia; neque enim omnia à me Lector, quæ huc pertinent, expectare audeat, quoniam in ampliſſimo hoc honoris Apoſtolici amphitheatro, prout tituli epigraphe exigebat, perſonas aliquas laudare debui, omnes non potui.

ARCHÆUS.

NOvitia & Philoſophica Vox!
Quam in magnis vocabulorum Fontibus
Quæſivi & non inveni:
Tandem ſcrutatus *Fontem Parvum*
CISTERCIUM
Archæum deprehendi in *Ciſternis*,
Liquidâ cum *diviniſſimo Spiritu* analogiâ,
Qui ſub *naſcentis Orbis* incunabula
Geneſ. 1. cap. *Ferebatur ſuper aquas.*
Nullus è Spiritibus ſuper aquas melior,
Quàm *Spiritus Domini*:
Nullus ſuper Ciſtercii *Fontes* & *Ciſternas* Spiritus aptior,
Quàm *Spiritus Mundi*,
Qui per *Orbem* in Viris Apoſtolicis diffuſus
Inſpiravit
Per Apoſtolos è Ciſtercio diſperſos
In faciem Pagani & Heterodoxi Microcoſmi
Spiraculum vitæ, *ſpiraculum fidei*,
Et facti ſunt
Livones, *Lubavienſes*, *Pruteni*,
Wandali, *Teutones*, *Bohemi*,
Sueci, *Norwegi*, *Saraceni*,
Angli, *Hiberni*, *Franci*,
Seu damnatis idolis, ſeu excuſsâ hæreſi
In animas viventes.
In Collecta Feſti. 26. Junij. Pulcherrimæ laudes *Joannis* & *Pauli* Romanorũ Fratrũ Martyrum,
Fuiſſe in eis *Unum Spiritum*, & *unam fidem.*
Scilicèt *Spiritûs* & *Fidei*
Optimi & neceſſarii nexus.
Spiritus omnibus *unus*? *Fides* & omnibus *una*:
Divide *Spiritum* & *Fidem* diviſiſti.

Con-

Congregavêre Ciſtercii Apoſtoli
Diverſitatem Gentium in unitatem fidei,
Et quidni in *unitate Spiritûs?*
Petrus, *Arnaldus*, *Fulco* apud Gallos,
Chriſtianus & *Philippus* apud Lubavios,
Albertus & *Bertholdus* apud Livones,
Slavco de Oſſeco apud Prutenos,
Stephanus & *Adalvardus* apud Suecos,
Nicolaus Anglicus apud Norwegos,
Benno Meklenburgenſis apud Wandalos,
Matthæus de Aula Regia apud Bohemos,
Nicolaus, *Guillelmus*, *Thomas*, *Candidus* apud Hibernos,
Et qui non alibi?
Implevêre Orbem *unô Spiritu*, *unâ fide*
Divinô *Archæô*.
Clima, *Diadema*, *idioma*
Pro diverſitate Gentium
Diverſa omnia!
At quia unô animata Ciſtercii *Archæô*,
Una omnia!
Fidelium primitiis, & Ciſtercii Fratribus
Omnia communia! *Actuum Apoſt. cap. 2.*
Etiam *Spiritûs* omnibus, & in omnibus *unus*,
Quem ſive *zelum Apoſtolicum* dixeris,
Sive, quod malim
Archæum
Per Diverſa vocabula
Rem omninò eandem compellâſti.
Nîl tam nuper afflixit *Germaniam* & *Franciam*,
Quàm *Spiritus privatus*,
Nova Novatorum anima.
Sed per quam tot jam *ſeductæ animæ!*
Malint Ciſtercienſes noſtri inter cruces & tormenta
Millies exhalare ſpiritum,
Quàm vel unô è *mille his Spiritibus animari.*
Quoniam ſuper *mille has vitas mors* vel una hæc potior.
Diviſa in Schiſma Germania eſt,
Cùm diviſa in tot *ſpiritus*, quot *animas:*

 In

In Novatorum *Animaſtica ſinguli ſingulos* habent *ſpiritus*,
In *Roma* & *Ciſtercio* ſinguli *unum*,
Divinum nempe *Archæum*
Orbis ſanctiorem *animam*,
Verbô
Spiritum Mundi.
Albigenſes
Eccleſiæ olim terrorem & turbinem,
Inflatos viribus & faſtu
Ciſtercienſes noſtri *Spiritu oris ſui* impulêre primùm,
Atque cùm per arma contumaces reſiſterent,
Spiritu furoris ſui
Præcipitavêre in ruinas,
Excidiô ſuô palàm confeſſos,
Ciſtercii Viros
Unô Spiritu, *unô* è Cœlis *Archæô*
Plura audere, majora poſſe,
Quàm *ſingulos* Albigenſes Eccleſiæ & Ciſtercii hoſtes
Per *ſingulos Spiritus.*
Et quidni amplius aliquid Albigenſibus valeant Ciſtercienſes?
Illi enim pugnavêre *ùt ſinguli*,
Hi *ùt omnes.*
Stetêre Ciſtercienſes *omnes ſpiritu unô* pro *Viro uno*,
Reſtitêre Albigenſes *diviſi* in Schiſma, *Secti in Sectam*,
Spiritu in ſingulis *novô* diviſóque:
Itaque *ſinguli* victi ſunt,
Qui *ſinguli* auſi præliari.
Fortiora ſemper fœdera,
Quæ non tam ex *armis* coaluêre, quàm animis.
Colligavit Ciſtercii Apoſtolicos Viros *animorum* Societas,
Albigenſes *arma* junxêre,
Animis interim extra *Eccleſiæ amuſſim*
Per mille errores *à linea* & *vero* aberrantibus:
Animi vincti vicêre vincta arma!
Jacet Albigenſium hæreſis & furor,
Atque è tanti Nominis *ruinis*
Pulcherrima *ſurrexêre* olim, *ſtántque* hodie
In Ciſtercii triumphis & elogiis trophæa,

Albi-

Albigenſes
Immortali Monachiſmi gloriâ per Ciſtercienſes
Extincti!
Et qui graſſantia latè *præfervidæ* hæreſeos *incendia*
Extinxerint alii,
Quàm Viri, quos *Ciſternæ* & *Fontes*
In Orbis *obſequium*, atque Eccleſiæ *refrigerium*
Profudêre?
Flavit Spiritus,
Divinus in Ciſtercio *Archæus*, *Pſalm. 147.*
Et *fluxerunt aquæ*,
Tot *rivuli*, quot *Apoſtoli*,
Per quos noxiæ *ſuffocatæ flammæ*, *ſuppreſſæque*,
Quæ nuper ex *Alba* eruperant, *Aliàs etiam Albiga, Civitas Galliæ, unde dicti Albigenſes.*
Ut tandem in *fumum*, *umbram*, *nihilum* abierint!
CISTERCIUM
Non *Mare*, ſed Fons:
Fontibus anguſtiæ ſunt undique:
Spiritus
Qui per immenſa *marium* ſpatia *diffuſi* ſunt,
Fontes & *Ciſternæ*
Ipſis ſuis *anguſtiis in unum* colligunt, ſervántque
Erupturos aliquando cum vehementia.
Non cum tantô verborum turbine
Mantuanus Vates memoraret Ventos
Quà data porta, ruentes, & *terram turbine perflantes*, *Æneid. Lib. 1.*
Nisì priùs latuiſſent *clauſi* in *Æoli* antris.
Ciſtercium *Parvus Fons*
Magnos alit *Spiritus*:
Et nunquid *modicis* ſæpe corporibus *ſpiritus* inſunt *maximi?*
Apoſtolicus Ciſtercii *Archæus*
In *cellarum* anguſtiis ad tempus *clauſus*
Per *Pontificias* Petri *Claves* in publicum *emiſſus*, dimiſsúsque
Spirat cum efficacia, perflátque Orbem *ſanctiore turbine.*
Angelicus *Aquinas*
Ipsô *Aquarum nomine Ciſternis* affinis,
Rogatus à *Ciſtercienſibus* in *Foſſa nova*
Angelicam ſumere *pennam*,

Et *ſequi* & *aſſequi* Melliflui Parentis *in Cantica*
Stylum, ſenſa, myſteria,
Poſtulavit à Bernardi, Filijs Bernardi *Spiritum*:
Date mihi Spiritum Bernardi, & ego continuabo opera BERNARDI!
Calamô linguæ Angelicè *ſcribentis*
Bene ſcripſiſti de BERNARDO, & BERNARDI Filijs
Angelice Scriptor!
Eſt in utrisque, *Patre* ſcilicèt & *Filiis Spiritus*,
Quem laudaviſti, optaviſti,
Et quem poſt Te
Baronius & *Bellarminus* Purpurati Panegyriſtæ
Stylô certè non aliô quàm *tuô* laudavêre,
Eſt in utrisque *Spiritus Apoſtolicus*,
Baronius ad Ann. 1153. Bellarminus Lib. de ſcript. Eccl.
In *Patre* quidem, *teſtibus calamis* Eminentiſſimorum Scriptorum,
In *Filijs*, teſte *linguâ tuâ* Angelice Doctor!
Quâ Bernardi filios *Apoſtolici Spiritûs hæredes* pronunciâſti,
Cùm ab eis *Bernardi Spiritum* poſtulâſti.
Quî enim fieret,
Ut *Bernardi Spiritum* tibi *inſufflarent* Bernardi Filij,
Si *Spiritu BERNARDI pleni* non eſſent?
Aut quem aliū inſufflarēt, niſi quē *Apoſtolicus Parens* olim habuiſſet,
Filiíſque reliquiſſet, poſtulandum à *Filijs per Aquinatem*?
Claudo ego Ciſtercii *Fontes* & *elogia* votis,
Magníſque Spiritibus ad *Patrem Spirituum ſuſpiro*,
Ut ſecundùm antiquas Patrum Ciſtercii ideas
è Filiorum præcordiis atque medullis
Novis incrementis, fontibus, rivulis,
Proſiliat in *ſalutem fidelium* & infidelium
Fœcundus, facundúſque
CISTERCII
Apoſtolicus
ARCHÆUS!

TITU-

TITULUS XII.

CISTERCIENSES PONTIFICES MAXIMI.



LAudatis Viris Apoſtolicis in Sanctæ Fidei propagationem, & animarum lucra per Orbem Chriſtianum è Ciſtercio egregiè diſperſis, nulli viciniores laudi & elogio, quàm ij qui in Sede Apoſtolica ſedêre Summi Eccleſiæ Præ-

ſules,

ſules, è Ciſterciigremio ad illud faſtigium aſſumpti; Quomodo enim vel ipsâ vocabulorum ac rerum affinitate cohærere non debeant *Viri Apoſtolici*, & *Præſules Apoſtolici?* In illis ſpectãdus Apoſtolorum *zelus*, in his Apoſtolorum Principis ſumma *auctoritas*, in utriſque munus Apoſtolicum, munus divinum. Non modica autem gloria atque exiſtimatio ex utriſque accrevit Ciſterciẽſi Familiæ; quòd primùm quidem tot Viri inclyti è ſylvis & latibulis prodiverint mediáſque in Gentium ac Populorum turbas ad Pontificum nutus tam alacres ſeſe ingeſſerint, daturi Eccleſiæ novas ex infidelibus colonias: Deinde verò quòd in Ciſtercienſibus BERNARDI magiſteriô firmata profundiſſima humilitas, ſummis in Eccleſia honoribus ſub ipſa jam Ordinis ſacra primordia feliciſſimè cœperit coronari. Non eſt magnum aſſequi honores, quos non fugimus, ſed è veſtigio pronâ ſequimur cupidine: Id præcipuâ laude atque admiratione dignum, Viros è Ciſtercio ad Romana faſtigia invitatos, vocatos, raptos eſſe, qui vel ipſis dignitatum nominibus offenſi inter lachrymas oblatas Tiaras conſtantiſſimè deprecabantur. Sufficeret *Evgenius* unicus, qui Tituli hujus paginas, laudéſque magnificentiſſimè impleret; Sed neſcio quâ fatorum felicitate factum eſt, ut pro *ſingulis* Familiæ noſtræ exactis *ſæculis* totidem hìc Pontifices memorare poſſimus. Fateor, neque *Manriqueum* neque *Henriqueum* tot numerare, ſi nempe ſingulos ſeorſim conſulas; Cæterùm ſi utriusque ſuffragia conjuncta pro Ciſtercii Pontificibus confeферas, habebis *tot* Ordinis *Pontifices*, *quot* Ordinis *ſæcula*, & ſecundùm præfixam opuſculi epigraphen rursùm in Summis è Ciſtercio Præſulibus *Ciſtercium Bis Tertium*. Et quanquam *Manriqueus in Annalibus* pro ſuo in hiſtoricis rigore videatur quoſdam è memorato felici ſenario ſeu expungere, ſeu omittere, quos liberalior *Henriqueus* inter Ciſtercienſes numeraverat; quia tamen Lector eum rigorem in his Ciſtercii elogiis vix æquô animô ferret, malui recenſere omnes, & argui de liberalitate, quàm omittere aliquos, & notari de parcitate. Verùm nolit metuere Lector, me aſſerturum aliquid, quod falſum mihi videatur; Sed id præcipuè curabo, ut Manriquei rigor benignâ temperetur interpretatione, quô temperamentô ſuffragari inſigniter potero Henriquei authoritati, quæ ſalva ex omni parte conſiſtere non poterit, ſi unus duntaxat Manriqueus verum ſit locutus; Ex illis quinque

enim,

enim, quos è Ciſtercio ad Pontificias Tiaras evectos aſſeruit *Henriqueus*, tres ſeu negat, ſeu diſſimulat *Angelus*, adeò ut Titulus hic minorem fidem ſit habiturus apud Lectorem, niſi ſinceri ſimus, & ſic ſequamur ſeverum Manriqueum, nè tamen videamur deeſſe & detrahere liberali Henriqueo. Poſſem adverſariam partem hôc locô tacere, atque recitare duntaxat ea, quæ ſinguli referunt (& quis, amabò, hoc vetet?) potiſſimùm cùm in elogiis ægrè admodum, & nonniſi invitus in apologias deflectã; Verùm tam ſincerus ego quidem ſim, ut nolim Ciſtercio optimæ Matri dare Pontifices, qui Lectori minùs certi, &, quod ampliùs, ſuſpecti eſſe poſſint. Igitur ſinguli ſex eâ fide hìc recenſendi, quâ fide de ipſis ſcripsêre laudati Manriqueus & Henriqueus; non eſt enim cogendus Lector, ſed perſvadendus, ut credat, Ciſtercienſes eô numerô (quem mox inſinuavi) ſenariô nempe habuiſſe Pontifices. Itaque Viros ipſos videamus.

Primus inter Ciſtercienſes Pontifices Summos fuit B: EVGENIUS III. qui priusquàm Melliflui Parentis magiſterio in Clara-Valle ſe ſubjiceret, *Vice-Domini* ſive *Suffraganei Piſani* charactere ac titulô illuſtris apud Italos præeminuit. Vir ad magna natus, à Bernardo deinde ad maxima quæque & ſumma excultus Romam ab eodem mittitur cum Fratrum Colonia futurus è Ciſtercio primus Abbas celeberrimi Cœnobii *SS. Vincentii & Anaſtaſij Trium Fontium ad Aquas ſalvias* propè Urbem, qui locus à glorioſo *Divi Pauli Apoſtoli* agone & martyrio eſt notiſſimus, nuncupatus ea de cauſa ad *Tres Fontes*, quòd ſacratiſſimũ Doctoris Gentium caput Neronis juſſu à corpore præciſum ter in terra ſubſiliens, Noménque JESU veluti in triumphi & laureolæ teſſeram ter inclamans Tres Fontium ſcaturigines prodigiosè excuſſerit. Ad hos Fontes non tam Abbatem ſe geſſit, quàm Tiaræ Pontificiæ Candidatum, emanante à Tribus Fontibus per Urbem & Orbem præclarâ ſanctitatis ejus famâ. Sublatô ſubinde è vivis *Lucio II.* à Cardinalium Collegio concordibus votis rarô exemplô ex Abbate Summus Pontifex renunciatur: Mutavit quod in Clara-Valle aſſumpſerat BERNARDI nomen in nomen *Evgenii.* Quare ſub triplici vocabulo Vir iſte magnus apud Hiſtoricos celebratur, PETRUS videlicèt in ſæculo, BERNARDUS in Religione, EVGENIUS in Pontificatu. Ad hanc nominum meta-

morphoſim addidit & alteram vitæ, morúmque, quos acceſſione Supremi muneris mutavit quidem, at non niſi in melius, ad faſtigium dignitatis conjungens culmen perfectionis, gradu Summus, virtute maximus, dignus omninò Magnô Bernardô diſcipulus, qui tanti magiſterii beneficiô non niſi ad Summa debuerit eluctari. Genium ſæculi fefellit ingeniosè Pontifex hic Optimus, cùm ſcilicèt multâ purpurâ & aurô ſineret ornari palatia ſua & ſtrata, latente interim ſub extrinſeca purpuræ majeſtate ſaccô fartô ſtramine, cui indormire conſueverat: Veſtis quoque non minùs ſplendida tegebat aſperitatem, humilitatémque Monaſtici habitûs, ità ut in uno eodémque Evgenio difficili admodum nexu & Orbis Chriſtianus, Pontificem, & Ciſtercienſes haberent Monachum. Evgenii auſpiciis per Bernardum ſacerrimum Buccinatorem & Viros præliatores *in Cruciata Expeditione* tentatus *Oriens*, magnis motibus & metibus intremuit: & quanquam Græcorum fraude, & Ducum noſtrorum diſcordiâ Pontificis Optimi Sanctiſsimæ ſpes optatos eventus omni ex parte ſortitæ non ſint, per id tamen Evgenii laudibus detractum eſt nihil, cujus conſiliis & hortatu in ſacram belli Societatem quàm feliciſſimè Europæi Principes coaluerant, licèt deinceps aliô quàm Pontificis vitiô pulcherrimum illud animorum armorúmque vinculum infirmatum ſit, quemadmodum nos ſupra *Titulo IV.* inter Bernardi Melliflui geſta & laudes memoravimus. Porrò Evgenii Sanctitas Divinô prodigiô probata eſt, ſpectante prodigium præcipuô ex *Armenis Epiſcopis*, qui Apoſtolicos Tiaræ honores Pontifici aggratulaturi Romam advenerant; Cœlô namq; delapſis ſuper caput ſacrificantis ſplendoribus, atque ad *Magni Gregorii* æmulationem columbis binis deſursùm Vertici Ejus involantibus publicô applauſu, Cœlitum teſtimoniô, authenticâ velutì apotheoſi canonizatus eſt adhuc in vivis, qui alios ſuevit Sanctos pronunciare poſt mortem. Sed noluit Evgenius per eam cum Cœlitibus luminum atque idiomatum communicationem omninò totus eſſe in Cœlo, & cum Cœlo, Bernardô ſuperſtite in terra: quare oculô unô ſuſpexit aſtra, alterô in Claram-Vallem; Utrobique habuit quod ſuum erat, in Cœlo Cor, in Clara-Valle pupillam, in Corde DEUM, in pupilla Bernardum. Quanti eum viciſſim fecerit Mellifluus Bernardus, quantis oculis Evgenium ſuum aſpexerit & reſpexerit, perſpicuum fit è

Libris

Libris de Conſideratione, quos è ſtylo & materia longè elegantiſſimos ad eum perſcripſit. Quanti verò Evgenium fecerit DEUS ipſe, digitô Omnipotentiæ ſuæ ſcripſit in *prodigiis* & miraculis, quæ poſt felicem Ejus è vivis migrationem divinâ virtute ad tumulum Pontificis Sancti ſunt patrata, ùt perhibet *M. S. Liber Miraculorum Evgenii* in Bibliotheca Monaſterii *Dunenſis* apud Flandros. Sedit Annos VIII. Menſes 4. dies 13. conſummatus Anno 1153. quô etiam Annô Bernardus hominem exuit Evgenii in Clara-Valle Parens, in Romana Cathedra filius, in capeſcendo apud Cœlites bravio comes ac ſocius. Atque hæc pauca de Evgenio interim hìc ſufficiant: Fuſior qui volet eſſe in perſcrutandis Viri Sancti magnis laudibus, *Manriquei* & *Baronii* Annales conſulat. Id unum ego præcipuè hôc locô obſervo, confeſſione omnium Evgenium Ciſtercienſem fuiſſe, & non minùs injurium eſſe, ſubtrahere Ciſtercio Evgenium, quàm Evgenio Ciſtercium.

Alter Pontifex è Ciſtercio ad Tiaram aſſumptus eſt HADRIANUS IV. dictus vulgò antea *Nicolaus Anglicus*, cognomentô *Breakſpaare* ſive *Haſtifragus*, in territorio *S. Albani* Ciſt: Ordin: apud Anglos locô humili natus, ut omnia deberet DEO, qui eum ad dignitatum faſtigia ſublimavit. Lutetia Pariſiorum Nicolai ingenium (quod à natura habuit magnarum rerum capaciſſimum) excoluit, ornavit lauris, Tiarâ olim digniſſimum. Rependit *laureatus Nicolaus* celeberrimæ Univerſitati gloriam Matris, quæ per literarum ſtudia Romæ Pontificem genuiſſet. Digreſſus ſubinde Pariſijs, ſed non è Gallia, ingreditur in *Provincia* Monaſterium *S. Rufi* Ciſtercienſis Ordinis, in quo non multò poſt à ſuis Ciſtercienſibus vocatus eſt per concordia ſuffragia ad Abbatiale munus, donec famâ Viri Alpes tranſcendente *Evgenius III.* eum ex Abbate *S. Rufi* Epiſcopum *Albanenſem*, fecit, & inſuper in gloriæ accreſcentis cumulum *Purpurâ* Cardinalitiâ donavit. Miſſus ab eodem Pontifice cum Summæ poteſtatis amplitudine in *Norwegiam* & *Sueciam*, Eccleſiam Chriſti auxit plurimâ prole, alter Gentis illius *Apoſtolus*. Et nè Romã reverſurus oves Dominicas relinqueret deſtitutas Paſtore, Primum ille Archi-Epiſcopatum in *Norwegia*, fundavit. Ad Urbem regreſſus in tantorum laborum digniſſimam mercedem *Anaſtaſio IV.* brevi fatô extincto ſucceſſit Vir Apoſtolicus nuncupatus ex Nicolao *Hadria-*

drianus IV. Prima Ejus in Pontificatu cura, Orientis Imperiū conſervare in unitate fidei, quam unionem ſtabilivit inſigni ad Græcorum Imperatorem legatione. *Fridericum Barbaroſſam* Romæ in Cæſarem coronavit, contra quem deinde zelô Apoſtolicô ardens Eccleſiæ immunitates & jura ſtrenuè tutatus eſt. *Nepotiſmo* tam infenſus, ut nè Matrem quidem ſuam è Divi Petri patrimonio, ſed eleemoſynâ Anglicanæ Eccleſiæ, cui eam paternè recommendaverat, ali voluerit, conſangvineis cæteris ex Eccleſiæ proventibus nè obulô quidem ditatis: Quam rem in partem & materiam Summæ laudis aſſumit extollítque *Chriſtophorus Ott.* in ſua *Roma Glorioſa.* Sedit Annos 4. Menſes 8. dies 4. Obiit Anno 1159. Henriqueus noſter in *Phœnice ſuo Reviviſcente Lib.* 1. *cap.* 28. doctus ductúsque authoritate *Onuphrii Panuini*, utì inſinuat *Manriqueus* ad Annum 1154. c. 3. ìnter Scriptores Virósque Eximios Familiæ noſtræ *Hadrianum* expreſsè & prolixè recenſet, quô duce & Magiſtro idem hìc ego pronuncio: & quanquam fortaſſis contingeret me de errore convinci, non tamen mihi indecorum duco, ſub ductu tam illuſtris Viri fortè errare. Negat Manriqueus locô mox citatô, *Hadrianum* Ciſtercienſe inſtitutum aliquando fuiſſe profeſſum, ex eo, quòd Monaſterium *S. Rufi*, in quo ille à *Chryſoſtomo* aſſeritur, Ciſtercienſem habitum induiſſe, ad *Canonicos Regulares* pertineat, non ad noſtros. Percunctatus ſum nuper, dum hæc ſcriberem, in familiari diſcurſu domeſticos noſtros Oſſecenſes, quid de *Hadriano* ſentirent ipſi? Cùm ecce exhibitus eſt mihi Author Eccleſiaſtes Reverendiſſimus Dominus *Michaël Stainmayr*, Candidiſsimæ ac Canonicæ Præmonſtratenſium Familiæ Oſterhovii Abbas, qui in ſuo *Rationali Eccleſiaſtico* in Divi Patriarchæ NORBERTI erudita panegyri jam laudatum hunc Pontificem Ordini ſuo, id eſt, Præmonſtratenſi adſcribit. Et veroſimile exiſtimo, eſſe & Scriptores alios, qui pro Religionum atque affectuum diverſitate Hadrianum ad ſe aut invitent, aut etiam trahant; quorum quidem ſtudia pro domo ſua cùm vituperare non audeo, laudare debeo. Cupio ego viciſsim ab aliis præſtari mihi, quod exhibeo cæteris; quidni enim *habenti fidem fides habeatur eidem?* Profectò vix ſinè inſigni reprehenſione in præſenti Titulo omittere potuerim Hadrianū. Henriquei ſuffragiô omninò noſtrum. Errare potuerit Chryſoſtomus, non nego; ſed defactò erràſſe evidenter mihi probatus
non

non eſt. Et quidem *Phœnix* ille *Reviviſcens*, in quo Henriquez Hadrianum Ciſtercio attribuit, præter Eximios Cenſores etiam ſuos habuit Laudatores, atque inter alios *Manriqueum*, ipſum, qui in ſuis *Annalibus* aſſerit, Chryſoſtomum in *Phœnice* veriora & certiora ſcripſiſſe, quàm in Voluminibus cæteris. Accedit, quod non per unam alterámve lineam hanc veritatem obiter aut perfunctoriè tractat Chryſoſtomus, ſed *integrum caput* ſolô Hadrianô impleat. In verbo aut linea offendere ac labi, quàm facilè; quàm frequens; at verò per integrum caput aut fabulas fingere, aut errores ſpargere ægrè mihi perſvaſerim de Viro, qui ab *Univerſa Congregatione Hiſpania* ex induſtria electus eſt, ut vera ſcriberet. Video cardinem difficultatis præcipuè verti in eo, cujusnam Inſtituti fuerit memoratum *S. Rufi* Cœnobium? Pervolvi ego datâ operâ *Jongelini* Volumen de *Notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis*, atque etiam *Chronologiam* Monaſteriorum Familiæ noſtræ *Caroli de Viſch*; at in neutro Authore quidquam *de* S. *Rufo* Ciſtercienſi deprehendi. Inveni quidem in memorato *Carolo* Cœnobium quoddam nuncupatum *de Rufiniano* ſeu *Rufinianum*; Verùm quia ejus domûs fundatio longè poſterior eſt, quàm ut cohærere potuerit cum Ciſtercienſi Hadriano, utpotè quæ erecta primò ſit Annô 1226. annis nimirùm poſt Pontificis obitum 67. alia domus S. *Rufi* inveſtiganda eſt pro Hadriano. Et quidni ea ipſa ſit, quam Manriqueus in Gallia adſcribit *Canonicis Regularibus*, Henriqueus *Monachis Ciſtercienſibus*? Quæ enim tanta implicantia, ut S. *Rufus* qui olim ſpectaverit ad Canonicos, deinceps ſeu per reformationem, ſeu per ſpontaneam ceſſionem devolutus ſit ad Monachos: & viciſſim fortè domus Ciſtercienſium facta ſit habitatio Præmonſtratenſium aut Auguſtinianorum? Sanè eæ Cœnobiorum metamorphoſes, præſertim priores illæ olim fuêre non raræ. Itaque hâc ratione Hadrianus potuit in S. *Rufo* eſſe Ciſtercienſis, pro illa ſcilicèt differentia temporis, quando ea Domus Ciſtercienſes Incolas habuit, licèt deinde per temporum viciſſitudines & revolutiones tranſierit ad Inſtitutum alienum. Hæc mea conjectura eſt, quâ S. *Rufum*, & per Rufum *Hadrianum* Ciſtercio vindicare cupio. Et quanquam contra eam militare videantur citati *Caſparus Jongelinus*, & *Carolus de Viſch*, qui in reliqua Ciſtercienſium Cœnobiorum ſerie nîl de S. Rufo meminêre; non tamen ex eo convincitur, ad Ciſtercienſem Familiã

Mmmm nullam

nullam omninò S. *Rufi* Domum aliquando ſpectâſſe; Neque enim ille Cœnobiorum geminus Cathalogus omnia & ſingula complecti mihi videtur Monaſteria, quæ Ciſtercienſium aut olim fuerint, aut hodie ſint. Numeravi in utraque ſerie Ordinis Domos, & reperi utrumque Authorem univerſim recenſere nongentas, & ſupra, neutrum mille. Ubi, quæſo, notitia cæterarum Domuum, quarum decem millia olim fuiſſe perhibet Henriquez in *Faſc. Lib.* 1. *diſt*: 1. c.6. citatis pro ea aſſertione quatuor eximiis Authoribus, *Gundiſalvô de Illeſcas*, *Barnaba de Montalbo*, *Laurentiô de Zamora*, & *Arnoldô Wiono?* In confeſſo igitur eſt, plurium Cœnobiorum fundationes, atque etiam ipſa nomina ignorari à ſeris poſteris, quæ olim habuerint Ciſtercium Matrem & Fontem, hodie verò alienos rivulos & ſcaturigines agnoſcant. Et quidni etiam Domus S. *Rufi* habere olim potuerit alumnos è Ciſtercio, licèt hodie fortaſſis alat, colátque Canonicos è Præmonſtrato, ſeu ex Inſtituto quopiam alio? Non aliâ fide, affectu, ſenſu hæc affero & aſſero, quàm quâ fide de Hadriani inter Ciſtercienſes Monachatu ſcripſit Henriqueus; Absque enim Chryſoſtomi noſtri non modica injuria amitti & omitti hìc non poteſt, non debet Hadrianus, quem utique ſicut è Scriptoribus conſtat, *Pontificem*, ita ex Henriqueo liquet, *Ciſtercienſem* fuiſſe. Nolo ego eſſe tam ſacrilegus, ut ſacerrimis aliis Religionibus Pontifices furer; habent ſiquidem etiam ſinè Hadriano Ciſtercienſes noſtri gloriam Domi ſuæ in alijs Pontificibus ſufficientem, imò ſi Viros, & Virorum res geſtas penitiùs introſpicias, etiam ſuperabundantem. Scilicèt eô præſertim animô hæc dixi & ſcripſi, nè alijs fortaſſe videamur nos, noſtros, ac noſtra negligere, paratus aliter & ſcribere & ſentire, ſi non dubiis argumentis videro Henriqueum in hoc puncto triumphatum. Interim tamdiu *noſter* erit Hadrianus, quouſque per alios probetur *aliorum* eſſe.

Tertius Pontifex è Ciſtercienſi Familia ad Apoſtolicam Cathedram aſſumptus eſt ALEXANDER III. nomine Magnus, meritis Maximus, numerô feliciſſimus, dictus ante Pontificatum *Rolandus*, Patriâ *Senenſis*. Ciſtercienſi Ordini nomen dedit in Monaſterio *Clara-Vallenſi* propè *Mediolanum* apud Longobardos: adeò ex imis Vallibus Ciſtercienſes emergunt ad Summa. Familiariſſimus fuit *Evgenio* Papæ, adhucdum ante Romanas infulas

Piſæ

Piſæ Suffraganeo, ipſe ſimul ſub idem tempus Canonicus Piſanus. Ab eodem Evgenio donatus eſt purpurâ, ſimúlque Romam evocatus ad munus *Cancellarii*, quod ille maxima cum prudentia ac laude veluti optimum Summi Pontificatûs Tyrocinium præclariſſimè geſſit. Electus in Pontificem vehemens & triplex contra ſe ſchiſma ſuſtinuit, fovente illud *Fridericô* Imperatore, toties Victor, quoties Alexander. Ter ſchiſma recruduit, ter illud fregit: primùm ſub *Octaviano*, ſubinde ſub *Paſchali III.* tandem ſub *Caliſto III.* ſingulis Pſeudo-Papis. Stetit pluſquam Hercules adversùs tres Pontifices Schiſmaticos, ipſe ſolus electus legitimè, donec redditâ Eccleſiæ tranquillitate, & reconciliatô *Venetijs* Cæſare, tranquillè ſederet vix non ad annos Petri, annis ſcilicèt XXII. Alexandri laudes ſummæ, habuiſſe BERNARDUM eximium apud Evgenium Papam virtutum ſuarum Encomiaſten: Laudibus quoque ſua erant à Mellifluo Parente juncta vaticinia, evehendum nempe olim Alexandrum tunc adhuc ſub *Rolandi Bandinelli* nomine latentem ad Cathedram Petri, utì perhibet Baronius *Annal: Eccleſiaſt: Tom:* 12. ad Annum 1145. *Chriſtophorus Ott* in ſua *Roma glorioſa*, feliciſſimis, qui unquam Romanos Faſtos illuſtraverunt, Pontificibus Alexandrum noſtrum adnumerat, in rebus adverſis æque magnum atque illuſtrem, ac proſperis. Commorantem Anno 1162. in Galliis ambo Reges *Ludovicus* Franciæ, & Henricus Angliæ (quos inter compoſitò litigiô Pontifex nova amicitiæ fœdera feliciſſimè procuraverat) ingenti cultu honoravêre, cùm equô vectum ex utroque latere pedeſtri obſequiô comitantes, frœnúmque equi Regiis manibus prænſantes ad diverſorium deduxêre. Habuit *Evgenius* Papa ſtans ad aras è Cœlo bajulas *columbas* binas: Habuit *Alexander* ſtans pro aris & focis *columnas* itidem binas, quibus velutì baſibus & pedibus innixam Sedem Pontificiam ſuſtinuit: columna una Ordo *Ciſtercienſium*, *Carthuſienſium* altera, qui crebris calamitatibus, & frequentibus exiliis propter Alexandrum vexati, preſsíq, firmi tamen ſtetêre pro Alexandro. Acceſſit his Atlantibus Atlas novus & tertius, atq; ille quidem ſi terras, ſi maria ſpectes potentiſſimus, Sereniſſima videlicèt *Reſpublica Veneta*, quæ auſu immortalibus elogiis longè digniſsimô Alexandrum cum Roma tranſtulit Venetias. Neq; totus pacatis ſubinde rebus ex Urbe Servatrice exceſsit Pontifex, ſed in perenne grati animi anathema favorem rarum & hodie-

diedum florentiſsimum Venetiis exhibuit, deſponſandi ſibi nempè quotannis in glorioſis Aſcenſionis Dominicæ ſolemniis per Reipublicæ Ducem Mare Adriaticum annulô aureô. Romam reverſus poſt tot triumphos reduxit ſecum in Urbem ſacratiſsima veluti trophæa, pacem, pietatem, Majeſtatem. Literarum cultor & Patronus tam fuit inclytus, ut *Corpus Juris Canonici* ſinè Alexandri decretis, ceu quibusdam radiis tam illuſtre, tantâque amplitudine hodie vix eſſet. Erumpente porrò Schiſmate Anglicanô, ſeu, ut mitiùs loquamur, promicantibus Schiſmatis calamitoſiſsimi primitiis, ſub *Henrico II.* Rege libertatis Eccleſiaſticæ acerbiſsimo æmulo, Virum Apoſtolicum, glorioſum deinde Martyrem *Divum Thomam* Archi-Epiſcopum *Cantuarienſem*, Familiæ Ciſtercienſis illuſtriſsimum alumnum, authoritate ac ſolicitudine paternâ, quâ debuit, quâ potuit ſtrenuè atque conſtanter tutatus eſt. Tandem meritis, ſcientiâ, annis plenus ad bravium abiit, datô priùs Ciſtercienſibus ſuis inſigni beneficiô per *Melliflui Parentis* publicam inter *Divos Cœlites* aſſertionem. Sedit Annis, ùt jam inſinuavi, viginti duobus, minùs ſeptem diebus. Obiit Anno 1181. Iterum cum *Manriqueo*, quod mireris, modeſtè nobis litigandum eſt, non minùs pro *Alexandro*, quàm pro *Henriqueo.* Subtrahit Ciſtercio Alexandrum *Angelus*, attribuit *Chryſoſtomus*, uterque Ciſtercienſis. Monui jam alibi, quô rigore *Angelus* noſter & Scholaſtica tractet & hiſtorica, adeò ut propè ſit in ipſa hiſtoria Theologus. Mitiori aliquantùm geniô in perſcribendis Ciſtercii rebus uſus eſſe videtur Henriqueus: quapropter non debet offendi Lector, dum eandem rem videt negari à Manriqueo, aſſeri ab Henriqueo; è diverſitate namque genii hæc pugna profluxit. Igitur inter duos litigantes Benevolus Lector ſit æquus Judex àc Arbiter, cujusnam nimirùm ſit Alexander Pontifex laudatiſsimus? Referam utriusque argumenta, quibus ſinè privatis affectibus breviter diſcuſſis pronunciabo quid ſentiam ego, & quid mecum ſentire poſsit Lector. Non aſſerit Henriqueus, Alexandrum Ciſtercienſem absque Veterum Scriptorum auctoritate. Videatur in ſuo *Menologio* 27. *Auguſti*, quô locô ſeptem aperit fontes, è quibus hanc veritatem hauſerit. Recitabo ego hìc ſola fontium & Authorum nomina. 1. Itaque Fons, *Opera S. Bernardi*, quæ habentur Dunis in Flandria, celebri ac pervetuſto Ordinis noſtri Cœnobio. 2. *Liber antiquus Claræ-Vallis*, qui M.S.

M.S. ſervatur in eadem Bibliotheca Dunenſi. 3. *Liber antiquus dierum ac rerum Monaſterii Loci S.Bernardi* propè Antverpiam. 4. *Hadrianus Butz* celeber apud Belgas Hiſtoriographus in *ſupplemento Abbatum Dunenſium*, c.4. 5. *Barnabas de Montalbo. Tom.* 1. *Lib.* 2. 6. *Liber ſepulchrorum Claræ-Vallis.* 7. *Regula S. Benedicti Pariſijs edita.* In quibus omnibus & ſingulis non verbis amphibologicis, ſed categoricis *Alexandrum III.* Pontificem Maximum inter illuſtres Familiæ noſtræ Viros referri, perhibet Henriqueus. Eſſem inurbanus in Virum de Ordine univerſo quàm optimè meritum, ſi tot nixo authoritatibus non bonâ cunctatione malè diffiderem. Verùm audiatur & altera pars. Manriqueus in *Annalibus ad* Annum 1159. cap. 7. ab Henriqueo diſſendit perſuaſus authoritate *Codicis* cujusdam *Vaticani*, citati à *Baronio* ad Annum 1159. ubi hæc habentur: *Rolandus* (hoc olim, quemadmodum ſuperiùs jam monui, ante Pontificatum Alexandro nomen) *cùm eſſet in Eccleſia Piſana Canonicus, Clericus magni nominis, & charus haberetur ab omnibus, ad hanc Sanctam Romanam Eccleſiam à B. Evgenio eſt vocatus.* Igitur (concludit *Angelus*) Alexander cùm vocaretur ad purpuram, *Canonicus* fuit, non *Monachus*, quod innui videtur per textum ipſum, & verba Codicis. Miror Manriqueum unâ hâc authoritate potuiſſe trahi in adverſam partem, neglectis tot apud Henriqueum authoritatibus. Tentanda potiùs fuiſſet concordia diſcordantis hiſtoriæ, quam ego quidem hìc ex ipſo Manriqueo tentare auſim. Refert magnus hic vir ad Añum 1139. cap. 1. & cap. 6. olim ſub naſcentis & florentis Ciſtercii primam ætatem in uſu fuiſſe, ut Monachi Epiſcopi fierent retentô Monachatu, atque viciſſim Epiſcopi Monachi retentô Epiſcopatu: quod poſterius manifeſtè liquet ex Sanctis *Malachia Hibernia, Thoma & Edmundo* Cantuarienſibus Archi-Epiſcopis, qui aſſumptô Monaſticô Ciſtercienſium habitu Monachi effecti mansêre Epiſcopi. Duco nunc per lineam analogicam ſequelam fortè non malam ad Alexandrum noſtrum, qui licèt in *Codice Vaticani* dicatur fuiſſe tunc *Canonicus*, cùm inter Purpuratos Patres aſſumeretur; nìl tamen obſtat, quin ſimul fuerit Ciſtercienſis *Monachus* retentô, ſive fortè reaſſumptô, aut rursùs oblatô poſt ſuſceptum Monachatum Piſanô Canonicatu. Quòd autem Monachum non appellaverit Codex, ſed Canonicum, non probat, Monachum non fuiſſe, qui Canonicus dicebatur, ſed Authorem Codicis uſum fuiſſe

iſſe vocabulô plauſibili magìs & publicô, magìsque noto apud vulgus & hiſtoricos, qui meliùs nôſſent *Rolandum Canonicum*, quàm *Rolandum Monachum*, tametſi interim utrumque ſe geſſerit, *Monachum* ſcilicèt in occulto, *Canonicum* in publico. Indubitatum eſt apud Scriptores Ciſtercienſes, Divos Archi-Præſules, quos mox memoravimus, *Malachiam*, *Thomam*, *Edmundum*, Monachos Ciſtercienſes fuiſſe, & quis, quæſo, cùm eorum memoria in hiſtoriis occurrit, eos Monachos appellet, & non magìs Archi-Epiſcopos, non quòd Monachi non fuerint, ſed quòd majorem plauſum in Annalibus habeat nomen *Epiſcopi*, quàm *Monachi?* Id namque ſecundùm leges ſcholaſticas etiam apud Hiſtoricos obtinuit, ut à *potiori* ſeu *nobiliori deſumi debeat rerum denominatio.* Accedit, quòd Scriptor Codicis ignorare potuerit *Rolandi* Monachatum, quem negare non eſt auſus, ſed tacere, aſſumptum nempè inter Monaſtica ſilentia in ſolitudine *Claræ Vallis Lambardicæ* absq; vulgi plauſu, & mundi ſtrepitu. Igitur Rolandus & *Canonicus* fuit, teſte *Codice Vaticani*, *& Monachus*, *teſte Chryſoſtomô Henriqueo:* & cùm vocatus ad Purpuram, ad Tiaram, non minùs in *Rolando* & *Alexandro*, ornatus coronatúsque *Monachus*, quàm *Canonicus*; non enim video, cur olim potuerit ſimul cohærere *Epiſcopus* & *Monachus*, & non magìs *Monachus* & *Canonicus?* Ignoſcat, obſecro, Lector, moroſius nos occupari in vindicando Alexandro; quia enim hactenùs in Germania noſtra in publicis Theſibus atque panegyribus ſemper viderim inter Ciſtercienſes referri laudaríque Celeberrimum hunc Pontificem, diſſimulare non potui, quin pauculas has lineas juſtas veluti vindicias pro ipſo ſeu manutenendo, ſeu vindicando hìc ſcriberem.

Pontifex Quartus è Ciſtercio ad Romana faſtigia aſſumptus eſt GREGORIUS VIII. Patriâ *Beneventanus*, ante Pontificatum dictus *Albertus de Mora*, olim ab Alexandro Papa ornatus Purpurâ ſub *Titulo S. Laurentii de Lucina*, inſtitutúsque Supremus Curiæ Pontificiæ *Cancellarius.* Fxtincto ſubinde *Urbano III.* in Cathedram Petri à Cardinalium Collegio ſublectus eſt Baronii oraculô *Succeſſor doloris*, *hæres calamitatis.* Recentem Eccleſiæ cladem ob deperditas tunc Hieroſolymas ipſe Eccleſiæ Caput, imò anima ſenſit reſensítque quàm maximè. Quare zelô Apoſtolicô flammeus perſcriptis ad Reges, & Principes Epiſtolis Orbem Chri-

Ad Annum 1187.

Chriſtianum armavit contra Saracenos *Expeditione cruciatâ* è locis Sacris profligandos, noſtris iterum ſæculis inter *Innocentios* commemorandus & optandus Pontifex. Verùm dum *Gregorius* fervente optimis initiis opere Chriſtianos præliatores ſacrâ belli tubâ ad eripiendas Barbaris *Hieroſolymas* convocaret, DEUS Optimus inſcrutabili apud mortales conſiliô eum ad *Hieruſalem*, quæ ſurſum eſt, è vita evocavit. Sedit Menſe 1. diebus 27. conſummatus in brevi explevit tempora multa; Saracenorum futurus flagellum & exterminator, ſi modò vixiſſet diutius. Obiit Año 1187. In hoc Pontifice inter Ciſtercii Viros illuſtres laudando multus eſt Manriqueus in ſuis *Annalibus* ad Annum 1187. cap. 2. 4. & 6. quapropter non adeò laborandum eſt, ut tanti Viri laudibus nos aliquid ſuperaddamus; Satìs enim ſupérque laudatus eſt, qui *Angelum* noſtrum Panegyriſten habuit. Neque Ciſtercienſes timere debent, nè fortaſſis Gregorium è gremio, numeróque Pontificum ſuorum per adverſarios calamos amittant, quoniam *Manriqueus* tantus eſt, ut contra quosvis æmulos ſtet, ſubſiſtátque.

Quintus Pontifex è gremio Ciſtercienſium ad Clavum Eccleſiæ evectus eſt URBANUS IV. natione Gallus, qui habitum Monaſticum induit in *Foſſa Nova* Ciſtercienſis Ordinis apud Gallos Cœnobió, rejectis priùs ab humeris ſuis compluribus Eccleſiaſticis dignitatibus, quibus eum Gallicana Eccleſia ob præclara Viri merita ornaverat atq; oneraverat. Sed feliciſſimô fatô, DEIque Ordinatione ſic factum eſt, ut minora abjiceret, qui ad majora à DEO erat præordinatus. Mox itaque diffundente ſe uſquequaque virtutum ejus famâ primò quidem *Patriarcha Hieroſolymitanus*, ac tandem *Alexandro IV.* de mortuo Summus Pontifex Purpuratorum Patrum ſuffragiis ſubrogatur. Poſitus ſuper candelabrum Eccleſiam munúsque Apoſtolicum illuſtravit admirandis virtutibus. Sacerrimam *Corporis Chriſti Feſtivitatem*, quæ hodie ſummâ Orthodoxæ Religionis celebritate ad Heterodoxorum extremam invidiam tantô populorum plauſu ac devotione recolitur, authorite ſuâ primus per Univerſum Orbem Chriſtianum inſtituit, cooperantibus ad ejusdem inſtitutionem *B. Julianâ, Elizabethâ & Evâ* Ordinis Ciſtercienſis Sanctimonialibus, quod nos alibi prolixiùs memorabimus. Sedit Annos 3. Menſem

Nnnn 2

ſem unum, dies 4. Obiit Anno 1264. Expungit hunc Urbanum è Ciſtercii alumnis Author Anni Ciſtercienſis, in *præfat: ad Lect: Verbô, Hiſtoriæ Veritas*, ex ea videlicèt ratione, quòd omnes Scriptores, qui de gradibus dignitatum *Urbani* ſcripsêre, nullam inter eos fecerint mentionem de præfati Pontificis Monachatu. Non ſatìs ego capio hæc verba Viri in rebus Ordinis verſati & eruditi; Si enim Henriquei *Menologium ad diem* 2. *Octobris* introſpexit, haud dubiè in Notis ſivè Scholiis viderit authoritatem *Ferdinandi Ughelli* in Elogiis Pontificum & Cardinalium ex Ordine Ciſtercienſi aſſumptorum, quam pro ſe, & Urbani inter Ciſtercienſes Monachatu adducit Chryſoſtomus. Profectò ægrè mihi perſuaſerim, Henriqueum Authores ſibi arbitrio fingere: proinde ſi Chryſoſtomus ſincerus eſt, qualis procul dubio eſſe præſumitur, habet Author Anni Ciſtercienſis Virum inter Italos eximium, citatum nempe *Ughellum*, quem ille pro Urbani Monachatu deſideraverat. Porrò nodus iſte eô ferè modò ſolvendus eſt, quô præcedens, & repetenda hìc ea, quæ paulò ante dixi de *Alexandro III.* quia ſcilicèt Hiſtorici cùm Archi-Epiſcopos, Cardinales, qui ſimul Monachi ſint, ad Summum Pontificatûs apicem evectos aſſerunt, vix in uſu habent eos appellare *Monachos*, ſed Infulæ & Purpuræ ſplendore, quô præfulgeant: quaſi non auderent (quod jam ſuprà monui) ſecundùm ſtylum Scholarum deſumere denominationem niſi à potiori & principali.

Sextus Pontifex è Ciſtercii Familia ad Summos in Eccleſia honores electus & evectus eſt BENEDICTUS XII. natione Gallus, olim in ſæculo dictus *Jacobus Furnerius*. Priùs in *Sorbona* Laurum Theologiæ meruit, quàm Tiaram Romæ. *Inquiſitor* ſubinde inſtitutus adversùs hæreticam pravitatem inſigni zelô hæreſes profligavit. In *Frigido Monte* Ordinis Ciſtercienſis Cœnobio vocatus ad Infulam Abbatialem, eam non priùs depoſuit, quouſque Purpura Cardinalitia Candidatum eum feciſſet Summi Pontificatûs, quô *Avenione* Annô 1334. inauguratus mundum docuit, quàm Sanctis vinculis inter ſe colligari poſſint *Pontificatus & Monachatus*: Purpuræ decus exhibuit Curiæ ad extra, dum interim nudam carnem ad intra cilicium vexaret. Eaſdem omninò preces, ad quas olim Monachus per leges Monaſticas fuerat obſtrictus, inter mille Curiæ Papalis negotia absque ulla remiſſione

in

indies perſolvit. Dignitates nunquam paſſus eſt diſpenſari indignis, aſſerens, malè ornari lutum ac ſordes, & peſſimè evehi malos ad ſacras infulas. In pauperes atque egenos ſemper liberalior, quàm in Nepotes & familiares, quibus aliquando magnas elargitiones ſperantibus Divinum hoc oraculum in vicem muneris dedit: Se olim dum adhuc *Jacobus Furnerius* eſſet, habuiſſe proculdubio amicos & Nepotes, at verò modò poſtquam ad Cathedram Petri fuiſſet aſſumptus, acceſſione ſupremi muneris amiſiſſe ſe illos, officiíque generalitate erga omnes Chriſti fideles Patrem ſe nunc eſſe, neque ſingularitate affectûs aut ſubſidii audere ſe majora in nepotes, quàm in filios. Funus ejus celebratum eſt inter prodigia Anno 1342. cùm ſediſſet Annos 7. Menſes 4. dies 6. Ambo Ordinis eximii Hiſtoriographi *Manriqueus* & *Henriqueus Benedictum* Ciſtercii alumnum, & in *Monte Frigido* Ciſtercienſium in Gallijs Cœnobio Abbatem pronunciant: Prior quidem ad Annum 1147. c. 19. n. 11. poſterior verò *in Menologio ad diem* 25. *Aprilis*, & *in Faſcic. Lib.* 2. *diſt:* 4. c. 1. Et quanquam ſacerrima *Carmelitarum* Religio Benedictum ad ſuas partes & gremium pertrahere ſemel iterúmque attentaverit, Henriqueus tamen neutiquam paſſus eſt, Ciſtercienſi Horizonti tam illuſtre Sidus per æmulos quantumlibet amiciſſimos auferri. Reſpondit namque Adverſariis prolixè & ſolidè tam in *Menologii* quàm *Faſciculi* locis citatis, utrobique productis in medium pro *Benedicto Ciſtercienſi* authoritatibus non paucis, atque contrariæ partis argumentis egregiè triumphatis. Quòd ſi Lector Benevolus cupiat ſpectare hæc prælia, & victorias, Henriquei *cit: apologias* conſulat, quibus perluſtratis vix poterit aliquid aliud pronunciare, niſi in favorem Ciſtercii. Nuperrimè iterum *Chriſtoph: Ott in ſua Roma Glorioſa* Benedictum è Ciſtercio, non è Carmelo ad Pontificale faſtigium ſublimatum aſſeruit, quaſi jam poſt Chryſoſtomi Apologias & victorias non auderent Hiſtorici ſinè Ciſtercii injuria Benedictum XII. alium dicere, quàm Ciſtercienſem. Atque hi ſunt è Ciſtercio electi & evecti ad ſupremos in Eccleſia honores *Præſules Maximi*, qui non abſque myſterio *Bis Terni* ſeu *Bis Tertij* Sacerrimæ Familiæ ſex annorum centurias æquali numerô fauſtiſſimè ſignaverint. Tentavi concordiam inter Henriqueũ & Manriqueum, neſcio, an cum effectu, id Lector videat: & ſiquidem eum faventem Ciſtercio cupio, ſimul opto, ut, quod ego fortè minùs ſim aſſecutus, is defectum cum effectu ſuppleat.

Pro Tituli coronide non ſinè novo plauſu ac Ciſtercii decore ſubjungo alios *quatuor*, qui hôc locô ſeu inter, ſeu poſt Ciſtercienſes Pontifices laudari debeant. Priores duo, quos ſtatim ſequente Titulô producam, fuêre B: HENRICUS Cardinalis Epiſcopus *Albanenſis*, & B: CONRADUS Cardinalis Epiſcopus *Portuenſis*, qui ambo ad Pontificios honores à Purpuratis Patribus evocati egregiâ animi demiſſione oblatas Tiaras conſtanter ſubterfugerint. Tertiô locô memorandus hìc venit LUCIUS III. Pontifex Maximus, qui è Pontificali faſtigio jamjam erat in Claram-Vallem deſcenſurus, niſi *Petrus* Clara-Vallenſium Abbas Sanctiſſimus à *Lucio* hac ſuper re conſultus, ea propoſita minùs probâſſet, prout dicetur paulò infra *Titulo* 16. Quartus, qui titulum hunc, & tituli coronidem inter elogia claudat, eſt Papa CALIXTUS II. qui Manriquei teſtimoniô ad Annum 1119. c. 1. ante Summum Pontificatum, cùm adhuc eſſet Archi-Epiſcopus Viennenſis apud Gallos in *Bona-Valle* Ciſtercienſium Cœnobio inter Monachos continuò converſatus, æmulatúſque ingentibus animis eorundem monaſtica & ſancta exercitia, ſpecimen noſtris egregium exhibuit, qualis eſſet mox futurus, ſi ad Romanam Cathedram non fuiſſet evocatus. *Seguinus* citatus à Manriqueo ad *memoratum Annum* expreſsè aſſerit, ea propoſita jam animô concepiſſe, firmâſſéque *Calixtum* relicturum ſe illicô Archi-Epiſcopales Viennæ Francicæ honores, & futurum inter Bona-Vallenſes *Monachum*, modò concepta vota non prævertiſſent Purpurati Urbis Patres, & *Guidonem* (ſic ante Papatum vocabatur *Calixtus*) jam vocatione, propoſitô, converſatione Ciſtercienſem Ordini ſubtraxiſſent: Quanquam id diſpendium minùs graviter ferre noſtri debuerint, qui pro *Guidone alumno* accepêre *Calixtum Patrem*, & præcipuum Ciſtercienſis Familiæ Fautorem. Quod ipſum pariter memoriæ prodit Cardinalis *Baronius Tom:* 1. Ann. 1119. quô locô ille ad rem noſtram hæc ſcribit: *Eôdem quoque tempore Calixtus Papa privilegiô munire voluit ſuos, quos ſummopere diligebat, Ciſtercienſes.* Recitat Manriqueus privilegium ipſum ad *Annum citatum cap.* 7. cujus utique verba, & præſertim *ly ſuos Ciſtercienſes*, ſatis produnt *Calixti* olim propoſita, amores, converſationem.

Videat nunc Lector, Pontificiam Tiaram magnis meritis ornatam à noſtris, qui nempe eam ſeu admiſerint, ſeu ſubterfugerint, quibus utriſque & per utroſque univerſo Ciſtercio ingen

gentes laudes, elogiáque accrevêre, ornaviſſe ſcilicèt munus, quod digniſſimè geſſerint, & meruiſſe honores, quos glorioſiſſimè non admiſerint. Crediderim ego, plura à noſtris hodie, quàm *bis tria* poſſe numerari Orbis Orthodoxi Capita, ſi didiciſſent in ſuis Vallibus honores tam ſequi & aſſequi, quàm fugere & effugere.

CLamatum diu, clamatum ſatis,
à primis Ciſtercii incunabulis,
à primis Ciſtercii Filijs
ABBA PATER! *Rom. 8. cap.*
Hic *Titulorum* olim *limes* & *ſumma*,
Vocari, cogi, trahi
Ad *Abbatiales* honores!
Auguſtis quidem ſæpè *ambitibus clauſa* Ciſtercii domus & *clauſtra*,
Excluſus tamen omnis à *clauſtris* munerum *ambitus*.
Stylus Bernardi, ſtylus omnium,
Honores, quos non liceret ſeu fugere, ſeu deſerere,
Modeſtè gerere,
Et ſe, etiam ad clavum poſitos
Bernardi pennâ ſcribere,
Modicum id, quod eſſent.
Mutavit *Cœlum*, *Roma*, *Orbis*
Bernardi & Ciſtercii ſtylum,
Ut clamare deinceps vel inviti cogerentur
Non modò ABBA PATER,
Sed PAPA PATER!
Divinô munere, novô fœdere juncta fuêre vocabula,
ABBA PAPA.
In utroque nomine *Pater* latet,
In illo *Monachorum*, in hoc *credentium*.
Et voces ferè eædem,
Niſi quòd Papæ *nomen* & *munus*
Geminum *exaſperaverit* gramma
P P.
Scilicèt
Quia ad *Summa faſtigia* nonniſi *per aſpera* eluctandum ſit!
Ex *Petro* & *Petra*
Primum poſt ſe *Pontificem* formavit Salvator,
Ideam & imaginem cœterorum, Qui

Qui *Succeſſores Petri*
Simul eſſent *Imitatores Petræ*,
Et contra *portæ inferi* ruinas,
Et adversùs perſecutionum procellas
Exodi 15. cap. *Starent immobiles, quaſi lapis*
Cautes Marpeſiæ,
Victrices Cervices
Super inferni triumphati ruinas,
Et conculcatos æmulorum fluctus
Inter mille triumphales laureas
Altiſſimè ſuper extollentes.
Apoſtolicæ Cathedræ *ectypa* & *ſymbola*
Rupes & *Navis*,
Utraque in *aquis*:
Quarum illa per procellas *non evertitur*, hæc *non mergitur.*
Ciſtercii cunæ
Ciſternæ, Fontes, undæ:
Ex *bis aquis*
Seni *emersêre* Pontifices Summi,
Navis tam bonæ *Navarchi* quàm Optimi.
Et qui, amabo, in *aquarum* & *claſſium imperia* aptiùs aſſumerentur,
Quàm qui *in aquis* naſcuntur
Ciſtercienſes aquarii?
Scilicèt hi ipſi & *docti* & *ſueti ferre* tempeſtates, & *ſuperare*,
Fuêre in vaſto *Chriſtiani Orbis Oceano*
Et *Rupes* & *Navis*,
Per adverſos Æolos
Rupes *non everſa*, Navis *non merſa.*
Plejades
Navigantium Numina & Præſides
Hôc metrô Ovidius olim & *cecinit* & *numeravit:*
Lib. 4. Faſt. *Quæ Septem dici, SEX tamen eſſe ſolent.*
Eôdem feliciſſimô numerô
Ciſtercium in Roma, & Roma in Ciſtercio
Numerat Summos Præſules,
Audebo dicere, Sacratiores *Plejades*,
Apoſtolici olim *navigii* Summos *Rectores*,
Nunc Cœlo inſerta *ſidera*

Et

Et per beatiſſimas *influentias*
Naviculæ Petri *luces* & *Duces.*
Has *ſtellas* has *Plejades*
Apoſtolicus zelus accendit in *faces*,
Cælo in decus, *Romæ* in præſidium:
Pulcherrima virtus concinnavit in coronam,
Viris in prœmium, *poſteris* in æmulationem:
Superi explicuêre in zonam,
Stellis Sodalibus in Societatem,
Clientibus in exaltationem.
Sacerrimæ Vos *Plejades*
Romani Navigii illuſtriſſima decora!
En ex *aquis illis*,
Quæ è *Ciſternis* per Orbem uberrimâ ſcaturigine
Numeroſiſſimis *rivulis* ſeſe *diffudêre*,
Plenis *velis votiſque*
Naves plurimæ ad Vos advolant,
Tales nempe, quales Mecœnati amico miſit Poëta cliens,
nAVEs prorâ puppique carentes:
Mille *Ave* ſunt mille noſtræ *nAVEs.*
Favete; adſpirate his *navibus*
Feliciſſimæ *Plejades!*
Signate hæc vota, hæc vela *Annulô Piſcatoris*
Optimi, Maximi *Præſules!*
Annulus iſte præſertim *veſter* eſt,
Qui è *Ciſternis* & *Fontibus* progeniti
Ex ipſis *aquis*, quaſi à cunis
Traxiſtis ſimul *Piſcatoris nomen* & *Officium.*
Tiaras piſcati & *Annulos*
Meruiſtis Gentiũ omniũ in cõmune applaudentiũ
Pulcherrimum celeusma,
Ad multos Annulos, ad multos Annos
In *Cathedra Petri!*
Ac demum
Ad *Annos æternos*
In *Gloria Petri*,
In *Gloria Patris!*

Pppp TITU-

TITULUS XIII.
CISTERCIENSES CARDINALES.



ERubuit Ciſtercii humilitas ſemper *Purpuram*, neq; ad tantam humanarum dignitatum ſupereminentiam ſublimari unquam potuit, niſi Summorum Pontificum imperiô; Quare, ſi Virorum numerum ac animi demiſſionem, honorúmque fugam in Viris ad invicem quis conferat, prodigii inſtar eſſe videbitur *ultra qua-*

quadringentos numerari, qui è Ciſtercienſium gremio inter Purpuratos Patres ſint adlecti. In his anguſtis paginis recenſere omnes, ultra vires eſt, tacere univerſos, piaculum, in compendio laudare pauculos, officium, imò debitum.

Memorandi præprimis Viri gemini immortali memoriâ apud Poſteros longè digniſſimi, *Henricus & Conradus*, ille Epiſcopus & Cardinalis *Albanenſis*, hic Epiſcopus & Cardinalis *Portuenſis*, & quod tantis Nominibus novos ſplendores affundit, *Beatus* uterque B: HENRICUS Ciſtercienſe inſtitutum in *Clara-Valle* Profeſſus, *Altæ-Cumbæ* ſubinde electus Abbas, atque à ſuis Clara-Vallenſibus non multò poſt revocatus Beato Gerardo Abbati per martyrium coronato Monachorum Pater ſubrogatur. Adhæſit deinceps tam indiſſolubili dilectionis glutinô Sanctæ illi Congregationi Melliflui Bernardi exemplô, ut nullis votis, univerſi Ordinis electus *Generalis*, nullis ſuffragiis à Clero, Rege, Populo *Toloſatium* conclamatus digniſſimus Præſul, à filijs (dulcius aliquid atq; intimius loquar) à viſceribus ſuis avelli potuerit: Tanti ſcilicèt Henricus fecit humillimã Vallem, quam Bernardus ipſe ſupra Urbem & Orbem amaverat. Annô 1178. adversùs contumaciſſimos Eccleſiæ æmulos *Albigenſes* hæreticos Majorum imperiô Apoſtolicus armatur Prædicator quô munere inſignis perſcriptis de hac ipſa legatione per univerſum Orbem epiſtolis novus hæreticæ pravitatis *Inquiſitor* tantô ſpiritu atque efficaciâ impia dogmata oppugnavit, ut inter alia illuſtria animarum ſpolia inſignem eâ tempeſtate hæreſiarcham *Petrum Moronum* Eccleſiæ feliciſſimè reſtituerit. Coronavit pro dignitate egregios hos labores *Alexander III.* purpureô Galerô in Concilio Lateranenſi, cui Henricus per Pontificias literas juſſus intereſſe, invitis quantumlibet humeris eminentiſſimos Cardinalis & Epiſcopi *Albanenſis* titulos in ſe ſuſcipere per Majores ſuos compulſus eſt. Crevit acceſſione tanti muneris Henrici zelus: quare juſſu *Lucii III. Pontificis Maximi Legatus à latere* ad Provincias Trans-Alpinas in Gallias abiit, excitaturus ibidem ſacros Præſules ac Paſtores, ut Albigenſibus in mala Eccleſiæ intentis, ipſi quoque vigilarent ſuper greges ſuos, nè fortè contingeret illos luporum ferociâ quomodolibet peſſumdari. Additum eſt ab Henrico per easdem Gallias beneficium alterum Familijs Religioſis, quarum non pau-

Obiit Annô 1216.

casDomos poteſtate, quâ præfulgebat Sedis Apoſtolicæ Vicariâ, ad legum ſacratiſſimas ſemitas, dux ille & lingvâ & opere quàm efficaciſſimè reduxit. Manriqueus *in Serie Abbatum Clara-Vallenſium* poſterius hoc per hæc verba expreſſit: - - *atque aliorum Ordinum Cœnobia cum effectu reformavit.* Do ideò hunc textum in terminis, nè offendatur Religioſus Lector, ſi Henricus per ſola mea verba ſtatueretur Sacrarum Familiarum Reformator, ſed id encomium ab Angelo accipiat, id eſt, à Viro, qui omni exceptione major fidem apud omnes mereatur, & habeat. Reversô ſubinde ad Urbem Henricô *Urbanus III.* ceſſurus velutì locum ſedémque Apoſtolicam Viro Apoſtolico exceſſit è vivis: & profectò ſtabant potiora Cardinalium vota pro Henrico, ſed ſolus ipſe ſibi obſtitit, ſolus reſtitit, nè ſederet Petri Succeſſor, ſtupente interim Orbe universô, Ciſtercienſium humilitatem in tam ſublimi faſtigio ſtare, ut ſummos Eccleſiæ honores in tanto Viro ſibi oblatos & recuſare vellent, & poſſent. Verùm fugerit, ùtùt voluerit, ùtùt potuerit Henricus ſacerrima Urbis & Orbis faſtigia, ex ea tamen honorum fuga copioſior Viro accrevit gloria. Magni quidem nomine nuncupandus ille & ornandus, quòd per virtutes & præclara facinora Pontificatum meruit, ſed tunc ſe ipsô major evaſit, cùm eos ipſos Tiaræ honores ſibi jam acclamatos animi demiſſione non admiſit. Subſtitutus eſt in Henrici locum Cardinalium votis *Albertus de Mora*, dictus *Gregorius VIII.* Ciſtercienſis & ipſe, prout titulô ſuperiore memini, nè ſcilicèt gloriam Ciſtercio debitam acciperet alius, niſi Ciſtercienſis. Henricus interim novi Pontificis, Præſulum Principum, imò quod ampliùs, ſui ipſius votô *Cruciatæ* adversùs Saracenos *Expeditionis* conſtitutus Summus Dux, poſtquam Reges *Galliæ & Angliæ*, *Cæſarémq;* Fridericum cum ſexaginta & octo Principibus cruce ſignâſſet, *Atrebati* in Belgio ante aram Divi Andreæ Apoſtoli inter preces ſuaviſſimè expiravit. Scilicèt Apoſtolicus Crucis Prædicator ſanctiùs mori non potuit, niſi ſub Divi Andreæ Cruce, umbra, auſpicio. Sacræ ejus exuviæ totius Eccleſiæ luctu Claram-Vallem deductæ inter Divos *Bernardum & Malachiam* mediæ requieſcunt, unâ hâc re atque elogiô ſupra Regum Mauſolæa longè feliciſsimæ.

Obiit Anno 1227. Laudandus nunc alter Tiaræ Pontificiæ Candidatus B:CONRA-

RADUS Magni Henrici mox laudati vivum ac illuſtre prototypon, *Comitum de Seyne*, nobiliſſimus Surculus, qui primùm Villarij, ſubinde Claræ-Vallis, ac tandem Ciſtercii ſanctiſſimus Abbas ideò in plurium Familiarum digniſſimum Patrem aſſumptus eſt, ut plures ſuô regimine faceret felices. Interfuit *Concilio Lateranenſi* ſub Innocentio III. celebrato. Ab Honorio dein ad purpuratos honores Romam evocatus Epiſcopus ſimul ac Cardinalis *Portuenſis* creatur. *Legatus à latere* Germaniam, Franciam, aliáſque Europæas terras, quaſi novus Sol ſuum Horizontem perluſtrans, quot graviſſima geſſit, abſolvítque negotia, tot clariſsima Legationis ſuæ impreſsit veſtigia. Imò ſole ipsô felicior *Conradus*, clariórque noctes Divinâ luce illuſtravit, digitis Ejus à contactu *Euchariſtiæ* ſacris in pia lectione ſub nocturnas tenebras luminum inſtar ardentibus. Sacerrimæ *Prædicatorum* Familiæ tunc recens natæ perennia dedit mutuæ erga Ciſtercium dilectionis ſignacula, dum videlicèt celeberrimi inſtituti primitias primus ipſe omnium *authoritate Apoſtolicâ* conſecravit, *ſtabilivit*, *Virgine Matre* viſibiliter Conrado gratulante, quòd Ordinem ſibi Filióq; ſuo perdilectum tam ſolidis atque felicibus auſpiciis glorioſiſsimè promoverit. Gratiſsima Divinæ Parenti ea ſunt obſequia, quæ filijs impenduntur: novíſq; titulis maternos ſibi demeretur amores, qui in filios, id eſt, maternas delicias beneficus eſt. Deerat Conradi virtutibus ac meritis ſola eouſque Tiara, digna tantô Vertice laurea. *Honorio* itaque *Tertiô* felici fatô defunctô, electio Succeſſoris Pontificis per *compromiſſum* devoluta eſt in tres digniores Cardinales, quos inter *Conradus* noſter ordine dignitatis ac meritorum primas tenebat. Reliquis proinde duobus eundem veluti digniſsimum, Pontificem Summum conclamantibus, atq; electi aſſenſum in compromiſſa vota maximopere urgentibus, *abſit*, inquiebat Conradus, *ut ego meipſum dicar elegiſſe.* Rara animi demiſsione noluit eſſe quod meruit, quod debuit, Tiaram ceſsit *Cardinali Oſtienſi*, *Gregorio IX.* reſervatâ ſibi immortali humilitatis gloriâ, quam Altiſsimus paulò poſt coronandam ſublimavit ſuper ſidera, corpore in Clara-Valle tumulatô.

Poſt Henricum & Conradum recenſendi nunc quoque alij Viri clariſsimi è Purpuratorum gremio, quos eximiæ virtutes, & rerum geſtarum maxima amplitudo apud Ciſtercii Scriptores

reddiderint glorioſos. Producam illos ſervatô annorum ordine, quibus aut floruerint, aut objerint. De ordine ac prærogativa meritorum Lector ipſe ſit ſibi mihíque diſcretor & arbiter.

Floruit Annô 1134. Cæteris igitur primam lineam & laudem ducat B: MARTINUS nobiliſsimus Princeps *de Cybo*, quæ pervetuſta Familia illuſtriſsimi ſangvinis ſui primitias prolixâ ſerie à primis *Trojæ Heroibus* derivat. Neque ſolâ ſangvinis claritas *Martinum* commendat, ſupra ſangvinem & illuſtres cunas longè clarior fuit Martini virtus, quâ inter Ciſtercienſes alumnos eâ perfectione eminuit, ut *Innocentius II.* Pontifex Maximus tantæ virtutis ac ſtemmatis intuitu eundem inter Eminentiſsimos Sacri Collegii Patres evexerit, *Nunciúmque à latere* deſtinaverat ad *Daciæ Regem.* Prodigii inſtar erat, Virum Principem reverti è terra auri, ſinè auro, atque ex Daciæ opibus nîl ſecum aſportâſſe, niſi incorruptas à muneribus manus, quas *Mellifluus* ille è Clara-Valle *Tullius* in aureis ſuis *de Conſideratione Libris.* L.4. c.5. adeò diſertô ſtylô proſequitur, ut felix omninò pronunciet illud ſæculum, quod Martinus aureis moribus ſuis ornaverit, felicem Eccleſiam tantæ columnæ innixam: quin imò ſe unà cum Eugenio ſuo fore utique feliciſsimum, *ſi Tantorum Virorum*, qualis ſcilicèt Martinus, *in Eccleſia daretur copia!* Audiamus Bernardum ipſum citatô locô magnis laudibus fuſiùs pro Martino perorantem: *O ſi talium* (ſcribit ad Evgenium Mellifluus) *daretur Virorum copia! quid te felicius, quid illô jucundius ſæculô? Nónne ſecunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cùm te quaquaverſum procedens ſtipatum videres tam inclyto agmine beatorum? O ſi viderem in vita mea Eccleſiam DEI talibus innixam columnis! O ſi Domini mei Sponſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati! Quid me beatius, quidve ſecurius? ejusmodi circa me vitæ meæ & cuſtodes ſpectarem ſimul & teſtes, quibus omnia mea ſecreta ſecurè committerem, communicarem conſilia, quibus me totum refunderem, tanquam alteri mihi.* Hæc & plura alia *cit. Lib. & cap.* Premendus ſanè ibi calamus eſt, ubi Bernardus mella in elogia fundit: novis non indiget laudibus, antiquis tanti Doctoris elogiis notiſſimus. Illud ſolum noſtræ ætati refricandum facinus: Martinum, cùm è Dacia in Italias reverteretur, digreſſum fuiſſe *Florentiam*, atque ab Ejus Urbis Epiſcopo benè & liberaliter habitum, donatum inſuper equô ad itineris reliquias peridoneô. Secutus eſt *Florentinus* Cardinalem *Piſas* uſque, ubi in deciſione graviſſimæ litis intuitu equi oblati

lati Virum juſtum auſus ſolicitare, verba immortali memoriâ, cedróque digniſſima ex ore Martini non ſinè rubore auſcultavit: *Decepiſti me*, inquit, *neſciebam tibi imminere negotium, tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt.* Reſtitutô mox equô accelerata per optimũ Judicem deciſio eſt abſque omni haud dubiè ſuſpicione ſeu fraudis ſeu injuriæ, cùm jam expeditus equus, qui ſententiam fortaſſis potuerit trahere in obliquam partem ornanda hæc res modicô hoc epiphonemate. Corruptela *æqui*, *& equus* hinniens, & nummus tinniens.

Martinum Bernardi elogiis ac calamô felicem, ſequatur alter ejusdem Melliflui Parentis magiſteriô in Clara-Valle fortunatiſſimus alumnus B: STEPHANUS Patriâ *Catalaunenſis*, genere nobi- *Obiit Anno 1158.*
lis, atque *Manriquei* teſtimoniô, *ingentis gloriæ Vir*, qui ab Innocentio II. *inter primos è Ciſtercio* ornatus purpurâ, tantam in Romana *ad A[illegible] 1140.*
Curia aſſecutus eſt auctoritatem, ut apud eundem Innocentium, geminósque Succeſſores, in Stephanum gratijs ac favoribus propenſiſſimos, unus ille, quæ vellet, poſſet quæque maxima. Quin imò *Bernardus*. Regum nempe ille Conſiliarius atque Magiſter, Magnô hôc Virô *Procuratore* in Curia eguit in negotiis auſpicatô eventu terminandis, expertus corda, indulta, favores Pontificum in manu Stephani eſſe. *Ferdinandus Ughellus* Virum celeber- *cit. in Menologio 12. Februarij.*
rimum ſuccinctè ſimul atque eximiè laudat: Stephanum ſcilicèt inter Purpuratos Patres *gradum tantâ modeſtiâ, gravitatéque decoraviſſe, ut aureum planè ſæculum cum ipſo rediiſſe videretur.* Manriqueus ad Annum 1144. cap. 7. de Viri obitu hæc ſcribit: *conſummatus felici morte ad Superos transfertur inſigne primitivi Ciſtercii decus Stephanus S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Pr.eneſtinus.* Hæc ſuprema & pulcherrima purpuræ ac virtutum merces ornare Virum pro dignitate æviternùm debuit.

Sub Bernardi etiam tempora floruit B: BALDVINUS ejus- *Obiit Annô 1146.*
dem Melliflui Parentis in Clara-Valle diſcipulus, cujus magiſteriô purpuram ab *Innocentio II.* & promeruit, & obtinuit, ſimúlque dignitate Archi-Epiſcopali *Piſanâ* auctus tam ſublimia munia tantis laudibus geſsit, ut in *Libro Virorum Illuſtrium* Ord: Ciſt: voce totius Eccleſiæ dictus ſit *Columna Eccleſiæ ſplendidiſſima, & fulcimentum* *Diſt. 2. cap. 23.*
inconcuſſum: itémque Bernardi *Bonæ Vallis* Abbatis doctô ac fideli calamô, *Magnum Eccleſiæ lumen.* Permovêre Innocentium pub-

 licæ

licæ Baldvini laudes; ut eum Romam ad intima conſilia accerſierit, eô ferè ſolô deinceps arbitrô uſus in rebus arduis & implicatis, expertus Virum ea hauſiſſe è Bernardi diſciplina dogmata; quæ vel Orbis Magiſtri Pontifices Summi non poſſent niſi probare & ſequi. Mellifluô Parente in Eccleſiæ tranquillandæ obſequium, atque commune Fidelium emolumentum commorante in Urbe, Baldvinus jam purpurâ conſpicuus ſupra omnem purpuram illos honores & affectus duxit, quibus à Bernardo ſeu juſſus ſeu ultrò admiſſus fungi munere *amanuenſis* ſui in excipiendis *Epiſtolis*, quas ad Orbis Romani Principes Romanus ille è Clara-Valle, & ſi Divina ſi ſacra ſpectes, Cæſare olim Dictatore longè felicior, *Melleus* Romanorum *Dictator*, Cœlô haud dubiè infundente ideas, dictaverat. Poſt inſignes pro univerſa Eccleſia exhauſtos labores *Evgenius III.* Balduinum cum charactere *Legati à latere* in Sardiniam deſtinavit; Sed mors eum à latere Evgenii avulſum non Romæ reſtituit, verùm ad Superos transtulit, prout Divinâ revelatione didicit quidam Sardiniæ Presbyter, cujus oraculô Ciſtercienſes edocti ſunt, *Balduinum* à latere & conſiliis Pontificum, à manu & Epiſtolis Bernardi feliciſsimè emigrâſſe ad Dominum.

Memorandi poſt Balduinum *Bernardus & Henricus* ambo ab Evgenio III. è Clara-Valle Anno 1150. ſimul vocati ad purpuram, ſummô Bernardi Parentis ſolatio & gloria, quòd è Monachis Filiis ſuis Divinâ diſpenſatione ſe vivente, ſe vidente aſſumerentur in Eccleſiæ Principes, & Romanæ Cathedræ fortiſſima fulcimenta. B: BERNARDO *Rhedonenſi* (hoc Viro apud Authores prædicatum) cum novis purpuræ honoribus acceſsit Titulus *SS. Coſmæ & Damiani.* Præter cæteras ejus virtutes præcipua hæc, quòd manus animúmque ſuum nullâ ratione paſſus ſit corrumpi per munera: quare pulcherrimum hócce elogium tumulo Cœlíſque intulit illibatum: *Nondum natum eſſe, cujus ille aurum vel argentum in munus acceperit.* Faſcinari non potuit, non debuit ſordidâ opum cupidine Viri cor & manus, qui jam Divinas ſpes & Beata Cœlitum prœmia teneret in ſinu & pectore. Malè profectò atque ineptè in meritorum noſtrorum ſtipendia merces temporalis & peritura expectatur & penditur, cùm è Salvatoris ampliſsima ſponſione longè digniora nos apud Superos maneant. Bernardi

Obiit Annô 1155.

vir-

virtutes ac laudes *Cæſar Baronius* in compendio poſteritati in hæc verba tranſcripſit: *Bernardus Vir magnæ ſanctitatis.* Omnia de Bernardo dixit, qui Bernardum magnum Sanctum ſcripſit. Indecorum utique Mellifluo Parenti eſt, in filijs formare Sanctos duntaxat parvos. Menſura filii Pater, à quo & per quem omnes magni, licèt interea in Ciſtercii Vallibus Bernardi filiorúmque profundiſſima humilitas eam magnitudinem maximopere preſſerit, atque diſſimulârit, quam nempe nôſſent provehendam olim altiſſimè ſuper cœlos & ſidera. HENRICUS alter è Clara Valle Monachus, & è Monacho, quod hodie mirêris, mox *Cardinalis* ſub Titulo *SS. Nerei & Achillei.* Bernardi Melliflui teneris amoribus implicitus, quos mereri non poterat, niſi Sanctus. Audiamus Bernardum dulciſſimis affectibus in *epiſtola* 295. alloquẽtem Henricum: *Sic tibi*, inquit, *quaſi mihi ſcribo*, & *hoc*, *quoties tibi ſcribo; Ubi enim tu es, me eſſe confido: quippe quem tanquam meipſum diligo. Si me tu æquè diligis, imò quia diligis.*--- Nîl ultra benevolus Lector de Henrico deſideret, nîl ampliùs à me expectet; Summa namque laudis in hoc ſita eſt, ſummè diligi à Bernardo. Vetus & vera parœmia: *Similitudo morum, mater amorum.* Vidit, ſenſit, ſuſpexit in Henrico Bernardus aliquid ſui, imò ſeipſum in ſanctiſſimis moribus, quos Henricus alios habere non debuit, quàm Bernardus, cùm hæc ipſa morum ſimilitudo amoris ſit radix & regula. Igitur ſi Bernardus Henricum dilexit *ſicut ſeipſum*, quæ eſt propria Bernardi confeſſio ex recitatis epiſtolæ verbis, qui nôſſe Henricum volet, Bernardum inſpiciat, utriusque enim ſimiles mores, ſimiles pariter fundant amores. Glorioſum ſanè *Henrico* eſt atque eximium à *Bernardo* illo Numinis interprete & Ganymede tenerrimè atque intimè diligi, & ideò nempe diligi, quia ſimilem.

Floruit tempore S. Bernardi.

Jungendus utrique *Henrico* ſcilicèt & *Bernardo* B: HUGO Cardinalis & Epiſcopus *Oſtienſis*, utpote qui tres ſimul ab Evgenio Papa unâ eâdémque creatione adlecti Purpuratorum Collegio. Præfuit ante purpuram Hugo Monaſterio *Trium Fontium* in Catalaunia, Bernardi Mellifluì deliciæ & amor, inde, utì prælibavi, è Galliis cum Sociis evocatus Romam à Pontifice meritos tulit honores. Gratulata ſibi plurimùm de Viro Roma eſt, quòd viſa ſibi alterum in eo accepiſſe Bernardum: tantâ ſcilicèt conſilio-

Creatus Annô 1150.

rum gravitate, prudentiæque laude excelluit, ut & Bernardus ipſe miraretur pulcherrimâ replicatione ſe ſimul Romæ eſſe atque in Clara Valle. Scripſit in diverſis negotiis Bernardus Hugoni epiſtolas aliquot, nimirùm quot melleos characteres, tot indubios teſtes, quanti Hugonem ſemper fecerit.

Ex uno porrò Archi-Cœnobio Ciſtercienſi, ſeriéque Abbatum Generalium *Septem* hôc locô memorari poſſent, qui inter Purpuratos Patres olim cooptati egregiè floruerint; at quia jam ſuprà *Titulô* 2. illos laudavimus, duo duntaxat hìc repetendi *Guidones* Primus & Secundus, de quibus omiſſa ibidem paucula ſuppleri omninò hìc debeant. De GUIDONE I. qui in ordine Abbatum *ſeu Generalium Ciſtercii fuit* XV. addendum illud, quòd dum apud Gallos Germanósque fungeretur *Nuncij Apoſtolici* munere, ſanctiſſimas inter conſtitutiones, quas ad utriusque Gentis ſacra commoda & ſolatia ſancivit, laudatiſsimum quoque illum ritum Numinis Euchariſtici cultor eximius Coloniæ Aggrippinæ, quæ eſt Urbs in Imperio Romano admodum populoſa, & avitæ fidei quàm tenaciſsima, primus ordinârit, ut videlicèt dum Sacro-Sanctum *Chriſti Corpus* in Miſſa elevaretur, aut ad ægros per Sacerdotem deportaretur, campanulæ portatilis ſonitu populus admonitus in genua provolveretur DEUM Euchariſticum profundiſsmâ devotione deveneraturus. Quæ ſacerrima cæremonia inſigni mox prodigiô ad confuſionem hæreſum confirmata eſt. Nobilis enim quidam Vir ſanctiſsimo Sacramento in platea plenis ſordibus ſcatente obviam factus, atque per ſonitum campani æris ad latreuticum cultum præſenti Numini pendendum provocatus, pretioſis quamtumvis indutus veſtibus, nulla tamen earundem habitâ ratione in copioſiſsimo cœno pulcherrimô DEO, Angelis & hominibus ſpectaculô in genua devotiſſimè procubuit, atque jucundô prorsùs miraculô è mediis ſordibus absque ulla omninò macula perſolutâ adoratione lætus ſurrexit. Datum ſcilicèt in hoc Viro poſteris ſpecimen, quantum Cœlo placere debeant adulti jam per ſæcula, & propagati per Chriſtiana Imperia hi ipſi Evchariſtici honores, ſi modicæ adhuc illæ cultûs primitiæ per prodigium divinitùs jam ſint approbatæ. Perennat in hodiernum uſque diem in Romana Fccleſia ſacerrimus hic mos, perennabítque deinceps quare *Guidonis noſtri*

Obiit circa Anno 1218.

ſtri memoria *cum ſonitu* in dies ſingulos renovata peribit nunquam. GUIDO alter in ſerie *Generalium XVI.* ab Innocentio III. creatus Cardinalis Epiſcopus *Præneſtinus* è duplici capite hìc venit memorandus: primò quidem, quòd ab eodem Innocentio adhucdum Ciſtercii Abbas corrupta per quosdam in Gallia Novatores *Sacra Biblia* juſſus revidere & corrigere, participatâ quâdam Summi Pontificis cum Ciſtercio infallibilitate eum ſenſum & ſpiritum Scripturæ aſſecutus ſit, quem Pontifex, quem Eccleſia probârint. Alterum eſt, ex quo laudandus Guido, quòd *Friderico Cæſari* Ter mille marcas argenti pro conficiendis in univerſo Ordine thuribulis argenteis ultrò & munificentiſsimè offerenti, ampliſsima hæc munera habitis gratiis remiſerit, ſuſpecta ſcilicèt de rapina, è quibus Numini incenſa thura in gratum odorem aſcendere haud valeant, utpote quæ cum proximi injuria conflanda ſint. *Obiit Annô 1206.*

Apud Italos eximiè floruit JACOBUS *de Placentia*, Patriâ *Papienſis*, illuſtri oriundus proſapiâ, Manriquei calculô *Vir illuſtriſſimus, & quô Eccleſia in multis & arduis uſa, inter ævi illius primos*, qui divinitùs inſpiratus conceptis ſanctioris vitæ propoſitis, relictâ patriâ, ſœculô, imò inſuper Archi-Diaconatu Ravennatenſi, quô jam potiebatur, in Clara-Valle habitum Ciſtercienſem induit. Nobiliſſima Viri indoles magnorum munerum laborúmque capax ad ſublimia quævis induſtriè à Ciſtercienſibus noſtris præparabatur. Factus primùm Abbas Romæ ad *Tres-Fontes*, inde à Gregorio IX. *Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus* renunciatus, mox ab eodem Pontifice ad reconciliandas *Friderico Imperatori*, Italiæ Urbes Princeps pacis cum ſummæ poteſtatis plenitudine ablegatus eſt. Erat ſanè grandis, atque etiam ſuper Herculeos ipſos humeros labor iſte, animis ſuâpte naturâ per adgenitam vim liberis à Jacobo poſſe imperari pacem. Verùm magnus hìc Vir humana ſupergreſſus ingentibus omninò conatibus, atque eventibus longè feliciſsimis Italiæ univerſæ illam, quam mundus, quã Cœſar, quam Principes dare non poterant, optatiſſimam pacem juxta omnium vota reddidit. Quapropter totius Gentis amores meritus ab eodem *Friderico* & Italiæ *Optimatibus* quibusvis inter ipſos dirimendis controverſiis ampliſſimâ jurisdictione Mediator & arbiter publicis honoribus & applauſibus renunciatus fuit atque ſalutatus. *Creatus An. 1231.* *ad Annum 1231. cap. 2. n. 6.*

tatus. In tanti muneris ſibi impoſiti authenticam conteſtationem ſubortum eâ tempeſtate Lombardiæ inter Populos, Civéſque Veronenſes diſſidium fortiſſimè repreſſit, pacavítque. Rebus pro tranquillanda Italia tam præclarè & feliciter geſtis famâ jam ſuper æthera clarus *Jacobus noſter* ingentibus laboribus manum ſupremam impoſuit, dum *Magni Antonii Paduani* Thaumaturgi canonizationem apud Gregorium IX. quàm efficaciſſimè promovit, eô nimirùm operæ ſuæ auſpicatiſſimô eventu, ut præter Curiæ Romanæ ſtylum & conſvetudinem annô non ampliùs unô ab obitu Sancti necdum plenè evolutô, Pontificis Summi oraculô Thaumaturgus Antonius *Sanctus* diceretur, atque ab univerſo Orbe Chriſtiano publicis honoribus inter Sanctos coleretur.

Floruit circa An. 1248.

Transmigrandum ex Italiis ad vicinam Franciam, in qua Apoſtolica inter elogia Laudandus B: ODO ſive OTTO in *Urſi-Campo* Ciſtercienſium apud Gallos Cœnobio VI. Abbas, doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ clariſſimus, qui Cardinalis Presbyter creatus cum aſſumptâ purpurâ novis Apoſtolici zeli ignibus incaluit, qua de cauſa à *Ludovico Sanctiſſimo Galliarum Rege* impensè dilectus, ejusdem lateri *Terram Sanctam* perluſtrantis nomine & munere *Pontificii Nuncii* conſtanter adhæſit, non minùs pietatis, quàm itineris individuus ac fideliſsimus comes. Neque contentus eſſe pius duntaxat DEO, ſibi, Regi; inſuper infidelibus ſanctiſsima inſtallavit religionis Orthodoxæ rudimenta, ídque *ſcribendo, diſputando, orando, docendo, convincendo, convertendo*, factus per hæc Divina munia *Palæſtinæ* eminentiſsimus atque celeberrimus *Apoſtolus*, tot laureolas in cœlis meritus, quot Saracenos in terris Chriſto lucratus. Tandem Internuncij Pontificij apud infideles Orientales, & Optimi Raphaëlis apud Ludovicum Regem functus officiô ad conſortia Angelorum abiit, Rege interim Chriſtianiſsimô Odonem abſentem in præſente in Galliis ſuis Ciſtercio per Regios affectus & gratias amantiſsimè devenerante.

Seguinus cit. in Menologio Ciſt. 9. Sept.

Obiit Anno 1346.

Magnis præterea præconiis memorandus hìc B: GUILLELMUS *Doctor Theologus*, è *Bolbona* Ciſtercienſium Cœnobio ad *Arelatenſem* Archi-Epiſcopatum inter lachrymas invitus extractus non niſi *Benedicti Papæ* XII. Patrui ſui monitis, & juſſu oblatis infulis meritiſsimum verticem inclinavit. In eo faſtigio omnibus

omnia

omnia factus eſt, afflictis præcipuè atque egenis, in quos mille ſolatia manu affectúq; verè paternô diſpenſans exhibuit ſe communem omnium pupillorum, viduarum, egenorum Patrem, Advocatum, Mecœnatem. Tot titulis, id eſt meritis conſpicuus, ab eodem Pontifice *Purpuratis Patribus* adlectus eſt ſub nuncupatione *S. Stephani in Monte Cœlio*, ſimúlque inſtitutus Epiſcopus *Albienſis.* Neque Guillelmus inter tot quæ in exteros profuderat beneficia, Ciſtercienſium ſuorum oblitus eſt, verùm in Ordinis univerſi perenne ornamentum celebre munificentiæ ſuæ monimentum poſuit, cùm *Lutetiæ Pariſiorum Divi Bernardi Collegium* pro Scholaribus Ciſtercienſibus à ſuprà laudato *Benedicto* XII. inchoatum, magnis ipſe ſumptibus ac proventibus auctum ad perfectionem deduxit, in hodiernum uſque diem ingeniis, Viríſque magnis fœcundum ac floridum: Scilicèt ut vel ipſi lapides & ſaxa immortales Viri Maximi laudes gratæ poſteritati loquerentur.

Accedendum eſt propiùs ad noſtram ætatem, laudandúsque è ſuperiore ſæculo Vir illuſtris HIERONYMUS *Socherius*, natione *Arvernus*, Ciſtercienſis in *Monte Petroſo*, *Doctor Sorbonicus*, Abbas *Clara-Vallenſis*, ac ſubinde etiam Ciſtercium translatus *Ordinis Generalis*, Galliæ ſuæ novus *Hercules Gallicus*, à cujus ore & conſiliis Chriſtianiſſimi Franciæ Reges *Henricus II. Franciſcus II. & Carolus IX.* velutì ab oraculo pendere viſi, profundiſſimam in Viro Summo demirati ſapientiam. Angeli noſtri Manriquei calculô *reſtituit Clara-Valli Bernardi tempora* Vir iſte. Majora de Hieronymo dicere non potuit *Angelus.* Interfuit Sacro-Sanctæ *Tridentinæ Synodo*, ſententiarúmque pondere, atque eruditionis famâ clariſſimus cum ingenti plauſu ſuſtinuit Ciſtercienſium vetuſtam, ac immortalem gloriam, quâ olim œcumenica Eccleſiæ Concilia egregiè illuſtraverunt. Motus tantâ Viri apud omnes commendatione *Pius V.* Papa Hieronymum evocavit ad Senatum Purpuratorum, quem tamen adducere vix potuit ut oblatam dignitatem acceptaret. Victus tandem Pontificis authoritate, amicorúmque precibus creatus eſt *Cardinalis Presbyter ſub titulo S. Matthæi.* Videbatur ejus in Urbe præſentia Romano Cœlo novum illuxiſſe ſidus; Sed neque Ciſtercienſibus ſuis ablatus eſt Hieronymus; cooptatus namque inter Purpuratos Patres Cardinalis, pro maximo Ordinis univerſi ornamento ac emolumento

Obiit Annô 1511.

In ſerie Abbat-Clara-Vall.

Ssss ſerva-

ſervavit priſtinos in Gallia honores, permanſítque Ciſtercii Generalis. Poli hi gemini, Romanus ſcilicèt ac Ciſtercienſis Hieronymo erant gemina gloriæ theatra, in quibus munerum eminentiâ, negotiorum gravitate, morum integritate, doctrinæque ſoliditate, oculos, animos, corda attraxit omnium, ut tandem poſt Sancta fata ſua in ipſo Summo Orbis oraculo *Pio V.* maximum optimúmque habuerit Encomiaſten; nunciatâ namque pretioſâ Hieronymi morte pientiſſimus Papa dixiſſe fertur: *Miror ſummopere, quòd ad tanti Viri obitum omnes Urbis campanæ ultrò non pulſent.* Alterum in *Hieronymo* Romæ vixiſſe, atque devixiſſe *Alexium* per ea verba credidiſſe viſus eſt Pontifex, utpotè cui eosdem, quos olim habuit Alexius, publicos campanarum applauſus, poſt mortem optârit. Corpus ejus tumulatum eſt Romæ, cor in Claram-Vallem translatum non tam in corde terræ, quàm in cordibus filiorum glorioſè & amanter quieſcit.

Floruit circa An. 1600. & deinceps.

Illuſtravit pariter magnâ luce hanc Purpuræ ſeriem Eminentiſſimus JOANNES BONA, *Pedemontanus*, olim Abbas reformatæ Congregationis in *Lombardia*, ſubinde *S. R. E. tit. S. Bernardi ad Thermas* Presbyter Cardinalis. Attigit ille noſtram hanc ætatem, adeóque ei ſola memoria pro laude erit; nemo enim poteſt *bonæ memoriæ* optimi *Bonæ* abſque elogiis meminiſſe. Loquuntur poſt fata Virum doctiſſimæ ſimul atque piiſſimæ lucubrationes, quæ quia à *Bono* Auctore profectæ ampliùs quàm ſemel prælum fatigârint. In omnium ferè nunc manibus, & animis circumferuntur ii ingenij & pietatis diviniſſimi partus, & vix eſſe *Bonus* quis cupit, ſinè *Bona.* Non aliô ſanè ingeniô, aut ſtylô laudandus nobis Eminentiſſimus hic Præſul, quàm ſuômet, quô egregiè excelluit. Momordit quidem facetus quiſpiam Poëta in ſanctiſſimo Tiaræ ambitu *Bonam* noſtrum, non audere eum ſcilicèt aſpirare ad Pontificatûs faſtigium, qui peſſimâ Grammaticâ dicendus foret *Papa Bona;* at verò melior utique atque faventior ſic optimè in metro reſpondit pro *Bona: Eſſet Papa bonus, ſi Bona Papa foret.* Purpuram & vitam poſuit, cùm gloriam & bravium grandævus apprehendit.

Clauſiſſet *non malè* BONA præſentem Titulnm, nisì INNOCENTIUS XII. Pontifex Maximus nuper ſub ſuperioris Anni *Mille-*

Milleſimi Sexcenteſimi Nonageſimi Noni finem 14. Novembris novà gloriâ ampliâſſet Ciſtercii purpuratam felicitatem, cùm præter alios *quatuor*, etiam Reverendiſſimum Patrem ac Dominum GABRIELEM *Citta de Caſtello*, Ciſtercienſium Reformatæ Congregationis apud Italos Supremum Præſidem ac Generalem inter *Eminentiſſimos* Sacri Collegij Patres collocavit. Pontificis imperiô eô adhuc veſpere, quô ob ingraveſcentem INNOCENTII malam valetudinem feſtinata Cardinalium creatio, unus ille, cùm cæteri nominati ab Urbe abeſſent, perlatus in ſuæ *Sanctitatis* conclave, conſideréque juſſus, inclinavit meritiſſimum verticem Chriſti Vicario, à quo illicò *Mitram*, quam vocant *Cardinalitiam* obtinuit. Porrò *ſecunda Februarij* labentis Anni 1700. etiam *Galerum* ſuperaddidit idem INNOCENTIUS, atque in uno *Gabriele* univerſam Mellifluam Familiam coronavit. Ferat Eminentiſſimus Princeps pro Ciſtercii gloria purpuram diu ac feliciter! pérq; ſua merita trahat poſt ſe è BERNARDI ſanctiſsimo gremio novos ulterioréſque *Purpuræ Candidatos!*

Plures è Ciſtercio Viros virtute, doctrinâ, purpurâ coſpicuos qui volet, Ughellum, Seguinum, Jongelinum, alióſque celebres Scriptores conſulat, qui integros Tractatus Purpuratis hiſce Viris ex induſtria implevêre: Nobis in modicis his paginis, ubi prolixi eſſe vix poſſumus, interim ſatìs eſt; laudaviſſe aliquos, & illos quidem præcipuè, quos Henriqueus Menologio Ordinis inter Beatos inſeruit; horum etenim laudes etiam redundant in cæteros, quos eadem purpura & profeſsio verè fecit eſſe Germanos.

CARDO & COLUMNA

Res *duæ*
In *Domo una!*
Pace Veſtrâ
Fortiſſimi *Romani axis Cardines!*
Purpureæ Eccleſiæ militantis *animæ!*
Æmulæ *Pontificii Solis faculæ*
Pace Veſtrâ
Pro Domo Veſtrâ
Domeſticâ ſcilicèt metaphorâ
Fiat mihi CARDO COLUMNA!
Quâ pace, quâ metaphorâ
Dicam ego Vos
Eminentiſſimi Cardinales,
Non *Cardines*, ſed *Columnas*,
Quas duas ultrà non auſus progredi *Hercules*,
Ciſtercio reliquit ingentem hanc gloriam,
Ut *quadringentis* calamis
Purpurâ multô decore *madentibus*
Inter florentiſſimæ Familiæ lauros & laudes
Scribere poſſit:
PLUS ULTRA!
Spargite in hanc chartam
Vos calami Purpuram,
Scribite, ponite
è Ciſtercio in Romana Palatia, ſacerrimúmque Senatum
Evectas *Columnas quadringentas viginti Septem*,
Tales Vos appello, ac deveneror,
Purpurati Eccleſiæ Patres,
Pontificiæ Majeſtatis *Cardines*,
Cant. 2. cap. Religionis *fulcra*!
Vox *Sponſæ*,
Fulcite me *floribus*
Vox *Eccleſiæ*
Fulcite me *columnis*

Et

Et *Flos* ornat *Sponſam*,
Et *columna Eccleſiam.*
Pingam per modica verba *Columnæ* imaginem & elogium:
Et ornat & ſuſtinet
Domûs decor & robur
Columna!
Septem olim pro *Domo ſua* excidit *Sapientia*, Prov. 9. cap.
Septuaginta duas pro *Eccleſia* ſua *Salvator*, Luc. 10. cap.
Pares ferendo Chriſtiadum Orbi,
Qui tametſi per *mille caſus fractus* illabatur,
Romuleas haſce *Columnas*
Impavidas ferient ruinæ.
Diviſa olim in fabulis inter duos gloria
Ornavit & oneravit
Atlantis & *Herculis*
Nomen & *humeros*,
Quod nempe inter mortales ſoli hi duo poſſent,
Quod præter hos duos alius nemo,
Alternâ quiete & labore
Ferre Orbem.
Aliquid amplius habet *Chriſtiana Veritas*
In tot Purpuratorum Patrum *centuriis*,
In tot fortiſsimis *Columnis*,
Quarum ſingulis *Atlantis* atque *Herculis*
Inſcriptum *nomen*, *robur*, *vires!*
Ipsô *Purpuræ nomine* poſſe ſinguli debent,
Quod *iſte* & *ille*,
Portare Orbem,
Si cum Pontificio diademate
Orbis Chriſtiani moles ijsdem imponatur.
Pro *portento* fuit atque *beneficio Iſraëlitis*,
Columnam habuiſſe *Ducem*:
Pro *obſequio Symeonibus ſtylitis*
Columnas habuiſſe *bajulas.*
Felicior per conjunctas gratias Roma
Et *Iſraëlitis* & *Stylitis*
è Purpurato Collegio *Columnas* habet

Per *portenta*, *beneficia*, *obſequia*
Et *duces* & *bajulas!*
Gregorium
Inter Pontifices *Maximos*
Magnum
Hâc ſuâ *magnitudine* longiùs tranſcendentem
Maximos
Fugientem, latentémque *index Columna ignea* prodidit,
Ut per Electorum ſuffragia eſſet, qualis nollet,
è *Cardinali Pontifex.*
Non meliori ſignô, quàm *Columnâ* prodi debuit
Gregorius Cardinalis,
Per quem reliquis *Purpuratis*
Columnæ ſeu datæ, ſeu confirmatæ in *Symbolum.*
Additus *Columnæ* Gregorii *color*
Non è *nube candidus*,
Sed è *flamma rubeus*, *purpureus*;
Ut eſſet *plena imago* Purpuratorum Eccleſiæ Principum.
Familia de *Columna*
Extra, intráque Italiam nobiliſsima
Columnas Domui ſuæ, *Orbíque* dat,
Non homines,
Credi ſanè poſſent *Cardinales omnes* unà cum *Nicolao V.*
Ex *hac Domo* deſcendiſſe,
Tam ſcilicèt ſinguli *Columnæ* ſunt.
Modicum nimis eſſet Romanæ Majeſtati,
Ex unis *Gadibus* habere *Columellas*,
Niſi ſimul ex *Univerſo Orbe*
Haberet *Columnas.*
Inter *Ovidii metamorphoſes* etiam *Columnas* lego, & *Purpuram*,
Id eſt, *Cardinales*,
Regiam Solis ſublimibus altam Columnis,
Et *auroram purpureas fores*, *roſeáque pandentem* atria,
Quod Cœlo *Sol*, hoc Romæ *Pontifex*,
Uterque inter *Columnas medius.*
Soli Ovidiano fortè *ſtellæ ſuæ Columnæ* ſunt:
Soli Romano ſuæ Columnæ ſunt Cardinales,
Quidni utrobique à *latere Extrema Illuſtriſſima*,

Nicolaus V. Papa è Familia de Colonna

Columella Scriptor tempore Claudii Principis oriundus ex Gadibus apud Hiſpanos. Metamorph. L. 2. Metamor

Et

Et *Cardinales* nempe, & *Stellæ?*
Sit iterum Romæ ſuus in *Pontifice Sol!*
Et ego rursùs è Poëta dabo *Soli huic*
In *Purpuratis Patribus*
Præambulam ſuam *auroram*,
Purpureas fores, & *roſea atria* explicantem.
Videat Lector vel ex ipſa *Fabulæ caligine*
Promicantem Romanum Solem, *auroram*, *ſtellas*,
Atque ex *Fabulæ anguſtiis* & *minutiis*
Præeminentes Eminentiſſimas Columnas.
Hæ Purpuratorum Patrum imagines
Ex *Hiſtoriis* & *Fabulis*:
è *Divino Codice*
Sua etiam eſt *Columnæ* & *Purpuræ* effigies,
Et quia Sanctior, verior:
Propè auſim *Naſonis* carmine utramque & *canere* & *pingere*,
Purpureas Solymea fores, roſea atria pandit.
Sangvinis purpuram dedit Salvator, *Joan. 19. c.*
Et quia hâc ipsâ *Columnam* aſperſit
Prima Diviniſſimus Apelles *lineamenta* poſuit
Pro formando *Cardinalium* ectypo,
Columnam & *Purpuram.*
Mi calame ad hanc *Columnam* & tu ſiſte!
Duas poſuit *Hercules*,
Et *ultrà duas* non eſt progreſſus,
Plures poſui hìc ego,
Auſus, quod *Carolus Cæſar*,
Plus ultrà!
Eat nunc ingeniô ſuô Lector
Cum *Cæſare* adhuc *plus ultrà*!
Atque in mille milléque *Columnis*
Eminentiſſimorum Principum *imagines* & *laudes* inſcribat:
Pinget nempe, laudabítque multùm, ſed nunquàm ſatìs.
Vos præcipuè
Quadringenti Viginti Septem è Ciſtercio Purpurati Viri,
Vos
Ingentes *ſublime ferent* ſuper aſtra *Columnæ!*
Imò Vos ipſi, *Eminentiſſimi* Viri,

Excelſæ vobiſmetipſis eſtis *Columnæ*
Sidereos ultrà Orbes ante *Altiſſimi thronum* aſcendentes.
Non valent *puſillæ* hæ laudes
Coronatos veſtros attingere vertices:
Neque verbis *complecti*
Vaſtam meritorum veſtrorum *amplitudinem.*
Votis ſupplenda *encomia.*
Habete igitur Vobis *Eminentiſſimæ Columnæ*
Tot *Stylites*, quot è Ciſtercio *clientes*,
Qui veſtris meritis
Tamdiu, & *adhuc*
Stant.
Servate Seræ Poſteritati
Ad Orbis uſque *ruinas*
In *clientibus Stylites*,
In *Stylitibus clientes*,
Eccleſiæ, *Orbis*, *Regum*
Et præcipuè,
Ciſtercii Veſtri
Protectrices & *Servatrices*
COLUMNÆ!

TITU.

TITULUS XIV.
CISTERCIENSES ARCHI-EPISCOPI ET EPISCOPI



AMpla hæc meſſis acerrima ſibi vendicat ingenia, calamóſque non obtuſos, ſed per mille elogia indefeſsè currentes. Vocandus ſanè foret pro unoquoque è Sacerrimis his Præſulibus è Romanis roſtris cum omni ſuo eloquentiæ apparatu facundus Tullius; at quidquid ego hìc, & quantumcunque optem, res hæc

per ſola vota abſolvitur, reipsâ hæret, Tulliúſque tametſi vocatus millies nè ſemel adeſt; quoniam ſcilicèt (ingenuè confiteor) non ſum ego homo tantæ aut proſopopeiæ aut efficaciæ, ut Oratorum manes è tumulis atque cineribus ſeu reſuſcitem, ſeu replicem: Neque (utì ego quidem exiſtimo) in hiſtoria crediderim hæc adeò deſiderari, ut Tullianô videlicèt ſtylô Divos laudemus: ratam illi habent veritatem ſimplicem, quæ absque verborum faſtu & fuco ſincera ſit magìs, quàm polita. Priorem dabo ego hìc, recitabóque è fidis Authoribus Illuſtriſsimos Populorum Paſtores, non omnes (quis enim *Octingentos* Archi-Præſules, *Mille quadringentos Epiſcopos* in uno & ex uno Ciſtercio Palliis atque infulis conſpicuos pro dignitate, & quod ampliùs, ſingulos vel memoret, nedum laudet?) Verùm paucos admodum, & qui in *Chryſoſtomi Menologio* illuſtres magìs memorias obtineant.

Primus igitur ſit, qui primus fuit ex univerſo Ciſtercio ad ſacras extra Ciſtercium Infulas cum plauſu aſſumptus B: PETRUS Archi-Epiſcopus *Tarantaſienſis*, inter primos *Roberti Parentis* cùm in Moliſmo, tum deinceps in Ciſtercio ſocios & Filios. Subinde à Divo *Stephano* Abbate ad fundandam *Firmitatem* (quæ eſt prima omnium Ciſtercii per Orbem ſeſe diffundentis, feliciſsima colonia) cum *Bertrando* novi gregis Paſtore, ſociíſque deſtinatus, primò quidem officiô Prioris, dein verò Abbatis egregiè perfunctus, tandem Populi Tarantaſienſis acclamatione ad Thronum Archi-Epiſcopalem evectus, pro Ciſtercii digniſsimis Viris celeberrimas Dignitatum ſacrarum primitias longè glorioſiſsimè eſt auſpicatus: alios ſcilicèt omnes tam meritis antegreſſus, quàm tempore & annis, felicior utique *Columbus* Ciſtercienſibus ſuis viam aperuit, complanavítque ad ſummos deinceps honores, ad quos tantô mox Orbis Chriſtiani ambitu, tantóque numerô, reluctantes planè atque animis humeríſque omninò invitis è gremio humillimæ Matris ſuæ rapti fuêre, ut Beatæ cenſerentur illæ Eccleſiæ, quibus Præſul ac Paſtor ex Ordine Ciſtercienſi obtingebat. Habeat ſibi Petrus pulcherrimos hos honores, ut videlicèt *Sex* Romani Pontifices, *Quadringenti Purpurati* Patres, *bis mille & ampliùs* digniſſimi Eccleſiarum Præſules, *Tiaras*, *Galeros*, *Infuláſque* ſuas eidem quàm gratiſsimè inclinent, à quo primam nempe lineam ad ſacerrimos hóſce honores pro immenſa Familiæ Ciſtercienſis gloria duci viderint. Ornavit Vir

Obiit Anno 1132.

Vir magnus ad Tarantaſienſium ampliſſima ſolatia glorioſum illud munus eximiis virtutibus, zelóque Apoſtolicô, quô infulati Paſtores flagrare debent, Cœlô interim per prodigia Petri ſanctitatem tam in vivis, quàm poſt fata pro dignitate coronante.

Translatô ad Superos *Petrô* Tarantaſiæ infelix orbitas eò ampliùs fuit deploranda, quòd per indignum Succeſſorem occupati immeritò Cathedræ honores. Is acutus & geminus dolor Tarantaſienſium pupugit animos, ut è ſuperſtite Ciſtercio novis votis deſiderarent ſibi rursùs dari *Petrum*, nuperi felicem æmulum, qui optimi Prædeceſſoris mæſta diſpendia digniſſimâ ſucceſsione, moribus, regimine, ex voto omnium reſtauraret. Quæſitus igitur electúsque è *Stamedio* Ciſtercii ſub id tempus nova & celebri domo primus Abbas DIVUS PETRUS, nuper in *Bona-Valle* apud Gallos Monachus ſanctiſsimus: is quanquam ſtylô monaſticô conſtanter & modeſtè reſiſteret importunis electoribus, Ordinis tamen univerſi, atque præcipuè Bernardi Mellıflui authoritate, & fortaſſe imperiô compulſus Populi & Cleri deſideria aſſenſu probavit. Et hic eſt *Magnus* ille *Petrus*, apud Baronium, cæteróſque Scriptores Eccleſiaſticos per mille laudes longè celeberrimus, qui memorandus jam ſuprà inter Viros Apoſtolicos eum Titulum ſuâ magnitudine impléſſet ferè ſolus. Suppleat, obſecro, benevolus Lector hanc omiſsionem meam, & Petrum ad eum locum referat, illuſtrem illius tituli portionem. Sanè ingens illa Eccleſiæ tempeſtas, quâ per *Fridericum Barbaroſſam* afflicta Germania, Gentésque finitimæ ſinè Petro ſæviiſſet in im̃enſum, ità ut Alexander & Roma jam tunc fortè perdidiſſent Germaniam, niſi Petrus exemplô Cæſaris cadentem gentem per Herculeos labores ſervâſſet Eccleſiæ. Ah! quàm ego cuperem, modò poſſem, vel ex uno *Baronio* hic in Petri laudes recitare ſingula, quàm nempè iterum defenſus ſervatúsque Romanus *Petrus* in *Alexandro, per Petrum è Ciſtercio!* Glorioſâ ſimilitudine comparat clariſsimus hic Scriptor ad Annum 1160. Petrum *Moyſi* atque *Bernardo*, qui ambo in defenſionem Gentis Sanctæ à DEO electi *Pharaoni & Anacleto* impiis æmulis ac perſecutoribus fronte animóque imperterritis conſtantiſsimè obſtitêre, ità quidem ut vel apud impios venerationem, qualem Sancti, habuerint ſemper, inter medias etiam perſecutionum procellas. Talis, tantúsq;

Obiit Anno 1174.

& Petrus noſter, quem ſcilicèt Cæſar *Fridericus* (verbis Baronii Virum laudo) *ùt Pharao Moyſem, venerabatur, & colebat invitus, percitus timore.* Lego apud eundem Authorem citatis mox Annô & *locô* inſuper alia duo Petri elogia, quæ immutatis verbis hìc ex ipſo fonte recito: *In tanto,* ſcribit ille, *infelicium Epiſcoporum naufragio non defuit, qui ſtaret ex adverſo: fuit iſte magnus hujus temporis Eccleſiæ fulgor Petrus Tarantaſiæ Archi-Epiſcopus, potens opere, poténsque ſermone, undique venerandus.* Cùm audis, mi Lector, Petrum illuſtriſſimô encomiô nuncupari *Magnum Eccleſiæ ſplendorem*, præcipuè in tam calamitoſa rerum tunc caligine, tanto tu nomini & Viro rerentiam habe quàm maximam; non parvum eſt, enim, imminutam ſervare lucem, cùm per adverſos turbines & Æolos cæteri multâ caligine involvuntur. Elogium alterum, quô *Baronius Petrum* ornat, in hunc ferè ſenſum formatum eſt, fuiſſe nempe Divinum & Apoſtolicum hunc Virum *Sagittam electam*, quam DEI Adjutoris brachium in Alexandri Papæ ſubſidium opémque ſemper extentum ex omnipotentiæ, atque providentiæ ſuæ pharetra extraxerit, armâritque *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis.* Addendus eſſet *Baronio Manriqueus* in Præſulis hujus celeberrimi laudibus frequens atque elegans; Verùm vix ego ſum ille, qui Petri noſtri ſanctiſſimas memorias per primos tres Manriquei Tomos cum eximia ubique facundia ſparſas, & velutì dulcia mella diffuſas vel in compendio recenſeam. Certè poſt *Bernardi* ſanctiſſima elogia præcipuus eſt *Angelus* in laudando *Petro*, quem Mellifluo Parenti in omnibus ferè fuiſſe perſimilem induſtriè & dilucidè probat: Habet ea comparatio ex eo præſertim voluptatem non modicam, quòd Bernardi exemplô Petrus *omnem Familiam ſuam* ad Ciſtercii vexilla fauſtâ invitatione atque felici ſequelâ pertraxerit, *Patrem* ſcilicèt, *Matrémque, Fratres duos Lambertum, & Andream*, tandémque Sororem, quin & è *conſangvineis* non paucos. Laudati ſummopere apud Manriqueum Petri Parentes de inſigni vitæ probitate, miráque in pauperes benignitate, haud ſecùs, ac apud *Alanum* cæteróſque Scriptores Bernardi Optimi Progenitores, ut utriuſque pietas atque ſanctimonia jam lacti materno immixta in infantuli utriuſque ſanctiſſima ora defluxiſſe ab omnibus indubiè credita ſit. Virtus in Bernardo & Petro propè eadem, & prodigia ab utroque patrata apud Authores ſinè numero. Illud inter ejus mirabilia memorabile

quàm

quàm maximè, quòd aliquando ultra duodecim integras horas tenuerint Virum Sanctum clauſum intra quosdam cancellos numeroſi langvidorum greges, occupatum per omne id tempus manuum impoſitione, quâ ſignati quotquot, curati omnes cum plauſu & jubilo ferebant per Orbem Petri noſtri; Thaumaturgam famam. Qui quidem ſimultaneus prodigiorum numerus prorsùs eſt admirabilis, ut nempe intervallô temporis tam modicô in mille iterúmque mille clientes curatrices gratiæ per unius Sancti manum tam cumulatè potuerint diſpenſari. Neque exhauſta eſt per tam numeroſa unius diei beneficia miraculorum maxima illa vis, ſed quaquaversùm, quà *Sanctus* ibat, in langventium ſolatia perlata tantam apud omnes Petro conciliavit exiſtimationem, ut per Urbes, vicos, caſtella iter faciens Populi devotiſſimis acclamationibus undique ſalutaretur & *Sanctus* & *Thaumaturgus* utrôque nomine *Magnus*. Quin imò vel ipſa relicta Petri pedum veſtigia, quomodo olim Bernardi, impreſſam illam prodigioſam virtutem conſervavêre. Reges & Principes, aliíque Orbis Chriſtiani Supremi Moderatores ad Præſulis ſanctiſſimi nutus, velutì ad Divini oraculi imperia bella & diſcordias ejurabant, reveriti nempe maximopere eximiam Viri ſanctimoniam, quæ per quotidiana portenta toti Orbi cœlitùs redderetur ſummè venerabilis. Tangebat inter alias curas doloroſiùs pijſſimi Patris viſcera calamitas pauperum, pro quibus à primis ſtatim annis adhucdum puerulus ætatis modicæ totô illô ſuô parvulô pectore ſolicitus, cùm nonnunquam nîl aliud, nîl pretioſiùs poſſet, abſcondebat magnis affectibus fruſta panis & caſei in ſinu miſerabilium perſonarum, jam per vulgares eas ſportulas haud vulgaria Orbi exhibens ſpecimina, quantum videlicèt olim ſub ætatis ac facultatum majora incrementa egeni in Petro ſint habituri Mecœnatem. Menſa ejus tam in *Stamedio* cùm Abbas, quam *Tarantaſiæ* cùm foret Archi-Præſul, communis erat obviis quibusvis pauperibus atque peregrinis, eô ſolùm habitô perſonarum delectu, quòd ille Petro eſſet hoſpes gratior, quò indigentior atque abjectior. Neque contentus expectare, quos reficeret, quærebat, urgebátque per compoſita & vias etiam invitos, ut adeſſent convivæ longè gratiſſimi. Victus interim tanti Antiſtitis vix alius, quàm herba & aqua, pauperibus econtrà per largam alimoniam liberaliter refectis. Præoccupavit ſcilicèt Petrus IN-

Inter ſententias damnatas Innocentii XI. Annô 1679. hæc erat num. 12.

NOCENTII XI. nupera decreta, per quæ damnata opinio, vix dari etiam in *Regibus ſuperflua ſtatui*, *quæ nomine ſuperflui* in pauperes erogari debeant. Aliquid ampliùs *ante quinque jam ſæcula* exhibuit *Petrus*, quã hôc ſæculô deſideraverit INNOCENTIUS, dum nimirùm in tam excelſo honorum faſtigio non ſuperflua duntaxat, verùm inſuper & neceſſaria in egenos quàm liberaliſſimè diſpenſavit, detractô ori cibô, corpore veſte exteriori ſpoliatô, atque in famentia & algentia mendicabula diſtributis. Placuit Numini *eleemoſynaria* hæc & maxima virtus, probata ſtatim ingenti prodigiô: Cùm enim Præſul piiſſimus pro more aliquando conſvetâ munificentiâ pauperes eſſet refecturus, & convivarum numerus longiùs ſuperaret quantitatem præſentis alimoniæ quippe quæ quinque vix hominibus per diem poſſet ſufficere, numeroſiſſimô interim famelicorum grege per millia Curiam Epiſcopalem circumſtante, atq; ſolitas eſcas magnis deſideriis præſtolante, queſtus primùm amanter Numini, quod culpâ non ſuâ ſingulis ſatisfacere haud valeret, tandem ingenti fiduciâ, nîl motus tantâ rerum in æqualitate, diſpenſari juſſit modicum illud, quod aderat: & en! divinitùs multiplicata annona per integrum diem tenuit omnem illam pauperum multitudinem, refectis ſingulis cumulatiſſimè, & ad ſerum veſperum deſideratis à munificentiſſimo Mecœnate novis hoſpitibus, qui Divina & ſua iſthæc beneficia pleniſſimè exhaurirent. Demum exantlatis pro Pontifice, Eccleſia, Ciſtercio laboribus immenſis, in *Bella-Valle* Ciſtercienſium Cœnobio ſanctiſſimam animam, quam toties bonus Paſtor pro ovibus ſuis in mille diſcrimina & mortes poſuit, atque expoſuit, inter ſuos, quos in finem uſque dilexerat, feliciſſimè exhalavit, coronandam mox apud Superos. Pontificis glorioſi tumulus innumeris clarus prodigiis auxit clientum vota ac numerum, Patroníque cultum ac venerationem.

Obiit Annô 1148.

Laudandus nunc poſt geminos Tarantaſiæ Petros DIVUS MALACHIAS Gentis *Hibernæ* Archi-Præſul, *Regni Primas*, *Legatus Pontificius*, &, quod his glorioſius, poſt *Patritium* alter & Divinus Apoſtolus: hærente *Angelô* noſtrô ad Annum 1139. cap. 1. n. 8. neque audente definire, uter illorum ampliùs præſtiterit, *Patritiúsne* in prima gentis converſione, an verò *Malachias* in Religionis collapſæ auſpicatiſſima reſtauratione? Præſulis Sancti

genus

genus apud Hibernos illuſtre, indoles diſciplinarum capax, per Matris optimæ ſolicitudinem in tenera ætate à Magiſtris exculta literis cùm Divinis, tum humanis: Subinde cùm jam adoleſcenti ſorderent humana hæc & peritura, quæſitus in vicina eremo *Eccleſiæ Ardinacenſis* (alii ſcribunt *Armachenſis*) cœleſtis Præceptor *Imarus*, illâ ætate *Anachoreta Sanctus*, & apud omnes celeber, cui ſe in *primum diſcipulum* dedit Malachias, auſô ante illum nemine tentare ſeveriſſimi Senis ſaluberrimum rigorem. Exemplum adoleſcentis Sancti ſecuti ſunt ſocii non pauci, qui ſterile hactenùs *Imari* magiſterium per Malachiam primogenitum jam fœcundatum multò ampliùs fœcundaverunt. Eminuit ante omnes unius Malachiæ virtus ſanctiſſimâ æmulatione ipſam Magiſtri adæquans ſanctimoniam: Unde è latebris per Ardinacenſem Archi-Epiſcopum prodire juſſus collatis primò Presbyterii honoribus inſtitutus eſt ab eo Officii Epiſcopalis *Vicarius*. Has ille munerum ſacrorum primitias ac tyrocinia eâ ſolicitudine ac laude geſsit, ut geminæ Epiſcopales Cathedræ, *Dunenſis* nempe & *Conneretenſis*, tandémque & Metropolitana *Ardinacenſis* Sedes digniſsimum Virum ad ampliſsimos honores ſucceſsivè evocârint, habuerintque Antiſtitem ſanctiſsimum, qui pro gregis ſui ſalute arduis perfunctus laboribus reduxerit felicia *Patritii* tempora, divinæque legis, atque Eccleſiaſticorum rituum ſeu neglectum ſeu ignorantiam tam caſtigârit, ut Hiberna Gens velutì à noxio veterno Paſtoris optimi voce excitata novis cœlitùs ignibus in Chriſti fide rursùs incaluerit. Ferebatur eâ ætate magnis plauſibus Bernardi ingens fama per Orbem, quæ etiam extra Gallias pervolans ultra maria in Hiberniam perlata Malachiam traxit in Claram-Vallem, in Melliflui Abbatis intimam amicitiam, amborum animis mox in arctiſsima fœdera coëuntibus, qualia ſcilicèt ferè olim colligâſſent *Caſtoris* & *Pollucis*, aut ſi ſanctiora placent, *Davidis* & *Jonathæ* amica & fida pectora. Aſſumptus ſimul à *Malachia* candidus Ciſtercienſium habitus è manu Bernardi, nè vel discolor amictus diſtingueret amicos, atque ejusdem Melliflui Parentis conſiliô firmatus in Clara-Valle ſanctiſsimi Antiſtitis Monachatus, ſi nempe unius Romani Pontificis indulgentiâ, quæ adhuc expectabatur, id licuerit. Malè dubitant hodie nonnulli de *Malachiæ* vero inter Ciſtercienſes Monachatu, ignari videlicèt, quòd, utì ſuperiùs *Titulô* 12. è Manri-

queo docui, Epiſcopis tunc permiſſa Ordinis profeſſio reſervatis Epiſcopatibus, absque eo, quòd integrum ſemper tyrocinii annum inter noſtros exegerint, quod citatô locô per exempla confirmat *Angelus.* Potuit igitur Malachias ex uſu illorum temporum eſſe Ciſtercii *Monachus*, & ſimul Hiberniæ *Epiſcopus*, tametſi ab Innocentio Papa ad urgentiſſimas etiam preces perſeverare in Clara-Valle permiſſus non ſit, ob ampliora, quæ à præſente apud Hibernos tam Sancto tam neceſſario Paſtore ſperaverat Pontifex fidelium ſolatia & emolumenta. Obſervet *Manriqueus ad* Annum 1139. cap. 6. n. 8. Divum Malachiam *primum omnium* fuiſſe, qui jam ſacris infulis illuſtris Ciſtercium ſuſceperit, quod deinde per florentem maximè Ciſtercii ætatem factum à multis, infulis ſeu ſervatis, ſeu etiam non raro per conceſſionem Pontificiam depoſitis. Viſitata eſt à Sancto Præſule poſt *Claram-Vallem* etiam *Italia & Roma*, adoratúsque de more INNOCENTIUS, qui in Sanctum hoſpitem gratioſus honorem eidem exhibuit *fortè ſinè exemplô, ſed non ſinè myſterio, non ſine cauſa*, quemadmodum ſcribit *Angelus* ad citatum Annum 1139. cap. 9. n. 4. Cùm enim ad ſalutationis Pontificiæ ſolemnia introductus Malachias inclinaret ſacrum verticem Chriſti Vicario, Innocentius præter alia benevolentiæ ſignacula redhibiturus tanto Capiti reciprocos, inſuetos tamen, & pretioſiſſimos honores, mitram Pontificiam tollens de Capite ſuo, capiti ejus impoſuit. Subjungit huic facto Manriqueus noſter ſequentem gloſſam: *INNOCENTIUS dum mitram ſibi detrahit, quam Malachiæ capiti imponat, ipſum inter Eccleſiæ Patres viventem numerat; & cunctis reverendum proponit, vel ſibi ipſi.* Pleriſque ſatìs eſt amari à Pontificibus, ultrà communia vota & ſpes, inſuper ab ijsdem honorari: præter primum etiam hoc alterum expertus Malachias ab Innocentio è Cathedra didicit, quòd non eſſet ipſe ſicut cæteri hominum, cujus fortè unius venerationi cum tam inſveta reverentiæ ſignificatione Papa caput nudârit. Cæterùm in eò inexorabilis erat Põtifex, quanquam id Malachias copioſas inter lachrymas vehementer urgeret, ut miſsô nempe Epiſcopatu atque deſertâ Hiberniâ vivere, moríque ſibi liceret in Clara-Valle, prævalente nimirùm privatis Paſtoris Sancti deſiderijs communi Hiberniæ utilitate. In reliqua faventiorem ſenſit Innocentium, in confirmationem videlicèt geminæ Sedis Archi-Epiſcopalis, collationémque pallii: additum inſuper à Pontifice

Annô cap. & num. cit.

novum

novum munus haud poſtulatum à Malachia, quô inauguratus ipſe Provinciæ univerſæ *Apoſtolicus Legatus* ac Nuncius. His auctus honoribus reverſus eſt ad Claram-Vallem ſuã in Gallias, & commendatis Bernardo Sociis, qui è comitatu ſuo Divinâ vocatione permoti Sponte ſuâ inter filios Abbatis Melliflui cooptari deſideraverant, inter alta utrínque ſuſpiria amicis vale fecit, hæc imo pectore ceu vaticinia eructans verba: *hos, inquit, interim pro me, oro, retineatis, qui à vobis diſcant, quod nos poſtmodum doceant. Et intulit: Erunt nobis in ſemen, & in ſemine iſto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum autem non viderunt.* Sic reverſus ad ſuos Præſul Sanctus præſtolatus eſt relictos in Galliis ſocios cum deſiderio, & tandem obtinuit cum gaudio, qui Ciſtercii ritus abundantiùs edocti inferrent Hibernis plagis tam cœleſte vivendi genus, propagandum mox per omnem Hiberniam, ampliandúmque per *Cœnobia* non minùs *quadraginta* pro Ciſtercii alumnis, Malachiæ auſpiciis atq; authoritate ſeu erigenda ſeu reſtauranda: Inter quæ fuit celeberrima illa totius Inſulæ Domus *Benchorenſis* Benedictinæ Familiæ ampliſſima olim gloria, per induſtrium Præſulem è ruinis & buſtis reſuſcitata atque Ciſtercii deinceps legibus gubernata. Memoranda nunc forent glorioſô ſtylô numeroſa illa prodigia, quibus Apoſtolicus Antiſtes coruſcaverit; Verùm quoniam prolixas hujusmodi memorias hæ paginæ non patiuntur, ſatìs ſit Thaumaturgam Malachiæ virtutem Manriquei verbis laudaviſſe, qui ad annum 1139. cap. 9. n. 8. poſtquàm *Henrico* Davidis Scotiæ Regis filio deſperatam vitam & valetudinem, puellæ mutæ loquelam, fœminæ phreneticæ integram incolumitatem per Sancti Antiſtitis preces & merita reſtitutam memoraviſſet, magnifica hæc verba velutì in glorioſum epiphonema *Thaumaturgo* Sancto ſubſcribit: *Sic Malachias velut Sol oriens ex alto, ſuper Principes æquè, & ſuper infimos extendebat radios ſuos, à quorum calore non eſſet, qui ſe abſconderet: Sed pertransibat, Chriſtum repræſentans benefaciendò, & ſanando omnes oppreſſos à morbis, fortè & à diabolo.* Liquet ex his *Angeli* verbis, in plures diffuſa eſſe ſanitatum beneficia per Malachiam, & pauca tantummodò recenſeri in cæterorum indubiam fidem. Aliô locô idem Manriqueus ad eundem quidem Annum 1139. ſed *cap.* ſcilicèt 4. *num.* 9. velutì in compendio infinitas propemodum à Sancto Præſule Hibernis ſuis diſpenſatas gratias ex eo eruit, quòd

In vita S. Malachiæ c. 11.

graſſantem aliquando per omnem Inſulam peſtiferam luem ſuis precibus confeſtim extinxerit, ſequentibus verbis Lectori ingerens beneficii amplitudinem: *ut unum*, ſcribit ille, *Malachiæ* (intellige beneficium aut miraculum) *ſi benè memores, tot illuſtria miracula contineat, quot homines Inſula, quippe alios morti, contagio alios eripiens, cunctos morbo aut exemit, aut liberavit.* Mitto cætera, & ad mortem Viri propero, quam jam tertiùm Claram-Vallem viſitans juxta tot ſua vota in *Commemoratione omnium Fidelium* inter Bernardi amplexus ſanctiſſimè oppetiit, ſorte utique longè feliciſſimâ, quoniam inter ea brachia, quæ Crucifixus Salvator ſuô amplexu & vulnere ſacraverat, nemo malè mori aut poteſt, aut debet. Gloria Malachiæ gratiſſimô eventu toti Claræ-Valli poſtridie innotuit; dum enim Bernardus funebre ſacrificium pro defuncto offerret, hæſit ſubitò attonitus, ac veluti cœlitùs moneretur, mutavit ſtylum Miſſæ, *collectaque pro defunctis* legi ſolitæ ſubſtituit aliam de *Communi Confeſſoris Pontificis*, quâ jam Præſuli Sancto apud Cœlites glorioſo applaudere eſt viſus. In amoris mutui perenne argumentum mutatæ ad invicem veſtes: Malachias ſepultus in tunica Bernardi, qui viciſſim olim erat tumulandus in veſte Malachiæ, quam ſibi pro ſanctiſſima hæreditate piô furtô latenter aſſeruit, eâ per reliquam deinceps vitam ad Miſſarum & Feſtorum duntaxat ſolemnia reverentiſſimè uſurus, gratior utique futurus Numini in eo nuptiali amictu, in quo Antiſtes Sanctus ad divinas in Cœlo nuptias è corpore fuiſſet evocatus. Parentavêre Clara-Vallenſes Divini Viri manibus ritu, quô ſolemus Sanctos ad cœleſtes è terra triumphos proſequi, inter dolores & lachrymas quidem, quòd amicum & Fratrem amiſiſſent, verumtamen etiam inter ſolatia & plauſus, quòd obſidem & Advocatum haberent in eo apud Superos. Bernardus præcipuè in varios animi affectus multâ ſuavitate diviſus, modò plangebat ſublatam ſibi optimam vitæ, animæque ſuæ portionem, modò preſſis & correctis lachrymis in valida gaudia erumpebat, gratulatus ſibi ſuíſque de Præcurſore è Valle ad ſidera, qui clientes poſt ſe currentes nunc & affectuoſiùs vellet, & efficaciùs poſſet attrahere ad participium gloriæ. Atque nè forſan poſteri ignorare poſſent: quàm *Bernardus* dilexerit *Malachiam*, ſumpſit ille dulcē ſuam pennam, ſcripſítque ſanctiſſimi Præſulis *vitam*, quæ hodie cum mille favis inter cætera Doctoris opera ſuperſtat: quod quidem cùm Mellifluus
Scri-

Scriptor in ea amplitudine præter Malachiam, quod ſciam, præſtiterit nemini, indicium eſt, eundem in Bernardi pectore tenuiſſe eximium planè amicitiæ gradum, quem fortè pauci, fortè nullus attigerit. Tumulos utriuſque Sancti Clara-Vallenſes ante *aram Divæ Virginis* conjunxêre, vel in poſthumum dilectionis mutuæ argumentum, quàm nempe fuerint ambo ad invicem *amici uſque ad aras.*

Gentis Hibernæ votis pro *Malachia* ſubrogatus eſt B: ODANUS ſancti Præſulis è Ciſtercio nuper alumnus, ſubinde digniſſimus Ejus in Archi-Epiſcopali *Ardinacenſi* Sede Succeſſor, qui in *Menologio* & *Anno Ciſtercienſi ad diem* 26. *Septembris* inter Beatos Ordinis memoratus, Prædeceſſoris ſui ampliſſimas laudes & merita novis virtutibus illuſtravit, veſtigia eadem premens, quæ ille, ambo digni, qui Ciſtercienſium magiſteriô eruditi didicerint & præeſſe & prodeſſe. *Floruit Anno 1131. & deinceps.*

Transmigrandum nunc eſt ab *Hibernis* ad *Anglos* principémque Angliæ Metropolitanam Sedem, *Cantuariam*, ubi ſuæ etiam Ciſtercio illuſtriſſimæ laudes in quatuor Clariſsimis Viris Ciſtercienſe inſtitutum profeſsis, *Thoma*, *Balduino*, *Edmundo*, *Stephano*, *Archi-Epiſcopis Cantuarienſibus*, *Angliæ Primatibus.* Priores tres brevitate, quà potero, hìc dabo, *Stephanum* ſervaturus memorandum infrà in *Titulo Doctorum.* Primus itáque è Magnis his Viris præſentem titulum ornet S: THOMAS à memorato loco ab univerſa Eccleſia nuncupatus CANTUARIENSIS omnium Orbis Chriſtiani Præſulum vivum, etiam poſt mortem ſpeculum, cruenta pro libertate Eccleſiæ hoſtia: Cujus Mater dum uterum ferret, viſa eſt ſibi felici præſagiô ingenti *flumine* mundum irrigare. Et verò implevit Divina hæc omina per univerſum Orthodoxum Orbem diffuſum Thomæ nomen, martyrium, cultus. Acri ac promptô ingeniô, excelsâque indole magnas in ſcholis, in aulis, in Tribunalibus res feliciter complexus, florentiſsimâ ætate ab *Henrico* Angliæ Rege aſſumptus eſt inter primos Regii lateris atq; Senatûs Adminiſtros *Supremus* Regni *Cancellarius.* Ex hoc gradu facilè fuit Thomæ aſcendere ad digniora, Henricô præſertim Viri maximi honoribus & favente, & ſtudente: quare cum totius Inſulæ plauſu Rex eum ſacris infulis ritu Eccleſiaſticô ornatum ad Thronum *Cantuarienſem* evexit, ALEXANDRO III. Pontifice *Paſſus Annô 1170.*

Maximo non Thomæ modò, verùm & Regi & Regno magnis affectibus gratulante, quòd ampliſſimi honores Viro inter Anglos digniſſimo collati fuiſſent. Et quidem tenuiſſet Thomas clavum absque tempeſtate & naufragio, ſi modò Henricum paſſus eſſet in ſacra jura impunè graſſari. Itaque quamprimùm Immunitas Eccleſiaſtica noxiis legibus per Regem cœpiſſet pulſari, tum vigilantiſſimus Præſul quaſi claſſicô monitus, audaciam animósque ſumit, adversùs infeſtum hoſtem aſsiſtente Clerô Anglicanô præliaturus prælia Domini. Quô factô offenſus Henricus, quòd auderet Thomas Regiis imperiis obſiſtere, ille nimirùm Vir, qui unâ Regis voluntate ac gratiâ poſſet nunc omnia, mutatis affectibus eum in carcerem trahi juſsit, quòd ſperaret, pœnâ Supremi Paſtoris aliorum è Clero inferiorum conſtantiam faciliùs fore debellandam. Verùm Thomas ex ipſo ergaſtulo Numinis ope feliciſsimè elapſus, primò quidem in Gallias, ac ſubinde in Italias ad Alexandrum Pontificem digreſſus, Regias iras, conceptámque vindictam hâc fugâ vel eluſit, vel ſuſpendit. Inſecuti mox per mare per terras Legati Regii, Romanum Pontificem magnis queſtibus contrà Virum Sanctum ſtimulabant; Sed felicior Thomas coràm Purpuratorum Patrum Senatu tantâ energiâ ſuam, afflictæque Eccleſiæ Anglicanæ cauſam propugnavit, ut Alexander ipſe in lachrymas reſolutus, annulum Archi-Epiſcopalem ad Apoſtolicos pedes ſuos à Thoma humillimè depoſitum, digito Ejus unà cum poteſtatis pleniſsimæ ampliſsima confirmatione confeſtim reſtituerit. Romæ ſic triumphantem Thomam non deſiit perſequi Rex, verùm interim ſinè effectu, quoniam conſtitutum extra Inſulam, ſub Pontificia inſuper protectione. In hoc turbido piſcati Ciſtercienſes noſtri ſponte ſuâ jam volentem cœpêre Magnum hunc Virum in ſua retia, qui ab Alexandro *Pontigniacenſibus* in Galliis recommendatus exul Anglus, ſuſceptus eſt ab ijsdem tanquàm DEI Angelus. Atque ut Pontifici Summo olim Ciſtercienſi fieret ſimilior, & Ciſtercienſibus conjunctior, ex *hoſpite* factus *Frater* & domeſticus, magnis utrinque plauſibus inſtitutum noſtrum amplexus eſt, indutúsque per *Guicardum* Abbatem cucullâ ab ipſo Alexandro Papa ad eum finem benedictâ. Ex qua feliciſsima metamorphoſi id nos conſecuti ſumus, ut glorioſiſsimus ille ſangvis, quem Martyr Chriſti tandem eſſet in Anglia profuſurus, etiam in glo-

riam

riam Ciſtercii velutì in domeſticum fontem debuerit redundare. Converſatio ejus inter Religioſæ vitæ Tyrones magiſterii minimè erat indiga, univerſis in *Thoma novitio Magiſtrum* ſuum devenerantibus. Receptus per vota ſolemnia in gremium Ordinis, Ordini univerſo radios effudit per illuſtriſsimas virtutes. Non potuit *Virgo Mater* novum ſuos inter Ciſtercienſes clientem non ſuſcipere in ſua: quæ etiam Thomæ dignata eſt viſibiliter aſsiſtere & ſacratiſsima manuum ſuarum miniſteria commodare, dum ipſe nempè cilicium continuô uſu ac tormentô attritum & defluens clàm reficeret. Modici omninò temporis fuit ſuaviſsima illa & divina prorsùs voluptas, quam Pontigniacenſes hausêre è Sanĉti Præſulis, & novi jam Fratris pretioſa præſentia; Henricus enim Rex ad *Generale Capitulum* Ciſtercii congregatum epiſtolam perſcripſit, in qua per ſeveriſsima imperia Thomam è *Pontigniaco* exturbari voluit, nî id facerent, minatus noſtris apud Anglos exilia atque exitia. Avulſi igitur ab invicem, Sanĉtô Antiſtite ſponte jam ſuâ, tametſi inter profundos ſingultus amiciſsimos Lares & Fratres deſerente, nè ſcilicèt propter ſe Ciſtercienſes ſeu in Gallia, ſeu, quod timendum ampliùs, in Anglia ſiniſtri quidpiam paterentur. Novum Exulis latibulum, *Urbs Senonenſis*, ubi tamdiu delituit, donec rebus inter Clerum & Regem *Alexandri* Papæ, & *Ludovici Franciæ* Regis induſtria utrinque compoſitis, totius Inſulæ humeris (quomodo ferè olim *Romanus Tullius* ab exilio in Italias Urbémque revocatus) inter feſtivas populorum acclamationes in Angliam, Sedémque ſuam Metropolitanam fuiſſet reportatus. Verùm hi ipſi plauſus non alii fuère, quàm ii, quibus Salvator in *die Ramorum* inter lætos turbarum jubilos Jeroſolymas introduĉtus, paucis pòſt diebus in *Golgothæo* vertice feſtum & plauſum clauſit funeſtâ Crucis tragædiâ. Ita planè aĉtum cum Thoma noſtro, qui jam cœlitùs inſtruĉtus de inſtantis martyrii laureola, eas Angliæ acclamationes non ſecùs admiſit, ac quædam glorioſæ mortis ſuæ, quâ pro Chriſti Eccleſia & grege mox eſſet occubiturus, gratiſsima præliminaria. Et ſanè non diu diſtulit Rex, vetus incendium, gliſcens adhuc ſub cinere, novis flammis & ſimultatibus ſufflare, ad quod celeriùs reſtingvendum cùm pro more accurreret Apoſtolicus Antiſtes, eâ re in tantum rursùs exulceravit Regia odia, ut in publica ſæpè lamenta erumpens Rex coràm Aulicis acerbiſsimè quæreretur:

Zzzz Se

Se cum uno Sacerdote in Regno ſuo pacem habere non poſſe. Quâ voce quaſi acceptâ teſſerâ aut imperiô quatuor feroces milites, iíque nobiles, ut mors nempè Martyris eò foret illuſtrior, *Cantuariam* properavêre, Thomámque veſpertinis in Eccleſia horis unà cum ſociis intentum barbarè aggreſsi, inflictis in ſacerrimum verticem non paucis vulneribus ſparsô per pavimentum ſangvine & cerebrô ſacrilegô parricidiô immaniſsimè trucidavêre. Eâ cæde, quam quidem expreſsè non imperaverat, turbatus Rex, ſcandalum & ſcelus inſigni pœnitentiâ ad ſepulchrum invictiſsimi Martyris glorioſiſsimô univerſi Orbis ſpectaculô publicè eluit. Gloria Thomæ paulò antè Martyrium præoſtenſa eſt, *Juveni cuidam* in Anglia prodigiosè ad vitam reſuſcitato, qui ductus per Sanctorum choros in Apoſtolorum collegio Sedem conſpexit vacuam, quam reſervari intellexit *Sacerdoti cuidam Anglo*, ſub eosdem dies ab humanis ad Cœlites transvehendo. In exequiarum ſolemniis, optandô ſæpiùs hodie ſpectaculô, viſi Anglis miſcere ſe *Angeli*, qui circùm defuncti feretrum copioſis agminibus circumfuſi triſtes canentium Religioſorum nœnias hilari feſtivóque concentu gratiſsimè interturbaverunt, ſubſtitutô in locum funebrium officiô ſolemni, quod ſecundùm Romanos ritus decantari ſolet *Sancti* cujuspiam *Martyris* cultui ac venèrationi. Porrò innumera ad tumulum Glorioſi Pontificis prodigia perſuasêre Anglis, ut ab obitu defenſorem ſuum vellent, quem non ſuâ quidem, ſed Regis & Procerum voluntate in vivis adverſarium aliquamdiu habuiſſent. Superioris ſæculi Anno 1538. 11. Julij *Henrici VIII.* Angliæ Regis Apoſtatæ edictô, oſſa Martyris Sancti è loculis effoſſa in flammas cum blasphemijs ſparſa ſacrilegô facinore in cineres abiêre. Verùm, ut quidem mitiſsimâ voce indignum hoc facinus caſtigem, erravit Henricus, & cum Rege totô Cœlô erravit Anglia in poſthumo illo ſanctiſsimi Antiſtitis ſupplicio; non extinxerunt illi per flammas Martyris cultum, ſed illuſtraverunt, Thomâ non tam indignante incendiis, quàm ſortem gentis ſuæ miſerante, quòd *ingrata Patria* jam *nec oſſa ſua haberet.*

Obiit Annô 1193. Altera Sedis Cantuarienſis è Ciſtercio gloria fuit B: BALDUINUS, qui per diverſa munia ad ſupremum illum dignitatis Eccleſiaſticæ in Anglia gradum aſcendit, primò quidem Archi-

Dia-

Diaconus *Oxonienſis*, inde Ciſtercienſis in *Fordenſi* Cœnobio, mox Abbas, porrò Epiſcopus *Wigornienſis*, ac tandem totius Angliæ *Primas*. Sola virtus fuit, ac virtuti juncta inſignis doctrina, quæ Balduinum cæteroquin locô humili natum ad tanta faſtigia evexerint. Pungebat Anglorum, Hibernorúmque mavortia pectora *Paleſtinæ* calamitas ſub id tempus novis injuriis & malis à Saracenis afflictæ. In cujus ſubſidium deſiderati ex Europa Chriſtiani vindices, qui oppreſſam Crucifixi Servatoris hæreditatem fortiſſimè propugnarent. Balduinus igitur apud ſuos populares belli Sacri Dux & tuba conſtitutus, collectô validô Exercitu cum Britannis ducibus in *Syriam* trajecit, in militari ſuo labaro ſecum vehens expreſſam glorioſiſſimi Martyris Divi *Thomæ Cantuarienſis* Anteceſſoris ſui effigiem ſimul & opem. Nec ſatìs Viro & Duci Apoſtolico per aliorum ſtipendia præliantem Chriſtianum militem ſolis adhortationibus animare in Saracenos, inſuper in augmentum cruciati Exercitûs è propriis facultatibus *quingentos* aluit pro Palæſtinæ vindiciis fortiſſimos Athletas. Magnas de Balduino ſpes ſub ipſa victoriarum primordia abſtulit una & inviſa mors, quæ *Virum Heroëm* (ſic Balduinum compellat *Angelus* ad Annum 1190. *cap.* 3. num. 5.) in ipſo belli invaleſcentis fervore extinxit, fatô quidem pretiosô, quia inter Eccleſiæ obſequia longè gratiſſima; ſed noſtris admodum luctuosô, qui in præſente Balduino animum, vires, victorias, & quid non? habuiſſent. Ultimâ Sancti Præſulis voluntate omne æs reliquum per Comitem *Sarisburienſem* diſperſum fuit in uſus *Sacræ Militiæ*, inde ab univerſo Exercitu novis encomiis celebratæ Balduini laudes ac memoriæ, qui neque poſt mortem quieſcere vellet à beneficiis. Numero ego hoc inter Ciſtercii glorioſa elogia, quòd nempe Viros Eccleſiæ militanti dederit, qui non *ſolô ore*, ſed quod amplius, & militi longè gratius, etiam *largô ære* Exercitûs Chriſtiani progreſſus quàm feliciſſimè promoverint. Henriqueus in *Phœnice. part.* 1. *cap.* 5. & Manriqueus in *Annalibus ad* Annum 1190. *cap.* 3. præter Monaſticas, paſtorales, & militares Balduini virtutes etiam eximiè laudant in clariſſimo hoc Viro doctrinam, recenſéntque *Tractatus* & *Volumina* non modica, quæ ex fœcundo ſuo ingenio in Orbis literarii ſummum ſplendorem ac decus profuderit. Quare in Sanctiſſimi & Doctiſſimi Præſulis laudibus poni præcipuè id debet, quòd tam diſparata munia tantâ perfectione in ſe uno com-

complexus ſit, & Monachis *Abbatem*, & Anglis *Præſulem*, & militibus *Ducem*, & Scholis ſeſe exhibens eximium *Scriptorem* ac Magiſtrum.

Obiit Annô 124r. Laudandus nunc inter mille, & Divina propè elogia DIVUS EDMUNDUS & ipſe Archi-Epiſcopus Eccleſiæ *Cantuarienſis*. Seu nive, ſeu lacte, (& ſi quid nive lactéque candidius eſt puriúsq;) hoc *Edmundi* nomen ſcribant puriſſimi illi Cœlitum Aligeri; in ipſo namque hoc vocabulo puritas fulget, candidiſſimis, & non alijs pingenda coloribus. Angelicâ morum innocentiâ Patriam ſuam novô nomine aut *Angliam* fecit, aut firmavit. In ipſis vitæ primordiis antiquavit in ſe communem naſcendi conditionem ex materno utero tantâ *munditie* in mundum egreſſus, ut *Mabilia* Sanctiſſimi pueruli optima Mater eô præſagiô velutì admonita, infantem in ſacro lavacro non aliter nuncupari paſſa ſit, quàm *Edmundum*. Ijs auſpiciis reliquæ *Angelici* pueri vitæ pulcherrimè præluſit ſeu natura, ſeu gratia, ſeu fortè utraque. Creſcente ætate ſolicita Mater, ut & ſibi & Superis ſervaret *Edmundum* ſinè ſorde, ſinè contagio, à teneris mox annis jejunium & cilicium filio præſcripſit, quibus carnis fomenta in tempore, & velutì in virenti herba extingueret. Et ſervavit ille has Matris leges quoad vixit, fortiori inſuper ætate rigorem auxit, aſperrimô cilicii genere continuò uſus, quod quidem depoſuit nunquam, mutavit rarò, cœlô interim per perenne prodigium approbante Edmundi auſteritatem, quòd è continuo illo veſtis cilicinæ uſu nullæ omninò vermium immunditiæ ſubnaſcerentur. Addidit puritati ſuæ adoleſcens caſtiſſimus præſidium alterum longè felicius, cùm ſub *Divinæ Puerperæ* tutela innocentiam ſuam conſtituit, geminô annulô ſe Virgini, & Virginem ſibi æviternùm obſtringens, quorum alterum ſuo, alterum, ferentem pro gemma Angelici Internuncii verba, *Ave MARIA*, digito *ſtatuæ* Divæ Parentis inſeruit, per ea annulorum fœdera aliquid dulcius à Virgine expectans, quàm ſola aut Matris aut Advocatæ Officia: inſuper nempe tenerrimis affectibus eandem ſibi in Sponſam, & pudicitiæ ſuæ unicam & maximam poſt auxiliatrices Numinis gratias Præſidem & cuſtodem elegit: expertus deinceps ſemper, quàm fidam è Cœlo & Matrem & Sponſam in ſua & ſubſidia & ſolatia eâ electione evocârit; illa enim Edmundo ſuo utì perhibet *Surius* 16. *Novembris*

briscap. 1. (quotiescunque implorata *in tentatione exitum*, *in perſecutione ſolatium*, *in afflictione remedium*, *in dolore gaudium celeriter impetravit.* Pleniùs hoc amabile cum Virgine pactum *Edmundus* ipſe aperuit morti & bravio jam vicinus, caſtitatem nimirùm illibatam à ſe tumulo nunc inferendam omninò debere ſe Virgini, Matri, Sponſæ ſuæ, quæ non paſſa ſit, violari angelicum illum florem, ſub ſuis auſpiciis tantis olim affectibus collocatum. Imò adjunxit, utì refert *Arsfeldius* Scriptor Anglus *ſæculo* 16. *cap.* 7. *in Summis rerum ſuarum difficultatibus atque anguſtiis*, cùm primùm confugiſſet ad Divam, expertum ſe quàm feliciſſimè fuiſſe *præſentem & admirabilem Virginis opem.* Stetiſſe igitur utramque partem pactis ſuis, conſtat ex eventu: & quidem Edmundus cum illo ipſo annulo, quô olim (cùm adhuc Grammaticis ſtudiis *Oxonii* occuparetur) Divinam Parentem ſibi per caſtiſſima fœdera colligaverat, tandem etiam tumulatus eſt, vel in mortuo corpore Virgini exhibiturus priſtinos amores ac fidem, redditurúsque Auguſtæ Servatrici in illa immortali arrha promeritas gratias. Hæc apud Matrem Virginem meritus Angelicus adoleſcens: non minora apud *Virginis Filium*, qui Edmundo aliquando cum Sodalibus per campos deambulanti, atque è cumulo cæterorum ob minùs cauta eorundem colloquia ex induſtria ſe ad liberiorem auram ſubducenti in forma ſpecioſiſſimi pueri factus obviam, eundem in hæc verba dulciſsimè ſalutavit: *Salve dilecte mi!* Hæſit Edmundus ad hæc ſalutationis obſequia, necdum dignoſcens, quâ ratione ſibi ea à ſuaviſsimo puero impenderentur, quem ſe antehac vidiſſe non meminiſſet. Tum parvulus Salvator: Et quomodo tibi ignotus ſim mi Edmunde, cùm lateri tuo aſsiduus adhæream, præſertim cùm in Scholis inter Sodales aſsides! Reſpice in hanc frontem tam tibi, quod ſcio, charam, & plenô lumine vultum hunc intuere, agnoſces procul dubio dilecti eſſe vocem, quæ te ſalutat. Levavit ille modeſtiſsimas pupillas, & inſpexit cum intima animi voluptate Diviniſsimi pueri pulcherrima ora, legítque in fronte cœleſti manu inſculptos olim Cruci characteres: I. N. R. I. Subjunxit jam agnitus *Salvator*, hoc eſt nomen meum, hic meus ille glorioſus in Crucis Throno titulus: Geres tu dignè dilecti nomen, quô te nunc compellavi, ſi hunc ipſum *titulum* animo, frontíque tuæ frequentiùs, ſub nocturnam præcipuè quietem impreſſeris. Et erit pro hac re merces tua hæc magna, quòd ſignaculis

iſtis munies frontem vitámque tuam adversùs repentinam mortem. Atque hoc habeat Orbis Chriſtianus per te, mi Dilecte, beneficium, quòd quicunque tuô exemplô nomen titulúmque hunc glorioſum frontibus ſuis honori meo, inſcripſerint, præſidio ſint illis futuri ſacerrimi hi characteres, nè ſubitanea mors illos imparatos ad æternitatem abripiat. Hæc fatus Divinus Puer momentô diſparuit, Edmundô tenerrimis gaudiis gratulante felicitati ſuæ, quòd ad tam Sanctam tam Divinam *JESU Societatem* tam amanter eſſet admiſſus, tam ultrò aſſumptus. Quantus porrò olim foret EDMUNDUS, divina viſio Matrem inſtruxit, cùm nempè conſpexit Filium coronâ ſpineâ redimitum, è qua cœleſtes flammulæ & fulgores egreſſi aſcendebant ad ſidera, ſeséque ſimilitudine luminum aſtris miſcebant. Scilicèt ſolis ſpinis, non roſis vehemens ineſt illa vis, quâ mortales ima hæc ſupergreſſi Superis jungimur, æmulæ Cœli faces. Abſolutis ſubinde *Oxonii* cum ingenti fructu ac laude literarum ſtudiis *Pariſios* petiit, Galliarum Sorbonæ daturus pretium ac decus, ubi nempe celeritate ac felicitate ingenii Angelicas æmulatus Intelligentias *Doctor Sorbonicus* creatur, communíque Eruditorum omnium applauſu ad publicam cathedram evehitur Vir & Profeſſor planè *Angelicus* ſive Patriam ſpectes, ſive doctrinam, futurus haud dubiè *Angelici Aquinatis* in ſcientiis, ſententiis, virtutibus ſuaviſſimus æmulus, ſi eadem mundi ætas junxiſſet ambos. Placuerant ſub prima Cathedræ initia Edmundo magìs ſtudia *Philoſophica*, & præcipuè Matheſeos ac Geometriæ, quare per integrum *ſexennium* eas diſciplinas profeſſus minùs afficiebatur cæteris. At verò Mater jam ad Superos recepta eas filii occupationes minùs probabat, quæ monuit Edmundum in ſomnis, ut miſſis illis Geometricis figuris, per quas ſolæ terreſtres ideæ animum Divinitatis capacem implerent, atque in partes diſtraherent; Digniora & altiora ſaperet: expreſsítque in charta triplex lineamentum in formam *trianguli*, vulgarem nempè Diviniſſimæ Triados imaginem, additô in hæc verba ſeu monitô, ſeu imperiô: *Hisce deinceps figuris, fili mi, intentus eſto, omiſſis iſtis, quibus te occupas.* Quæ ille Matris cœleſtia oracula mox ſecutus *Theologiam* magnis diſcipulorum plauſibus prælegit. Pollebat Vir Divinus eâ dicendi ſuavitate atque acrimoniâ, ut nemo ex Auditoribus diſcederet ſinè ſacris incendiis, quibus omnes ad

pro-

proſequendas cœleſtes ſemitas incitabantur. In hujus rei perſpicuum argumentum evenit illud, quòd *ſeptem* aliquando *diſcipulos* conſpexerit velutì fulgentiſſimas ſtellas è Scholis egredi, qui poſtridie unô propoſitô *Ciſtercienſem* Ordinem, illuſtre illud ac plenum tot ſideribus Cœlum ſunt ingreſſi, præcurſores nempè Phosphori ſubſecuturi aliquando Solis Edmundi. Pervolabant Viri eximii celeberrimæ laudes Orbem Orthodoxum, ſimul etiam ad *Gregorium IX.* perlatæ permovêre Pontificem, ut Apoſtolico huic Doctori prædicationem Crucis (munus Viris Summis conferri tunc ſolitum) motu proprio injunxerit. Confluxus Gentium omnium Occidentalium ad Sanctum ingens, præcipuè domeſticæ Angliæ, ex qua ſola Anno 1227. ad vocem tubæ Edmundi congregata *ſexaginta ampliùs millia* perhibet *Bzovius cit.* apud *Manriquеum ad hunc annum cap. 2. n. 9.* Ineat nunc Lector computum, trahátque in calculum, non unam duntaxat Angliam, quomodo Bzovius; verùm tot illuſtres Occidentis populos, & deprehendet, quàm numeroſa agmina adversùs infideles Cruce armârit unus Apoſtolicus Vir Edmundus. Juxta ſtylum Divinæ Curiæ intermixta ubique prædicationi prodigia, per quæ novô argumentô factus Edmundus omnibus venerabilis. Quin imò, uti ex *Surio*, *Sigonio*, aliíſque Scriptoribus refert *Manriquеus* ad Annum 1227. c. 2. n. 9. Salvator ipſe aliquando in Vigilia Divi Joannis Baptiſtæ crucigeris turbis inter Divinos ſplendores apparuit è Cruce pendulus, perfoſſus lanceâ, & multô vulnere, ſangvinéque madens, eò ſimulachrô velutì innuens, placere ſibi eos Viri Zelotis pro gloria Crucis labores, fideliúmque pro Palæſtinæ ſubſidio flagrantiſſima ſtudia. Per hæc ſacerrimus & clariſſimus Orator præparabatur Anglicanis apud *Cantuarium* infulis, quibus Gregorii Pontificis præſertim auſpiciis ornatus Thronum Archi-Epiſcopalem, invitus quidem, & per ea Angliæ vota inſigniter offenſus, digniſſimè conſcendit, amotis priùs per Gregorium Papam tribus è celeberrima Cathedra, qui illuſtriſſimos eos honores immeriti uſurpaverant. In tam ſublimi Sedis Archi-Epiſcopalis faſtigiò non ſedit Edmundus, ſed ſtetit, pro libertate ſcilicèt Eccleſiaſtica, quam Rex cum Aulæ Proceribus, peſſimô utique hæreſum ſenſim ſuccreſcentium præſagiô, eâ tempeſtate novis rursùm machinis impugnabat. Et quoniam Divina magìs quàm humana imperia metueret Optimus

mus Præſul, Regias iras fugere compulſus, incruentus pro Eccleſia Martyr, ad *Pontigniacenſe* Ciſtercienſium in Gallia Cœnobium, felix jam antehac Cantuarienſium Archi-Præſulum *Thomæ* & *Stephani* aſylum, ad cumulatiſſima noſtrorum ſolatia hoſpes gratiſſimus appulit, ubi novitiô velutì fervore veterana merita in immenſum cumulaturus Vir tantus ex tanto, primò quidem humilis inter noſtros *Novitius*, atque ſubinde Tyrociniô religiosô plenè abſolutô, *Monachus* effectus, dulcius omninò apud Ciſtercienſes habuit exilium, quàm nuper Angliam Patriam ſuam. Evolutis porrò aliquot annis geminô exiliô per ſanctiſſimum obitum abſolutus evolavit in libertatem filiorum DEI. Sacræ Ejus exuviæ è *Solciaco* (in quo Cœnobio aliquamdiu ob afflictam valetudinem aëris mutandi gratiâ commoratus, ibidem pretioſam animam exhalavit) *Pontigniacum* ſolemni cultu mille inter prodigia reportatæ, quartô jam ſæculô perſtant ab omni contagio *incorruptæ*, irrefragabili utique teſtimoniô, quàm Edmundus etiam extra Angliam Patronymici ſui nominis menſuram ac rationem vel in ipſis tumuli anguſtiis implêſſet, dignus planè eorundem in cœlis conſortiô, qui quod natura negavit, virtute ſupplevit.

Luſtranda hìc etiam *Gallia* eſt, præcipuéque *Biturica* Urbs apud illam Gentem illuſtris: in cujus Archi-Epiſcopali Throno gemini ſedêre ſanctiſſimi Præſules HENRICUS & GUILLELMUS, ambo è Ciſtercienſium gremio aſſumpti. Utrique dandæ laudes copiosæ ſimul ac pretioſæ: quanquam hôc locô non eâ amplitudine, prout ambo hi Viri *Regia progenie*, & Apoſtolicô
Obiit Annô zelô conſpicui mererentur. Igitur B: HENRICUS dictus de
1200. *Soliaco*, Princeps BORBONIUS, Regum Franciæ & Angliæ *Conſangvineus*, in Monaſterio Regii-Loci Ciſtercienſium vexillis adſcriptus eſt, ingenti Ordinis univerſi prærogativâ, quòd Sereniſſima *Borbonia Domus* priùs dederit Ciſtercio *Sanctos*, quàm Galliis *Reges*, ſimúlque gloriosô præſagiô, quàm olim è Borbonia Gente Coronati Vertices ultrò volent benè aut favere, aut facere ſacerrimæ noſtræ Familiæ, quæ *Borbonium Principem* ſuſcepiſſet in Fratrem. Non paſſus eſt diu *Regius-Locus* Henricum latere ac ſubeſſe, ſed eum communibus omnium ſuffragiis evocavit ad Domûs præfecturam: è quo ille gradu aliquantò pòſt ad faſtigium Sedis Archi-Epiſcopalis à *Biturigibus* evectus eſt, meritus ſcilicèt honores, antequam adeptus, gratulante ſibi plurimùm Bituri-

turicâ, quòd Præſulem elegiſſet, qui & ſangvine Regi, & virtute DEO tam eſſet propinquus. Alebat tunc Gallia monſtrum, fœdam *Catarellorum* hæreſim; at felici prorsùs fatô in *Henricum* incidit, cujus zelô atque armatâ induſtriâ peſtis illa extincta eſt. Dum enim contumaciâ, vitiô hæreticis congenitô piis Archi-Præſulis monitis ferox ac petulans turba indigniſſimè obſiſteret, deſperatis mitioribus remediis, eâ temeritate exaſperatus Optimus Antiſtes, immiſsô in contumaces Exercitu vindice ferrô ingentem ſtragem edidit, trucidatis *Catarellorum ſeptem millibus.* Reliquiæ aut diſperſæ, aut ad frugem reverſæ ſunt. Coronavit inſignem hanc Præſulis Clariſſimi victoriam *Urbanus III. Purpurâ Cardinalitiâ*, cui Henricus meritorum ſuorum magnitudine novos ſplendores addidit, dum admirabili quâdam felicitate ac prudentiâ implicatiſſima inter Principes diſſidia, ferrô alioquin terminanda & præliis, ipſe ſolus ſinè ſangvine, ſinè cæde, ſolâ lingvâ, ſolô verbô inter Gentium plauſus quàm feliciſſimè componeret. Migraturus tandem è corpore rediit ad ſuos *Regii-Loci* Ciſtercienſes, ſecurior haud dubiè abiturus in *Corona Fratrum* ad *Coronam Cœlitum.*

Altera Bituricæ & Ciſtercii gloria S: GUILLELMUS è Familia Comitum NIVERNENSIUM oriundus, quæ illuſtriſſima Domus ad *Regias Cunas* veluti ad fontem primordia ſua refert: quam tam ille ſangvinis prærogativam uni tandem Ciſtercio generoſiſsimè poſthabuit. Trahebant in primis ſtatim annis adoleſcentem clariſsimum ad ſpes ampliſsimarum Infularum Eccleſiæ *Sueſſionenſis* ac *Pariſienſis*, ornatum titulô *Canonici* in utroque loco: quos honores ille quidem admiſit, verùm non diu tenuit, paulò pòſt, cùm ſua omnia in pauperes erogâſſet, amplexus Inſtitutum *Grandi-montenſe*: inde ad majora totis præcordiis anhelans in *Pontigniacum*, laudatam hucusque ſæpè Ciſtercii Domum digreſſus, de Communi aſſenſu Fratrum aſſumptus eſt cum omnium plauſu in *Priorem*, inaugurandus mox in *Abbatem Fontis-Joannis*, ac ſubinde etiam *Caliſii* ſive Caroli-Loci, ſingula hæc munia implevit ſanctimoniæ ſuæ famâ. *Manriquens* ad annum 1186. cap. 3. n. 1. glorioſa hæc verba in laudibus Guillelmi ſcribit: *egregius ille poſt Bernardum Parentem Ciſtercii Sol, Magnus Guillelmus, quem paulò pòſt Bituriges Paſtorem, Aquitani Primatem, demum Galli inſigne*

Obiit Annô 1209.

Sui Regni ornamentum præſtolabantur. Videat Lector, quanti à magno Manrique fiat Guillelmus, *Bernardo*, Ciſtercii, imò Eccleſiæ univerſæ *Soli* Suppar, & Sol parallelus: quô clariſsimô elogiô nihil illuſtrius potuit ſcribere de Guillelmo Angeli calamus. Annô igitur ſæculari 1200. feſtivâ Cleri acclamatione ſalutatus eſt *Biturigum* Magnus Præſul Guillelmus, Divinô planè nutu ac inſpiratione, qui Ciſtercii humilitatem cum tanto faſtigio eâ arte conjunxit, ut celſitudo muneris nîl obeſſet Monachatui, neque profeſsio Monaſtica aliquid officeret ſublimitati Epiſcopali. Refulsêre in Viro ſanctiſsimo ſuaviſsimâ ſocietate virtutes univerſæ, illæ præſertim, quæ aut ad officium Paſtorale pertinent, aut ad perfectionem clauſtralem. Summis & imis factus omnia, utrúmque amores meritus, & applauſus, Orbe universô feliciſsimam proclamante gentem, quæ ſub tanti Antiſtitis gubernaculo conſtituta, fauſta omnia & ſperare poſſet & experiri. Vexabat immodicè eâ tempeſtate *Albigenſium* contumacia Franciæ populos, quibus retundendis, ſupplantandísque ab INNOCENTIO III. per Epiſtolam juſſus ſe accingere & ſpiritu, & ferrô Guillelmus, Cruciatam Expeditionem fauſtis progreſsibus per Gallias promovebat: Et currebant ad vocem Apoſtolici Prædicatoris magnô numerô Viri ad Chriſtiana caſtra, ſumpturi Crucem adversùs Eccleſiæ hoſtes, ſtabátque ad imperia *Guillelmi* numeroſus Exercitus, ſigna jamjam in adverſas acies plenis agminibus moturus, cùm ecce! gravis invaletudo, ac ſecuta paulò pòſt Viri ſanctiſſimi mors ingentes ſpes & victorias unius Ducis fatô ſufflaminavêre. Quanquam nè quidem poſt mortem à Guillelmo ceſſatum ſit, quò minùs contumaces æmulos, ſuppetiis vel è cœlo auſpicatiſsimè allatis, triumpharet: quod quidem refert *Angelus* ad annum 1209. cap. 1. n. 5. & iterum infrà cap. 3. num. 10. Viſos nimirùm in expugnatione *Urbis Biturrenſis* numeroſos *Angelos* ſignatos crucibus, quos antegreſſus *Guillelmus noſter* velutì Dux, imperiô urgebat promptos obſequi in Numinis rebelles, eô videlicèt proſperô eventu, ut Cœlitum adjutoriô, & militum ferrô unâ die *ſeptem millia* ex Albigenſibus occubuerint, captáque ſit atque incenſa Urbs, hoſtium eouſque validum ac tutum receptaculum. Ita nempè magnus hic Antiſtes homines, Angelósque in hæreſim armavit, & hominum Dux, & quod mireris ampliùs, Angelorum. Revertendum nunc eſt

eſt è prælíis & triumphis ad Sancti funus, quod pariter non ſinè cœleſtibus auſpiciis celebratum fuit; illâ ipsâ namque nocte, quâ Guillelmus propriô niſu humi in cilicio & cinere proſtratus è carne ad Superos abiit. Succendit cœlum ingentem globum igneum ſuſpenſum magnâ claritate ſuprà Baſilicam, in qua Sancto Præſuli tumulus parabatur; zeli Apoſtolici, & gloriæ ejus publicum ſignaculum. Sacræ reliquiæ per triduum ad fidelium ſolatia expoſitæ innumeris claruêre miraculis, ità ut ſolô earundem contactu morbi fugerent cæteroquin deſperati. Quot prodigia, tot nempè ſanctitatis ejus glorioſa & Divina trophæa!

Taceri hic vix poteſt, licèt jam alibi in geminis titulis, *ſecundo* nimirùm & *undecimo* bis laudatus B: ARNALDUS *Narbonenſium* apud Gallos Archi-Præſul, quoniam tantus eſt Vir iſte, ut per plures titulos ſparſæ ejus laudes exhauriri tamen non valeant. Repetemus igitur hôc locô Viri nomen, & recitabimus novas quasdam Magni Antiſtitis prærogativas, quæ Lectorem & doceant, &, ſi Ciſtercio is faveat, etiam delectent. Sortitus eſt *Arnaldus* natales clariſſimos è *Ducibus Narbonæ*, quos progenitores habuit. Ciſtercii eâ ætate florentiſſima ſanctitas nobiliſſimo adoleſcenti præ ſæculo, & illuſtribus cunis longè ampliùs placuit: quare neglectô mundô Ciſtercium amplexus, primò *Populeti*, ac ſubinde *Grandis-Sylvæ* inſtitutus eſt Abbas: porrò quoniam utrobique Abbatis munere præclarè functus eſſet, evocatus eſt à Patribus Ciſtercium ad gerendum clavum univerſæ Congregationis, inde tandem à *Narbonenſibus* aſſumptus in Summum Urbis Præſulem omnes egregii Paſtoris numeros glorioſiſſimè implevit. Fuit ille è mille dignus, ſub cujus nomine & auſpiciis INNOCENTIUS III. Pontifex Maximus ad poſterorum admirationem *Sermones* à ſe *elucubratos* inclinatâ faſtigii Pontificalis Majeſtate evulgaverit. Dedicatoriam Suam epiſtolam ad Arnaldum claudit híſce Innocentius: *quosdam Sermones devotioni tuæ ſtudui deſtinare, rogans & obſecrans in Chriſto JESU, quatenùs in orationibus tuis apud Juſtiſſimum Judicem & pijſſimum Patrem me reddas ſpiritualiter commendatum.* Ab eodem Pontifice contrà Albigenſium errores atque audaciam deſignatus *Legatus Apoſtolicus inter primos* è Ciſtercio ſocios fuit, per quos celeberrimum Sacræ Inquiſitionis Tribunal primò quidem in Galliis, ac ſubinde etiam in aliis Romani Orbis

Obiit Anno 1225.

provinciis feliciſſimis auſpiciis ſurrexerit. Sacri belli Dux omnium voluntate acclamatus Arnaldus zelô, ferrô, igne in contumaces graſſatus terrore ingenti Heterodoxos perculit, fregítque nè venena latiùs diffunderent. Inter cæteros illuſtres Chriſtiani Orbis Principes, quos cruce ſignaverat Apoſtolicus Antiſtes, etiam fuit *Leopoldus Dux Auſtriæ* minas ſpirans & funera in Chriſti & Sponſæ Eccleſiæ hoſtes. Ex Innocentii juſſu *duodecim Abbates* Ciſtercienſes in partem ſolicitudinis evocavit novi Tribunalis illuſtres ſocios, quorum conſiliô atque induſtriâ res univerſæ in Sacra Expeditione agerentur. Acceſſit ampliſſimo atque Apoſtolico huic Senatui, Hiſpaniæ, imò Eccleſiæ glorioſus Splendor *Divus Dominicus*, qui inter *Inquiſitores Ciſtercienſes* aſſumptus, prima in hæreſes arma unà cum ſacerrima Familia ſua accepit à Ciſtercio. Arnaldus tandem poſt celebrata ſeptem, quibus præſedit, Concilia Nationalia, triumphatos ſæpè Albigenſes, Chriſtianos Principes ac Sacros Præſules pace ac fœdere ſociatos, & res quasque maximas cum plauſu geſtas, poſt quinque pariter ad Regias Europæ Aulas Pontificis Romani imperiô atque authoritate habitas legationes ad Superos glorioſiſſimè emigravit. Influunt hìc in calamum ſuâ ſponte magna de Arnaldo pangere cupientem, elogia Manriquei, quæ pro gloria Clariſſimi Præſulis recitat ad annum 1225. cap. 3. n. 7. ubi hæc: *Hôc ipsô annô ad Superos migrâſſe dicitur Magnum illud Ciſtercii, Eccleſiæque lumen, & columen, fidei columna, hæreticorum malleus, glorioſos ſemper de eis triumphos reportans. - - - qui Eccleſiæ, quamdiu vixit, ſemper pro muro fuit.* Nil addendum magnis his laudibus, niſi plauſus, quos promat mecum plenô pectore benevolus Lector olim in terris, nunc inter Cœlites Triumphatori Arnaldo.

Obiit Annô 1231. Et Toloſa Galliarum illuſtris Urbs felix & glorioſa in B: FULCONE, qui ex *Floreffia* Ciſtercii domo ad eas infulas translatus in Manriquei Annalibus frequens eſt inter labores ſimul & elogia, ex quorum utrorumque magnitudine Virum egregium Lector fuſiùs nôſſe poterit. Rerum ingentium ſynopſim compilavit *Angelus* honori ac reverentiæ *Fulconis* ſui ad annum 1205. cap. 3. n. 9. ubi hæc ille: *Sinè quo* (Fulcone nempè) *in tota hiſtoria Albigenſium, & quod magìs eſt, neque in tota fundatione illuſtriſſimæ Familiæ Dominicanæ vix quicquam factum: quem Innocentius, quem Cardinales omnes, quem*

quem univerſa Gallia, Italiáque eximiè coluerint. Quantæ, amabò, hìc laudes in modicis lineis? Excelluit cùm adhuc verſaretur in ſæculo, *ſtudiis Poëticis*, nũncupatus à *Maſſonio*, quem citat Manriqueus locô prælibatô, *Poëta ingenioſiſſimus.* Sed has ille ingenii delicias contempſit, cùm ad ſeria & Divina totô animô reſpexit. Miſsis itaque Muſis ac metris habitum Monaſticum inter Ciſtercienſes aſſumpſit, à quibus aliquantò evocatus ad præfecturam *Floreffienſem*, inde ex Abbate acclamatus Archi-Præſul *Toloſanus* perditiſsimis temporibus, cùm nimirùm Albigenſes per Franciam furerent, afflictæ Eccleſiæ cœlitùs datus eſt ſuccollator Atlas, qui adversùs hæreſes præſeferret *Auguſtini* zelum, *Athanaſij* conſtantiam, haud diſparibus auſpiciis Albigenſes triumphaturus, quibus nempè olim *Auguſtinus* Manichæos, *Athanaſius* Arrianos triumphaverant. Et verò ſe exhibuit Fulco in opere Apoſtolico, qualem eum deprædicavit *Jacobus de Vitriaco* Cardinalis, illô ſæculô Vir præcipuus, videlicèt *totius Eccleſiæ Chriſti columnam fortem*, præſertim contra *Raymundum* Comitem Toloſanum, qui hæreticorum Fautor iniquis modis divexans Eccleſiam, Fulconis paſtorale ac vigilans pectus multò vulnere conſauciavit. Sed tulit omnia tela Divinus Paſtor pectore animóque invictô, ipsáque vitæ diſcrimina, ac mortis minas à Comite ſibi incuſſas magnanimis verbis ampliùs adhuc laceſsivit: *Veniat*, inquit, *ſi audet, paratus ſum excipere gladium, ut pertingam ad Majeſtatem per calicem paſſionis. Veniat Tyrannus ſtipatus militibus, & armatus, ſolum me reperiet, & inermem: attendo bravium: non timebo, quid faciat mihi homo.* Videat Lector, alterum in Fulcone *Ignatium Martyrem*, provocantem lenta fata, & porrectô jugulô præſtolantem felices enſes, qui ſalientem jam in venis ſangvinem pro Chriſti confeſsione ac gloria feſtinatô tormentô effunderent. Non tamen coronata hæc optimi Præſulis vota optatis effectibus atque laureolis, eò quòd *Fulco* adhuc populo perneceſſarius arduis deinceps pro gregis ſalute deberet fungi laboribus. Ruente ſubinde in pejus *Raymundo* Comite, cùm videret fruſtrari Apoſtolicos conatus ſuos, Salvatoris regulam ſecutus, excuſsô pedum pulvere à Toloſatibus digreſſus, ſpontaneum in ſe ſuſcepit exilium apud *Brabantinos*, ubi à Diva *Lutgarde*, S. Maria *Ægniacenſi*, aliísque illuſtribus Ciſtercii Virginibus, ſimul etiam à laudato Cardinali *de Vitriaco* in intimam admiſſus familiaritatem, exilii calamitatem eâ felici-

cit. apud Manriq. ad ann. 1211. c. 3. n. 2.

Ex Vallſarnienſi c. 52.

Ccccc tate

tate magna ex parte mitigavit. Acceptis porrò novis ab *Innocentio* imperijs cum *Guidone Carcaſſonenſi*, & ipſo aſſumpto è Ciſtercio ad Gallias regreſſus ſignavit cruce *Ludovicum* Regis Franciæ filium, ſimúlque æmulatione Regii Principis alios illuſtres Viros atque adoleſcentes magnô numerô. Compoſitis tandem rebus cum Toloſatibus Cathedræ reſtitutus Apoſtolici muneris gloriam novis laboribus coronaturus aſsiduus fuit & efficax in provehendis felicibus primordiis Sacerrimi Ordinis *Prædicatorum*, in qua re pro dignitate ampliùs memoranda nos infrà ſpeciali titulo erimus paulò prolixiores. De columba nivea, quæ ſacrificantis Fulconis labiis ſacratiſsimam Euchariſtiam impoſuit, dictum eſt jam in Superioribus, *titulô* 8. Abſolvendæ laudes & nomen Viri inter Ciſtercii Præſules verè Eximii per Manriquei verba ad Annum 1231. cap. 5. num. 2. fuiſſe nimirùm Fulconem *Catholicis amabilem*, *hæreticis terribilem*, *Tyrannis reverendum*.

Mitto cæteros, id duntaxat Lectorem admoneo, illuſtriſsimos hos Archi-Præſules per tantos pro vindicanda Chriſti Eccleſia exantlatos labores primas omninò Sedes & laudes inter Viros Apoſtolicos mereri, qui absque controverſia digniſsimi ſint, quibus jam in Superioribus *titulum undecimum* ornaviſſem; Verùm nè in unum cumulum congeſti ſinguli amplitudine ſuâ ac numerô unius Tituli brevitatem exuperarent, diviſi hos Viros, præcipuè qui inſulis illuſtres peculiares memorias videbantur ſibi exigere, quos tamen ità hìc laudavi, ut præterea etiam ad Virorum Apoſtolicorum Divinam Societatem pleniſsimè pertineant. Quæ res in opuſculò hoc non infrequens, ut nempè Tituli ſe invicem reſpiciant, quódque in uno ex induſtria aliquando prætermiſſum eſt, ex altero peti debeat. Id præcipuè factum cum *Viris Apoſtolicis*, qui omnes unâ duntaxat ſerie abſolvi commodè & dignè non poterant: adeóque ſparſim eorum nomina & elogia in aliis materiis occurrent; ut profectò Benevolus Lector inter primas Ciſtercii laudes computare id velit, quòd Viri, qui juratis votis in clauſtrorum & ſolitudinum felices latebras ſeſe abdiderant, Pontificum imperiis, imò nutibus in media mundi diſturbia, arma, prælia tantis animis convolaverint, ut poſteritas vix creditura ſit, Monachos è Ciſtercio fuiſſe qui ea auſi ſint. Fateor, eadem hæc me inſinuâſſe in *citati Tituli unde-*

undecimi primo limine: atque ſi hæc repetitio per aliquos fortè peccatum ſit, gloria mea hæc, me ſic peccare potuiſſe, ex quo Orbis Chriſtianus, & præſertim Viri, qui hodie ex aliis gremiis glorioſô hôc opere occupantur, Ciſtercium magnis ſemper affectibus æſtimare, amaréque & poſsint, & debeant.

Implenda nunc penna novis elogiis, quæ ſanè cumulatiſſima profundenda ſunt in *Epiſcoporum* è Ciſtercio aſſumptorum felices memorias. Horum quidem numerus planè ingens! Mille quadringentos Hiſtorici recenſent è Mellifiua Ciſtercienſium Familia ad Sedes Epiſcopales aſſumptos. Ipſa numeri magnitudo elogium eſt, aureis illis ſæculis, quibus ſola ſanctitas in dignitatibus æſtimabatur, noſtros tam profusâ ſerie ad ſacra Infularum faſtigia fuiſſe evectos. Paucorum illuſtria encomia participatione idiomatum transfundentur in univerſos.

Lauſanna, inſignis apud *Allobroges* Populos, qui hodie *Sabaudi* nuncupantur, Epiſcopalis Sedes, duos è Ciſtercii gremio illuſtres Præſules habuit, utrumque in Sanctorum faſtos relatum; *S. Ama-Deum*, & *S. Bonifacium*. Celeberrimæ utriuſque ſunt apud Scriptores memoriæ, quarum nonnullas pro Virorum, & Matris Ciſtercii gloria hìc dabimus. DIVUS itaque AMADEUS vel *Obiit Anno*
ipsô *nomine DEUM*, & Divina omnia ſpirans clariſsimâ oriun- *1158.*
dus proſapiâ Patrem habuit *B: Ama-DEUM* Dominum *Alta-ripæ*, *Conrado Cæſari* junctum ſangvine, quem infrà in *titulo* 17. pariter inter Ciſtercienſes producemus: cujus ſolicitudine primò quidem in *Bona-Valle*, ſubinde in *Cluniaco*, tandem in Aula Imperatoria per optimos Præceptores literis divinis, humanísque egregiè inſtitutus, quâ pollebat indolis bonitate, ubique Parentis ſanctiſſimi pia vota, & Magiſtrorum magnas de ſe expectationes felici ingeniô atq; induſtriâ quam cumulatiſſimè adimplevit. Succeſſit ijs Pædagogis unus è Clara-Valle *Bernardus*, potior potentiórque cæteris opere & ſermone, ſub quo Ciſtercium amplexus *Ama-DEUS*, divinioribus ſtudiis ad ampliſſimas atque ſanctiſſimas Ordinis & Eccleſiæ ſpes eſt imbutus, adeò, ut poſt modicos duntaxat annos ſub Parentis Melliflui magiſterio in Clara-Valle exactos, Cœnobio *Altæ-Cumbæ* ab eodem Bernardo præfectus ſit in Abbatem, Manriquei elogiô, *ætate quidem juvenis*, *ſed* *ad Annum*
moribus maturus, *& jam tunc præferens Eccleſiæ Patrem.* Gerentem *1139. cap. 10. n. 4.*

induſtriè Abbatiale id munus obſtraxêre vota *Lauſannenſium* ad Epiſcopales infulas, quas ille quidem omnimodis deprecatus, nonniſi authoritate Apoſtolicâ induci potuit, ut tandem, at omninò invitus eas admiſerit. In uno Ama-DEO virtutes omnes domeſticæ; ille earum illuſtriſsimum domicilium. Author vitæ ampliſsimam earundem contexuit ſeriem, quam hìc pro gloria Magni Præſulis inſero. *Erat* (nempè Ama-DEUS) *in judicio juſtus, in conſilio providus, in verbo fidelis: Viduarum defenſor, orphanorum adjutor, incarceratorum conſolator, bonorum præcipuè pauperum promotor: ultor nequitiæ, oſor invidiæ, amator juſtitiæ, caſtitatis conſervator, parſimoniæ ſectator: In vigiliis ſedulus, in jejuniis frequens, in viſitandis infirmis & alendis pauperibus aſſiduus: temperans in correptione, in zelo præcipuus, in ſermone diſcretus, in Religione ferventiſſimus: ſinè ſuperbia nobilis, ſinè invidia potens, ſinè ſuperſtitione religioſus, ſinè jactantia literatus, ſinè ineptia gravis, ſinè faſtidio facetus, ſinè aſperitate conſtans.*

cit. apud Manriq. ad ann. 1144. cap. 6.

Quanta hæc virtutum, hæc laudum congeries! quæ per alios ſæpè ſparſæ hìc in uno *Ama-DEO* velutì in viva Synopſi colliguntur. Evexêre Virum magnum tot naturæ tot gratiæ prærogativæ ad Principum amores, *Evgeniô III.* ac *Friderico Imperatore* Præſulis ſanctimoniam præcipuò cultu devenerantibus. Manriqueus *citatô mox locô num.* 3. eam Virorum Principum ergà Sanctum Antiſtitem reverentiam novô encomiô inſinuat, fuiſſe nempè eum *Lauſannenſibus utilem, Principibus vicinis venerabilem, & ſi neceſſe eſſet, etiam terribilem, Imperatoribus, Friderico præcipuè charum.* Quantis porrò affectibus erga Divinam Parentem flagraverit, produnt *igneæ illæ & dulces* homiliæ, ſic eas compellat *Angelus*, quas numerô octo in laudem *Divæ Virginis* Præſul doctiſsimus conſcripſit, à Viris eruditis, & qui calamos amoréſque ſuos DEIparæ conſecravêre, nunquam ſatìs hactenùs laudatas. Refert citatus *Manriqueus*, vidiſſe ſe nuper eas inter opera Patrum *Anſelmi, Ildephonſi, Chryſologi, Leonis, Fulgentii, Maximi*, aliorúmque typis excuſas cum reverentia circumferri, nec minùs ideò deſiderari à cunctis doctis. Inſuper addit num. 9. *Petrum Caniſium* floribus ex Ama-DEI homiliis deſumptis magna ex parte illuſtraviſſe opus illud ſuum Marianum, quod *Angelus* laudatus appellat *elegans atque ſublime.* Noluit tamen humillimus æquè ac doctiſsimus Antiſtes nobiliſsimum hunc ingenii ſui partum in publicam lucem ſuâ ſponte profundere. Et profectò periiſſent Marianæ illæ elegantiæ,

ad annum 1158. cap. 5. num. 7.

tiæ, niſì Sororis ſanctimonialis importunæ preces eas à Fratre extorſiſſent: quas quidem eâ conditione eidem transmiſit, ut ſibi viciſsim pretioſiſsimum munuſculum, *laneam* ſcilicèt *chyrothecam*, quam illa olim à *Virgine Matre* acceperat, in amoris reciprocationem, fidámque teſſeram extraderet. Itaque ingenii felicis ac pii eximium munus Reginæ Cœlitum conſecratum, & donum ab eadem Alma Parente alumnæ & clienti exhibitum luculenta poterunt eſſe poſteris argumenta, quàm teneris nimirùm amoribus erga Matrem pulchræ dilectionis ambo illi fuerint affecti. Mutuis proinde muneribus utriusque firmata fœdera, & probata Orbi ſanctitas. Memorata *chyrotheca* hodiedum in Eccleſiæ Lauſannenſis *reliquiario* pluribus clara miraculis religioſè aſſervatur. Sancti Præſulis nomen atque memoriam à cunctis ferè Scriptoribus inter Viros illuſtres florentiſsimi illius ſæculi celebrem haberi aſſerit *Angelus citatus num.* 9.

Altera *Lauſannæ* gloria DIVUS BONIFACIUS cui etiam ſuæ inter *Viros Apoſtolicos* debentur laudes. Ejus ortum *Bruxellis* apud Brabantinos præceſsêre Cœli oracula, felicia Magnorum ſemper Virorum præſagia; Cùm enim de futuro partu ſolicitaretur Mater, anxiam interpellavit Angelus, monuítque, absque metu oportere eſſe illam Parentem, quæ filium eſſet enixura per cujus ſanctimoniam atque doctrinam Orbis Chriſtianus olim foret illuſtrandus. In lucem editus angelicô oraculô puſio verè Angelicus nutricum imò vel ipſius Matris oſcula ità averſatus eſt, ut ea velutì peſtem tenellâ manu abſtergeret. Mox ùt ætas tulit, ad liberales diſciplinas ediſcendas *Pariſios* è Brabantia miſſus eſt, ubi capaciſsimam indolem Philoſophicis atque Theologicis ideis eâ felicitate implevit, ut *Sorbonæ* ſuffragiis *doctoralibus laureis* ornatus ſit, ſubindéque ad *publicos* Cathedræ Theologicæ honores evectus, quos cum plauſu tenuit annis omninò ſeptem. Enatô porrò ſchiſmate Pariſijs Magiſtros inter & Scholares cùm aliquamdiu feriari cogeretur *Coloniam* digreſſus, atque iterum ad *Cathedram* aſſumptus doctrinæ famâ Franciam implevit & Alemanniam. Vacaverat ſub id tempus Paſtore Lauſannenſis Eccleſia, ad cujus gubernacula meritorum prærogativâ fauſtâ Cleri acclamatione evocatus *Bonifacius*, acceſsione Paſtoralis muneris *Athanaſium* induit, novum in Friderico Barbaroſſa habiturus perſecutorem

Obiit circa Annum 1260.

Dddd *Conſtan-*

Conſtantium. Oves ſuas, ſimúlque Eccleſiæ immunitates adverſùm graſſantes lupos zelô Apoſtolicô tutatus Cæſaris juſſu per ducentos milites comprehenſus eſt; Sed Cœlitum beneficiô è cuſtodum manibus elapſus mortem ſibi deſtinatam fugâ declinavit. Eccleſiæ & Sedi reſtitutus cùm videret ab offenſo & ſæviente Cœſare infeſta & intuta omnia, ad quietem poſt tot rerum viciſſitudines totis medullis anhelans Romam fugit, ubi primò quidem precibus, atque cùm eæ minùs eſſent efficaces, lachrymis à Pontifice impetravit, ut ſibi liceret dimiſsô Epiſcopatu uni DEO extra mundi motus ſeſe conſecrare. Succeſsêre metamorphoſi huic conſilia de novo ſtatu, quíſnam eligendus ex omnibus? Implorata è Cœlo in ea caligine ſancta lumina, & mox data per Virginem quandam Sanctam è *Camera B: MARIÆ* in *Belgio*: rem nimirùm gratiſſimam Numini, atque DEIparæ facturum ſeſe, ſi in eo æquilibrio *Ciſtercium* præ reliquis amplectatur: quod ille, Virginis religioſæ monita ceu Divina imperia reveritus, mox præſtitit, Ciſtercienſem habitum in *Camera Mariæ* indutus, ubi laboribus, ſeniô, inediâ, ciliciô jam penè fractus novis fervoribus cœleſte in terris vitæ genus auſpicatus eſt, priora omnia longiùs ſupergreſſus, vultum hominis præſeferens Ciſtercienſibus ſuis, virtutem Angeli: adeò ut nihil obſtaret, quin *Cameracenſes* Bonifacium Angelum credidiſſent, præter unum corpus; quanquam & id vehementiſſimâ æmulatione per acuta ſenſuum ſupplicia ad ſimilitudinem ſpiritûs & animæ propiùs accedens vix ampliùs eſſet, quod diceretur. Hærebat animô Vir Sanctus penè continuò ſuper ſidera, ſeu in contemplatione, ſeu in ecſtaſi Cœlitum felix hoſpes: expertus viciſſim eorundem in ſe amores, qui non raró inter divinos ſplendores ad cellulam Bonifacii deſcendentes rependerunt amantiſſimam vicem cœleſti Viſitatori per reciprocæ viſitationis beneficium. Scenam nunc aperio, & divinas prorsùs illecebras. Decumbebat aliquando æger in lectulo, *Virgineæ Parenti* inter lachrymas queſtus, quòd laudibus divinis intereſſe ipſe per morbum haud poſſet. Adfuit illicò Sole ſplendidior afflictorum Conſolatrix, & diviniſſimum Puſionem maternis uberibus avulſum, pannísque involutum ſuper lectulum Bonifacii depoſuit. Tum amabiliſſimô ſpectaculô ſuaviſſimus puellus manum pannis evolvit, faſciámque à facie amovens formoſiſſimum vultum ſuum Viro

Sancto

Sanɫto exhibuit, qui voluptatis tantæ cœleſtem inundantiam vix ferens inter dulces planɫtus & caſtiſſima reſpiria hæc verba fatus eſt: *Si nihil ampliùs eſſet in Paradiſo, niſi facies iſta benedicta, dignum eſſet pati omnes tribulationes, ut poſſemus videre faciem tam glorioſam.* Quantâ voluptate præcordia Viri Sanɫti perfuderit amabiliſſima hæc viſio, ſolus nunc è Cœlo aperiat ille, qui in terris has delicias expertus eſt, divinus Bonifacius. Novos rursùs favores ſacrificanti ad aras exhibuêre *Angeli*, qui viſi ex utroque latere aſsiſtere, manúsque & brachia Viri Sanɫti ex morbis languida & pendula, quoties ea ex præſcripto Sacrorum rituum vel eſſet extenſurus, vel elevaturus, manibus ſuis in formam obſequii ſuppoſitis cum reverentia ſuſtentare. Quantum verò creſcebat cum Superis ſuaviſsima familiaritas, tantum ex adverſo invaleſcebat Dæmonum timor & tremor, quô infernales illæ larvæ ad ſolum Viri Divini aſpeɫtum quàm vehementiſsimè perculſæ, quâ data porta ruentes, præcipitatô effugiô, ſeſe ſubducebant. Quâ ardebat erga affliɫtos quoſvis charitate, etiam *Ariſtoteli* auſus compati, quòd fortè in Orbe altero non eſſet eô locô & pretiô, quô hìc in Scholis & Cathedris, iteratis precibus imploravit Divinæ miſericordiæ viſcera, ut ſi quæ foret ſpes veniæ, ad Eruditorum ſolatia tantus Vir ſuppliciis eximeretur. Verùm interpellata fuêre precantis vota cœleſti hâc voce: *Ceſſa, ceſſa, jam, & noli orare pro anima ejus, quia non fundavit Eccleſiam meam, ſicut Petrus & Paulus: nec legem meam docuit.* Videat Leɫtor Magni Doɫtoris gratiſsimam mentem, quâ paratus exhibere beneficium Viro de re literaria præclariſsimè merito, ſi æquiſsima Cœli decreta id non vetuiſſent. Propinquus felici metæ ac morti, viſitatus eſt à Diva Parente, quæ eidem *Librum* exhibuit, in quem juſſus inſpicere Bonifacius, cùm nè veſtigium quidem Scripturæ in eo reperiret, hæſit ad novitatem rei, quid Codex ille, quid Virginis amica vox vacuum codicem legere jubentis, portenderent? Quem Optima & ſanɫtiſsima Interpres mox in hunc ferè ſenſum & verba docuit: Quemadmodum Codicem iſtum ab omni litera & litura omninò immunem vides, ita anima tua, dileɫte mi! ab omni peccati labe munda eſt, & ante Divinos Virgineósq; meos conſpeɫtus tota ſpecioſa. Felix liber, quem Cenſor ille oculus, qui renes ſcrutatur & corda, ſinè mendis deprehenderit! Emeritam tandem animam in Redemptoris am-

plexus exhalaturus præhenſum manu Divi *Joannis Evangelium* in altum ſublevans hæc verba magnô ſpiritu effatus eſt: *Hæc didici, in his vixi, in his credo, & ſpero, & deſidero mori.* Finiit verba cum vita Vir ſanctiſſimus, ſpiritu Prophetiæ, miraculorum donô, divinísque revelationibus celeberrimus, annorum facilè ſeptuaginta octo, è quibus poſteriores duodecim exegit in Ciſtercio. Annis abhinc centum, in maximo nempe Orbis Chriſtiani *jubilæo* 1600. oſſa Glorioſi Præſulis è tumba elevata, & inter nova prodigia publico cultui fuêre expoſita, approbante nimirùm rursùs Cœlô per *beneficia*, Virum hunc alium non eſſe, quàm *Bonifacium*.

Obiit Annô 1145. Apud *Gallos* in Urbe *Valentina* floruit B: JOANNES Patriâ *Lugdunenſis*, ſangvine nobilis, memoratæ Sedis digniſſimus Antiſtes. Cujus præter alia præcipuè converſio quoniam Ciſtercio glorioſa, his inſerenda eſt. *Bernardi* Parentis ſub ea tempora illuſtres juvenum cohortes ad ſacra novæ Ciſtercienſis Familiæ vexilla pertrahentis exemplum, fervor, æmulatio permovêre animum JOANNIS, ut conceptô votô ſe noſtro inſtituto conſecraret. Intepuêre tamen morâ divini illi igniculi, pœnituítque adoleſcentem voviſſe, quod tam arduum nunc eſſet reddere. Igitur, quod unum ſupereſſe videretur, commutatum votum eſt, aſſumptáque *peregrinatio Compoſtellana* ad glorioſum *Divi Jacobi* Mauſolæum. Perſolutis votis ad propria reverſus primâ nocte ſomnium habuit: Viſi nempè in ſcenam prodire *Salvator* DEUS, *Petrus* atque *Jacobus* Apoſtoli, quorum ille prior ad Domini imperium librum, quem manu tenebat, aperuit, aureis fulgentem characteribus, atque prædeſtinatorum exhibentem nomina, quæ juſſus legit. Ventum eſt etiam ad nomen JOANNIS noſtri: tum offenſus Salvator Lectorem interpellavit: *Tolle*, inquit *tolle eum, dele, dele eum, quia meum ſe futurum promiſerat, & reſiliit à promiſſo.* Miſertus vicem clientis Hiſpaniarum *Thaumaturgus* hæc ſupplex ad Dominum: *nè deleas, obſecro, meus eſt peregrinus.* Cui iterum Salvator: *meus*, inquit, *non peregrinus, ſed Civis eſſe debuerat: nónne majus eſt, Civem eſſe meum, quàm tuum peregrinum?* Urſit novis precibus Apoſtolus mutari infauſta decreta, atque pro cliente ſtipulatam fidem in hæc verba interpoſuit: *Nè deleas, obſecro, ego tibi pro eo fide jubeo, faciet, quod propoſuerat.* Quærenti Salvatori, *quando?* reſpondit Patronus: *intrà quindecim dies.* Solvebant

vebant hæc verba ſomnum, quô excuſsô è ſtrato alacriter proſi-
liit, & velutì de evicta jam cauſa ſibi gratulatus, fidiſſimo Advo-
cato planctibus magìs quàm verbis in nudam humum devotíſsi-
mè proſtratus promeritas mille grates inter lachrymas rependit:
Faciam, inquit, *prorsùs, Apoſtole ſancte, faciam, quod tam miſericordi-
ter pro me pollicitus es.* Neque expectavit præfixi temporis termi-
num Joannes; Verùm intrà modicos dies amicis valere juſſis ſu-
am & Apoſtoli ſponſionem inter Ciſtercienſes quàm promp-
tiſſimè adimplevit. In hunc ſenſum Viri vocationem ac con-
verſionem recenſet *Gaufredus*, Scriptor vetus, quem citat *Ange-
lus* ad annum 1114. cap. 1. n. 5. quô locô num. 6. inſuper pro Ci-
ſtercii reverentia obſervat, Ciſtercienſes Monachos ab ipſo In-
carnato Numine non *peregrinos* nuncupari, ſed *Cives ſuos*: quæ res
Mellifluis alumnis quàm ſit glorioſa, nemo non videt: Parùm uti-
que nunc eſt, quòd ij Urbes fugiant, clauſtra ſcilicèt ſua de men-
te & more Primorum Patrum in mediis deſertis collocantes, cùm
Divinô Salvatoris oraculô, irrefragabili velutì ſuffragiô electi ſint
in *Cives* Civitatis Supernæ, quod privilegium longè felicius eſt
atque amplius, quàm ſi univerſi Orbis votis & ambitu in Cives
omnium Gentium adſumerentur. Alterum eſt, quod ego in
Divina hac viſione haud obiter noto, non placere videlicèt Su-
peris vota tametſi Sancta, tametſi ardua, per quæ Ciſtercio nos
ſubtrahamus: atque quod infelicius eſt, in aperta diſcrimina per-
trahi ſalutis noſtræ negotia, ſi votum, quô in Mellifluam Famili-
am juravimus, ſeu tollamus, ſeu, quod in noſtro caſu hìc factum
eſt, in aliud commutemus. Ad lineam & JOANNEM nunc
redeat calamus. Itaque per minas cœlitùs intentatas piſcator
ſeu ictus, ſeu quod mitiùs, monitus priſtina de Ciſtercio propo-
ſita ſeriò repetiit, firmanda mox, quod neglectum nuper, inter
Ciſtercienſes felici executione. Et verò angelicæ vitæ metho-
dô, fervoréque eximiô reparavit Vir Sanctus modica illa moræ
culpabilis diſpendia, ut abſolutis *Bonæ-Vallis* ædificiis *primus* Ejus-
dem Domûs à *Stephano* Patre *Abbas* ſit præpoſitus. Illuſtravêre
Joannis præfecturam diſcipuli ſanctitate & doctrinâ conſpicui
quos inter Magnus ille *Petrus Tarantaſienſis* cum germano, Fratre
Lamberto Ama-DEUS præterea Altæ-ripæ Dominus, aliíque, dig-
ni tantô Patre alumni, qui velutì vivi Codices in moribus ſuis Ab-
batis ſanctimoniam circumferebant. Reſpexit ad rutilantiſsi-

mum hoc Sidus *Urbs Valentina* viduata Præſule, atque Joannem coruſcantem famâ atque miraculis è Bona-Valle ad Cathedram evocavit: quam tamen inter adverſa aſcendit, tenuítque aliquamdiu, *Euſtachiô* quôdam Sedis illius injuſtô occupatore in Virum Sanctum excitante tempeſtates & turbines. Pugnavit *Bernardus è Clara-Valle* pro Joanne favô atque aculeô, epiſtolâ ad Euſtachium perſcriptâ, ut Virum obſtinatum in alterutro vinceret, & ſi mella fortè reſpueret, per aculeos indubiè triumphandum. Dejectus eſt tandem è Sede, cùm ad ſaluberrima Melliflui Abbatis monita adhuc in ſententia perſiſteret, infelix monitorum contemptor per Romana fulmina æquiſſimè in contumacem vibrata, firmatúsque Joannes in Cathedra, quam glorioſis cumulavit virtutibus. Migraturus demum in pace ad Dominum, in corona Præſulum & Fratrum è Bona-Valle, quos ad ſuprema in agone ſolatia atque ſubſidia evocaverat, cilicio cineŕique impoſitus inter pſallentium voces felicem ſpiritum placidiſſimè exhalavit. Dolebant interea ſinguli, feſtinantem ad ſidera Sancti Antiſtitis animam abiiſſe ſinè ultimæ benedictionis gratia, & prævertiſſe beatam mortem clientum vota atque expectationes: bis ſe nunc infelices eſſe, & quòd Patrem amiſiſſent, & fauſtam tanti Patris in obitu precationem. Dum hos queſtus inter ſe miſcent dolentes condolentéſque ſinguli ſingulis, elevavit emortuam manum Pater Sanctus, quam, poſteaquam eâ ſuis, prout optaverant, benè precatus eſſet, ad priſtinum mox ſitum, quietémque reduxit, plaudentibus univerſis de beneficio, quod utique nunc eſſet felicius ac pretioſius quoniam nempè non indubiis indiciis cum inſigni prodigio præſtitum à Præſule jam defuncto: id profectò creditum à plerisque, præſertim cùm reliqua membra haud ſecùs ac in mortuo conquieſcerent, ſolâ dexterâ in filiorum ſolatia ſurgente. Eadem in defuncto facies, quæ fuerat viventis, ſerena & læta, color immutatus ac planè vividus, ut jam tunc aliqua gloriæ portio ex animæ felicitate in beatiſſima illa tanti Spiritûs organa divinô munere defluxiſſe videretur. Sacras exuvias in feretro publico ſpectaculo expoſitas devotiſsimô cultu pupilli clientes proſecuti fuêre, implorantes Patrem & Advocatum, quem nuper Antiſtitem habuiſſent. Inter ea Populi ardentiſſima ſtudia viſus eſt etiam *Peregrinus quidam* ſeniô ſpectabilis, ignoti habitûs, vultu inter ſplendores majeſtatem plusquàm humanam

Epiſt. 185.

nam præſeferente, qui poſteaquam cum inſigni reverentiæ nota Præſulis Sancti ori, manibus, pedibúsq; calida impreſſiſſet oſcula inter animi geſtientis grata indicia poſt modicam moram diſceſſit, quemadmodum antehac, ità deinceps nulli ampliùs viſus. Creditum eſt ab omnibus, è Cœlitum conſortio hunc Virum miſſum eſſe, qui mortales invitaret ad cultum Sancti. Exarsêre illicò novis incendiis clientum pectora, cùm viderent vota ſua laudari à Superis. Et verò feliciſſimi prodigiorum eventus probavère Joannem receptum inter Cœlites; imploratâ namque Ejus ope, quemadmodum perhibet *Manriqueus* ad annum 1145. cap. 7. num. 9. reparatum cœcis lumen, claudis reſolidatus greſſus, redditus ſurdis auditus, reſtituta captivis libertas, apud indigenas extincta incendia, ità ut optimi Antiſtitis mortem & funus jam auderent vel inter beneficia numerare Cives *Valentini*, tot tantísque per Viri Sancti merita cumulati donis, tot divinitùs aucti gratijs. Ciſtercienſes Eximium hunc Præſulem *Viris illuſtribus* accenſent, per quos Ciſtercii creſcentis felices primitiæ incrementa ſua traxerint, atque ornamenta.

Sardinia quoque, Regia in Oceano Mediterraneo Inſula è Clara-Valle, id eſt, illuſtri illa celeberrimorum Eccleſiæ Antiſtitum ſchola, Præſulem egregium ſortita eſt B: GAUFRIDUM *de Meloduno*, Epiſcopum *Sorenſem*, ſub prima mox ſanctioris vitæ tyrocinia vel ex eo ſuper cæteros longè feliciſſimum, quòd à bonis Superis, cùm in oratione aliquando vehementiſſimis affectibus totam animam ſuam inter dulces lachrymas effudiſſet, ſequentem eximiũ planè favorem ſibi divinitùs conceſſum intellexerit, *damnandum* ſcilicèt *neminem*, verùm ſalvandos omnes, qui Gaufridum habuerint in Divina Curia fortunatiſſimum pro ſua ſalute oratorem. Cuperem ſanè, nè abſque trutina Theologica prætervolaret hócce privilegium Lector benevolus, in poteſtatem nempè, ceu in manus Ciſtercienſis Tyronis repoſitas eſſe aliorum cœleſtes ſpes, qui quoniam jam antea totô pectore & quidem unicè vellet, jam inſuper per eam conceſſionem vehementiſſimè poſſet deſideratiſsimâ efficaciâ aliorum intendere felicitati. Ægrotantium Fratrum obſequiis per Superiores deſtinatus aliena mala ſua fecit compatiendo, meritus viciſsim Divina ſolatia à *Diva Parente*, quam non raró ſumma cum animi voluptate

Obiit Annô 1178.

conſpexit præſtolantem morientium felices animas, eásque evehentem ſuper ſidera, ut Vir pius toties ſanctiſsimis votis optârit animæ ſuæ, ut moreretur, quoties Virgo Mater eam ſcenam feliciſsimo ſpectatori exhiberet. Verùm audita quidem precantis vox, interim tamen ad tempus dilata optantis vota, ut glorioſa merces in novos meritorum cumulos ſublimiùs adhuc aſſurgeret. Permiſſus inſuper divinâ diſpenſatione affligi ægritudine gutturis, quæ remediis omnibus validior indies creſcens ipſam vocem ademerat: dolente interim Viro Sancto id maximè, quòd ad divinas laudes per eum morbum inutilis in Choro cum Fratribus pſallere haud poſſet. Itaque cùm humana deficerent, quæſita è Cœlis pharmaca, & quidem è manu *Bernardi*, à qua una tot mille nuper per Orbem Chriſtianum impenſa ſanitatum beneficia. Non diu moratus vota filij Mellifluus Thaumaturgus quieſcentis guttur in ſomnis tetigit, impreſsóque ſignô Crucis langvorem omnem indè penitùs profligavit. Senſit mox excitatus beneficii magnitudinem, & quoniam id mereretur Cœleſtis Medicus, illicò reparatæ vocis organa in gratos jubilos laxans Patrono meritas gratias cecinit. Et ſanè perſtitit curationis illius feliciſsimus effectus per omnem deinceps vitam, Virô Sanctô non ſentiente unquam ampliùs recidivos dolores, quos nempè olim Bernardus à cliente fugâſſet. Torquebant hæc Gaufridi cum Superis commercia communem Adverſarium, qui diſtracturus animum Viri tantâ alacritate ad ſuperna ſurgentem, formam *Simiæ* induit, animalis geſtu ridiculi, multâque lepiditate Virum Sanctum Numini inter ardentes preces proſtratum ad ſua ſpectacula invitavit. At contemptus, risúsque eſt miſerandus joculator ab egregio oratore, & coactus rursùs fugere ad ſuas tenebras triumphatus contemptu, eô ſcilicèt victoriæ genere, quô ſolet hoſtis ille offendi quàm acerbiſsimè. Evehendum ſe porrò ad Cathedram Epiſcopalem divinâ revelatione didicit ab ignota quadam perſona majeſtatem ac reverentiam in vultu ſpargente, quæ viſa inſertô in Gaufridi manum *annulô aureô* Virum ad Sponſæ Eccleſiæ connubia eâ arrhâ conſecrare. Eôdem igitur annô, quô per hanc viſionem præmonitus eſt de futuris honoribus, *Sorenſes Sardi* eum elegêre in Præſulem, quod ille munus induſtriè & glorioſè ſeptem annos tenuit, conſummatus tandem ſanctiſsimè in Clara-Valle, prout unicè optaverat, eô ſcilicèt annô,

nô, quô Bernardus Parens ab *Alexandro Papa III.* inter Divos repoſitus, clientes ac præſertim filios per Orbem diſperſos in ſuam illam Clariſſimam Vallem attraxerat ad augendam glorioſiſſimæ ſuæ apotheoſeos celebritatem. Antiſtitis ſanctiſſimi gloria revelata eſt cuidam è Fratribus in ipſo puncto feliciſſimæ migrationis ejus; in noctis enim medio cùm Fratres in Feſto *dedicationis Eccleſiæ Clara-Vallenſis* ad Vigiliarum ſolemnia per ænea ſigna convocarentur, perlata eſt ad eum divina vox in hæc verba: *Ecce nunc à principio ſigni hujus recipiunt illum Sancti DEI omnes in conſortium ſuum.* Oſtenſum pariter eidem Fratri pavimentum Eccleſiæ candidô ornatu ceu multâ nive inſtratum, & ardentia per omnem Baſilicæ ambitum circà defunctum Præſulem luminaria multa nimis Cœlitum accenſa miniſteriô. Splendidi hi apparatus alii eſſe non potuêre, quàm animæ evolantis ex rebus humanis ad immortalem gloriam.

Viſenda nunc apud *Hiſpanos Horta*, Ciſtercienſium celeberrima hodiedum domus, & memorandus in Horta Magnus ille Seguntinæ Cathedræ Præſul DIVUS MARTINUS, quem oraculô Angeli edocta Eccleſia hodie feſtis honoribus colit ſub nuncupatione S. SACERDOTIS Parentes illi fuêre illuſtres, *Michaël Munnozius de Finoxoſa*, & *Sanctia Gomeſia*, quam Familiam inter primas *Caſtiliæ* ſub *Alfonſo* Rege floruiſſe perhibet *Manriquem* ad annum 1158. cap. 4. n. 1. Annos natus viginti Patre orbatus eſt: cùm ille alias mox atque ſanctiores genealogias & parentelas generoſô pectore à Superis jam vehementiſsimè inſpiratô verſari cœpit. Placuêre præ omnibus Duces è Ciſtercio, qui cœleſtia & divina inquirenti viam commonſtrarent. Electi igitur Viri ex *Horta*, donatíque amplô patrimoniô, per cujus acceſſum novellæ domûs modica primordia in temporalibus egregiè fuêre promota. Suſcepit *Blaſius* Abbas adoleſcentem nobiliſsimæ indolis inter cumulatas ad DEUM gratias, induítque amictu candidô, jam ſibi gratulatus de Succeſſore, quem DEI nutu & munere olim in *Martino* eſſet habiturus digniſsimum. Et implevit ſpes iſtas Abbatis optimi generoſiſsimus Ciſtercii alumnus vitæ inculpatæ inſigniſsimâ probitate, feſtinóque atque calente veſtigiô ad perfectionis faſtigium ad cæterorum cùm admirationem tum æmulationem glorioſiſsimè eluctatus eſt. Permanſiſſe

Obiit Anno 1213.

fiſſe Martinum *Virginem* ſinè nævo, ſinè macula in utraque ſubſtantia, atque exinde beatiſsimô ſuffragiô referendum inter Virgineos Choros, ſunt qui apud Manriqueum citatô locô n. 5. in Viri reverentiam aſſerant. *Blaſio* felici fatô conſummatô votis Hortenſium aſſumptus eſt ad Domûs viduæ ſanctiſsima gubernacula, quæ tantâ prudentiâ geſsit, ut famâ Martini ad Principum aures & aulas magnis plauſibus vulgatâ, Hiſpaniarum Sereniſsimi Monarchæ Regni curis pauliſper ſepoſitis nonnunquam delicias ſuas in Horta quæſierint, delectati Viri ſuaviſsimi divinis colloquiis. Illud præ cæteris jucundum ac memorabile, quòd *Belli-Duces* prælia inituri certas ſibi ſponderent victorias, ſi modò *Martinus* certaminum eventus fauſtâ precatione fuiſſet auſpicatus: aſsignatâ ſemper prævìè certâ ſpoliorum occupandorum portione pro Cœnobio Hortenſi. Crevit Horta opibus, crevit virtutibus, rarò ſanè eventu difficilíque admodum nexu opes inter & virtutes, cùm aliàs plerumque illis ſuccreſcentibus decreſcant iſtæ: Verbô, *Horta* facta *Hortus*, floruit Martinô rigante. Vacaverat ſub id tempus Sedes *Seguntina* (cùm nempè ubiq; per Hiſpanias celebraretur Abbatis Sancti nomen) ad quam omnium votis vocatus Martinus Hortam ſuam plantavit in *Segunto*, reflorеſcente in utroque ſtatu Clerô ac Populô ſub Præſulis florentiſsimi felici regimine. Placuit tamen magìs Viro contemplationi aſſueto præ infulæ honoribus quies monaſtica, & ſuaviſsima illa Ciſtercii ſolitudo excipiendo è Cœlo Numini peridonea: quare cùm videret Eccleſiæ ſuæ feliciſsimum ſtatum, in quem per induſtriam ſuam annis jam ſeptem eſſet repoſita, minùs jam indigere præſente operâ ſuâ, dignitate ſe exuit, atque in Hortam ſuam regreſſus miſsis jam univerſis ſæculi curis omnia ſua præcordia divinis voluptatibus ampliſsimè explicuit. Vixit autem poſtquam ſe munere abdicâſſet, annos adhuc novemdecim, qualis quantúsve, perhibet Angelus in *ſerie Abbatum Hortenſium*: *Exteris nimirùm admirandus & reverendus: Hortenſibus imitandus magìs, amandúsve, quem ſibi in vita moriúmque exemplar, & virtutum ſubſidium omnes proponerent.* Tandem cùm jam pulcherrimum hunc florem cœleſtes areolæ ambirent, expectaréntque, itinere inter *Ovilam* & *Hortam* mediô defloruit, animâ interim ad Superos evolante, quod mox proditum per ſigna. Hucusque magnum hunc Antiſtitem & *Horta* & *Seguntus* *Martinum* coluit: aliquantô tempore

pore poſt Viri Sancti fataglorioſô prodigiô per *Angeli* internuncii fauſtum oraculum ex *Martino* dictus eſt *Sacerdos*: quod quidem ſic eveniſſe conſtanti traditione compertum fuit. Sub ſpecie peregrini adoleſcentis formâ & amictu cultiſsimi *Angelus* caput Seguntum attulit ad Epiſcopum Succeſſorem, atque Canonicos, aſſerens, illud eſſe cujusdam *Magni Sacerdotis* Eccleſiæ illius Antiſtitis. Suſcipientibus itaque cum reverentia ſacrum munus, cœleſtis bajulus ſub oculis eorum diſparuit. Ignoratum diu Sancti nomen, ad quem glorioſæ illæ reliquiæ pertinerent; cultæ tamen ſunt à *Seguntinis* conſtanter, utpotè cujusdam è Præſulibus ac Patronis ſuis quôcunque demum nomine venerandi: uſque tandem poſt tria & ampliùs ſæcula Annô nempè 1560. Hortenſes apertô ob miraculorum exigentiam Sancti tumulô corpus reperiſſent incorruptum quidem, & nullâ alioquin parte mutilum, niſi ſolô capite, quod integrum defuerat. Igitur conſenſu & acclamatione univerſæ Hiſpaniæ, *Martinus*, ſub nomine *Sacerdotis* coli cœpit, habètque hodiedum Glorioſus hic Præſul ſub hac nuncupatione celebres in omni Eccleſia honores *die quintâ Maij*, vel ab ipſo *Florilego menſe* flores, ſerta, laureolas, atque etiam à menſis nomine *Majus* aliquid promeritus ſuper cæteros Seguntinos Antiſtites.

Jam & Polonia cum glorioſa panegyri in ſcenam prodire poſſet magnas dictura laudes Servi DEI VINCENTII KADLUBKONIS ante annos quadringentos & ampliùs *Epiſcopi Cracovienſis*, & ſubinde de conſenſu *Honorii Papæ III.* poſitis infulis in Cœnobio *Andreovienſi* Monachi *Ciſtercienſis*; Verùm nolim ego prævertere Polonorum ampliſsimos plauſus, quos proximè adornaturi ſunt, cùm in *Urbe* ad votum ſucceſſerit Viri DEI *Beatificatio*, quam jam etiam *Patres* Ordinis univerſi in *Capitulo Ciſtercii* ſuperiore annô *Menſe Majo* congregati pro viribus à Sancta Sede procurandam decrevêre. Habebunt deinceps felices & illuſtres reliquiæ vetuſtæ proſapiæ *de Roſa*, ex qua ſtirpe *Vincentius* progenitus eſt, habebit *Cracovia*, *Andreoviumque*, habebunt Sarmaticæ Gentes auguſtiſsimam gloriæ meſſem, quam in cumulatiſsimas laudes veluti in totidem manipulos feliciſsimè mox colligent, cùm per Romana oracula decreti fuerint Patrono ſuo ſolemnes honores. Poſſem quidem ex ſerie vitæ, quam Autho-

Obiit Annô 1206.

re *Simone Starovolſcio* ex Bibliotheca noſtra apud me habeo, poſſem, inquam, exinde glorioſo Præſuli concinnare elogiorum compendium; ſed quoniam nova & ampliora ſub hæc Beatificationis tempora à Polonis Scriptoribus expecto, ſuſpendo calamum, nè fortè tantô Antiſtite aliquid minus contingat me hìc dicere. Id ſolùm cum admiratione & reverentia obſervo, vix fortaſsè eſſe poſt DEUM & Divam quempiam è Divorum cœtu, cujus auſpiciis & Patrociniô felices indigenæ tot experiantur prodigia, quàm per merita Magni Præſulis *Vincentii*, adeò ut citatus *Starovolſcius* ſuâ jam ætate, annô nempè 1642. præter numeroſa alia & probatiſſima portenta, *octo* omninò de nomine perſonas recenſeat, quæ ab Anno 1633. quo ſacra Viri glorioſi lipſana elevata fuêre, Vincentii noſtri invocatione ad vitam denuò à *mortuis* ſint revocatæ. Nôrit, credo, Eruditns Lector ſtylum Curiæ, qui in formandas Divorum apotheoſes expeditior feſtinat, ſi contingat eum per voces ad vitam reſuſcitatorum efficaciùs interpellari. Et hæc quidem evenêre ſub cultûs publici primordia, poſtquam ſcilicèt venerandæ exuviæ è veteri & humili tumulo in ſplendidius celebriúſque Mauſolæum ſunt translatæ, inter novem duntaxat annorum non adeò longa ſpatia, ultrà quæ tempora nihil notavit *Starovolſcius*: quantâ, obſecro, nunc amplitudine & numerô diſpenſata divinitùs per *Vincentii* patrocinium beneficia recenſere poſſet Scriptor quiſpiam Starovolſciô longè poſterior, qui ſuperioris ſæculi nuperrimum finem attingens omnia ſinguláque in grandi volumine eſſet complexurus, Omnipotentis DEI dextera pro Servi ſui apud Polonos Populos glorificatione per tot jam annorum periodos ſit operata? Expectet igitur mecum optimus Lector de Magnæ Poloniæ Maximo Thaumaturgo majora volumina, & inde ſuppleat, quod hìc interim prætermiſſum eſt.

Verùm quis ſtellas, quis ſidera, quis ſtellis ſideribúſque æmulos, infulíſque illuſtres Vertices numerô abſolvat? Pro tituli coronide vagô brevíque ſtylô quorundam duntaxat per Europæ Chriſtiana climata recenſenda ſunt nomina, quos in hoc compendio ampliùs laudare vix poſſumus. Ij ſunt apud Gallos B: GUILLELMUS Epiſcopus *Pariſienſis*, libertatis Eccleſiaſticæ Vindex acerrimus. B: AMALRICUS Epiſcopus *Silvanectenſis* fortiſſimus

Floruit circa An. 1220.

Obiit Annô 1167.

mus pro religione propugnanda ac glorioſus Pugil, qui virginita-
tis caſtiſſimum florem ad tumulum & cœlum feliciſſimè ſecum
aſportavit. B: BARTHOLOMÆUS Epiſcopus *Laudunenſis*, qui *Floruit cir-*
Divum Patriarcham *Norbertum*, & candidiſſimã Ejus Familiam *ca Annum*
vel in ipſis ſtatim ſurgentis Ordinis primitiis perenni vinculô col- *1150.*
ligaturus cum Ciſtercio, liberali ei donatione ceſsit conceſsítq;
locum *Præmonſtratum* ex quo deinceps velutì ex fonte profluxit
Præmonſtratenſium felix nuncupatio. Floruêre apud *Germanos* *Floruit*
B: ADOLPHUS Epiſcopus *Oſnabrugenſis* Vir ſangvine & virtute *An. 1222.*
geminô velutì jubare illuſtriſsimus. B: FRIDERICUS Epiſcopus *Obiit An-*
Aichſtetenſis è Landgraviis Leichtenbergicis, priùs Waldſaſſen- *nô 1346.*
ſium atque Ebracenſium Abbas ſanctiſſimus. B: SIBOTUS *Floruit*
Epiſcopus *Auguſtanus*, Baro de *Gundelfinger*. Apud *Danos* B: TOR- *An. 1260.* *Obiit An-*
PHINUS Epiſcopus *Hamariæ*, apud *Suecos*. B: NICOLAUS Epi- *nô 1244.* *Obiit An-*
ſcopus *Roſchildenſis*, ambo Immunitatis Eccleſiaſticæ invictiſſi- *nô 1249.*
mi Vindices, & tandem pro eadem glorioſiſſimi exules. Apud
Anglos B: CADUCANUS Epiſcopus *Benchorenſis*, donô contem- *Obiit An-*
plationis, doctrinâ, facundiâque celeberrimus. Apud *Hiſpa-* *nô 1225.*
nos. B: MALACHIAS Epiſcopus *Jacenſis*, benignitate in paupe- *Obiit An-*
res, & Verbi DEI prædicatione eximius. Apud *Rhætos* B: AL- *nô 1606.* *Floruit*
GOTUS Epiſcopus *Curienſis*, in vita virtutibus, ab obitu pro- *An. 1147.*
digiis illuſtris.

Ceſſa jam ceſſa calame, puſille nimiùm laudator, Ultrà vires tuas eſt, *mille quadringentorum* Antiſtitum laudes hìc recitare. Condoleat mihi Lector, quòd hoc non poſſim: imò jubeat, ut id ego, quoniam puſillus & modicus, non velim: Congratuletúrque unà mecum glorioſiſsimo Ciſtercio de Viris tantâ ſerie, & tantâ majeſtate illuſtribus, cujus memoriæ nunc in benedictione, laudes verò ſinè numero, ſinè menſura.

DUæ res *infelices*!
Grex ſinè *Paſtore*,
Paſtor ſinè BACULO!
Tolle gregi *Paſtorem*,
Et Paſtori *Baculum*,
Et *optimam* utrique *partem*
Gregi cuſtodem, & cuſtodi decus ac fulcrum
Suſtuliſti.
Duæ res in grege *felices*!
Bonus Paſtor, & *Bonus Baculus*!
Et gregi & Baculo pretium dat
Bonus Paſtor.
Ad paſcẽdos Chriſti greges puſillos & magnos
Ex uno Ciſtercio
Vocati, electi Paſtores magnô numerô
Epiſcopi MCCCC.
Paſtorum Duces ac Principes, Archi-Epiſcopi DCCC.
Quidni *Boni* omnes, quia electi?
Et *malum*, quæſo, quis *eligat?*
Seu querula, ſeu minax fuerit Salvatoris vox,
Matth.22. cap. *Vocatos* eſſe *multos*, *electos paucos*;
Non ferit *Ciſtercium*!
è quo ad Infulas *vocati multi*, *electi multi*,
Bis mille, & Bis *Centum*!
Quanta hæc Præſulum ſeries!
Sponſæ ſuffragiis in Epithalamijs
Idem Sponſus qui *electus* è millibus,
Cantic.5. Idem & *Dilectus Candidus* & *Rubicundus*:
Bernardi hi colores ſunt
Et per *Bernardum transfuſi* in Filios hæredes.
Sponſæ Canones & regulas ſecutæ Orbis Eccleſiæ,
Cùm Bernardum à *mammilla Virginis candentem*,
à *latere* Salvatoris *rubenteus*

Ha-

Habere non poſſent omnes;
Bernardi *Filios*
Eôdem *ſangvinis* ac *lactis* participiô *felices*
(Quis enim *hæc duo* neget, filijs communicari à Parentibus)
Elegêre in Patres & Paſtores,
Ut ſcilicèt ideò eſſent è millibus *dilecti* & *electi*,
Quia à Melliflui Parentis *coloribus*
Candidi & *rubicundi.*
Ciſtercii *Baculi*
Vel ipsâ *Sylvarum*, in quibus crevêre, æmulatione, ac ſocietate
Floridi, ac vigentes
Meruêre Populorum ſuffragia, & ambitus,
Per quos nempè Eccleſijs aut *flos ſervaretur*, aut *redderetur.*
Non ſoli *Aaroni virga floruit*, Num. 17.
Etiam Ciſtercienſibus *floruêre Baculi.*
E *Virga* & *Baculo* Domini *conſolationem* hauſit Vates Regius, Pſalm. 22.
E *Baculis Ciſtercii* ſolatia expertæ Eccleſiæ,
Orbe universô per *publica* vota *ſolemniſſimè profeſſô*,
Felices illos eſſe *Populos*, & beatos *greges*,
Super quorum cuſtodia *Paſtor è Ciſtercio* vigilaret!
Fuga lupi, *proſperitas* ovis,
Sed non metuit, non fugit lupus Paſtorem,
Qui *Baculum* non habeat.
Baculus
Gregis eſt defenſor, ac vindex,
Lupi terror, ac exterminator,
Paſtoris inſigne ac Decus!
Hæc *Baculo ſuô* quaſi ſtylô in Ciſtercii favores
Inter prodigia inſcripſit *Bernardus*,
Cùm *Nanneti* in Galliis *Baculô in lectulum* impoſitô Vitæ Bernard. Lib. 2. cap. 6.
Lupum à *lupa* abegit,
Fœdum *dæmonem* ab impudica *muliere*,
Quam per ſexennium incubus
Multâ libidine *momorderat.*
Dœmonum terror, & profligator
Bernardus per *Baculum*,
Et *Baculus* per *Bernardum*,
Grex Chriſtiane!

Lupos times, & in lupis *Dæmones*!
Scipionibus utere è *Ciſtercio*,
Qui *Thaumaturgum* Bernardi *Baculum*
Habuerint pro *prima radice*.
Non malè poteſt eſſe *Gregi*,
Pro quo Bernardus excubat *in Filijs*,
Quos Orbis ille Magnus Pædagogus
Populis formavit in *Paſtores* & *Baculos*,
Per quos *ſtaret* Eccleſiarum felicitas!
Ex Ægypti ergaſtulis in libertatem aſſerēdi Iſraëlitæ
Exodi 12. Juſſi ſunt *tenere Baculos in manibus*.
Indubiô præſagiô, pulcherrimô ſymbolô,
Sub *Friderici Ænobarbi*, & *Henrici* Angli
Calamitoſa diſturbia
Venturos olim pro Eccleſiæ libertate
è Ciſtercio *Baculos*,
Qui fidelium *manibus teneri*, & *manuteneri* debeant,
Dimittendi nunquam, etiam *cùm benedixerint*.
Non modò jocosè in *Peripato*,
Verùm etiam ſeriò in *Ciſtercio*
Baculus in Angulo!
Nónne *ergaſtula*, in quæ abrepti,
Catenæ quibus vincti,
Compedes quibus conſtricti
è Ciſtercio Viri Paſtores, Eccleſiarum Principes,
Totidem *Anguli* fuêre
In *quos* ſacrilegô contemptu *abjecti* ſacerrimi *Baculi*?
His tamen malis nîl in *Baculis fregit* perſecutor:
Perſtitêre immobiles, *rectíque tenaces*,
Nîl in ipſis ſpectavit *Cæſar diſtortum*,
Nîl deprehendit *Anglus obliquum*:
Summa in ſingulis *rectitudo*.
Gratulandum igitur magnis plauſibus *Alexandro* & *Romæ*,
Habuiſſe nimirùm eâ ætate in Germania, in Anglia,
Hæc *fulcra*, *hos Baculos*,
Quibus res Romanæ *innixæ*
Quati potuerint, *labi* non potuerint.
Et prævertiſſent fortaſſis infauſta Fata

Utriuſ-

Utriusque Gentis *in fide ruinas*,
Niſi pro *Papa* & *Populo*
Stetiſſent Ciſtercii Paſtorales *Baculi*.
B*ajulis* egemus cùm *parvuli*,
B*aculis* cùm *vetuli*.
Seneſcis cum Orbe *Eccleſia*:
Neque tamen curioſa hæreſis
In *pulcherrimo ſenio tuo rugas* aut *maculas* invenire unquam potuit,
Sed fingere.
Cùm eſſes *parvula*, in *Apoſtolis* habuiſti *bajulos*,
Cùm jam cum Orbe *conſenuiſti* in *Epiſcopis* habes B*aculos*,
Et B*aculos Senectutis tuæ!* Tobiæ 5.
Non *cades*: non *offendes*, non *lædes*
Nè quidem *pedem tuum*,
Minùs *manus* aut *Caput*:
Mille tibi *naſcenti* dati *bajuli*,
Mille tibi *prælianti Clypei*,
Mille tibi *ſeneſcenti Baculi!*
Imò ex uno Ciſtercio
Bis Mille, *bis Centum!*
Parati omnes
Pro te
Per mille mortes *cadere*,
Quàm vel ſemel è *ſtatione cedere*.
Scipio & *Baculus*
Diverſum ſonant, idem ferè notant.
Perdidit Roma *Scipiones*
Recepit è Ciſtercio *Baculos*,
Et cum *Baculis Scipionum* famam & laudes.
Geminatis plauſibus
Et *Romæ* plaudo, quòd Scipiones rursùs *acceperit*,
Et *Ciſtercio*, quòd *dederit*,
Nunc Votô felices Vos *Baculos* tango, & interpello!
Veſtrum eſt adhuc Ciſtercium,
Poſt annos jam *Sexcentos Bis Tertium*,
E cujus gremio Vos olim non veſtrâ ſponte
Sed importunis Gentium ſuffragiis
Ad Sacra honorum faſtigia eſtis evecti!

Reddite Vos Veſtris
Olim *Sociis* & *Fratribus*,
Nunc *Filiis* & *Clientibus!*
Exhibete *Ciſtercio*,
Uti aliquando *Romæ*
Officium Baculi!
Pellite à *Seneca Familia*
Leones nè devorent,
Canes nè mordeant,
Lupos nè rapiant,
Vulpes nè decipiant:
Et beneficiô *Baculi*
Geneſ. 32. Ducite, trahite ſequaces Filios per Jordanẽ iſtum,
Per fluctus, procellas, tempeſtates, naufragia iſta,
Ad *Portum*,
Ubi jam *ſtant* pedes Veſtri
In *Primo Mobili*
Immobiles.
Sit veſtra ad ſingulos nos *non exprobrantis*,
Sed *invitantis*, ſed *gratulantis gigantæa* illa Vox:
1. Reg. 17. Et *Tu venis ad me cum Baculo!*
Ita ſcilicèt
In *Baculo*, cum *Baculo*, per *Baculum*
Cupimus nos omnes *migrare* ad *Dominum.*

TITU:

TITULUS XV.
CISTERCIENSES REGES ET REGINÆ.



E Ciſtercio aſſumptos fuiſſe ad Tiaras Pontifices, ad Purpuram Cardinales, ad Infulas & Pallia Præſules & Archi-Præſules, id quidem Mellifluæ Familiæ glorioſum: Ego tamen longè ampliùs id admiror, in Ciſtercium deſcendiſſe è ſoliis ſuis Reges; quòd namque priores illi ad Tiaræ, purpuræ, infulæque honores aſcenderint, quantum capio, capeſſivêre condigna meritis ſuis proe-

mia, cùm virtutis & ſanctimoniæ prærogativæ in Religioſis Viris vix meliùs coronentur, quàm pulcherrimis illis Eccleſiarum laureis. Et quid, amabò, vel ipsâ hâc noſtrâ ætate tam frequens, quàm ſeu ſuâ ſeu alienâ voluntate duci, trahíque ad dignitates & infulas? At verò occupatos & delibatos ſemel honores deſerere, atque è ſummis imperii gradibus ſponte ſuâ, nullô impellente deſcendere in profundas Ciſtercii Valles, è quibus nemo deinceps audeat ſurſùm ad deſerta faſtigia eluctari, nedum aſpirare, id tam eſt rarum, quàm mirum. Dabo ex utroque ſexu, qui publicis applauſibus acclamati Reges, poſitis coronis Ciſtercienſe inſtitutum fuêre amplexi.

Floruit circa An. 1145. Primus è Viris ſit B: ERICUS *Daniæ* Rex, prima & magna è Regibus Ciſtercienſium gloria, ſi ſceptrum, ſi coronam, ſi Regnum ſpectes, quæ reliquit. Appulerant ſub id tempus, cùm *Ericus* ſuprema Provinciæ teneret gubernacula, Ciſtercienſes noſtri in *Daniam* à B: *Eskillo* Archi-Epiſcopo vocati è Clara-Valle à Bernardi magiſterio & uberibus ad condendam in illis plagis novam Ciſtercii domum nuncupatam de *Esron*: quos Rex primùm coluit ùt hoſpites, ſubinde dilexit ùt amicos, tandem amplexus eſt ùt Confratres, factus ipſe in Monaſterio B: Virginis de *Fyonia* à ſe Regiis antè ſumptibus conſtructo ad Aulæ & Orbis ſtuporem ex potentiſſimo Rege humillimus Ciſtercienſis Aſceta. Illuſtravit virtutes Regias inſigni vitæ monaſticæ ſanctitate, & be-
12. Aprilis. atiſſimâ morte conſummatus memoriam ſui in Ordinis *Menologio* inter Viros glorioſos reliquit in benedictione.

Floruit An. 1154. Altera præſentis tituli, & Mellifluæ Familiæ gloria B: GUMARUS *Sardiniæ* Rex. Venerat is cum ſplendido Miniſtrorum apparatu in Claram-Vallem, Bernardum, illud Regum, Principúmque oraculum, viſitaturus: & quanquam pro ea quidem vice aliud non intenderet, quàm ſalutatô Abbate Sanctô rursùs ad Patriam ſolum ſoliúmque reverti, injecit tamen Mellifluus Orator inter amica colloquia Regis invitæ quantumvis menti dulces quasdam compedes, per monita precéſque Claram-Vallem ſuam pro Aula Sardiniæ iterum iterúmque offerens. Precibus inſuper addidit, immiſcuítque vaticinia, per quæ Clara-Vallenſes olim totum *Gumarum* ſint ſibi vendicaturi in Civem & alumnum: *Ego quidem*, ajebat dulciſſimus Parens, *inſtanter pro tua converſione Domi-*

Dominum rogavi, ſed ad præſens exaudiri non merui: & nunc abire te patior, quia retinere non licet invitum: Scias autem, te huc iterum de Sardinia rediturum. Abiit itaque *Gumarus*; at quoniam inter ipſas etiam Aulæ delicias ac plauſus, ſaluberrimorum monitorum à Bernardo ſibi nuper ingeſtorum ità oblviviſci non potuit, ut non aliquando ſacræ eorundem reliquiæ vellicarent Regia præcordia, dedit tandem manus ac ſubrogatô priùs in jura ſceptri, regnîque gubernacula Filiô primo-genitô reverſus eſt in Claram-Vallem, dum jam Bernardus è vivis ad Superos abiiſſet, & poſitâ purpurâ, candidô Ciſtercienſium habitu indutus, factus eſt ejusdem Melliflui Parentis feliciſsima proles poſthuma. Magnis deinceps fervoribus aſpirare eluctaríque cœpit ad ſumma, propoſitô ſibi in omnibus perfectionis Monaſticæ ſtudiis *Bernardô* ſuô in primam & cœleſtem regulam, cujus exemplô vix poſſet aberrare à DEO. Gratam habuit ratámque inter Divos jam glorioſus Parens Mellifluus hunc *Gumari* zelum, eapropter cœlô frequenter delapſus eidem ſeſe eximios inter ſplendores videndum exhibuit, per ea ſpectacula Regi clienti filióque novos ingerens animos, ad proſequendas cœleſtes ſemitas, tot in clariſsima illa Valle Sanctorum veſtigiis ſignatas. Rigor vitæ ejus, quoniam in Rege, admirabilis prorsùs: Perfectioni tam invigilavit, ut noctes quàm plurimas in deliciis animæ duceret inſomnes: ſomnô vexatus preſsúsque ſuper nudos aſſeres recubuit, illísque longè dulciùs indormiit, quàm regiis nuper ſtratis molli plumâ ad voluptatem turgentibus. Ut tamen etiam meminiſſe poſſet, Regem ſe fuiſſe, purpuram induit, ſed quam flagella expreſſerant, crebrâ & cruentâ flagellatione caſtigans corpus ſuum, illúdque Regiâ planè indole, in ſervitutem redigens. Tandem poſt vigilatas tot noctes, ſuſceptásque ultrò, ac toleratas pro Chriſto clauſtrales vigilias ad requiem æternam evocatus obdormivit in Domino, Bernardi lateri ac conſortio jungendus inter Superos, cujus ſcilicèt monitis, meritis, oraculis deſertô terrenô ſceptrô ad melioris & per omnem æternitatem feliciſsimi regni capeſſendam hæreditatem olim in Clara-Valle acceſſerit.

Tertius è Viris Regibus, qui Regii nominis ſplendoribus Ciſtercienſem Familiam illuſtravit, fuit JACOBUS *Aragoniæ* Rex, dictus CONQUISITOR, bellicis operibus in *Hiſpaniæ* Annali- *Floruit Ann. 1215. & deceps.*

buslongè celeberrimus. Annô 1229. in Expeditione *Balearica*, quam cum Exercitu *Cruce* ſignato contra Saracenos ſuſceperat, vidit in expugnatione Urbis Regiæ aſſiſtentem ſibi ſuísque *Divum Georgium* inclytum Chriſti Martyrem, addentem animos, robúrque adverſúm Barbaros. Ejus ampliſſimas laudes vix meliùs dedero, quàm per verba *Manriquei in ſerie Abbatum de Populeto*, ſub *BERNARDO* Abbate Domûs vigeſimô Tertiô. *Itaque Jacobus Rex, cùm 63. annos regnâſſes, nec minùs dilatatâ geſtorum famâ, quàm diuturnô imperiô, cùm trigeſies cum inimicis Crucis, quos ſolos hoſtes habuit, collatô præliô ſemper de eis victoriam reportâſſet, unde & ei Præliatoris nomen acceſſit; cùm Vero DEO templa ad duo millia (ſic memorant hiſtoriæ) aut conſtruxiſſet, aut expiata à Mahometana ſuperſtitione ritu Chriſtianô pius dedicâſſet; cùm ſub felici & fauſta advocatione S. MARIÆ de Mercede Religioſam Familiam pro redimendis captivis inſtituiſſet; cùm Regna integra Eccleſiæ comparâſſet; cùm nulli Regum in toto Orbe Chriſtiano haberetur ſecundus, fortè & ſecundum ipſe vix haberet*, correptus ægritudine *Petro* filio Regnum tradidit, atque ab Abbate ex *Populeto* ad ſe *Algerizam* evocato ſacrâ Ciſtercii veſte donatus, per monaſtica ſimul vota in Monachum Numini conſecratus eſt. Lego apud *Manriqueum* ſupra *citatum*, *Jacobum* magnis affectibus ex eo præcipuè motivo ad priſtinam valetudinem aſpiraviſſe, ut nempe vitæ reliquias tranſigere poſſet in Populeto, Monachorum futurus ſocius & frater etiam convictu, quibus jam junctus eſſet per habitum & vota. Et urgebat ille firmata propoſita ardore majore, quàm quem febres, quibus adhuc tenebatur, in ipſo accenderant. Portatus igitur à ſuis Populetum versùs, cùm per motum morbus recruduiſſet, in ipſo itinere *Valentiæ* monaſticam Regiámque animam piiſſimè exhalavit, atque inde ad Populetanos translatus, ibidem *duplici titulô* (ùt loquitur citatus *Angelus*) *& Regis & Monachi inter utrosque accepit ſepulturam.*

Et quídni etiam *Bohemia* aliquid ad augmentum hujus tituli adjiciat in WENCESLAO II. Rege, Cœnobii de *Aula Regia* Fundatore inclyto, mitiſſimi ingenii, probatiſsimæque pietatis Principe, quem ante mortem priùs *habitum Ciſtercienſium Converſorum ſuſcepiſſe* ex *Bartholdo Pontano Lib.* 2. *Boëmiæ pia* refert *Jongelinus* in *Notit.*

Obiit Annô 1305.

Notit. Abbat. Ciſt. L. 5. *pag.* 22. An ex recitatis verbis ſatis conſtare poſſit Regis Monachatus, id Lector videat; quanquam cupiam, ut in Ciſtercii favorem ille ſentiat, quod ego, qui vix auſim, vix velim in *Wenceslao* laudare Regem, & non ſimul comendare Monachum; non enim plenè intelligo, quî Ciſtercienſium habitum induerit, ſinè animo aggregandi ſe Mellifluo Sodalitio. Et licèt in mortis propè confinio ea metamorphoſis facta ſit; ea tamen moræ brevitas inefficax eſt, ut *Wenceslaum* Ciſtercio ſubtrahat, quoniam per modica etiam momenta totus Rex tranſire potuerit in monaſticam Ciſtercii ſocietatem, quod patet ex *Jacobo Aragonio* mox laudato.

Collocandi etiam inter Ciſtercii ſereniſſima aſtra WLADISLAUS *Poloniæ*, & JOANNES *Hieroſolymorum* Reges, potentiſſimi è Septentrione & Oriente Principes, qui inclytos Familiæ, ſceptrique ſplendores ad incrementa gloriæ Bernardeæ multâ majeſtate contulerunt, è ſolii faſtigio Sereniſſimam Sublimitatem reclinantes ad humilitatem inſtituti Monaſtici, facti è Regibus inter Ciſtercienſes Monachi.

Memoranda pariter hôc locô *Hibernia* in CAROLO *Connaciæ* Rege, qui in *Colle Victoriæ* (quam ille Domum memorandæ apud poſteros *Victoriæ* de hoſtibus nuper partæ pro Ciſtercienſibus alumnis erexerat) paulò ante corporis ſui felicem reſolutionem ſuſceptâ Ordinis ſacrâ veſte ad Melliflua caſtra acceſſit, Ciſtercii auſpiciis provehendus beatiſſimè ad perennes in Cœlo triūphos. *Obiit Annô 1227.*

Fœminea etiam Majeſtas è Reginis hunc Titulum condecorat quæ Regum Virorum æmulatrices egregiæ pro Regio diademate elegêre humile Virginum Ciſtercienſium velum. Memoranda in primis B: MAFALDA Luſitanis Regibus oriunda, ſceptri Regia Infans, cui non tam ſuô, quàm alienô, magís arbitriô, datus in Sponſum *Henricus I. Caſtellæ* Rex, qui ſimul & maritus ex Matrimonio rato, quod tamen, quoniam citrà diſpenſationem Pontificiam in gradu conſangvinitatis prohibito contractum fuerat, per Romana decreta declaratum eſt nullum, ſervatáque Mafalda per Romam virgo, quæ velutì peccâſſet, quod Sponſum mortalem præ Chriſto vel auſa aut cogitare aut eligere, ulta eſt innocentiſſimam culpam per caſtiſſima propoſita ac leges, *Obiit Annô 1252.*

quibus nuptias omnes carnales deinceps quôquô contrahendas averſata eſt: atque ut viderent inſuper univerſi, quàm id Mafalda cuperet vellétque efficaciter, neglectis mox, aut ſi dictum id nimìs modeſtè, proculcatis omnibus illecebris carnalibus novos eósque Divinos thalamos ingreſſa eſt apud Ciſtercienſes in Cœnobio de *Arouca*, ubi tantis vinculis, tantísque amoribus ſeſe cœleſti Amatori Sponsóque colligavit, ut inter amabiles ejusdem amplexus animô per dulces contemplationes jugiter hæreret delectatione verè morosâ, ſed in nulla Theologia ullatenùs culpabili. Has inter mentis felices voluptates neglecta teneræ Virginis corporea portio, afflicta inſuper jejuniô, nè fortè pro more nuper regio meliùs lautiúsque habita, vexare poſſet Spititûs felicitatem. Æternis demum digna & matura amoribus ad Sponſum ex carne virginea abiit, ſocianda apud Cœlites caſtiſſimis choris. Sepulchrum Regiæ Viraginis procurante id præcipuè *Philippo II.* Hiſpaniarum Monarchâ apertum eſt Annô 1617. repertæque venerandæ Mafaldæ exuviæ *ſæculis quatuor* ab obitu evolutis, colore omninò vividô, cœleſtíque fragrantes odore ad Hiſpaniæ univerſæ ſanctiſſima ſolatia integræ planè ac *incorrupta*. Auctus per id inſigne prodigium Virgini cultus, pro quo illa viciſſim non ingrata, clientibus pro impenſo cultu divina beneficia, quæ vulgò nuncupamus miracula, liberaliſſimè repoſuit.

Floruit Annô 1229. Eôdem fatô è Regiis amplexibus ad Ciſtercienſes Virgines evolavit B: TERESA Regina *Legionis*, quæ priùs *Alfonſo* Regi nupta cùm intelligeret, contra Eccleſiæ canones amores conjugales ſtare non poſſe, qui illicitis vinculis colligâſſent conſangvineos, per Summi Pontificis decretum à thalamo Regis abſoluta rectà digreſsa eſt *Lorvanium*, Ciſtercienſium apud Luſitanos Parthenonem, ſumptôque ibidem velô ſanctiora quàm nuper epithalamia cum DEO Sponſo auſpicata eſt. Divinarum rerum contemplationi tam intenta, ut crebriùs cœleſti ſplendore circumfuſa, & è terra elevata-terram nec tangeret, nec ſaperet. Manibus ejus inerat vis medica, ſolô namque tactu claudis greſſum, ſemimortuo infanti amplexu vitam reſtituit. Aquâ, quâ manus *Tereſa* abluerat, febricitantes uſi pro pharmaco, experti fuêre optimi remedii feliciſſimam efficaciam. Imminente morte Eccleſiam ingreſſa ſeſe in genua reclinavit, & concinente Virginum

num chorô *Divinæ Parentis jubilum*, ſuaviſſimè inter Sororum pias lachrymas modulata eſt, cúmque eum verſiculum abſolviſſet: *Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ*, caput in manus leniter reclinans ſupremô halitu reſpiravit & expiravit, ſervante interim corpore ad intuentium admirationem ac voluptatem eum & flectentis & morientis ſitum. Abeunte ex mortalitate ad Superos feliciſſimô Spiritu, delapſus coelô ſuper corpus ejus fulgor ſolis inſtar defunctæ parentavit. Secutus inſuper odor ſuaviſſimus, crebráque poſt mortem prodigia, vivi ſcilicèt characteres gloriæ Ejus apud Divos Coelites.

Huic ſimilis altera B: TERESA, dicta *Vidaura*, *Jacobi I.* ſuprà memorati *Aragonum* Regis conjux, quæ licèt formâ atque virtute præſtaret, fortunæ tamen, in Aulis vix unquam ſtabilis, vitiô paſſa eſt amoris Regii naufragium, ſolutô nempè per divortium conjugiô. Verùm Tereſa illâ tempeſtate è matrimonii compedibus in libertatem aſſerta de ſanctioribus atque divinioribus hymenæis deinceps ſolicita, immortalem è Coelis Sponſum DEum in caſtiſsima foedera vocavit. Mundô igitur valere juſsô in Monaſterio *S. Mariæ de Gratia*, quod ipſa *Valentiæ* fundaverat, Ciſtercienſe inſtitutum amplexa eſt. Vixit, qualis mori voluit, ſanctiſsimè. Ab obitu è tumulo Sanctæ in ægros afflictóſque diffuſæ divinitùs curatrices gratiæ, veluti claſsica convocavêre numeroſos clientes, qui ſeu cæci, ſeu claudi, ſeu aliis morbis malíſque laborantes, feliciſsimam in *Tereſa* experti ſoſpitatricem, ornavêre ſepulchrum Patronæ per ſuſpenſa *anathemata*, quibus Hiſpano Orbi Reginæ Sanctæ coeleſtem gloriam per exhibita miracula, per authenticos veluti teſtes inter glorioſa elogia loquebantur. Recluſus eſt prodigioſus Tereſæ tumulus Annô 1517. poſtquàm nempè ſubita ac vehemens fluminis *Turiæ* inundatio eas tabularum & anathematum memorias in Ciſtercienſium Virginum templo penitùs abſterſiſſet, & repertum eſt *Corpus Reginæ*, quod eâ illuvie omninò in tumulo diffluxiſſe aut periiſſe credebatur, unà cum integra religioſa veſte *incorruptum* planè ac colore vividum. Conclamatum eſt ob id portentum ab univerſis, qui aderant, in novos celebrioréſque Reginæ honores, elevatis mox ſacris exuviis, atque in ſublimius Mauſolæum per Eccleſiaſtici Magiſtratûs decreta ac miniſteria reverentiſsimè collocatis. Illud

Floruit Annô 1240.

Kkkkk hìc

hìc mecum obſervare velit Lector, non ſolam ſcilicèt caſtitatem virginalem, divinum & admirabile balſamum eſſe, quô præſervata nonnullorum corpora à corruptionis vitio, cùm *Tereſa* noſtra jam enixa proles id beneficium cœlitùs obtinuerit: adeóque Regiam hanc fœminam per excellentiſsimas alias virtutes mereri debuiſſe hanc carnis intra terræ viſcera coeleſtem prærogativam. Suas pariter hìc laudes ferat ELEONORA, *Aragonum* Regina, quæ *Jacobo* Regi data nuptui, cùm intellexiſſet illicitum connubium ob conjunctionem ſangvinis, abſoluta illicò à thori vinculis ad nova & meliora vota transfugit, Ciſtercium amplexa in Cœnobio B. *M. Regalis propè* B*urgos*.

Floruit circa An. 1250.

Quarta ex Hiſpaniæ oris, quæ Regiæ celſitudinis nomen ac ſplendorem Ciſtercio intulerit, fuit B: URRACA, Regina Vidua *Ferdinandi Legionenſium* Regis olim conjux, quæ pennâ vix aliâ laudanda meliùs quàm *Manriquei* ad Annum 1222. cap. 10. quòd nempè fuerit *Regibus chara, populis reverenda, Marito ſuo fidelis, & DEO grata.* Probavit illa longâ viduitate virtutem ſuam, an eſſet digna Ciſtercio, cui acceſsit annis gravis & meritis, conſtructô priùs celebri Parthenone in oppido *Villena* in Veteri *Caſtella* pro Ciſtercii Virginibus, inter quas depoſitâ purpurâ ſanctimonialem tantâ commendatione geſsit, ut vitam monaſticam in ipſa aula à teneris annis jam olim didiciſſe, hauſiſséque videretur. Ejus tumulus *Villenæ* ſpectatur elevatus, & cum nota venerationis.

Floruit circa An. 1222.

Regias inter Fœminas memoranda etiam hôc locô ABDA, ſeu ADELA, *Ottone Misniæ* Marchione progenita, aſſumpta inde ad Regium thalamum à *Primislao* Ottocaro B*ohemorum* Rege, fortunam variam habuit, ſub primos quidem conjugii annos fauſtam atque faventem, deinceps verò, ſi humana hæc ſpectes, iniquam atque adverſam, Ottocarô nimirùm undeunde offensô urgente divortium, & quia Rege, etiam prævalente. Cauſa quidem Reginæ ab INNOCENTIO III. Papa commendata eſt Archi-Epiſcopo *Magdeburgenſi*, & *Seburgenſi* Præpoſito, ſed moroſô litigiô protelata, ſerò tandem abſoluta eſt, utrôque pro *Adela* innocentia pronunciante. Intellexit illa per eas moras & calamitates, ſpes amoréſque ſuos ad auguſtius regnum evocari, eapropter in *Waſſerburgenſi* Ciſtercienſium Virginum Parthenone, quem *Dietericus* Reginæ frater, ùt habet B*albinus in* B*oh:*

Obiit Annô 1211.

ſan-

ſancta. §. XL. ſeu ipſa Regina exul, ùt ſcribit *Crugerius in Cineribus ſacris*, 1. *Februarii*, fundaverat, habitum *Converſarum* ſeu Laicarum aſſumpſit, rebus omnibus humanis proſperis adversísque deinceps ſuperior, neque ultrà ad Regem, thalamum, ſceptrum, ſed ad DEUM & divina caſtiſſimis medullis aſpiratura. Laudat commendátque egregiè *Balbinus* citatô locô Fœminæ Regiæ inſignem animi fortitudinem, quæ præter & ſuper muliebre ingenium generoſa res afflictas invictiſſimè tulerit. Funus glorioſæ Reginæ in præfati Parthenonis *Waſſerburgenſis* Eccleſia tectum eſt marmore, extra humum cum majeſtate elevatô. Neq; arguat Ciſtercienſes noſtros Lector, quòd laudem quærant à fœmina, quæ priùs ad thalamum convolaverit, quàm ad clauſtrum, neque ad hoc priùs niſi poſtquam preſſa calamitatibus; id enim argumentum difflandum ſolvendúmque eſt à DEO ipſo, qui non omnes unô eôdémque funiculô, neque unâ omnes viâ ad ſe & clauſtra trahit ac pertrahit. Quidquid ſit, in theatrum gloriæ Ciſtercienſis ſtatui debet *Adela*, ſive mitiùs à DEO vocata ſive duriùs, ſive citiùs Ciſtercium amplexa, ſive tardiùs: atque ex eo præcipuè gratulandum glorioſis Ciſtercienſium in *Bohemia* reliquiis, quòd ex Regio palatio, imò inſuper thalamo *Sereniſſimam Sororem* obtinuerint.

Et ſtet etiam hôc *titulô* in Ciſtercii ampliſſimam gloriam Sereniſsima Princeps BLANCHA *Galliarum* Regina, Divi *Ludovici* optima Parens, quam *Claudius Chalemot, Doctor Sorbonicus*, Abbas de *Columba*, *in Serie Sanctorum* Ord: Ciſt: ad 23. diem *Novembris* inter Ciſtercii clariſsima lumina inſeruit. Suſcepit illa è ſupremo morbo ad Cœlites migratura habitum & velum è manu Abbatiſſæ de *Meloduno*, qui Partheno *Blanchæ* auſpiciis pro Parentis Melliflui Virginibus alumnis nuper ſurrexerat: atque ut unà cum aſſumpta veſte ampliùs tranſiret in Ciſtercii ſodalitium, per emiſſa Religionis vota eidem acceſsit integerrimè. Defunctæ Principis exanime corpus in Ordinis amictu & Regio paludamento *Meloduni* magnificentiſsimè contumulatum eſt. Nota eſt ſatis ſupérque apud Hiſtoricos *Blanchæ* commendatiſsima pietas, per cujus religioſiſsimam inſtitutionem *Ludovicus* filius ad ſanctitatis cœleſte faſtigium provectus ſit. Itaque legat alibi Lector Benevolus Reginæ vitam, virtutes, gubernacula, hìc memoráſſe ſufficiat fœminæ Sereniſsimæ Monachatum.

Floruit Anno 1220. & deinceps.

Nimìs parcus ſim in Ciſtercii laudibus, ſi *Taraſiam Luſitanorum* Reginam, ſi *Eliſabetham Andreæ & Gertrudis* Hungariæ Regum ſanctiſsimam Filiam, ſi *Alphonſum VII.* Caſtellæ Regem, unà cum *Eleonora* Regia Conjuge hìc non inſeram, qui titulum hunc, mole ſuâ quidem modicum, ſed regiis diadematibus longè illuſtriſſimum & cum plauſu claudant, & cum majeſtate impleant. TA-
Obiit Anno 1129. RASIA quidem pleniùs rectiúsque quàm cæteri mox memorati ad Ciſtercium pertinet, tametſi tardiùs, nempè ſub finem vitæ noſtris acceſſerit; de qua apud *Manriqueum* ad Annum 1129. cap. 1. hæc ferè lego: Accerſitos nimirùm fuiſſe noſtros à Regina ægrotante ex *Tarouca Conimbricam* in Urbem Regiam, petitúmque ab ijs habitum, & mox obtentum, quin imò cum ſuſcepta candida veſte admiſſam *Taraſiam* ad tria Religionis vota, pleniſsiméque inſertam Corpori & Familiæ Ciſtercii, *primam* omninò è Fœminis, quæ nomine & titulô Regiô optimè auſpicata ſit primordia Monialium Ciſtercienſium apud Luſitanos, quam mox ſecuturæ ſint aliæ. Neque de tarditate argui debet Fœmina illuſtris ac Sancta; ſat enim citò, ſi ſat benè. Feliciſsimo in com-
Obiit Annô 1231. pendio ſe Ciſtercienſem exhibuit, cùm benè mortua eſt. Modicis momentis Ciſtercium profeſſa, communem omnium Ciſtercienſium ſi non ſanctitatem, certè felicitatem adepta eſt, *Beatam mortem.*

DIVA ELISABETHA Aularum decus, idea, ſplendor! *Andreâ Hungarorum* Rege progenita, ùt jam prælibatum, nupta ſubinde *Ludovico Turingiæ Landgravio* Manriquei judiciô ad annum 1228. cap. 4. non modica ex parte Ciſtercienſes *Annales* Faſtóſque atque quod multò amplius Ciſtercienſes Fœminas ſanctimoniales illuſtravit & auxit. Nequaquam ego hæc ſcriberem, niſi facem mihi præferret *Angelus* noſter, qui *locô citatô*, itemque ad annum 1225. cap. 6. multus & ſolidus eſt in eo, ut evincat, *Eliſabetham* (ex hypotheſi ſi verè & in rigore Sanctimonialis fuit) ſpectâſſe potiùs ad *Ciſtercienſes*, quàm *Franciſcanas*, primum namque obedientiæ votum vivente & connivente Maritô in Monaſterio *Sanctæ Catharinæ* Virginum Ciſtercienſium apud *Turingos* propè Caſtrum *Warberch*, & fortè etiam ſecundum, quod inſinuat exiſtimátque Manriqueus, defunctô jam *Landgraviô* Conjuge apud easdem Virgines emiſit. Habitus Matronæ Sanctæ *griſeus*, qui color olim erat Ciſtercienſium, præſertim in Ger-

Germania, ùt patet ex *Alberto Krantzio*, *Paulo Langio*, *Cæſario Heiſterbacenſi* Scriptoribus Teutonicis, quos citat *Manriqueus*: Unde non rarò Ciſtercienſes noſtri olim à veſtis colore Monachi *griſei* nuncupabantur. Porrò *Canonizationis* literæ poſt quadriennium ab obitu *Sanctæ* perſcriptæ ad noſtros à *Gregorio* Papa, non ad Franciſcanos, præter morem & ſtylum Curiæ, quæ tamen alioquin ad proprias Canonizatorum Familias ejusmodi favores & gratias referre ſolet. Accedit conjectura alia non levis, quam inſinuat *Manriqueus citatô* Annô 1228. cap. 4 num. 10. authoritate Pontificiâ commiſſam fuiſſe Eliſabetham Magiſtro ſuo ſpirituali regendam *ad ritus & normam Ciſtercii*. Hæc tamen omnia ex mente & authoritate *Manriquei* pendeant, quem ſi vincere quis voluerit, cum ipſo *Angelo* per calamum & ingenium confligat; ſincerus namque ille eſt, & qui candidè veritatem præſeferat, & profiteatur: non enim (ùt in loco altero ſuprà citato de ſe ſcribit ipſe talis eſt, qui alienis delectetur: Neque qui res magnas absque nota prætereat, maximè, *ſi quæ tales reperiuntur, quæ vel in dubio Ciſtercium illuſtrant.* Servanda quidem fuiſſet *Eliſabetha* ad ſubſequentem Titulum; Sed per felicem errorem præoccupavi laudes *Sanctæ*, ut hic titulus amplior evaderet.

Poſtremô locô memorari etiam hìc debet ALPHONSUS VII. *Caſtellæ* Rex, qui in quodam diplomate Regio (quod recitat *Manriqueus* ad Annum 1199. cap. 4.) celeberrimæ Ciſtercienſi domui propè *Burgos S. Mariæ Regalis* nuncupatæ conceſſo, ſub conditione *Guidoni* Ciſtercii Abbati Generali ſpondet & pollicetur, *ſe*, *Conjugem Eleonoram*, *filiósque* ſi fortè divinis conſiliis contingeret vocari ad religionem, aliam neutiquam amplexuros, quàm Ciſtercienſem. Fateor, hâc ſponſione *Alphonſum* cum Regiis Prolibus Regum numerum in Ciſtercio non augere; res tamen hæc ejusmodi & tanta eſt, quæ hìc in Ciſtercii Regalibus elogiis omitti non debeat, cùm parvum non ſit, potentiſſimum Regem & univerſam Sobolem Regiam deſtinari Ciſtercio, cœleſtiáque lumina ultrò provocari, ut traherent jam volentem, jam optantem integram domum Regalem ad clauſtra & ſolitudines. *Floruit An. 1174. & deinceps.*

Cuperem eſſe prolixior in præſente materia, & quídni poſſem, ſi Regios Principes, id eſt, Regum Filios Filiásque illuſtriſ-

 ſimâ

ſimâ & copioſâ ſerie ſubjungerem. At hi ſequentem Titulum ornabunt.

CORONA.

Res una humanis, & tanta,
Quam
Omnes *ſuſpiciant*, pauci *obtineant*, vix qui *deſerant.*
Non aliæ ideæ tam vexant mortalium *capita*,
Quàm una illa regnandi *cupido*, atque *voluptas.*
Inſedit hæc opinio intimis animi medullis,
Qualitas, ſi ulla alia, ſuâ ſponte *difficulter mobilis*;
Quanquam enim qui *ſceptra* & *Coronas* diſpenſat
DEUS
Luc. 1. *De Sede* quandoque *deponat Potentes*,
Illâ tamen metamorphoſi minimè mutatus
Regius animus,
Regnum, diadema, ſceptrum
Servat *in ſpe* & *deſiderio*:
Fortiúſque nonnunquam radicatur
Regni felicitas *amiſſa*,
Quam anteà *poſſeſſa.*
Et licèt ſæpè non adſit regnandi *voluptas*,
Regnô aut perditô, aut prorsùs non habitô;
Vix tamen aliquando deeſt regnandi *voluntas*,
Nunquam habita *ſperans*, aut ad amiſſa *aſpirans.*
E ſoliis ſponte deſcendere,
Palatia, diademata, imperia ultrò deſerere,
Hoc *ſuprà Regem*, *ſuprà hominem* eſt,
Opus *Dexteræ Excelſi!*
Scilicèt
Proverb. 21. *Cor Regis*, & *Corona* Regis *in manu Domini*;
Occupatô namque *corde*, Regiíſque amoribus
Jam habes *Regem* in manu tua.
Tuus eſt *Rex*, ſi *cor Regis* tuum eſt!

Divi-

Divina Manus
Ericum, *Gumarum*, *Jacobum*
Daniæ, *Sardiniæ*, *Aragoniæ*
Coronatos Reges
Datura ſub ſuave Ciſtercii *jugum*,
Priùs *corda* eorundem, *tetigit*, *vicit*, *rapuit*.
Dedêre vocanti Domino non difficulter *manus*,
Qui *corda* jam *dederant*.
Indecorum eſt, à DEO trahi per *capillos*;
Volupe & pulchrum, trahi *per corda*.
Traheris *per capillos*, cùm doles, te trahi:
Traheris *per corda*, cùm ultrò, atque cum voluptate
Trahentem ſequeris.
Nullæ DEO dulciores *victoriæ*,
Quàm cùm vincit *volentes* vinci;
Sic enim qui *amant*,
Invicem & præliari ſolent, & *triumphare*:
Utrisque ſuæ ſunt *deliciæ*,
Seu *vincant*, ſeu *vincantur*;
Quoniam hæc pugna *cordium* eſt, non *enſium*.
Amoris vulnera nemo unquam *rectè doluit*.
Igitur cùm DEUS aggreſſus Reges in *cordibus*,
(Aggreſſus autem, quia *cor Regis in manu Domini*)
Caſtra metatus eſt in *ſtatione amoris*:
Atque ideò divinæ illæ victoriæ
Regibus vix poterāt eſſe violentæ ac moleſtæ,
Quoniam trahi vincíque per *corda*, dulce ſemper ac volupe.
Per hos proinde triumphos
Corda Regum, & *Corona* Regum in *manu Domini*!
Uſus eſt tamen DEUS híſce victoriis mitiſſimè,
Reddidit, divisítque inclyta ſpolia
Corda, & *Coronas*,
Filiis quidem *hæredibus Coronas* reſtituit,
Corda dedit *Ciſtercio*,
Id eſt, utrisque *ſuum*;
Reges namq; *hæredes* in ſolio decebat habere *Coronas*,
Clientes in Ciſtercio expediebat habere *corda*.
Multæ religioſæ Domus in ſum̃is gratiis numerant,

Reges habuiſſe *Fundatores*,
Amplius eſt atque glorioſius Mellifluæ Familiæ
Reges habuiſſe *Alumnos*, *Socios*, *Fratres.*
Electæ ſæpè Ordinum Eccleſiæ in *ſepulchra*,
Quibus conderentur Regum *exanimata corda*,
Beneficium vel *à mortuis* eximium!
Pulchrius eſt,
Vivos Reges incluſiſſe ſe *Ciſtercio*, velutì *tumulo*,
Suáque *corda*, magnas adhuc res *pro DEO pro Cœlo ſpirantia*
Non per alios bajulos, ſed *per ſeipſos* in clauſtra attuliſſe.
1. Tim. 2. *Divinus* Titulus,
Rex Regum!
At verò *Divinâ* & *Regiâ diſpenſatione*
Communicatus *hominibus* in *Ciſtercio*,
Ut eſſent *Reges Regum.*
In clauſtris
Peſſima *phraſis*, noxia *praxis*,
Apponere caput:
Cantic. 5. Et licèt haberes Caput *aureum* ùt *Sponſus*,
Et *aureas* propè in Capite *comas*, ùt *Abſolon*,
Et *lauros baccáſque* caput circùm omne *florentes*,
Non licet tibi tamen in *Ciſtercio*, in *Clauſtro*
Hoc *pretioſum*, hoc *ſpecioſum*, hoc *floridum* caput *apponere*
Si optimos inter in Cœnobio eſſe cupias,
Talem *te pinge*, & *depinge*,
Qui in teipſo *acephalus*
Nec *proprium caput* habere velis,
Nec *proprium Capitale.*
Monachi Reges!
Non audebitis amodò & deinceps in Ciſtercio *apponere diademata*
In promptu cauſa eſt,
Cùm Vobis ibidem neque licebit *apponere capita*;
Vix etenim ſtat ſinè *corona Rex*,
Vix ſinè *capite Corona*:
Regis eſt, habere *coronam*,
Coronæ, habere *caput.*
Depoſuiſtis utrumque,
Acephali Reges!

Minuti

Minuti *diademate*, minuti *capite*.
Divinô *motu* & *nutu* decidit *corona Capitis veſtri*, Thren. 5.
Imò & *Caput* Veſtrum.
Interdictum deinceps Vobis Regibus Monachis,
Super *divitias apponere Cor*, Pſalm. 61.
Super *capita apponere Coronas*.
Quoniam *opibus*, *capitibus*, *diadematibus*
Veſtrâ ſponte in perpetuum renunciâſtis.
Et ſi fortè adhuc in Ciſtercio vobis *Capita*,
Non geritis illa *ſicut cæteri hominum*
Super *colla* & *corpora*,
Sed ſicut *doctiſſimus Caput*
Dionyſius Areopagita,
In *manibus* veſtris
Inter obedientiæ *obſequia*
Ad Superiorum *arbitria*
Tractanda etiam per *capitula*:
Super *Capita* veſtra
Quemadmodum olim in *ſæculo* impoſitæ Vobis *Coronæ*,
Ita in *Ciſtercio* in Coronæ vicem impoſiti Vobis *homines*, Pſalm. 65.
Per quos deſerta in terris *diademata*
Creſcerent in ampliſſimum *Centuplum* in Cœlitum Patria.
Res paradoxæ, ſed veræ:
Homo homini in ſæculo *lupus*:
Homo Superior in Ciſtercio *Homini Regi Corona* eſt!
Non *capiunt* hoc verbum, hoc diadema omnia Orbis *Capita*,
Sed *quibus datum eſt*.
Applaudo Vobis de *dato hoc Optimo*,
Quod *deſcendit à Patre Luminum*, Jacob. 1.
Feliciſſimi Reges Monachi!
Poſitis Coronis
Impoſuiſtis *Homines* è Ciſtercio ſuper *Capita Veſtra*,
Diademata viva,
Quibus *Eccleſia*, *clauſtra*, *ſidera* ornantur & coronantur.
Succeſſimus in locum Veſtrum,
Reges & *nos*,
Sed *non de hoc mundo!*
Stant multâ jam Majeſtate

Mmmmm Super

Super *Capita Veſtra*
Ultrà Sidereos Orbes altiſſimè evecta
Partæ *Coronæ* & *laureolæ!*
Humiliamus Sacratiſſimis Majeſtatibus Veſtris
In profundiſſimis Ciſtercii *Vallibus*
Capita noſtra,
Coronanda olim etiam *per Vos*,
Sic enim ſperare audeant *clientes* è Ciſtercio
De *Advocatis* è Ciſtercio!
Itaque
Vos *Electores* inter *Electos* Regii!
In *Coronæ Cœleſtis* beatiſsimo *ambitu*
Plenis *urnis* adjicite *ſuffragia* veſtra
Amictu, *munere*, *votô*
Nobis *Candidatis!*
Et ſic olim
Mutuos inter nos plauſus miſcebimus,
De *occupata* à Vobis
Et *procurata* per Vos nobis
Immarceſcibili apud Cœlites gloriæ

CORONA!

TITU:

TITULUS XVI.
CISTERCIENSES REGUM FILII ET FILIÆ.



E Regum cunis, aularúmque deliciis prodiiſſe, qui Ciſtercii rigorem amplecti auſi ſint, id ego ſanè admiror, ſuſpicióque vehementer. Solâ famâ de auſteritate primórum Ciſtercienſium territi plerique vel è vulgo cadebant animis, vix quôpiam aut vo-

volente aut valente tentare atque experiri, minùs ferre aſperrimum vitæ genus ſubſtantiæ corporeæ tam infeſtum. Itaque digitô DEI amovenda hæc erant obſtacula, imbuendíque mortales aliis opinionibus, ut nempè aut mitiùs diſcerent ſentire de Ciſtercio, aut generoſiùs vellent aggredi eas novæ Familiæ auſteritates: Eapropter inſpirati per Divinas efficacias Regii Principes è voluptatum abundantiſsimis cumulis evocati tractíque fuêre ad Ciſtercii clauſtra & rigores, quâ arte correcta in aliis meticuloſa mens, cùm jam viderent Regias proles deliciis tenerrimè innutritas; ultrò convolare ad id inſtitutum, quod ipſi hactenùs tam ſcrupuloſè ſubterfugerint. Spectare hunc titulum ad Ciſtercii commendationem & decus, quis, præſertim ex ſæculi genio, non videat? Siquidem eos nanciſci Socios & Fratres, qui ad Provinciarum ac Populorum gubernacula feliciſsimâ naſcendi conditione ſint præordinati, id omnibus, atque etiam Ciſtercio & vel maximè glorioſum. Dabo in Scenam hanc illos præcipuè, quos in ſuis Voluminibus celebrant *Angelus* & *Chryſoſtomus*, ſæpè jam laudati Inſtituti noſtri *Hiſtoriographi*.

Obiit Annô 1179. Itaque *Gallia* Ciſtercii Mater & nutrix prima in theatrum prodeat, quæ in Mellifluæ Familiæ ſolatium & ornamentum genuit optimum Principem B: HENRICUM *Ludovici* Galliarum Regis *Sexti* filium, *Septimi* Fratrem, Monachatu ſuô Claram-Vallem illuſtrantem ſub *Bernardo* Parente, per quem admirabili eventu pertractus in ſanctiſsimos caſſes. In Claram-Vallem & induſtria ille diverterat, Abbatem Sanctum ſuper negotio quodam ſæculari conſulturus. Gratulatus ſibi Vir melleus de nobiliſsimæ prædæ præſentiſsimâ ſpe, quam nunc è manibus rursùs elabi vix auderet, monitus nempè jam antecedenter ſecretò per divina lumina de auſpicata Principis captura. Quapropter Sereniſsimo Hoſpiti ſub colloquii finem longè alia Bernardus conſilia aperuit, obtulítque, ſecùs quàm ille nè ſemel quidem vel perfunctoriè cogitâſſet, *Claram-Vallem* nempè pro Palatiis Regiis ingerens, cucullam pro purpura; Cùm namque Henricus Mellifluo Abbati vale factô ſe Sanctæ ejus Congregationis ſacris & efficacibus apud DEUM memoriis impenſiùs recommendaret, excepit Bernardus Principis optima vota inexpectatô vaticiniô: *Confido*, ait, *in Domino, nequaquam in eo te moriturum, in quo nunc poſitus es, ſed velo-*

Godefr. in vita Bern. L. 4. c. 3.

velociter experimentô propriò probaturum, quantum tibi iſtorum proſit oratio, quam expetiſti. Seu fortè non intellexerit, ſeu, quod verius, fortâſſe neglexerit oraculi myſteria *Henricus*, arbitratus ea ad futurum ſuum in Clara-Valle Monachatum minimè pertinere, abiit, longè alia cogitans quàm Bernardus præſenſerit, prædixeritque. At verò quia Melliflua apis inter mella aculeos miſcuerat, eâdem mox die, animô divinitùs per Bernardum compunctô reverſus eſt vaticinia ſibi de ſe prænunciata ſuô adſenſu jam ipſe probans, atque cum ingenti Clara-Vallenſium jubilo inter religioſos Tyrones adlectus eſt. Accidit & aliud in ea Principis converſione, quod hôc locô taceri vix poteſt. *Andreas* quidam *Pariſienſis* ex Henrici famulitio acerbiùs quàm cæteri tulerat Domini ſui ſanctum diſpendium, offenſus, quòd in hero ſuo ſpes ſuas omnes perdidiſſet & penſiones: quare inſanis clamoribus factum Henrici per cumulatiſsima convicia indigniſſimè proſcindebat, condemnabátque; quæ tamen Princeps cum ſumma manſvetudine prorsùs ad Bernardi genium ac votum ſuſcipiens, inſuper optabat precabatúrque inſtantiſſimè, ut Vir DEI converſionem inſigniſſimi iſtius impoſtoris efficaciſſimis precibus quàm poſſet, apud DEUM urgeret. Ad quæ Abbas Sanctus: *Dimitte*, ait, *hominem, modò anima ejus in amaritudine eſt, nec pro eo multùm ſolicitus ſis, quia tuus eſt ille.* Vix ſufficere jam poſſe tantis in animi diſturbiis ſola vaticinia, ſuſpicatus religioſiſſimus Princeps, aliquid fortè efficacius præterea rogat à Bernardo pro feſtinanda Viri inſolentiſſimi converſione. Severiori ad hæc vultu reſpondit Abbas: *Quid eſt hoc*, ait, *nunquid non jam dixi tibi, tuus eſt ille!* Audiit & hæc *Andreas*, indignationem ſuam jam etiam in Bernardum transferens, quòd per ea verba viſus ſibi prædicere Monachatum, quem mox vel in Hero ſuo tam acerbis odiis damnâſſet: in ſeipſo utique in æternum non implendas inutiles illas vanáſque ſpes, quas ſibi Abbas de Clara-Valle finxiſſet de *Andrea*, qui nunquam futurus eſſet Monachus, ùt prædicebatur. Die alterâ è Cœnobio valléque egreſſus eſt, diras omnes imprecatus Viris incolis, qui ſibi Dominum abſtuliſſent: & novas coquens iras, egerebat per diem integrum indigniſſima quæque in Herum, Bernardum, ſociósque & Fratres: Uſque tandem in ſubſequentem noctem, admirabile dictu! efficacia Divini Spiritûs pleniùs animum Viri occupans traheret victum vin-

Godef. in vita Bern. cit. loco.

ctúmque in Bernardi placita ac ſententiam. Quare expectatô vix diluculô ad Claram-Vallem reverſus eſt, ultrò jam expetens, quod pridie & nudius tertius tantâ contumaciâ rejecerat, Henrici deinceps in Monachatu ſocius, nuper in palatio ſervus. Claudit geminæ hujus converſionis ſcenam *Manriqueus* ad Annum 1149. cap. 3. n. 9. verbis pro Mellifluo Parente glorioſis: *Certet ſecum*, ait ille, *Bernardus de efficacia (nam cum alio quî poſſit?) ſive DEUM oret, ſive hominibus loquatur; dum ab eo nihil petit, quod non obtineat; his nihil ſuadere tentat, quod non perſvadeat.* Nunc propiùs ad Henricum redeamus, cujus excelſam indolem ad ſceptra & gentium gubernacula à natura formatam diviniſsimis ſenſis erudiit Mellifluus Magiſter ad ſacros Inſularum honores: Unde primò quidem ad *Belluacenſem* Epiſcopatum, ac ſubinde licèt omninò invitus ad *Rhemenſem* Archi-Epiſcopalem Sedem evectus eſt. Attamen ſtans in ijs Eccleſiarum faſtigiis reſpexit ſemper humilitatem Vallis ſuæ, Summus gradu & munere, infimus animi demiſſione. Eximiè laudat hanc ipſam pulcherrimam in Viris Magnis virtutem *Venerabilis Petrus Mauricius*, *Cluniacenſis* Abbas, ſui ſæculi ac Ordinis ſplendor, qui hæc de *Henrico* noſtro ſuper ejuſdem electione in Epiſcopum *Belluacenſem* à Bernardo Patre conſultus in ſummam Electi recommendationem reſcripſit: *Si vitæ meritum quæritur, magnum eſt. Quomodo enim non magnum eſt, cùm de tanto tantillum ſe fecerit? Cùm Regii ſangvinis, ut ſic loquar, ſuperbiam tam robuſtô humilitatis pede calcaverit? Cùm luxus, & plenô cornu fluentes mundi delicias tormentis innumeris, & mille mortibus commutaverit? cùm undique arridentem mundum irriſerit? Cùm abnegans ſemetipſum, & tollens Crucem ſuam, Chriſtum morientem ſecutus fuerit?* Hæc *Petrus* de ſanctiſſimo inter Monachos Principe. Octenniô tandem in præfectura Eccleſiæ Rhemenſis exactô hominem feliciſſimè exuit, aſſumendus exinde ad beatiſſima in Cœlis Sanctorum Præſulum præmia, quæ per egregios labores longè ampliſſima promeruiſſet.

Epiſt. cit. apud Manriq. ad annum 1150. c. 7. n. 3.

Redibit *Gallia* iterum iterúmque per decurſum præſentis Tituli, cùm nos interim ex aliis plagis rivulos & laudes in hunc alveum titulúmque deducemus. Occurrit præprimis *Luſitania*, Gens, ſi quæ alia unquam, Ciſtercii amantiſſima, è cujus Regia proſapia

pia

pia quatuor Sereniſſimi Principes ſub Ciſtercienſium vexillis militavêre, *Ferdinandus*, nempè, *Henricus*, *Petrus*, & *Dionyſius*. Priores duo inter noſtrates Martyres, & Milites ſuas laudes habent tertius & quartus hôc locô inter Regios Principes veniunt memorandi. Itaque B: PETRUS, Regis *Alphonſi* Frater, militiâ ſtrenuus, florentiſſimam primæ adoleſcentiæ ætatem armis occupavit, Saracenos vel ideò haud gravatè paſſus hoſtes, ut nempè haberet quos vinceret. Patriæ calamitatem feliciſſimè traduxit in occaſionem ſuæ laudis, ac gloriæ, in præliis victoriíſque fortis ac frequens. Inde victoriarum ſpecioſiſſima merces, ingens fama celebres inter triumphos per omnem Luſitaniam, vicináſque gentes laudatiſſimum Principem circumtulit. Attamen qui in Patria terra per Saracenos vinci non potuit, Bernardo Monachorum in Galliis Patri victas dedit manus. Fuit namque unus illorum nobilium adoleſcentum, quos, ùt refert *Guillelmus* Author *vitæ S. Bernardi* Lib. I. cap. II. torneamentis addictos (equeſtrium luſuum genus id fuit apud veteres percelebre) potione cereviſiæ à ſe benedictæ etiam reluctantes ad Ciſtercii caſtra perduxit Mellifluus Abbas. Itaque Petrus noſter, qui inter nobiliſsimos Socios fuit unus è præcipuis, expertus pariter eſt, quod reliqui omnes, inexpectatâ ſcilicèt, & optandâ hodie vel maximè metamorphoſi bibendo factus bonus atque quod amplius, Ciſtercienſis. Ita nimirùm hauſtus, qui hodie non paucos perdit, præcipitátque, ad ſalutem quàm optimè conduxit, quem Bernardus benedixit. Fecit tamen Luſitaniæ amor, ut Regius Princeps quantumvis eâ potione de amplectendo Ciſtercio divinitùs admonitus, è Galliis ad patriam regreſſus, vocationem aliquantiſper diſſimulârit. At verò Bernardus jam ad Superos translatus tardanti apparuit ſeverus monitor, eíque ſuis ipſe manibus candidiſſimam Ciſtercienſium cucullam obtulit, munus vel ex eo nunc etiam gratius, quòd è Cœlo Melliflui Parentis manibus allatum. Noluit ultrà moneri à Bernardo & Cœlo *Petrus*, ſed mox commendatam ſibi tantopere veſtem inter mille oſcula in Illuſtriſſima *Alcobacia*, domo Inſtituti noſtri apud Luſitanos celeberrima, ſinè mora aſſumpſit. Primum opus Religioſi Principis æmulatio Bernardi, ſinè quo in Ciſtercio nihil eximium. Ejus armis in nova militia conſtanter uſus eſt, ediâ ſcilicèt vigiliis, ciliciis, oratione, contemplatione, per ea nunc

Obiit Annô 1265.

 lon-

longè felicior dæmonum triumphator, quàm olim per gladios enséſque Saracenorum. Inviſerat aliquando Monachum Principem quiſpiam ex illuſtribus nuper ſociis, cum quo incautiùs fortè de nuperis victoriis confabulatus, jactare cœpit geſta fortiter bellica facinora, fortunam per tot caſus ſemper faventem, corporis robur milite dignum, nullíque ſecundum. At deprehensô mox errore, ac jactantiæ vitiô, multavit lingvam ſeptem menſium rigidiſſimô ſilentiô, nullô penitùs per id tempus verbô extra ſolas in Oratorio preces prolatô. Superaddidit prætereà virtutum pulcherrimum ornamentum, amores *DEIparæ*, Ciſtercii geniô & velutì fatô quôdam ac pondere impellente ſingulos de mellifluo gremio alumnos ad divinas has delicias, ut amarent *Mariam*, quæ priùs dignata amare Ciſtercium, præoccupare, imò provocare in ſingulis *Primis Patribus* amores omnium, quos tantæ *Dominæ* negare vix auderent, vix poſſent niſi inhumani atque ingrati. Itaque *Petrus* erga *Virginem* hanc & optimam Matrem afficiebatur tenerrimè, toties ecſtaſim paſſus, quoties *Mariam* vel cogitaret, vel *Angelicô Ave* ſalutaret, Ciſtercienſium omnium factus ipſe & ſpeculum & ectypon, qui in auguſtiſsima Domina aut Matrem ſentiunt in lacte cum *Bernardo*, aut Sponſam in annulo cum *Roberto*. Abiit tandem *Petrus* ad Dominam, ad Sponſam, ad Matrem, expertus unus omnia in *Maria*. Fragrantiſſimus ex ſacris Viri Principis exuviis per univerſum Cœnobium diffuſus odor indubitatum apud omnes fecit, felicitati ejus apud Divos Cœlites nec *roſas nec lilia deeſſe*.

Floruit Anno 1620. & deinceps. Alter *Luſitanorum* Sereniſſimus Surculus, DIONYSIUS de PORTUGAL, (memorabo Principem verbis *Jongelini Notit. Abbat. L.6. pag.6.*) *Emmanuelis Frater*, *Antonii Filius*, *Ludovici nepos*, *Emmanuelis Portugalliæ Regis*, *ac Indiarum Inventoris Pronepos*, ad noſtram ætatem acceſſit propiùs: Ciſtercii vexillis adſcriptus in *Valle-Bona* apud *Caſtellanos*, ſubinde per Regium *Philippi IV.* annutum in Belgium perlatus *Antverpienſe S. Salvatoris* Cœnobium clariſſimô ſuo incolatu nobilitavit. *Jongelino* citato per decennium notus, qui etiam Regias in Dionyſio dotes, virtutéſque gratiſſimâ ſocietate in tanto Principe unà cum ſtirpis nobilitate conſiſtentes quàm digniſſimè ibidem commendat.

Floruit Anno 1196. & deinceps. E Principibus *Aragoniis* memorandus hôc locô FERDINANDUS,

DUS, *Alſonſi* Regis Filius natu minor, qui Anno 1192. cum Patre viſitans *Populetanos* Ciſtercienſes, ſenſit ſibi divinitùs inſpirari cœleſtes eorundem amores, quibus à Populeto nunquam deinceps avelleretur. Tenera Principis ætas, & ſubita ac feſtinata vocatio movebant *Alſonſum* Parentem, ut conſuleret filio, differre interim concepta per impetum vota: quæ tandem ab obitu Patris mox reddidit DEO in memorato Populeto, Annô 1196. dilatæ converſionis perdita merita magnâ animi alacritate ingentíque zelô ſanctiſſimè recompenſans.

Addendus ex eadem Hiſpania & alter FERDINANDUS *Aragonius*, Ferdinandi *Catholici* ex Alphonſo Filio Nepos, qui relictâ *Calatravenſium* ſupremâ præfecturâ in *Petræ* Cœnobio Monachatu inter Ciſtercienſes initiatus eſt: ſubinde acclamatus *Cæſar-Auguſtanus Archi-Præſul* & *Pro-Rex clariſſimos honores geſſit quàm digniſſimè.* *Obiit Annô 1575.*

Et *Scotia* hôc Titulô felix in *tribus* Regiis Principibus, quos Sceptro genuit; at felicius longè Ciſtercium, cujus parentelâ ijdem DEO cœlóque nati ſunt. Fuêre illi *Alexander*, *David*, *Gualterus*, *Beati* omnes: priores duo inſuper fratres germani. B: ALEXANDER, votis Populi, Procerum ſuffragiis, & præcipuè voluntate Regii Parentis mox Succeſſor Rex acclamandus, ſuaſu ductúque pientiſſimæ Sororis ſuæ *Mechtildis* piâ fraude eluſit Scotorum ſpes; mentitô ſiquidem habitu mare unà cum Sorore trajiciens in Galliam, id eſt, in portum appulit, ubi fluctibus Regni, undíque procellis ſuperior tutiſſimam ſibi ſtationem fixit in *Fusniacenſi* Ciſtercienſium Cœnobio, diſſimulatô interim Regiô ſangvine factus *Converſus*, ex magno ſcilicèt Alexandro puſillus, imò penè nullus; verùm eò major atque excelſior futurus in regno cœlorum, quò è ſpe ſolii ad caulas uſque pecorum deſcendit profundiùs; paſcendis namque curandíſque pecoribus deſtinatus, indignum quidem Rege, at cœleſti gloriâ longè digniſſimum paſtoris induſtrii munus quàm ſanctiſsimè geſsit, abiens nempè quotidie unà cum *Divina Sponſa* Sponſus & ipſe caſtiſsimus poſt *gregum veſtigia*, uſque tandem ad feliciſsima illa Cœlitum paſcua è corpore evocaretur, mutatâ ſcenâ futurus ipſe deinceps felix ovicula, ſecutura Agnum, quocunque ierit. Perdidiſſe mortalibus viſus *Alexander* coronam, cùm deſeruit, illam cum glorioſo *Obiit Annô 1217.*

fœnore *duplicatam* apud Superos recepit, cujus rei nuncium ipſe è cœlo attulit cuidam è Ciſtercii Fratribus, cui ſeſe multâ coruſcantem cœleſti luce ſpectandum exhibuit, coronam unam gerens in capite, in manibus alteram, explicuítque ſtupenti gratiſſimi ſpectaculi myſteria in hæc verba: *Corona, quam in manibus teneo, corona extitit temporalis, quam deſerui: illa, quâ caput ornatur, corona eſt, quam communem cum Sanctis accepi.* Ita nimirùm non perdis, quod propter DEum deſeris, quin imò perdendo ſervas & auges.

Floruit circa Ann. 1210. B: DAVID, *Alexandri* Frater ſangvine, indole, pietate optimo germano per omnia ſimilis, hôc unô duntaxat diſsimilis aliquantùm, quòd non eâdem cum Fratre viâ Ciſtercium ingreſſus ſit. Fugit *Alexander* dignitates nè imponerentur; *David* jam impoſitas humeris ſaluberrimè excuſsit, cùm ex *Archi-Epiſcopali S. Andreæ Sede*, cui *Primatus* totius Scotiæ annexus eſt, in humiles Ciſtercienſium Valles excelsô planè animô deſcendit, vitámque *In Menolog. 16. Junij.* inibi vixit, quam Ciſtercienſes calculô *Beati*, DEUS prodigiis condigniſsimè approbârint.

Ex eodem culmine Sedis Archi-Epiſcopalis *S. Andreæ* in *Meilroſenſe* Cœnobium deſcendit tertius Scotiæ Princeps S: GUALTERUS, Regis *Davidis* filius. Præſenſerat is in *Meilroſa* ob nominum fortè affinitatem latere *mel & roſam*: itaque Melliflui Bernardi patrociniô felicem Familiam, domúmque ingreſſus, in melle delicias animæ, in roſa invenit coronam gloriæ. Senſerunt pariter Meilroſenſes Aſcetæ Cœnobio ſuo in *Gualtero* lucidiſſimum planè ſidus illapſum eſſe, Ciſtercienſe Cœlum illicò magnis fulgoribus illuſtraturum, quare orbati Abbate Virum Principem in demortui dignitatem communibus votis ſubrogaverunt. Ornavit ille ſpartam hanc eximiis meritis, Ordinem univerſum illu- *In Menol. 3. Maij.* ſtravit clariſsimis virtutibus, auxítque Feſtos Eccleſiæ dies, poſt ſanctiſsima fata Divorum adſcriptus cœtui.

Obiit Anno 1225. Dania etiam Sereniſsimum Principem Ciſtercio dedit WALDEMARUM, Filium *Canuti* Regis, ante aſſumptum Ordinis Melliflui habitum *Sleswicenſium* ac *Bremenſium* Antiſtitem: quam poſteriorem Cathedram cùm absque Sedis Apoſtolicæ authoritate ac benedictione occupâſſet, ab *Honorio III.* Pontifice Maximo diris percuſſus non illicò reſipuit, donec manus Altiſsimi non perdens,

dens, ſed ſanans per immiſſas acutiſsimas febres traxiſſet hominem ad conſilia ſaniora. Abſolutus igitur à nodo ſpirituali, ab accerſito Abbate *Lucellenſi* indutus eſt Ciſtercienſi veſte, cum voto ſe mancipandi ſolemniter Ciſtercio, cùm primùm è morbo reſpiraverit. Sanatus ſtetit ſacris pactis, firmante *Honoriô* Papa propoſita *Waldemari* per literas, quibus eum *Waltero* Ordinis Generali, atque etiam *Guidoni* Abbati Morimundenſi recom̃endaverat. Vixit annis in Ordine quatuor, nuperam maculam emendans humili obediendi promptitudine, inſigníque pœnitentiæ laude, conſummatus Annô 1225. Quam verò Familiæ noſtræ domum ſuâ converſione & converſatione nobilitaverit *Waldemarus*, ſatìs non conſtat. *Manriqueus* (qui mihi in his pro fonte eſt) Annalium ſuorum *Tomo* 4. ad annum 1221. c. 3. & ad annum 1225. c. 3. ex authoritate *Iſaaci Pontani* Scriptoris rerum Danicarum ibi recitata exiſtimat conſum̃atum ſeu in *Luka*, quod eſt cœnobium apud Saxones, ſeu in *Lucella*, quæ eſt domus Ordinis apud Alsatas: quanquam in *Indice Tom.* 4. *Lit. W.* apertis verbis monachatum Waldemari referat ad *Lucellam*, fortè ex eo, quòd per Abbatem Lucellenſem, utì meminimus, ad ſe evocatum candidâ Ciſtercienſium veſte indutus ſit, & veroſimilius ad eum tota Viri Principis converſio referenda ſit, per quem converſionis ac pœnitentiæ primitiæ cœperint. Verùm nîl intereſt de loco ſeu monachatûs ſeu obitûs, modò *Waldemarus* noſter ſit, quod indubitatum eſt ex literis *Honorii* Papæ, quas integras recitat Manriqueus ad Annum 1221. c. 3. Argui fortaſsis poſsim, quod ultra debitum ſincerus hìc fuerim, Waldemarum ità inter Ciſtercienſes referendo, ut tamen ſimul etiam ante aſſumptum Ciſtercium Viri culpam, pœnámque humanitùs divinitùsque inflictam apertiùs memoraverim, quaſi verò hæc Ciſtercienſem Familiam infamarent. Non deliquit Princeps in Ciſtercio, ſed pœnituit. *Petri* Apoſtolorum Principis orbe totô glorioſiſſima pœnitentia recenſeri haud poteſt ſinè delicti prævii memoria: ideóne ergo hiſtoriographus ſacer erga pœnitentem Apoſtolum inofficioſus fuit, quòd culpam illius calamô non preſſerit? Imò verò ex hiſtoriographi munere tacere illam non potuit: Neque delictum hoc adeò *Petro* detrahere potuit, quod ille tam eximiâ pœnitudine penitùs expunxit. Ferè eadem hìc: vix namque intelligi poteſt, quô pactô *Waldemarus* Ciſtercium am-

 plexus

plexus ſit, niſi & culpam ipſius pœnámque ſincerè aperiamus; ex inflicta etenim divinitùs pœna didicit eſſe, qualis hìc laudatur, *Ciſtercienſis.* Et ſanè non video, cur id vituperio, & non magìs laudi duci debeat, culpam nempe quam commiſeris in ſæculo, diluere in clauſtro: Primùm humanæ eſt imbecillitatis, poſterius divinæ virtutis. Memineris itaque *Waldemarum*, priùs hominem fuiſſe, ſubinde Sanctum, & quotusquisque, amabò, eſt, qui absque lapſu ſemper ſteterit? Crediderim ego, Angelorum infelices ruinas, ſi adultos ſpectemus, per nullos tam reparatas fuiſſe, quàm per pœnitentes. Igitur *Waldemari* memoria, & quia præſertim Principis Regii, & quia præterea etiam Principis pii ac pœnitentis hunc Titulum, atque etiam ipſum Ciſtercium quàm digniſsimè ornet.

Jongelin. Not. Abbat. L.4.pag.11. *Hungaria* quoq; Sereniſsimam lucem Ciſtercio attulit in SALOMONE (nonnulli *Sigismundum* vocant) Principe Regio, ſceptri hærede, qui geſtis cum Fratre aliquamdiu de Succeſsione litigiis, cùm penitiùs introſpexiſſet in vanas atque perituras mortalium ſpes, meliora olim apud Cœlites occupaturus, ultrò ceſſit exceſsítque terris Patrijs, atque diſsimulatâ natalium conditione in *S. Cruce* apud *Auſtriacos* Ciſtercium amplexus, ſub *Converſi*, & quod mireris ampliùs, ſub *ſubulci* humillimo ſchemate annis omninò viginti quatuor ſanctiſsimè delituit. E mortali demum corpore migraturus ad Regni ſuperni interminabilem felicitatem, coràm Abbate ad ſe accerſito poſitâ ſubulci fabulâ, quam eousque in patientiæ humilitatíſque theatro ob unius Numinis amorem ſuſtinuerat, *Salomonem* Regium Hungarorũ Principem, nuper deperditum, rursùs Orbi reſtituit: & poſteaquam læta ea ac admiranda nuncia Abbati expoſuiſſet, illicò ad immortalis Regni capeſcenda beatiſsima jura è *Cruce* & carne evolavit.

Et iterum Gallia in *Pontigniacenſi* Cœnobio novis ſplendoribus aucta eſt per TRES FILIOS REGIOS, qui ex *Oriente Ludovicum* Regem in Franciam comitati cùm viderent, audiréntq; admiranda de Familiæ Ciſtercienſis ſanctitate, ſpirante in præcordiis Numine, unô conſiliô cœpêre amare Ciſtercium: Et Manriq. ad Ann. 1149. cap. 3. quia cœleſte illud ſacræ militiæ genus magìs placeret, quàm ea arma, quæ hactenùs ferre ſueverant, poſitis baltheis in *Pontigniaco* Ciſtercienſe inſtitutum magnis animis amplexi ſunt, plaudente

te Rege, ſed magìs gratulante Ciſterciô, quòd nunc ijsdem ferè ſcenis *Reges ab Oriente* digreſſi quærerent DEUM in *Ciſtercio*, quem olim quæſierint invenerı́ntque in *Bethlemitico tugurio.* Apertis theſauris Regia munera à tribus his Principibus oblata eſſe Pontigniacenſi domui, modicæ adhuc eâ ætate ac indigæ, aſſerit *Manriquem* locô citatô, per quæ adminicula ſtructuræ domûs plurimùm promotæ ſint, auctæque ut proinde inter præcipuos Pontigniaci Fundatores jure optimô habeantur Regii illi Monachi. Verùm deplorat Manriqueus, præter modica hæc, quæ tum ex traditione, tum ex antiquis Cœnobii tabulis remansêre, non haberi plura, per quæ tanti Viri ampliùs meliúsque noſci atque æſtimari poſſint. Excuſat tamen *Angelus* noſter ſanctiſſimè hanc ipſam notitiæ Regiæ penuriam. *Nec quidquam aliud* (ſcribit ille citatô locô num. 3. *occurrit de his Viris, quibus fortè quia dignus non erat mundus, notitia obſcura, & reſervata Cœleſti Curiæ.* Sufficiat eos ex *Angeli* præclaro teſtimonio Ciſtercienſes haberi, de quorum ſanctitate ambigi omninò non liceat; qui enim DEO authore tam ſanctè cœperint ſub Ciſtercii ætatem prorsùs floridam & vigentem, quídni & fine haud diſpari tam ſancta initia quàm optimè coronaverint?

Verùm Regios inter Ciſtercii Principes vix ulli converſione rariores, ac martyriô clariores, quàm *Sanctiſſimus* ille Princeps, ac glorioſiſſimus pro Chriſto *Martyr* DIVUS BERNARDUS hodie à loco ſepulchri apud *Hiſpanos* nuncupatus ALZIRANUS cum duabus Sororibus ſuis MARIA & GRATIA. Ciſtercienſi huic Triadi natales regios dedit *Zaën* in Partibus Hiſpaniæ *Carlitani Rex*; at Regium ſangvinem indolémque fœdâ *Mahometis* ſectâ indigniſſimè deturpavit Paganus Genitor: quam tamen alienô vitiô affrictam labem, ſangvinis ſui ſacerrimô lavacrô illuſtres pro fide athletæ olim eſſent integerrimè abſterſuri. Defunctô Patre ſucceſſit in Provinciæ gubernacula *Almanzor Zaëni* Filius natu major, à quo *Bernardus* frater, ſuis adhuc dictus *Ametha*, conſiliis præſtans, atque tractandis negotiis admodum dexter ac felix, in partem ſolicitudinis aſſumptus, ab eóque non multò poſt cum charactere Nuntii ſeu Oratoris Regii ad Hiſpaniarũ Monarcham miſſus eſt. In eo ipſo itinere errore ducum à recto tramite caſu ſeu fatô intempeſtâ nocte in vaſta ſylva longiùs recedentium, ſo- *Paſſi Annô 1180.*

Ppppp nitu

nitu campanæ, cantúque pſallentium de media nocte Ciſtercienſium in Monaſterium *Populetanum* incidit. At verò intelligat Lector, quàm viæ iſte error omninò felix viam Bernardo noſtro aperuerit ad fidei gloriæq; immortalis ſanctiſſimam indaginem. *Grimaldus* primùm (qui erat loci Abbas) Principem hoſpitem officioſiſsimè deveneratus, cùm audiiſſet viarum mirabiles errores, quâ pollebat prudentiâ, mox intellexit, à DEO id factum miſſúmque *Amethen* ad Populetanos, quemadmodum olim *Cornelium* Centurionem ad *Simonem Petrum*. Itaque Virum aggreſſus Chriſtianas ſemitas pleniſsimè eidem explicuit, quibus ad perennia gaudia tandem perveniretur: Nunc felix illud illuxiſſe momentum, quô oculos aperiret, & fatales tenebras, in quibus hactenùs moratus, ſacráque lumina, quæ jam Numinis dignatione ſibi accenderentur, penitiùs adſpiceret, atque etiam cùm jam commodè felicitérque id poſſet, emergeret ex errorum in quibus hucusque hæſerat, ſordida caligine, DEUMque ſequeretur, præferentem nunc facem ad Chriſtiana ſacra. Audiit per igneas voces calentiſsimè & magnificè perorantem Abbatem attonitus Princeps; cúmque intùs & foris per DEUM hominéſque urgeretur, ejuratô palàm *Mahomete*, *Chriſti* fidem mox eſt amplexus. In baptiſmo quoniam placuiſſet *Bernardi nomen*, placuit illicò & *Bernardi Familia*: adlectus proinde Ordini totus in eo fuit, ut temporis in paganiſmo nuper deperditi miſerandam jacturam quoquô modô reſtauret, eapropter ardentiſsimis ſtudiis in virtutum palæſtra plerosque in Populeto antegreſſus generoſô zelô ad ſumma feſtinavit. Domùs religioſæ ſubinde ab Abbate conſtitutus œconomus, fortè rectiùs, Pater pauperum, annonam auxit, dum egenis diſtribuit, horrea implevit, cùm in famelicorum ſubſidia evacuavit, cœlô refundente duplũ, quemadmodum id Abbas ductis rationum calculis cum ſancta admiratione evidentiſsimè deprehendit. Martyrio cœlóque maturus de Superiorum aſſenſu è Populeto ad ſuos rediit Patriis terris Laribúsque illaturus lumen fidei, gentis ſuæ *Regius Apoſtolus*. Compluribus è Paganis ad Chriſtum traductis penetravit in aulam *Almanzoris* Fratris, ubi *materteram* primò lucratus Chriſto, cui mox adjunxit Sororem geminam *Zoraydam* & *Zaydam*, quibus in baptiſmo antiquatis paganis impoſita nova & Chriſtiana nomina *Mariæ & Gratiæ*. Factus eſt ſacrâ hâc geneſi Bernardus Sororum

rum ſuarum è Fratre Pater. At in uno Fratre Rege ulteriores & ſanctiſsimæ ſpes ſuffocatæ ſunt: imò quod inhumanius, in eo Bernardus expertus hoſtem, & Tyrannum, fugientem enim ex aula cum Sororibus jam Chriſtianis inſecutus immanis Fratricida, truculentos *Nerones Dioſcoróſque* pari propemodum facinore adæquavit, atque ſi menſuram criminis in numero ſpectes, etiam ſuperavit; quod enim illi auſi in matrem & filiam; hoc Almanzor in Fratrem & Sorores. *Bernardus* clavô per cerebrum crudeliſſimè adacto arbori affixus, *Maria* & *Gratia* Sorores lanceis confoſſæ pretioſâ morte regias animas ſuper aſtra immortalibus laureis coronandas feliciſsimè exhalaverunt. Supremum Bernardi opus pietas in Ciſtercium, cui nempè Sorores, quas nuper Eccleſiæ genuit, præterea etiam communicatô priùs iiſdem ſacrô habitu, emiſsóque per illas caſtitatis votô paulò ante martyrium conſecravit in filias. Sacras Principum exuvias annis quadraginta à glorioſo agone evolutis *Rex Jacobus* Mauſolæo marmoreô, inſigníque Baſilicâ, ac tandem poſt tria ſæcula Catholicus Hiſpaniarum Monarcha *Philippus II.* Monaſteriô Ordinis *SS. Trinitatis* Fratrum *de Mercede Alzira* Regiâ munificentiâ exornaverunt. Addidit ſubinde Eccleſiæ ſuprema auctoritas ſanctiſſimis Martyribus cultum ſolemnem ac publicum, juſsítque eos ab *Alzirenſibus* velutì præcipuos Patriæ Tutelares coli officiô Eccleſiaſticô.Ità nimirùm dum Alzirenſes, Fratréſque de Mercede *Bernardum*, *Mariámque* & *Gratiam* impensè venerantur, domeſticam Ciſtercii gloriam in Ciſtercienſibus Tutelaribus vel extranei ſuſpiciunt, commendántque.

Reſumenda nunc rursùs *Gallia*, atque ex Gallia memorandi Clariſsimi duo Principes *S. Petrus Monoculus*, & *B. Ervæus*, ambo Abbates, hic *Urſi-Campi*, ille *Claræ-Vallis*; qui quamvis immediatè è Regibus progeniti non ſint, proximis tamen gradibus regias cunas, regiámque proſapiam attigêre: proinde pro majori præſentis Tituli amplitudine laudandi hôc locô veniunt. Itaque S. PE- *obiit Anno*
TRUS è *Franciæ* Regibus oriundus in adoleſcentiæ aurora per ca- *1186.*
ſtiſsima vota Divinam Parentem ſibi in Advocatam conſtituit. Quæ illicò velutì per ea pacta in ſcenam & ſpectaculum vocata, viſa eſt in ſomnis à *Petro* in ſublimi ſolio collocata, aſpectu blandô, multâque voluptate novum clientem ad ampliora chariſma-

ta dulciſſimè inaugurare. Et currebat jam in eadem viſione adoleſcens, ad præſtandum Optimæ Patronæ homagium, novis fœderibus atque affectibus fidam illius opem de genu propiùs imploraturus; Verùm intercluſa eſt feſtinanti via à geminis canibus mole & ſpecie horridis. Itaque ut jam prima beneficia ab *Advocata* ſentiret cliens, abegit mox illa imperiô infeſtos moloſſos, explicuítque ſecuriùs viam ad ſe properanti. Feliciſſima hæc auſpicia invitabant nobiliſſimum adoleſcentem ad Ciſtercii vexilla, ubi Divina Virgo omnium & Patrona eſſet, & quod optabilius, dulciúsque, ſingulorum Mater: Igitur *Igniaci* ſuſceptô habitu per Ciſtercienſis inſtituti aſſumptionem novô iterum Sacramentô *DEIparæ* devotus, eandem expertus eſt intimiùs efficaciúsque illabi in clientum præcordia intrà quàm extra Ciſtercium; Cùm enim aliquando affectus omnes ſinúsque cordis ſui ſolviſſet, ut eſſent vocales Virgini; diceréntque ei, quàm & quantum *Divam* amaret *Petrus:* illa Cœlô delapſa ſervulum, imò jam in Ciſtercio filium obruit immensô beneficiô, cùm nempè è ſupernis Sedibus gratiæ vehementiſsimum ſenſibilémque ſpiritum attulit, qui in intimas Viri arterias medullásque propagatus, per omnem deinceps vitam beatiſsimum illum effectum habuit, ut penè continuò DEUM ac perennes Cœlitum voluptates ardentiſsimâ cogitatione delicioſiſsimè volveret, revolverétque, corporeis ſenſuum functionibus propè neglectis, aut perfunctoriè duntaxat curatis, ſeu potiùs toleratis. Idem *Viro* in rebus omnibus animus, eadem frontis & mentis jucunda ſerenitas, ſeu premerent adverſa, ſeu arriderent proſpera: Spectabat nempè hæc omnia infrà ſe agi & circumagi, neque ad ſe ullô pactô pertinere. Movit rara hæc Petri ſanctitas *Lucium III.* Pontificem Maximum, ut eidem Romam evocato depoſitâ Pontificiâ Majeſtate Viri pedibus advolutus peccata *confeſſus* ſit, atque ex ejus manu *Euchariſtiam* ſuſceperit. Et feciſſet aliquid amplius Papa, quod Orbis Chriſtianus absque prævio fortaſsis exemplo etiam ante *Cæleſtinum* obſtupuiſſet; Obfirmatô namque conſiliô jamjam erat Tiaram poſiturus, atque ex *Petri* Apoſtoli *Succeſſore Petri* Clara-Vallenſis futurus *filius*, niſì Abbas Sanctus reſtitiſſet quàm fortiſsimè, rapinam forſitan arbitratus, aut rectiùs, indecentiam, ſi foret non modò æqualis, verùm etiam Superior ſupremô Eccleſiæ Capite. Debebat Petrus *Lucium* dare Ciſtercio, debebat eundem ſervare

re Romæ: utrumque felicisſimè præſtitit, ſervavit Eccleſiæ *Patrem*, Ciſtercio dedit *Patronum.* Româ tandem exceſsit, ad ſuos Clara-Vallenſes rursùm feſtinaturus, donatus muneribus, *eô* in *Urbe* in *Cathedra Petri* relictô, qui Ciſtercienſibus & vellèt & poſſet benefacere. Reverſum ad Gallias mox Annô 1186. excepit legatio in Germaniam ad *Henricum Imperatorem*, ubi dignum ſe probavit, ut & Cæſar ſuſpiceret, quem Roma amâſſet. His Sumōrum Principum ſuffragiis atque amoribus adjecit *Cæli Regina* reſpectum adhuc unicum, quô ipſi *Spiræ* inter preces facta aſpectabilis, in Baſilica Cathedrali orationem: *Omnipotens Sempiterne DEUS, miſerere huic famulo tuo &c.* quæ pro Fratribus de via redeuntibus dici conſuevit, fauſtiſsimè ſuper ipſum pronunciavit. Jugi porrò fletu, quô ad Cœlitum amabile conſortium per momenta aſpirabat, ſe non fruſtrà *Petrum* compellari confeſſus eſt. Acerbis lachrymarum fluentis perditus oculorum alter, unde deinceps dictus vulgò PETRUS MONOCULUS. Quod tamen gratiſsimi luminis diſpendium ille in occaſionem traxit pii joci, dicere ſolitus, gaudere ſe, quòd ab uno è periculoſiſsimis animæ *prædonibus* nunc immunis foret: digniſsimus planè qui ſecundùm Salvatoris oraculum cum *uno oculo*, ſed cum mille meritis ad ſidera & Cœlitum gaudia translatus ſit.

B: ERVÆUS nuncupatus *de Baugentio* è Regum *Franciæ* ſtirpe non minùs progenitus, ac Petrus, Ciſtercienſe inſtitutum amplexus eſt in *Urſi-Campo*, ubi à B. Walerano domûs illius primo Abbate Viro planè Angelico ſanctiſsimè inſtitutus defuncto Magiſtro ſucceſsit in munere. Laudatur à *Vincentio Belluacenſi Lib.* 17. *Spec. hiſt. cap.* 5. *Ervæi* felix pueritia, per Bernardi præſagia auſpicatiſsimè commendata; Nam cùm Mellifluus Abbas *Noviomi* in domo *Simonis* Epiſcopi Viri nobiliſsimi, & *Ervæo* ſangvine juncti aliquando pernoctaret, oblatus eſt ſancto Hoſpiti à Præſule parvulus nepos fauſtâ precatione ab eodem ſignandus. Et placuit mox *Ervæi* Regia frons, è qua ſanctiſsimas ſpes colligebat Mellifluus Vates. Occupabant interea Bernardi mentem ſub nocturnam quietem impreſſæ pueri ſuaviſsimæ ideæ, visúsque ſibi adſtare aris ſacris, ubi cùm inter Miſſarum ſolemnia pro Eccleſiæ more danda eſſet pax, Angelus, qui ſeſe in altaris miniſteria cum reverentia immiſcuerat, acceptum à Bernardo pacis oſculum,

Floruit Annô 1142.

ejusdem nutu juſsúque melleum illud baſium *Ervao* detulit. Intellexit illicò Pater Sanctus viſionis futuros eventus, Regium ſcilicèt puerum, olim cùm adoleverit, trahendum cœlitùs in Ciſtercii ſocietatem. Et verò reddidit *Ervaus* Bernardo in vicem *oſculi*, quod olim ſibi viſus transmiſiſſe dulcem *amplexum*, amplexus nempè in *Urſi-Campo* Ciſtercium. Et quídni Sereniſsimus iſte Mellifluæ Familiæ alumnus per cœleſtem viſionem Angelicô ore ſaçrata nuper *labia* ſervaverit *ſinè labe* illibata? Crediderim ego innocentiſsimum Principem neque *labi* potuiſſe, neque offendere, cujus nimirùm ori *Angelica labia* olim poſuiſſent *cuſtodiam*. Lapſus eſt tamen, quoniam debuit, verùm, quemadmodum omnes, in tumulum: & qui Walerani magiſteriô habitum induerat, ejusdem poſt fata in viſione ſibi apparentis revelatione habitum ſimul cum vita depoſuit, in beatiſsima immortalitate ſtolam gloriæ cum Sancto Magiſtro recepturus.

Et inſeri hìc debet Illuſtriſsimus Princeps D. JOANNES de *Courtenay*, *Quintiaci* apud Gallos Lingonenſis Abbas, quem ex *Regia Familia* traxiſſe clariſsimam progeniem perhibet *Jongelinus in Notit. Abbat. L.* 1. *pag.* 46.

Novis pariter laudibus memorandi hìc forent è Regiis *Franciæ* cunis deſcendentes Illuſtriſsimi Viri S. HENRICUS de *Soliaco* Princeps BORBONIUS, & S: GUILLELMUS de Comitum *Nivernienſium* Regia ſtirpe, è Ciſtercio aſſumpti ambo ad *Bituricenſe* Archi-Epiſcopale faſtigium: at verò quoniam jam ſuprà *Titulo* 14. inter clariſsimos Præſules laudati jam fuſiùs, ſolæ nominum tantorum memoriæ pro ſanctiſſimorum Principum ornamento repetendæ hìc veniunt. Apud *Anglos* quoque Ciſtercienſe inſtitutum nobilitavêre, JOANNES, Regius *Angliæ* Princeps, itémque B: CADUCANUS qui poſterior à priſcis *Britanniæ* Regibus trahens clariſſimam progeniem, aſſumptô priùs Benedictinorum habitu Antiſtes *Benchorenſis* renunciatus aliquamdiu Epiſcopale munus geſſit ſanctiſſimè, donec præ Cathedræ honoribus placere inciperent Bernardi felices alumni in *Dorenſi* Cœnobio, quibus ſuâ ſponte poſitis infulis aggregatus, ob vitæ integritatem perennem apud poſteros memoriam ab obitu obtinuit in Ordinis *Menologio* die 18. Junii.

Obiit Annô 1200.

Obiit Annô 1209.

Obiit Annô 1225.

Neq;

Neque tacendus hôc locô, quin imò per ſacros plauſus feſtivô calamô celebrandus apud *Danos* inter Principes ſangvine Regio inclytos B: ESKYLLUS cognomentô MAGNUS Archi-Epiſcopus *Lundenſis, Daniæ* & *Succiæ Primas*, quem in adoleſcen- *Obiit An-*
tiæ flore aularum illecebris periculosè ineſcatum fatali morbô *nô* [illegible]
afflixit DEUS, ut ſcilicèt violentô eô medio alterum velutì Saulum ad ſe pertraheret: additâ inſuper per horariam ecſtaſim horridâ viſione, quâ *Eskyllus* per æquiſſima Cœli decreta fuerat in gehennam deturbandus, niſi *Virgo Mater* opportunè in opem vocata labentem, ac mille votis ſeſe Divæ Patronæ obſtringentem in ipſa ruina tenuiſſet. Itaque cùm primùm curatô morbô cœpit valere meliùs, Divinâ ferulâ caſtigatus adoleſcens, votorum illicò memor & tenax, aliam longè vitæ ſuæ ſcenam ordinavit, integritate morum, ſanctâque converſatione palàm & abundè conteſtans, ſe relictis deinceps aulis ſanctiora multò caſtra & velle & debere ſequi. Acclamatus ſubinde eſt *Roſchildenſium* Præſul, ac porrò etiam *Lundenſis* Archi-Epiſcopus, ſimúlque utriusque Regni *Primas* ac *Nuncius Apoſtolicus*. Verùm ſuper celeberrima hæc nomina unô hôc titulô major, quòd *DEIparæ* in affectu & effectu feliciſſimus cliens, cui jurata nuper vota exoluturus amantiſſimos ejusdem alumnos è *Clara-Valle* in *Daniam* evocavit, extructis pro ijs per Provinciam cœnobiis ſumptuum redituúmque magnitudine planè Regiis. Abſenti Bernardo in filiis tam tenerè affectus, ut viſendi tanti Parentis deſideria eum per tot viarum incommoda ad *Claram-Vallem* uſque pertraxerint. Et verò invenit *Eskyllus* pro ſe *Davide* alterum *Jonathan* in Bernardo, cordibus amborum amoris glutinô in indiſſolubile fœdus intimè coaleſcentibus. Rediit tamen in Patriam ſanctiſſimus Præſul, quia Bernardus ſic voluit, ſic ſuaſit perſuasítq;, ſcilicèt pro commiſſi ſibi gregis ſalute magnis adhuc functurus laboribus. Abeunti Mellifluus Abbas *panem* recenter piſtum à ſe benedictum tradiderat, qui multos pòſt annos idem permanſit, velutì eâ horâ ex furno prodiiſſet. Aſportatæ ſimul cum reverentia in Daniam è Bernardo *dens* unus & *capilli* aliquot, quos deinceps numeroſa illuſtravêre prodigia. Accinctus ſubinde ad opus Apoſtolicum, quod nempè Bernardus nuper optâſſe videbatur, Patriam in remotioribus præſertim plagis non paucis adhuc ſuperſtitionibus ſcatentem pleniùs repurgandam ſuſcepit, aſſumptis

 ad

ad hoc Viris Sociis, qui prædicationis verbô noxios errores penitùs diſſlarent. Tentata inter hæc à *Danis* libertas Eccleſiaſtica, fortiſſimè propugnata eſt ab *Eskyllo*, qui ab offenſis Regibus *Olao* & *Sueno* carceres, vincula, & indigna quæque perpeſſus per ea mala factus robuſtior, nomen ac laudes illuſtriſſimas meruit inter *Viros Apoſtolicos*. Summæ in vinculis deliciæ, perſcripta à Bernardo *Epiſtola* conſolatoria, in qua melleô ſuô ſtylô Eskylli vulnera ſuaviſſimè illivit: *Non poſſum*, ſcribit ille *Epiſtola 314. te dolente non dolere, Chariſſime Pater, nec niſi moleſtus & anxius tuas moleſtias & anxietates audire. Tangit & angit cor meum, quidquid tuum exaſperat, & quidquid illud ſit, quod te perſequitur, non ſolùm te perſequitur, ſed me tecum.* Exemptus eſt tandem ſacrilegis compedibus inviċtiſſimus Antiſtes, vindicatam Sedem nunc iterum, & quidem cum plauſu digniſsimè conſcendens, ubi cùm videret compoſitis tempeſtatibus pacata propè omnia Adjutori DEO redditurus gratias ſumma cum animi pietate *Palæſtinam* viſitavit. Reverſus inde cùm jam poſt ſalutatas terreſtres Hieroſolymas, cœleſtes illæ & felices unicè eſſent in votis, illarum ampliſsimô deſideriô, & rerum humanarum ingenti faſtidiô occupata Viri beatiſsima mens, conſilia illa ſeriò reſumpſit, quæ nuper ad tempus Bernardus ſuſpendiſſet. Feſtinandum nunc ſcilicèt eſſe ad Superos; nec ullibi feliciùs aut tutiùs, quam in Clara-Valle, è qua Melliflui Abbatis ſemitæ recentibus veſtigiis ſignatæ invitarent, ducerént que optimos Viatores rectà ad Cœlites. Itaque obtentâ priùs ab *Alexandro Papa* facultate in publicis Regni Comitiis dignitate tot laureis à ſe ornatâ inter ſuorum triſtiſsimas lachrymas ſeſe abdicat, diffusíſque liberaliſsimâ dexterâ in egenos ingentibus opibus, cum luctu Regni, jacturam amantiſsimi omnium Patris communi planctu deplorantis, derelictâ *Daniâ* in Clara-Valle, ſtupente Europâ universâ ex Regnorum *Primate* humilis *novitius* efficitur: ubi tantâ animi alacritate reliquô quô ſupervixit quadrienniô monaſtico rigori, vitæque puritati intendit, ut Clara-Vallenſes fractas jam ſeniô vires, animúmque rebus ſummis nuper aſſuetum cum tam inſigni perfectionis zelo, ac profunda ſui abjectione conponentes, Eskyllum novâ rursùs nuncupatione *Primatem* inter ſuos dixerint. Priusquam è vitæ ſtadio indefeſſus athleta excederet, *germanum Fratrem* ſuum per cruentam

entam mortem è prælio in piaculares *purgatorii* flammas delapſum precibus ſuis ereptum ad cœlos præmiſit: quem ille non diu pòſt ſanctiſſimô fatô ſecutus eſt, amores priſtinos cum Bernardo in Divorum patria perpetuaturus.

Crevit Ciſtercii gloria etiam à *Fœminis* Regio ſangvine claris, quas quidem omnes ſinguláſque laudare hìc neque auſim neque poſſim: Si namque ſolum *Trebniacum*, Parthenonem apud *Sileſios* celeberrimum in ſcenam aperiam, ultrà QUADRAGINTA REGIAS PRINCIPES è ſola *Polonia* in eo ſuſceptô Monaſticô velô inſtitutum noſtrum illuſtraviſſe comperio apud *Jongelinum* inter *Origines Ord. Ciſt. fol.* 2. Quantos, quæſo, Tullios, quantáſve laudes Religioſiſſimæ hæ Heroinæ mereantur, quis ſatìs intelligat? Dabo ego ex ampliſſima Univerſi Ciſtercii ſerie duntaxat paucas, per quas tituli epigraphe probari poſſit atque ornari, neque tamen exhauriri. Itaque è *Trebniaco* prima ſit B: ALEYDIS *Caſimirô II. Poloniarum* Rege progenita. *Obiit Anni 12[illegible].* Offenſa eſt egregiâ indignatione carnali huic geneſi Virgo excelſæ Regiæq; indolis, quòd nempe ipſa Patrem habuiſſet mortalem, quæ ad perennes cum DEO Sponſo amores eſſet invitata. Igitur hunc ipſum Sponſum totis inquiſivit medullis, qui mori non poſſet, eundémque in laudato jam Trebniacenſi Parthenone inter Ciſtercii Virgines feliciſſimè repertum, quàm vehementiſſimis affectibus per ſanctiſſima pacta ſibi copulavit, avellenda ab illo nunquam, qui ſcilicèt nìl magìs in Sponſis optaret, quàm fœderum ſuaviſſimam æternitatem. Et quanquam mors aliquid tentare viſa ſit per animæ à corpore divortium, beneficium illa Virgini præſtitit, non pœnam intulit, cùm *Aleydis* ligata quodammodò eousque corporeis faſcijs, animæ brachia ab obitu pleniùs liberiúſque explicare potuerit in immortalis Sponſi ampliſſimos complexus. Mors ejus præventa eſt *miraculis*, feliciſſimis è Cœlo internunciis, quò nempè Virgo Sancta & Regia è carne & mundo evocaretur.

Nihil *Aleyde* minùs geſſit è Bohemorum Regia ſtirpe Sereniſſima Proles ABDA ſeu ABDELA *Ottocari* Regis, & *Abdæ* Reginæ ſuperiore titulô mox laudatæ inter fœminas proles natu tertia, quæ carnalibus hymenæi illecebris fortiſſimè contemptis Ciſtercium in *Gerbenrodenſi* Parthenone amplexa, caſtiſſima præ- *Floruit circa Annò 1215. & deinceps*

 cor-

cordia in longè digniores cum DEO Sponſo auſpicandos amores ſanctiſsimè laxavit: Ubi etiam in Abbatiſſam à Sororibus electa cumulavit præfecturam glorioſis virtutibus, quibus ſubditas Virgines poſt ſe in pulcherrimam æmulationem pertraxit. Regiam Principem ab obitu inter *Divos* relatam, atque cultam pro *Sancta* ex *Fabricio* Scriptore Saxone perhibet in ſua *Bohemia Sancta* §. XLI. *Balbinus*, & cum Balbino *Crugerius* in *Cineribus Sacris 1. Februarii.* Et quídni iterum Ciſtercio hìc applaudam, quòd inter tot ampliſsimos favores, quibus Religioſiſsimi Bohemiæ Reges Ciſtercienſes noſtros proſecuti ſunt, inſuper thori Regii cultiſsimum pignus, lectiſsimam Principem obtinuerint, quæ data conceſsáque ſit noſtris ab Ottocaro non modò in munificentiæ teſſeram, quemadmodum Cœnobiorum ſumptuoſæ ſtructuræ, prædia, villæ; verùm quod amplius, in vivaciſsimum amoris Regii ſignaculum?

Et quàm cuperem eſſe per ſingulas pro debito prolixior! ſed quia ad cæteras materias pertexendas urgeor, recitabo nunc ſola quædam Virginum Regiarum ſanctiſsima nomina: quoniam Lectorem ego quidem tam faventem Ciſtercio exiſtimo, ut ipſe pro ſuo genio atque ingenio Sereniſsimis nominibus Regias quoque & promeritas laudes liberaliſsimè adjunget. Itaque ſub Melliflui Parentis dulciſsima auſpicia & Ciſtercii Sanctiſsima vexilla præterea convolârunt: B: BERENGARIA, Ferdinandi III. *Legionis* & *Caſtellæ* Regis Filia in Monaſterio *Huelgenſi* propè Burgos in Hiſpania. B: MARGARITA Vidua, è Regibus *Cypri* oriunda in Parthenone *Flinenſi* in Belgio. B: MARIA Virgo, Filia *Dionyſij* Regis *Luſitaniæ* in Monaſterio S. Dionyſii de *Odivelas*. B. TERESA Virgo, ex Regio *Aragoniorum* ſangvine, in Cœnobio de *Gradefes* apud Hiſpanos, quod ipſa extruxit, prima ejusdem Abbatiſſa. B: MARIA ex Regia *Hiſpaniarum* progenie deſcendens in Parthenone de *Carrizo*, cujus illa Fundatrix & prima Abbatiſſa extitit. CONSTANTIA, Alfonſi *Caſtellæ* Regis Filia, ſecunda Abbatiſſa Cœnobii *Huelgenſis*, ſive B. Mariæ Majoris propè Burgos. Eundem etiam *Huelgenſem* Parthenonem auguſtior Puellarum Regiarum numerus multâ majeſtate illuſtravit: è quibus hôc locô recenſendæ ſequentes. SANCTIA cognomentô *Aragonia*, nobiliſsima Regum propago, *tertia* Domûs Antiſtita. CON-

Floruit An. 1240. *Obiit Annô 1275.* *Floruit An. 1320.* *Obiit circa Annum 1184.* *Floruit Annô 1177.* *Obiit circa Ann. 1218.* *Obiit circa Ann. 1241.*

CONSTANTIA Filia Regis *Legionenſis*, Fœmina Sanctimonia- *Floruit*
lis. BLANCHA *Infans*, *Dionyſii Luſitanorum* Regis filia in ſerie *Ann. 1240. Obiit cir-*
Abbatiſſarum X. ELUIRA, Regum *Navarræ* filia XX. Huelgen- *ca Annô*
ſium Antiſtita. ELEONORA de *Caſtilla*, *Petri* Regis (cui à *1234. Obiit Annô*
Scriptoribus *Crudelis* datum cognomen) Filia, XXXIII. *Mæ. Re-* *1558.*
galis Abbatiſſa. Porrò in Cœnobio *B. MARIÆ de Villa-Bona* *Obiit 15[illegible]*
DULCIA, *Alfonſi* Regis *Legionenſis* Filia, in Ciſtercii Sodalitium *Floruit An-*
adſcita eſt. MARIA etiam, *Aragoniæ Infans Petri* Regis filia, ſu- *nô 1231. Floruit ci-*
ſceptâ è manibus *Guillelmi* XXX Populetani Abbatis Ciſtercii *ca An. 138[illegible].*
veſte, indutâque, animam inter vota monaſtica exhalavit, ſepulta in *Populeto*. *Manriqueus* præterea ad annum 1222. cap. 9. DUAS memorat *Regias Virgines*, *Ferdinandi Legionenſis*, & *Urracæ* ſuprà inter Ciſtercii Reginas laudatæ fœminæ ſanctimonialis filias: quarum una fuit Abbatiſſa *Villennæ*, altera Cœnobii ad *Cannas*, utraque Ciſtercienſis. Spectatur *Villennæ*, ùt refert *Angelus citatus*, in medio Chori tumulus elevatus cum majeſtate, in quo ambæ illæ Regiæ Sorores conditæ creduntur. Utriuſque Virginis nomen neglexit vetus traditio, contenta ſi Virgines ipſas tametſi ſinè nomine traderet ſervarétque Ciſtercio. Hæ omnes igitur Regiæ Viragines, aliæque magnô numerô virili ſuprà ſexum animô regalem purpuram, genus, delicias, hymenæos uni Ciſtercio poſthabitos glorioſiſſimè aſpernantes, *lacteâque* cum Bernardo *viâ* in Ciſtercienſium vallibus incedentes, præclara ſanctitatis veſtigia gratiſſimæ poſteritati poſt ſe reliquerunt.

RES & SPES!

Quæ
Seu, cùm *deſiderantur*, titillent,
Seu cùm *poſſidentur*, quietent,
Alternæ mortalium *deliciæ* ſunt,
Et humana pectora
Per mutuas vices
Dulciùs, fortiùs, veriùs
Ad ſe pertrahunt, attrahunt, diſtrahunt,
Quàm admirabiles illi, *maximíque Magnetes*,
Quos inter hærere ſeu vera ſeu falſa fama eſt,
Mahometis tumba.
RES & SPES!
Gemini votorum *axes*,
Quos inter per mille *Orbes*,
Neque vel ab ipſo *Alexandro* ſomniatos
Volvitur revolviturque
Una humana *voluntas.*
RES & SPES!
Duo animæ *ocelli*,
Per quos infinitæ propè influunt rerum *ideæ*,
Quæ ampliſſimis ſpectaculis
Speculatricem mentem
Per mille curioſa theatra
Poſt ſe trahunt.
RES & SPES!
Raræ in terris *aves*,
Quas ſimul ambas
Vix unâ *caveâ*, unâ *animâ*
Concludet tantâ volubilitate
Felix infelixque homo!
Igitur has Orbis tam *charas* quàm *raras*
RES & SPES

Filii

Filij Regum, *Filiæ* Regum in honore ſuo
Jam inter *Fortunæ brachia captivas*
Ex unius Ciſtercii *amore*, *more*, *ore*, *re*,
Quis credat?
Deſeruêre!
Occupabant jam illi feliciſſimâ naſcendi conditione
Ceu plenâ *manu*, ceu plenô *jure*
Majorum ſangvinem
Progenitorum indolem,
Aularum faſtum,
Gentium ſtudia,
Clientum obſequia,
Ampliſſimas in humanis RES.
Expectabant per indubia Regni vota
Inclyta diadematum inſignia,
Sceptri gubernacula,
Solii Majeſtatem,
Populorum imperia,
Auguſtiſſimas in humanis SPES!
Et en! hæ RES, hæ SPES,
Quæ Regias Proles ferebant *ſuper aquas*
Maris hujus Magni & ſpatioſi, *Pſalm.103.*
Super Mortalium *colla*, *cervices*, *arbitria*,
In uno *Ciſtercii Fonte*
Submerſæ ſunt!
Impia *Trajani* Cæſaris Majeſtas
Clementem Sanctiſſimum Pontificem *In vita S. Clementis Papæ.*
Cum *anchora* ſubmerſit in *profundum maris!*
At ignoſcendum Tyranno,
Qui ſuô ſcelere *Symbolum*,
Atque in *ſymbolo beneficium*
Dedit Ciſtercio!
Anchora imago *ſpei* eſt!
Regiæ è Palatiis Soboles
Auguſtas ſuas *anchoras*
Regiásque *Spes*
è Soliorum faſtigiis
In humillimi Ciſtercii *profundiſſimum fundum*

Vocatricis è Cœlo *gratiæ* pondere & *impetu*
Altiſsimè *præcipitavêre*!
Formidanda *calamitas*,
Matth. 18. *Molâ aſinariâ* ad collum *ſuſpensâ*
Sæculi & *inferni*
Infauſtis undis abſorberi!
Optanda *felicitas*!
Cœlitus ligatâ ad *cor anchora*
Mille *Orbis* SPES, mille *Sceptri* RES
Illis *aquis* obruere,
Quas è *vulnere* & *ubere*
Divinum *Najadum* par
Virgo & *Salvator*
In Ciſtercii *Fontes*
Congregavêre!
Et quídni ex beatiſsimis his *undis*
Et iſti & illæ
Emerſerint ad fortunatiſsimum BONÆ SPEI *Promontorium*,
Quod in *Orbis alterius* felici *litore*
In *portum* ſtatuêre *Divi*?
Stant jam illic ſuperatô pelagô
Feliciſsimi *Comprehenſores*,
RES & SPES
Olim deſertas
Nunc cum *centuplo* fœnore rurſùm repertas
Cum *Vate Huſſæo*
Job. 17. Tenentes *in ſinu*
Divinis redundante voluptatibus,
In *manu*
Ornata palmis veluti ſceptris,
In *vertice*
Redimito laureis veluti coronis!
De *profundis* Ciſtercii *fontibus* clamo ad Vos
Charæ DEUM, *Regúmque Soboles*,
Magna Ciſtercii Nominis incrementa & ornamenta!
En! Melliflua Bernardi Familia
Nunc iterum *novâ hâc* ætate, *novô hôc* ſæculô
Primâ juventute ad aquilæ felicem æmulationem renovatâ
Etiam

Etiam poſt *Annos Sexcentos*
Juvenis eſt BONÆ SPEI
Quæ
Vos BONÆ SPEI *Advocatos*
In *novas Spes*, *novas res* ſolicitat!
Evacuâſtis juxta *Theologorum* oracula
In *Patria Spes* veſtras,
Ipſis jam *rebus* ſuprà vota *felices.*
En *Oculi omnium* è Ciſtercio *ſperant in veſtras has ſpes*,
Quibus Vos nunc minimè indigi
Implere poteſtis clientum *pectora*,
Ut in *ſpes* tam *antiquas* quàm *novas*
Magnis *animis*, maximis *incrementis*
Nunc rursùs
Per Regios è *Cœlis*
Per Regios è *terris*
Sanctos & *inclytos* favores
Altiſsimè *aſſurgat* ſera Ciſtercii Poſteritas!
Itaque
Veſtris *Monaſtici Reges*, auſpiciis
Noſtræ hìc in *via ſtent* SPES!
Veſtris, *Regii Monachi*, meritis
In *Patria* immortales nobis *adveniant* RES!
Sícque utrobique
In *tempore* & in *æternitate*
Vobis debebimus
Noſtras RES & SPES!

TITULUS XVII.

CISTERCIENSES DUCES PRINCIPES COMITES &c. UTRIUSQUE SEXUS.



PErvias ſemel Regibus Ciſtercii ſemitas ultrà non auſi aut horrere aut fugere Viri cœteri Illuſtres implevêre deinceps Ciſtercii ſolitudines numerô non modicô, glorioſiſsimô noſtris ſpectaculô, cùm *Soles* ſuos jam viderent ſe-

qui

qui pediſſequa *ſidera*, Principéſq; nunc comitari Reges ſuos non minùs ad clauſtra & cellas, quàm nuper ad palatia & aulas. E quibus illos præcipuè hìc in ſcenam exhibebo, qui ex *Henriquei Menologio* & *Manriquei Annalibus* inter Ordinis *Beatos* magìs noti, præſentem Titulum digniùs, quia ſanctiùs impleant.

Primum Tituli locum quàm digniſſimè occupent *B. Ama-DEUS*, & *B. Joannes* Viri apud Gallos Illuſtriſsimi. Ortus eſt B: AMADEUS proſapiâ clariſsimâ, quæ ſimul *Conrado Cæſari* atque *Ama*-DEO communes fontes, Abavos nempè proavóſque dederit. Itaque jam Virum ſciet Lector vel ex hoc ſolo æſtimare, quòd fuerit non modò *amicus*, quod multi, ſed inſuper *Cognatus Cæſaris*. Indoles Viri, Principe digna, & digna Cœſare, digna DEO, quæ ſcilicèt non fruſtrà admiſerit ſeu *Ama*-DEI nomen, ſeu Imperatoriam propinquitatem. Primi anni traducti in conjugio, armis, aulis, fœcundè, ſtrenuè, feliciter. Natum Ama-DEO è matrimonio prolium par nobile, & Sanctum, *Ama-Deus* nempè, jam ſuprà *Tit.* 14. laudatus, & *filia* Virgo ſanctiſsima, auctura numerum Sanctimonialium in Parthenone nuncupato *de Valle*. Surgebat ſub id tempus *Bona-Vallis*, domûs Ciſtercii apud Gallos percelebris, & quoniam vicina Ama-DEI terris, magìs idonea trahendo ad clauſtrum Principi. Conceptô jam votô integrum adhuc annum perſtitit in ſæculo, per eam moram *Bernardi* exemplô plures adducturus in Sancti propoſiti ſocietatem. Et crevit Sociorum numerus ad ſedecim uſque, quos inter *Artmannus Riparum Dominus*, & *Berlio* de *Moirinis*, Viri Principes, cæteri nobiles omnes militiâ, opibus, terríſque potentes: Currebat ſimul cum Parente *Ama*-DEUS puer, ijsdem cum Patre deſideriis æſtuans; ſed ob ætatem teneram ab Abbate expectare juſſus, mitioribus interea Muſis imbuendus. Ducebat nobiliſſimam hanc cohortem, unô votô animóque calcantem ſæculi blandimenta Ama-DEUS in *Bonam-Vallem* ſub Ciſtercii fauſtiſsima labara: eapropter non unô duntaxat nomine atque elogiô memorandus hôc locô optimus Princeps, nempè & quòd ſe, & ſecum Viros tantos dederit Ciſtercio. *Manriquens* pro ingenii ſtylíque ſui magnitudine gratiſsimâ antitheſi opponit, imò quòd mirabilius atque glorioſius, etiam anteponit *Ama*-DEUM *Bernardo* in converſione. Suis verbis *Angelum* audiamus ad Annum

Obiit Annô 1144.

1119. cap. 2. n. 6. ita diſcurrentem: *Ama-DEUM Bernardum alterum jure nuncupaveris, qui ſæculum non tam fugiendo vicerit, quàm vincendo ſpoliaverit. Bernardo vixdum mundum ingreſſo facilior via, & nondum victo longè major animus. Ama-DEUM & latè divagatum, & ſæpè victum, fortè & in ſæculo etiam potentiorem, majora impedimenta retardabant, quò magìs nimirùm cunctis expeditis, non ſolùm ipſum evaſiſſe incolumem, ſed & tot alios ſecum exportâſſe.* Præclaris his initiis haud diſpar vita reliqua. In uno viſus poſuiſſe offendiculum (& fateamur non tam pro Principis vituperio; quàm gloria, culpam aliquam, tam glorioſâ deinceps expungendam pœnitentiâ) quòd occaſione *Filii Ama-*DEI cultioribus ſtudiis imbuendi *Cluniacum* digreſſus, cùm videret ſe ab optimis Patribus *Benedictinis* ad ſolatium, & penè uſque ad ſupercilium coli, primâ nempè Sede collocatum ab Abbate, deſertâ *Bona-Valle* & Ciſterciô *Cluniacenſibus* aliquantô tempore deinceps adhæſit, præſertim cùm id poſſe, imò etiam fortè expedire fieri perſuaderet Regulæ identitas, & Bona-Vallenſium rigor inculpatô Cluniacenſium temperamentô cum laudatiſſima diſcretione mitigatus. Verùm non diu pòſt afflixit pupugítque acerrimè Principis animum admiſſus error, quòd ſcilicèt nuper aliorum ad Ciſtercium ductor, nunc cum inſigni dedecore primus ejusdem Familiæ atque unicus exiſteret deſertor. Itaque obtentâ à *Pontio* Cluniacenſium Abbate facultate in *Bonam-Vallem* reverſus eſt, pœnitentiæ ſigna admiranda, pulcherrimáque humilitatis ſpecimina ſuis exhibiturus Ciſtercienſibus; proſtratus namque ad fores Cœnobii per dies complures, atque egredientium ingredientiúmque pedibus advolutus veniam ſuſpiria inter & lachrymas poſtulabat, medius confidens inter mendicabula. Tentata inſuper per piam fraudem à Venerabili JOANNE Abbate pœnitentis Principis ſinceritas atque conſtantia, per occluſam ordinariam Cœnobii januam, ante cujus limina jam octiduum exegerat Ama-Deus. At verò ille multâ ſolicitudine domum circumluſtrans, novum tandem oſtium die alterâ detexit, rursúsque illic in nudam humum profundiſſimè ſeſe provolvit, tranſeuntium pedes pronis oſculis deveneraturus. Auditus interea pro Principis gloria que-
Manriq. ad Ann. 1122. cap. 1. n. 5. rulari Præſul Sanctus, *obſeſſam ab Ama-DEO Abbatiam, violentiâ humilitatis, & perſeverantiâ illius non ſecùs atque Cœlum diripiendam.*

dam. Et perſtitiſſet Princeps in Publicis ijs pœnitentiæ ſtudiis per menſes & ampliùs, niſi *Abbas* per integrum diem unà cum illo ante oſtium proſtratus, unáque prætereuntium pedes deoſculatus perſuaſiſſet reluctanti, culpam nunc tandem pleniùs feliciúsque evacuatam eſſe per ejus nempè ſatisfactionem qui culpam non admiſerit. Igitur paſſus ſe rursùm ſociari beatiſſimo conſortio Fratrum, humilitate deinceps ſuper omnes excelluit, virtute nimirùm in Viro Principe admodum pretiosâ & ſanè admirabili. Nullas ille ſordes in ægrotis aliquando horruit, lavandis eorundem gravè olentibus pannis faſciíſque ad aliorum nauſeam, ſuam verò voluptatem non raró occupatus. Id præterea munus ab Abbate humillimis precibus obtinuit, ut quotidianô labore ſingulorum Sacerdotum calceamenta à ſordibus repurganda inungendáque ſibi exhiberentur, unô hôc miniſteriô eorundem dignitatem reverens, ſuámque commendans ſanctimoniam. Quin imò triumphandæ pleniùs ſenſualitati, cloacas (ſit venia verbo) quæ ſub æſtatis tempus ſtagnantes graviſſimâ mephiti Bona-Vallenſes moleſtaverant, Ama-DEUS ingreſſus, reductis in rivulum ſordibus mundiſſimas reddidit. Non offendant Lectorem hæ ſordes, quas hìc in materiam & pretium meriti, ibi in ſertum gloriæ aſſumpſit *Ama*-DEUS, in cujus manibus non ampliùs ſordes ſunt, ſed gemmæ. Neque ego híſce fœtoribus aſpergerem præſentes paginas, vel ex ſolo fortè ſordium vocabulo Lectori moleſtas, niſi ex ipſo cœno Principi ſanctiſſimo ſurgeret pulcherrima per Orbem fama, apud Superos gloria & laurea. Et ubi, quæſo, Magnus ille *Joannes Damaſcenus* admirabilis magis atque glorioſus, quàm in ipſo ſterquilinio inter ſordes medius, quas rigidi cujusdam Senis imperiô repurgaverat? Mille ille manibus ſparſiſſet flores, imò quidquid calcâſſet, quidquid tractâſſet, roſa fuiſſet; pulchrior tamen, atque longè ſpecioſior JOANNES inter mille ſordes fuit, quàm mille inter flores. Eadem *Ama*-DEUM commendant, quæ *Damaſcenum*. Creſcente interim *Bonâ-Valle* per Viros ſanctiſſimos, neceſſe fuit, ſuperabundantem numerum diſpertiri in novas colonias, quarum tres *Ama*-DEI induſtriâ, ſolicitudine, imò inſuper manuali labore erectæ fuêre, *Manſiada* nempè, *Mons-petroſus*, & *Liuncella*: quare novô nomine memorandus Magnus hic Vir nôn modò inter Ciſtercii perſonas illuſtres, verùm inſuper inter Ordinis primos at-

Surius in vita S. Joannis Damaſc. ad 6. Maij.

que eximios Propagatores. Tandem, cùm jam inter cumulatiſsima ſolatia vidiſſet *Filium* è Ciſtercio aſſumptum ad Abbatiam *Altæ-Cumbæ*, indéque evectum ad Sacras *Lauſannenſis* Eccleſiæ infulas, hominem exuit Ama-DEUS, prodigiis antè & poſt obitum glorioſus, feliciſsimum *nominis* ſui ethymon corde mille amoribus flagrante in amoris Patria pleniſsimè adimpleturus.

Obiit Anno 1200. Laudandus nunc alter è Gallia è Ciſtercio nobiliſsimus & pientiſſimus Princeps B: JOANNES Dominus *Montis-Mirabilis*, Francorum Regi *Philippo* dilectus unicè & maximè; Sed quem arma, ac ætatis floridæ vigor in vitia quædam impulerant, ut ſcilicèt ſubſequentis vitæ ſanctiſsimæ reliquiæ ex nuperæ adoleſcentiæ antitheſi forent eò magìs illuſtres, ipséque JOANNES quemadmodum olim de *Monte-Mirabili*, ita deinceps appellaretur eſsétque de *Mente* ac *Vita-Mirabili*. Cùm jam divinitùs inſpiratus correctis moribus alius fieret à ſeipſo, non illicò mundum deſeruit, ſed contempſit, in ipſo ſæculo penè jam religioſus, daturus nempè Viris Principibus novas regulas, quarum beneficiô ex aulis facerent aſceteria, ex palatiis Xenodochia. Pauperes diligebat ùt Fratres, alebat ùt filios: & nè ſuæ *Joanni Mirabili* mirabiles deeſſent deliciæ, in ægra muliere fœtidum ulcus ceu ambroſiam ſuxit. Exhauſtis per elargitiones loculis, obvium leproſum tunicâ propriâ, quam ſibi exuit, induit, novus ſui ſæculi *Martinus*. Puerperam à Viro egeſtate preſſo in domo derelictam ſuis ipſe humeris in Sporta ad hoſpitium detulit: Pauperum omnium, & leproſorum præcipuè ipſe unus & Pater, & œconomus, & ſervus, & Medicus: Eleemoſynas egenis elargiri ſolitus manibus propriis, &, quod vix auditum, genuflexus. Genua ejus obducta callô ex orandi aſsiduitate: Caro jugi vexata ciliciô, & frequentibus caſtigata flagellis. Hâc tamen ſeveritate in ſe unum duntaxat uſus eſt JOANNES, in alios cæteroquin blandiſsimè officioſus. Acceſsit ad hæc in *Divinam Parentem* pietas & cultus multus ac fervens: & probata hæc clientis in *Virginem* obſequia per prodigium, quòd ſcilicèt Patronæ placerent; Dum namque aliquando *Divæ* imaginem in itinere ex equo deſiliens de genu deveneraretur, Virginis ſimulachrum faciem alioquin transverſam ad genuflexum convertit, annuentis & velutì gratias habentis officium hôc ſitu gratiſsimo cultori redhibens. Neque

que digniſsimæ hujus ſcenæ ſolus Spectator JOANNES ipſe, verùm omnes qui Virum Principem magnô numerô comitabantur. Et fortè illô Virginis nutu jam tunc Principi commendatum Ciſtercium, MARIÆ parentelâ glorioſum: Certè non longè pòſt Joannes inſtitutum noſtrum in *Longo-Ponte* amplexus, novâ clientelâ ſeſe Almæ Parenti conſecravit, præſtolaturus, & quidni etiam experturus? inter gratiſsimos *Divæ* alumnos novos à Virgine nutus atque annutus. Accidit in ea ſtatûs mutatione aliquid, per quod altiùs aſſurgat Ciſtercii gloria, atque ex eo neque hìc premendum ſilentiô. Vocaverat *JOANNES* in conſilia *Theologos decem* ex *Sorbona* celeberrimos, qui diſcuſsô vocationis negotiô coactis in unum ſuffragiis, velutì digitis commonſtrarent ſibi Religionem, quam amplecti deberet. Pronunciavère omnes unô ore inter eximias Familiæ laudes *pro Ciſtercio*, quô aliquid melius ſanctiúsve JOANNI commendare ſe haud poſſe. Itaque per *Sorbonæ* oracula adſcriptus Ciſtercio Princeps, factus eſt indies ſeipsô *mirabilior* & *ſanctior*, auxitque ſanctimoniæ ſuæ ampliſsimam famam per novas virtutes, inter quas jam bravio maturus devixit. Defuncti anima viſa eſt ab *Angelis* in cœlum deferri: digna planè his bajulis ſarcina, eleemoſynis, virtutibus, DEO ipsô plena. Sed neque poſt ſanctiſsimam mortem deſiit *JOANNES* eſſe *mirabilis*, tot ſcilicèt prodigiis ad tumulum ſuum in *Longo-Ponte* glorioſus, ut quotquot opem imploraturi accederent ægri clientes, totinde adeptâ ex voto valetudine recederent ſanctitatis Ejus grati præcones.

Tertius è Galliæ illuſtriſsimis Dynaſtis memorandus nunc venit S: GUILLELMUS *Montis-Peſſulani* Dominus, non unius modò Ciſtercii, ſed Europæ univerſæ ingens decus! Imperatorum, Regum, Principum per Europam ipſe quintô jam ſæculô unus omnium Pater, Abavus, atavus, tritavus, & quid non? Quotquot enim Chriſtianum Orbem hodie moderantur, ab Ejus clariſsima proſapia *Nepotes* deſcendunt, unus ille omnium, & omnes ille unius *Guillelmi*, quin imò *Guillelmus* ipſe cum Imperatorum, Regum, Principúmque Sereniſſima ſerie humillimi Ciſtercii immortalis gloria! ut vix peregrinum videri poſſit, ſummos Orbis Principes *Patronos* eſſe Ciſtercienſium, qui nempè *Patrem* habuerint in Ciſtercio. Non ingratum exiſtimavi, Be- *Obiit Anno. 1157.*

Uuuuu nevo-

nevolo Lectori ex *Chryſoſtomi Menologio* ſubjicere operoſum ſchema, *Edmundi Butkens* glorioſô labore compilatum. Deſuêre pro moderna ætate & geneſi hodierni Principes, quos addidi, & ſingulos ad lineas ſuas collocavi. (NB.) Velit curioſus Lector in genealogicæ hujúſce arboris auguſtos ramos animô atque oculô evolare, & revereri nobiliſſimæ in *Guillelmo* radicis ampliſſimam in inclytis racemis majeſtatem. Ciſtercium ingreſſus eſt Illuſtriſſimns Genitor in *Grandi-Sylva* apud *Vaſcones* poſt ſuſceptos jam è fœcundo Matrimonio liberos, annutu *Sibyllæ* lectiſsimæ Conjugis ſuæ, à connubii vinculis jam & ipſe liber: ubi mutavit ſcenam *Guillelmus*; tot per carnalem geneſim nuper Regum Pater, deinceps *Auguſtæ* Cœlitum *Reginæ* Ciſtercii inclytus alumnus ac filius, eâ nempè pietate ſeris Nepotibus commendaturus *Divæ* cultũ, cujus ope Imperia ſuffulcirentur. Hanc Viri Principis erga Optimam Matrem devotionem prodidit prodigium poſthumum, ac nunc in Marianis faſtis admodum celebre; *Lilium* namque niveô candore fulgens ac admirabile è tumulo oréque *Guillelmi* pullulavit, per cujus ſingula folia aureis characteribus inſcriptum Nuncii Archangeli pulcherrimæ ſalutationis obſequium: AVE MARIA! Liceat præſenti calamo hæc inter portenta miſcere præſagia, per *aureas* has nempè *Bullas Guillelmum* noſtrum tantorum Cæſarum Principúmq; præſignatum fuiſſe Auguſtum Parentem. Et erant tunc, cùm viveret *Guillelmus*, ſub *Bernardo* aurea in Ciſtercio ſæcula, quæ vel ex emortui Mariani clientis tumulo, labio, lilio novô flore, novô aurô, novô pretiô aſperſa, auctáque ſunt. Non potuit *Bernardus*, melleum ſcilicèt, imò ab eloquii pretio aureum illud os, Virum Marianis affectibus planè aureum, *Guillelmum* loquor, non æſtimare maximè, cùm nimirùm Principi Monacho à *Clara-Valle* diſtanti longiùs eâ nocte, quam in humanis ſupremam habuit Parens Mellifluus, ſeſe ſpectandum exhibuerit, quem cùm in ſpiritu ad radices *Libani Montis* deduxiſſet, amicorum more benè valere juſſum mœrentem deſeruit, ad montis excelſa faſtigia altiſsimè evolans. Perlatis ſubinde epiſtolis, quibus nunciata Sancti Patris mors, didicit *Guillelmus*, illô momentô ſe raptum ductúmque ad *Libani* radices, quô ille ex *Valle* ſua ad Cœlos translatus ſit: adeóque revelationum, gratiarúmque primitias, quas *Bernardus* ab obitu in filios, clientéſque diſpensârit, ſumptas à ſe. Poſtrema aſcendentis



GENEALOGIA
S. GUILLELMI
EX
NOBILISSIMO & POTENTISSIMO DOMINO
MONTIS-PESSULANI,
MONACHI CISTERCIENSIS
IN GRANDI-SILVA:

è cujus defuncti ore Lilium excrevit cum aureis Litteris

AVE MARIA:

A quo etiam omnes Reges Principéſque, qui Chriſtianum Orbem moderantur, originem ducunt.

- Sanctus Guillelmus Montis-Peſſulani Dominus, ex uxore Sibylla liberos genuit, & poſteà Monachus factus in Monaſterio Grandiſ-ſilvæ Ordinis Ciſtercienſis, vita & miraculis claruit, & ſanctiſſimo P. Bernardo familiaris ità fuit, ut poſt obitum ſuum ei apparuerit.
  - Guillelmus Montis-peſſulani Dominus uxorem habuit Mathildem filiam Hugonis Ducis Burgundiæ, neptem Odonis, item Ducis Burgundiæ, qui Abbatiam Ciſtercienſem fundavit & dotavit. Habuit etiam Mathildis patruum Henricum Monachũ in prædicto Monaſterio Ciſtercienſi. Guillelmus autem teſtamentũ condit Anno 1172.
    - Sibylla, nupta Remundo Gaucelino, Domino de Lunel.
    - Guillelma.
    - Alix, mater Raymundi de Rocqueſiel.
    - Guillelmus Dominus de Monte-peſſulano duxit Eudoxiã, ſororem Alexij Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani.
      - Maria heres Domina de Mõte-peſſulano, uxor Petri Regis Aragoniæ, qui vivere deſijt 13. Septembris anni 1213. ipſa verò obijt 1218.
        - Jacobus Rex Aragoniæ Dominus de Monte-peſſulano duxit Jolentam filiam Andreæ Regis Hũgariæ: qua mortua, duxit Thereſia de Bidaura, ex qua etiã duos filios procreavit. Poſteà autem ipſe factus eſt Monachus in Monaſterio de Populeto Ordinis Ciſtercienſis, Tereſa quoque aſſumpſit habitum ejuſdem Ordinis in Monaſterio B. Mariæ de Gratia.
          - Petrus III. Rex Arragoniæ duxit Conſtantiam filiam Manfredi Regis Siciliæ. Obijt Petrus 1285.
            - Jacobus Rex Arragoniæ, &c. duxit Blancam de Anjou, filiam Caroli Regis Neapolitani. Obijt Jacobus 1327.
              - Alfonſus IV. Rex Arragoniæ duxit Tereſiam de Entenca Comitiſſam de Urgel, quæ obijt 1327. ipſe verò 1336.
                - Petrus IV. Rex Arragoniæ ſecundis nuptijs habuit Leonorã filiam Alfonſi Regis Portugalliæ. Obijt Petrus 1387.
                  - Leonora uxor Joannis Regis Caſtellæ & Legionis Obijt 1390. ipſa verò 1382.
                    - Ferdinandus Rex Arragoniæ duxit Alconorã filiam Sanctij Infantis Caſtellæ Comitis de Albuquerque, & Beatricis Portugalliæ Infantis. Obijt Ferdinandus 1416.
                      - Joannes Rex Arragoniæ & Navarræ ſecundò duxit Ioannam Enriquez Frederici Caſtellæ Admiralli, & Mariæ de Corduba filiam.
                        - Ferdinandus Rex Aragoniæ duxit Iſabellam Reginam Caſtellæ, filiam Ioannis Regis, cujus pater fuit Henricus Caſtellæ Rex, avus Ioannes, qui Leonoram Reginam Arragoniæ uxorem duxerat, unde Ferdinandus & Iſabella tertio conſanguinitatis gradu ſe attingebant. Obijt Ferdinandus 1516.
                          - Ioanna Hiſpaniarum Regina juncta matrimonio Philippo Auſtriæ Archiduci Duci Burgundiæ Brabantiæ, &c. Qui erat filius Maximiliani Imperatoris & Mariæ Belgarum Principis. Obijt Philippus 1506. ipſa 1555.
                            - Carolus Imperator V. Hiſpaniarum Rex, Belgarum Princeps duxit Iſabellam filiam Emanuelis Portugalliæ Regis.
                              - Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha. Belgarum Princeps primò duxit Mariam Angliæ Reginam, deinde Mariam Ioannis Portugalliæ Regis filiam, tertiò Iſabellam Henrici Franciæ Regis filiam, quartò Annam Auſtriacam.
                                - Ex tertia uxore, Iſabella Clara Eugenia, uxor Alberti Pij Principis Belgicarũ provinciarum.
                                - Ex quarta uxore Philippus III. Rex Hiſpaniarum, duxit Margaretam Auſtriacam.
                                  - Philippus IV. Rex & Monarcha Hiſpaniarũ duxit Iſabellam Franciæ Regis filiam.
                                    - Balthaſar Philippus Princeps Hiſpaniæ.
                                    - Carolus II. Hiſpaniarum Rex, duxit 1mò Mariam Loviſiam Bourbonicam, Ducis Aurelianenſis filiã. 2dò Mariã Annam, Philippi Wilh: Ducis Neoburgici, Electoris Palatini filiam.
                            - Ferdinandus Imperator duxit Annam filiam Ladislai Poloniæ Hungariæ & Bohemiæ Regis.
                              - Maximilianus II. Imperator duxit Mariam Auſtriacam, filiam Caroli Imperatoris V.
                                - Albertus Pius Belgarum Princeps duxit Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem.
                              - Carolus Dux Stiriæ, Carinthiæ, &c. duxit Mariam Bavaricam.
                                - Ferdinandus II. Imp: duxit Mariã Annã Bavariæ Ducis filiam deinde Mariam Gonzagæ Mantuani Ducis filiã.
                                  - Ferdinandus III. Imp: duxit 1mò Mariam Annam Philippi III. Regis Hiſpaniarum filiam, ex qua natus Leopoldus I. 2dò, Mariam Leopoldinam Archiducis Leopoldi Æniipontani filiam. 3tiò. Eleonorã, Caroli Ducis Mantuani filiã.
                                    - Ferdinandus IV. Rom: Hung. & Boh: Rex.
                                    - Leopoldus I. Imperator duxit 1mò Margaritã Hiſp: 2dò Claudiam Felicitatẽ. 3tiò Eleonoram Magdalenam Thereſiam Neo-Burgicam.
                                      - Ioſephus I. Leopoldi I filius, Roman: & Hungar: Rex, duxit Wilhelminam Amaliam, Ducem Hannover:
                                      - Carolus Archidux, Leopoldi Cæſaris filius.
                  - Ioannes Rex I. Arragoniæ ſecundò duxit Jolentã Duciſſam de Bar. Obijt 1396.
                    - Jolenta Duciſſa de Bar, uxor Ludovici d'Anjou Regis Neapolitani.
                      - Renatus Rex Neapolitanus duxit Iſabellam Duciſſam Lotharingiæ.
                        - Iolenta Duciſſa Lotharingiæ & Bar, uxor Frederici de Lotharingia Comitis de Vaudemont.
                          - Renatus Dux Lotharingiæ & Bar duxit Philippam de Egmonda Gelriæ Ducis filiam
                            - Antonius Dux Lotharingiæ & Bar duxit Renatam de Bourbõ. Obijt 1544.
                              - Franciſcus Dux Lotharingiæ duxit Chriſtinã Daniæ Regis filiam.
                                - Carolus Dux Lotharingiæ duxit Claudiam filiam Henrici Regis Franciæ.
                                  - Franciſcus Comes de Vaudemont duxit Chriſtinam filiã Comitis Salmenſis.
                                    - Carolus Dux Lotharingiæ, duxit Nicolaam; filiam Henrici Ducis Lotharingiæ, Patrui ſui. Franciſc⁹ Dux, duxit Claudiã, Nicolaæ ſororẽ.
                                      - Carolus V. Dux Lotharingiæ, Franciſci filius, Cæſareus Belli-Dux, duxit Eleonoram Imper: Leopoldi ſororẽ, Michaëlis Polõ: Regis relictam Viduam.
                                        - Leopoldus, Dux Lotharingiæ, per Pacẽ Riſvicenſẽ in Ducatum repoſitus, duxit filiam Ducis Aureliacenſis.
                                        - Carolus alter filius, Caroli Ducis, Epiſcopus Olomuc: & Oſnabrug:
                - Jacobus Comes de Urgel duxit Cæciliam filiam Comitis de Gominges.
                  - Petrus Comes de Urgel duxit Margaretam filiam Marchionis de Montferat.
                    - Jacobus Comes de Urgel duxit Iſabellam Regis Arragoniæ filiam.
                      - Iſabella uxor Petri Infantis Portugalliæ Ducis de Conimbria.
                        - Philippa Monialis Ordinis Ciſtercienſis.
            - Fredericus Rex Siciliæ duxit Leonoram Andegavenſem
              - Petrus Rex Siciliæ duxit Iſabellam Carentanam.
                - Beatrix nupta Ruperto Duci Bavariæ Comiti Palatino Electori.
                  - Rupertus Comes Palatinus duxit Iſabellam de Norimberge.
                    - Stephanus Comes Palatinus in Zweibrugge duxit Annam Comitiſſam in Veldenz.
                      - Ludovicus Comes Palatinus Dux Bavariæ duxit Ioannam de Croy.
                        - Alexander Comes Palatinus duxit Margaretam Comitiſſam de Hohenlo.
                          - Ludovicus Comes Palatinus duxit Iſabellam Landgravij Haſſiæ filiam.
                            - Wolfgangus Comes Palatinus duxit Annã filiam Haſſiæ Landgravij.
                              - Philippus Ludovicus Comes Palatinus duxit Annam Duciſſam Chviẽſem. Iuliacẽſem, &c.
                                - Wolfgangus Guillelmus Comes Palatinus Dux Bavariæ, & Nieuborg. Cliviæ, Iuliaci, Montis, &c. duxit Magdalenam Maximiliani Bavariæ Ducis, Sororem.
                                  - Philippus Wilhelmus, Comes Palatin⁹ Rheni, duxit 1. Annam Regis Poloniæ filiam. 2dò Eliſabetham Amaliã, Georgij Landgravij Haſſiæ filiam. Suſcepit ex ea Eleonorã Leop. I. Conjugẽ.
                                    - Ioannes Wilhelmus Frater modernæ Imperatricis, Comes Palatinus, duxit Mariam Annam Ioſepham, Ferdinandi III. Cæſaris & Eleonoræ Gonzagæ filiam.
              - Iſabella uxor Guillelmi Ducis Bavariæ.
                - Fredericus Dux Bavariæ duxit Mariam Mediolanenſem.
                  - Iſabella uxor Frederici Electoris Brandeburgenſis.
                    - Ioannes Elector Brandenburg: duxit Barbaram de Saxonia.
                      - Dorothea uxor Chriſtiani Regis Daniæ.
                        - Fredericus Rex Daniæ duxit Annam Brandeburgicam.
                          - Chriſtianus Rex Daniæ duxit Dorotheam de Saxonia.
                            - Fredericus Rex Daniæ duxit Sophiam Megapolenſem.
                              - Chriſtianus Rex Daniæ duxit Annam Catharinam Brandenburgicam.
                                - Fridericus III. Rex Daniæ.
                                  - Chriſtianus V. Rex Daniæ.
                                    - Fridericus IV. Rex Daniæ.
            - S. Eliſabeth uxor Dionyſij Regis Portugalliæ, poſteà Monialis.
              - Alfonſus Rex Portugalliæ duxit Iſabellam de Caſtella.
                - Petrus Rex Portugalliæ.
                  - Joannes Rex Portugalliæ duxit Philippam de Lancaſtre.
                    - Eduardus Rex Portugalliæ duxit Leonoram de Arragonia.
                      - Fernand Dux de Viſer duxit Beatricem de Portugallia.
                        - Emanuel Rex Portugalliæ duxit Iſabellam de Caſtella.
                          - Eduardus Princeps Portugalliæ duxit Iſabellam de Bragança.
                            - Maria uxor Alexandri Ducis Parmæ.
                              - Ranutius Dux Parmæ.
                                - Eduardus Dux Parmæ & Placentiæ.
                      - Leonora uxor Frederici Auſtriaci Imperatoris.
                        - Cunigondis uxor Alberti Ducis Bavariæ.
                          - Guillelmus Dux Bavariæ duxit Iacobam Badenſem.
                            - Albertus Dux Bavariæ duxit Annam Auſtriacam.
                              - Guillelm⁹ Dux Bavariæ duxit Renatam Lotharingicam.
                                - Maximilianus Dux Bavariæ Princeps, Elector Palatinus.
                                  - Ferdinandus Maria Dux Bavariæ Elector.
                                    - Maximilianus Emanuel Dux Bavariæ Elector, duxit 1. Mariam Antoniam Ioſephã filiam Leopoldi I. Cæſaris, & deinde Thereſiã Kunigundam Ioannis III. Sobiesky Regis Polon: filiam.
                                    - Clemens Ioſephus, frater Maximiliani, Archi Ep: Colon: Elect:
                                - Ferdinandus Archiep: Colonienſis Elector.
              - Joanna & Maria Moniales Ordinis Ciſtercienſis, filiæ Regis Dionyſij.
              - Conſtãtia uxor Ferdinandi IV. Regis Caſtellæ.
                - Alfonſus Rex Caſtellæ.
                  - Fredericus Ordinis ſancti Jacobi magiſter.
                    - Alfonſus Admirallus Caſtellæ duxit Ioannam de Mendoza.
                      - Fredericus admirallus Caſtellæ Duxit Tereſiam de Quinones.
                        - Maria uxor Garciæ Alvares de Toledo, Ducis Albani.
                          - Fredericus Alvares de Toledo Dux Albanus duxit Iſabellam de Zuniga.
                            - Petrus de Toledo Pro-Rex Neapolitanus duxit Beatricem Pimentel Oſorio.
                              - Leonora uxor Coſmæ de Medicis Ducis Florentiæ.
                                - Franciſcus Dux Florentiæ duxit Iohannam Auſtriacam Ferdinandi Imp: filiã.
                                  - Ferdinandus I. Frater Franciſci, duxit Chriſtinã, Caroli Ducis Lotharingiæ filiam.
                                    - Coſmus III. Dux Florentiæ, duxit Magdalenam Auſtriacam Caroli Archiducis filiam.
                                      - Ferdinandus II. Dux Florentiæ.
                                        - Coſmus IV. Dux Florentiæ duxit Loviſiam Margaretham Ducis Aureliacenſis filiam.
                                          - Ferdinandus III. Dux Florentiæ, duxit Violantã Beatrice filiam Ferdinandi Bavariæ Ducis.
          - Iſabella uxor Philippi Regis Franciæ.
            - Carolus Comes Valeſiæ.
              - Philippus Rex Franciæ duxit Joannam Burgundicam.
                - Joannes Rex Franciæ duxit Bonam Luxemburgicam.
                  - Carolus Rex Franciæ duxit Joannam de Bourbon.
                    - Carolus Rex Franciæ duxit Iſabellam Bavaricam.
                      - Carolus Rex Franciæ duxit Mariam Andegavenſem.
                        - Ludovicus XI. Rex Franciæ duxit Carolam de Sabaudia.
                          - Ioanna uxor Ludovici XII. Regis Franciæ.
                            - Margareta uxor Henrici d'Albret Regis Navarræ.
                              - Ioanna uxor Antonij de Bourbon Ducis Vendoſmenſis.
                                - Henricus IV. Rex Franciæ duxit Mariam de Medicis.
                                  - Ludovicus XIII. Rex Franciæ & Navarræ, duxit Annam Auſtriacam.
                                    - Ludovicus XIV. Rex Franciæ & Navarræ, duxit Mariam Thereſiam Philippi IV. Hiſp. Reg: filiã.
                                      - Ludovicus Princeps Delphinus, duxit Mariam Annam Victoriã filiam Ferdinandi, Elect: Bavar:
                                        - Ludovicus filius Delphini, Dux Burgundiæ, duxit filiam Ducis Sabaudiæ.
                                        - Philippus ſecundò genitus Delphini, Dux de Anjou.
                                        - Gaſton, tertiò genitus Delphini, Dux de Berry.
                    - Ioanna uxor Alberti Auſtriæ Archiducis.
                      - Albertus Imperator duxit filiam [illegible] di Imperatoris.
                        - Iſabella uxor Caſimiri Regis Poloniæ.
                          - Sigiſmundus Rex Poloniæ duxit Bonam [illegible]
                            - Catharina nupta Ioanni Regi Sueciæ & Poloniæ.
                              - Sigiſmundus Rex Poloniæ duxit Annam Auſtriacam.
                                - Ladislaus Princeps Poloniæ.
              - Joanna uxor Guillelmi Comitis Hollandiæ & Hannoniæ, pòſt Monialis Ordinis Ciſtercienſis.
                - Margareta uxor Ludovici Ducis Bavariæ Imperatoris.
                  - Albertus Comes Hollandiæ & Hannoniæ duxit Margaretam Ducis Brigæ filiam.
                    - Margareta uxor Ioannis Ducis Burgundiæ.
                      - Agnes uxor Caroli Ducis Borboniæ.
                        - Margareta uxor Philippi Ducis Sabaudiæ.
                          - Ludovica uxor Caroli Comitis Angouleſmiæ.
                            - Franciſcus Rex Franciæ duxit Claudiam Duciſſam Britaniæ.
                              - Margareta uxor Philiberti Emanuelis Ducis Sabaudiæ.
                                - Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ duxit Catharinam Auſtriacam.
                                  - Victor Amadeus Dux Sabaudiæ duxit Chriſtinã Regis Galliæ Ludovici XIII. ſororem.
                                    - Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ.
                                      - Victor Amadeus Dux Sabaudiæ, duxit Annam Mariã, Philippi de Francia, Ducis Aureliacenſis filiam.
            - Philippus Rex Franciæ.
              - Iſabella uxor Eduardi Regis Angliæ.
                - Eduardus III. Rex Angliæ duxit Philippam de Hannonia.
                  - Edmondus Dux de Jork duxit Iſabellam de Caſtella.
                    - Richardus Comes Cantabrigiæ duxit Annam de Mortemer.
                      - Richardus Plantageneta duxit Cæciliam de Weſtmerlandia.
                        - Eduardus Rex Angliæ duxit Iſabellam de Wodivilla.
                          - Iſabella uxor Henrici VII. Regis Angliæ.
                            - Margareta uxor Iacobi Regis Scotiæ.
                              - Iacobus Rex Scotiæ duxit Mariam Lotharingicam.
                                - Maria uxor Henrici Stuard Comitis de Arlay.
                                  - Iacobus I. Rex Scotiæ & Angliæ.
                                    - Carolus I. Rex Angliæ & Scotiæ duxit Henrietam Mariam Ludovici XIII. Regis Galliæ ſororem.
                                      - Carolus II. Rex Angliæ & Scotiæ duxit Catharinam Ioannis IV. Reg: Portugal: filiam.
                                      - Iacobus II. Rex Angliæ & Scotiæ, frater Caroli II. duxit Annam Eduardi Aide, Cancellarij Magni in Anglia filiam. 2dò Mariam Eleonoram, Franciſci Ducis Mutinenſis filiam, ex qua Principem de Vallis progenuit.

tis Melliflui Parentis ad *Guillelmum* verba atque ſolatia ea fuerunt, non diu ampliùs eum hæſurum in corpore, verùm poſt breves moras ſecuturum ad bravium. Tenuit ille Bernardi veſtigia, & eundem paulò pòſt ad *Montes æternos* beatiſsimæ immortalitatis ſecutus nos Viatores ſpectat atque expectat.

Memorandi etiam ex Francica Clariſsima Gente in Cœnobio *Vallis S. MARIÆ* Illuſtriſsimum par Comitum & Ducum, RAINALDUS, Dux de *Montmorency*, loci Abbas, & THEOBALDUS Dux de *Montmorency* ejusdem domûs Monachus: quorum poſterior hic *Matthæô* de *Montmorency*, & *Alinâ Henrici I. Anglorum* Regis filia ortus progenitoribus, poſtquam *Palæſtinam*, Chriſti Salvatoris patriam terram inſigni cum pietate perluſtrâſſet, reliquum jam orbem, per lucem divinitùs communicatam, faſtidiens, exceſsit è mundo, atque in præfato clauſtro inter Ciſtercienſes, felices illos ad Cœlum Viatores ſanctiſsimas ingreſſus ſemitas, curſum viæ & vitæ conſummavit ſanctiſsimè. *Floruit An. 1174.* *Floruit Annô 1189.*

E *Galliis* reſpiciendum ad vicinos *Sabaudos*, ubi memorandus B: HUMBERTUS *Sabaudiæ & Maurianæ Comes*, qui licèt geminô matrimoniô infœcundas Conjuges expertus, vix tamen eâ ſterilitate adeò offendi potuit, extra conjugalem thorum tot ſcilicèt nactus filios, quot ſubditos, qui *Humbertum* amabant ùt Patrem. Verùm ſuprà fidiſsimos ſuorum amores prævaluêre Ciſtercienſes, quos non ſecùs ac viſcera ſua diligebat. Itaque ut amor iſte ex genii ſui conditione pares faceret, in *Alta-Cumba*, Cœnobio à ſe magnis ſumptibus pro Ciſtercii alumnis conſtructo ſuſceptô Ordinis habitu factus eſt ſicut unus ex nobis. Attamen *Sabaudiæ* communes lachrymæ, Romaníque Pontificis conſenſus ac benedictio extraxêre Humbertum ex clauſtro ad tertias, eáſque præ cæteris paulò feliciores nuptias cum *Petronilla Burgunda* initas; ex qua poſtquam geminam ſuſcepiſſet prolem, *Thomam* & *Eleonoram*, per eas rerum ſtatûsque viciſsitudines jam *ter* Maritus ſemel iterúmque Monachus, DEO, Eccleſiæ, Sabaudiæ, Ciſtercio, in omnibus omnia factus de *Petronilla* licentia reversùs eſt ſub Ciſtercienſium in *Alta-Cumba* obedientiam, non ampliùs inde egreſſurus, niſi poſt fata ad Superos. Debent Ciſtercienſes *Altam-Cumbam* Sabaudiæ: Debent Sereniſsimi Duces *Sabaudiæ* in uno *Humberto* Ciſtercienſi ſeipſos totámque Sereniſ- *Obiit Annô 1201.*

ſimam Familiam ſuam toti Ciſtercio. Mutua debita, ſed impa-ria! Amplius enim eſt Ciſtercium dediſſe *Sabaudiæ* Principes *Succeſſores*, quàm Sabaudiam Ciſtercio dediſſe unam *Altam-Cumbam.*

Floruit circa An. 1340.

Et *Lotharingia* trahenda in laudis participium in B: GOBERTO *Aſperi-Montis* Comite clarâ apud Lotharingos orto progenie, qui armis ſtrenuus, bellíſque pro vindicanda ab hoſtibus *Palæſtina* glorioſè ſuſceptis Orbe totô clariſsimus, de ſeipſo tandem triumphum maximum egit, dum *Villarii* in *Brabantia* depoſitô militari baltheô Ciſtercienſium inſtitutis ſe ſubjecit. Tot annis ſecutus caſtra pulcherrimô exemplô miles *caſtitatem* ſervavit, intulítque *Villario*, ac tandem ſepulchro illibatam: Armis fortè vix aliter uſus, quàm pro tutanda puritate, eouſque Virgo, quouſque miles. Neque dum Monachum induit, virginem aut militem exuit: Sola duntaxat mutavit arma, ſervatô ſemper egregii bellatoris munere: inde ſcilicèt precibus, jejuniis, ſpontaneìs corporis cruciatibus, quæ ſunt fortiſsima in clauſtris armorum genera, Angelicam in carne integritatem ſummô ſemper ſtudiô propugnavit. In protrahendis vigiliis inſuper uſus ingeniô; teſte namque *Heriberto Roſvveydô*, *ſi quandóque ſomnus ei moleſtus eſſet, pipere dentes, lingvam, labiáque perfricabat, ut eâ acrimoniâ excitatus omnem ſocordiam excuteret.* Excitentur infelices endymiones è ſtratis ſuis generoſiſsimô hôc facinore! Vix enim *aſtra* aliter, quàm *jura* obtinemus. Et quídni cùm ſolis *vigilantibus* jura, etiam *vigilantibus aſtra*?

cit. in Menol. Ciſt. 20. Auguſt.

Perluſtranda nunc *Germania*, Virorum Heroum, ſanctorúmque ampla & Dives Patria. Laudandi hìc Principes Beatiſsimi, *Bruno*, *Bernardus*, *Ebrardus*, *Carolus*, *Rapatho*, *Petrus*. Sub Ciſtercii primam ferè ætatem B: EBRARDUS floruit, ex nobiliſsima apud Germanos *Comitum Montenſium*, *Marcanorum* ac *Altenæ* familia deſcendens, qui occaſione cruenti conflictus inter Ducem *Limburgi*, Ducémque *Brabantiæ*, atque inter utriuſque Exercitus habiti, cùm ſpectâſſet tot Heroum militúmque infauſtos cædes, campóſque humanô ſangvine latè madentes, quanquam enſes ipſe armáque & mortem evaſiſſet incolumis, vulnus tamen ſenſit in intimis præcordiis Omnipotentis DEI brachiô impreſſum altiſsimè, rerum ſcilicèt humanarum faſtidium, gloriæque militaris per aliorum mala & funera vel nuper jam occupatæ, vel deinceps

inceps occupandæ ſanctiſſimum contemptum. Itaque *Ebrardus* cùm jam per pulchriores victorias gauderet ſe per Superos triumphari, poſuit fatalia arma, viſitatíſque priùs *Apoſtolorum liminibus*, ac votô *Compoſtellæ* exſolutô incognitus in *Morimundenſis* Cœnobii villa Scenam ad Orbis ſtuporem inſtituit, *Subulci* perſonam indutus. Inventus tandem à ſuis inter porcorum greges caſu fortuitô, perſuaderi non potuit, ut ad aulæ delicias rediret, verùm internæ vocationis ductu in Morimundo Monachum profeſſus pœnitentiæ luctu, lachrymíſque eluit ſangvinem, quem in prælio nuper fuderat. Atque ut cladis cruentæ reliquias aboleret penitùs, de Abbatis ſui conſenſu jam novus miles ad Patriam ſuóſque reverſus eſt, poſiturus pro Ciſtercienſibus ſuis nova caſtra; *Adolphus* namque frater *Ebrardi* hortatu celeberrimum *Altenbergenſe* Cœnobium penès *Coloniam*, & *Zizzo* Comes de *Keſerberg* ejuſdem Ebrardi conſangvinei ſui conſiliô inſigne pariter extruxit Monaſterium in *Thuringia*, *Mons S. Georgii* nuncupatum, utrumque pro Ciſtercienſibus. Poſterioris Ebrardus conſtitutus primus *Abbas* Ordinis propagatione, morúmque integritate illuſtris migravit ad Superos, ſuorum Ciſtercienſium inter homines propagator, apud Cœlites Orator, utrobique fœcundus, facundus ac efficax.

Sequatur nunc Ebrardum B: BRUNO *Colonienſium* olim Archi-Præſul, qui cùm nobiliſſimas Cunas nactus ſit è Comitibus *Altenæ* & *Marchæ*, Familiæ, Domûs, titulorúmque identitate Viros cognatos ſeparare haud potui. Clariſſimam hanc proſapiam velutì primogeneam ſcaturiginem reſpiciunt defluentes illuſtriſſimi rivuli Duces *Clivenſes*, & *Juliacenſes*, Comites item *Arenbergæ*, & Duces *Bullionii*. Tot ſtemmata in ſe uno, imò tantas tot ſtemmatum indoles unô pectore, unô animô complexus *Bruno* in Sedem Archi-Epiſcopalem à *Colonienſibus* evectus eſt. E tanto tamen ſacerrimi muneris faſtigio poſt modici temporis præfecturam eum detraxit Ciſtercienſium amor, quorum in *Veteri-Monte* unà cum candida Cuculla morum ſimul candorem induens, ſangvinis inclytum ſplendorem vitæ ſanctimoniâ illuſtravit. *Obiit Annô 1199.*

Laudandus nunc B: BERNARDUS Comes *de Lippia*, proſapia apud Gentem Germanam vetuſtâ & clarâ. Lego apud *Henrique-* *Floruit An. 1260.*

riqueum in *Menologio* ad 23. *Januarii*, Bernardum noſtrum ante aſſumptum Ciſtercium illuſtriſſimas primitias dediſſe Domui Suæ, ſub nobiliſſima nuncupatione *de Lippia.* Agnoſcant hodie Clariſſimæ Familiæ Seri Nepotes, beneficium iſthoc ingens ſeſe obtinuiſſe à Progenitore, qui fuerit aliquando *Ciſtercienſis!* Filios *Bernardo* olim Marito genuit fœcunda conjux numerô quatuor, per quos velutì per quatuor Domûs columnas felices ambo Progenitores tranſirent ad Poſteros. Poſt abſolutas has geneſes placuit Bernardo ex Numinis vocatione mariti & nomen & munus exuere: una poterat obſtare *Sophia Arensberga* optima conthoralis, Sed & illa & vocanti DEO, & abeunti marito non auſa repugnare, conſenſit in ardua & ſanctiſſima Viri propoſita. Itaque cùm jam è ſæculi atque connubii compedibus ſe penitùs expediviſſet, in *Campo B. MARIÆ* Ciſtercienſium Cœnobio Monachum induit. Abbatis munere ac titulo per ſua merita, ſuorúmque ſuffragia ornatus, *zelô Apoſtolicô* exarſit, profectúsque in ultimam *Livoniam* novus illius Gentis *Apoſtolus* Chriſti fidem mirâ fœcunditate propagavit. Epiſcopatum *Lealbenſem* non priùs admiſit, quàm meruit, gregis, quem ipſe collegerat, inſtitutus & Pater & Paſtor. A proprio filio *Ottone Trajectenſium* Præſule authoritate Apoſtolicâ inauguratus Epiſcopus, ipſe ſubinde in felicitatis ampliſſimæ cumulum unà cum *Ottone* alterum filium *Gerardum* Archi-Præſulem *Bremenſem* conſecravit. Fortunatiſſimus Genitor, qui filios non tam ſæculo genuerit, quàm Eccleſiæ, quàm DEO, rarâ felicitate unius bis Pater, alterius ôlim Genitor, tandem filius!

Floruit circa An. 1210. Et memorandus B: CAROLUS è Comitibus de *Seyne*, non minima portio præſentis tituli, quem potentioribus Germaniæ Principibus junxit ſangvinis clariſsima propinquitas. Verùm ille, quâ pollebat optimâ indole, ultrà hanc carnis cognationem aliquid à Superis ambivit amplius, ut nempè nobiliori ſui parte conjungeretur Cœlo ac DEO: eapropter relictô ſæculô in *Villario* Ciſtercienſe inſtitutum amplexus eſt: ubi cùm ſacrâ Ordinis veſte indueretur, *columba* candidiſsima capiti ejus inſidere viſa, columbinæ ejus mentis concupita cum DEO connubia felix internuncia ſacravit. Hôc præſagiô velutì oraculô moniti *Villarienſes Carolum* concordibus votis in Abbatem delegerunt. Et crevit

vit felix domus ſub Viri ſanctiſsimi præfectura, ſi tam ſpectes incrementa murorum, quàm morum. Quin imò *Carolus* ipſe *Villariô* ſuô jam major famâ ſanctitatis aulas Principum implevit. *Philippo* præſertim *Galliarum* Regi in deliciis ac pretio. Inde nimirùm Angelum pacis in ipſo Principes frequenter experti, coibant in mutua fœdera, ſic ſuadente, ſic urgente *Carolô*: præſertim *Brabantiæ* Dux atque Epiſcopus *Leodienſis*, quos armis animiſque infeſtis inter ſe confligentes ad pacis oſcula reduxit. Tandem ut Columbæ olim inſidentis præſagiô liberiùs evolaret ad cœleſtia, ſarcinam Prælaturæ excuſsit, atque in *Monaſterio S. Ag*[illegible]*s* totus jam & ipſe columba à corpore mortis hujus reſolutus, evolavit non pennis ſed meritis ad Superos. Gloria Viri divinitùs primùm revelata eſt *Virgini* cuidam ſanctimoniali, atque per eam deinceps promulgata per Ciſtercium, Orbémque reliquum.

Neque *Ebracum* apud *Francones* ſinè gloria, quam domum illuſtravit B: RAPATHO Comes *Abenbergenſis*, quem priùs conjugio implicitum abſolvit conſenſus uxoris pientiſsimæ, convolaturum mox ad Cœnobium *Ebracenſe*. Æmulati illicò Viri illuſtris pulcherrimum exemplum non pauci ſæculi compedes fortiſsimè excutientes evolavêre ad Crucis, & Ciſtercii divina vexilla. Succeſſerat in deſertam hæreditatem *Rapathonis* Frater Germanus, qui Ordinis augmento, ac fratris precibus gratificaturus (& quid ei negaverit, à quo omnia obtinuiſſet?) celeberrimum erexit Cœnobium *Heilbrunenſe*, conceſsâ ei opulentâ dote, quam vel *Rapatho* ipſe aut nuper dare, aut nunc optare potuerit. *Floruit circa Annô 1132.*

Eôdem propè eventu apud *Belgas* Ciſtercium & ſe alumnô, & novâ Domô auxit B. PETRUS POT Dominus de *Bauterſem* Fundator *Cœnobii S. Salvatoris Antverpiæ*, qui ex eo potiſsimum præſentem *Titulum* ornare debet, quoniam ex ejus illuſtriſsima proſapia hodie ſuperſunt *Duces*, *Principes*, *Marchiones*, *Comites*, numerô non modicô, qui primos Familiarum ſuarum Fontes in hoc *Petro* noſtro agnoſcant. Suſcepit ille candidum Ciſtercii amictum in Cœnobio à ſe *Antverpiæ* conſtructo, pietate in Divam Virginem, atque miſericordiâ in pauperes im̃ortalem apud poſteros famam conſecutus. Non ſemel, verùm per repetitas vices *Auguſta* Cœlitum *Domina* cum parvulo Salvatore hærente *Obiit Annô 1260.*

rente inter Maternos amplexus ſpectabilem ſe *Petro* dedit. Liberalitas Viri ſeſe explicabat ampliſsimè ſuprà Monaſterii facultates, Cœlô interim per prodigium multiplicante annonam in manibus diſpenſantis. Obiit *Petrus vigeſimâ Auguſtâ*, die *Bernardo* Parenti ſacrâ; poſtquam ſcilicèt nuper pariter quadruplici eventu ejusdem diei ſolemnia non absque bonis præſagiis ſacrâſſet; eôdem namque feſtô *conjugii* Sacramentis initiatus, habitu Monaſticô indutus, Cœnobii mox memorati prima fundamenta auſpicatus, ac tandem, ùt præmiſi, feliciſsimâ morte conſummatus eſt: ejus indubiè ſocietate donandus apud Superos, cujus feſtos dies toties tam piô cultu ſignaverat.

Floruit Annô 1240. *Suecia* etiam theatrum gloriæ Ciſtercio aperit in B: ULPHONE *de Ulphaſô* Principe *Nericiæ*: quod nomen apud *Suecos* clarum ac ingens! Electus è millibus ille unus, cui optimam Principem *Divam Brigittam* DEUS in *Conjugem* dederit. Transtulêre ambo amores conjugales ad DEUM & Cœlites, mutuâ ſanctitate ſe invicem ad *Sueciæ* univerſæ ingentem ſplendorem egregiè illuſtrantes, gemina Regni ſidera! *Ulpho* ad intima Regis *conſilia* adſumptus, ſuus ſibi ſemper optimus extitit Conſiliarius, arctiúsque Regi *ſæculorum*, quàm Regi *ſæculari* arctiùs Cœlo, quàm terræ adhæſit: utrique tamen charus, ſed *Sueciæ* inſuper neceſſarius, conſulendo præfuit, orando profuit. Natus ex tam penè cœleſti conjugio filius re non minùs quàm nomine *Benedictus*, donandus olim *Ciſtercio*. ut Cœlo reſtituerent munus, quod Divinæ benedictionis influxu Cœlum contuliſſet. *Ulpho* tantæ prolis Genitor, eidem ſe pleniùs conformaturus in ultima ætate, cùm jam poſt peſoluta Divo *Hiſpaniarum Thaumaturgo* Apoſtolo *Compoſtellæ* vota in ſanctiſsimo comitatu *Brigittæ* Conjugis in Sueciam reverſus eſſet, reliquias mortalis vitæ, venerandósque canos ſuos Supremo Numini inter Ciſtercii alumnos in *Albaſtra* conſecravit, compendiô viæ, neglectis ſæculi ambagibus, per monaſticas ſemitas feſtinantior tutiórque iturus ad Patriam.

Obiit circa Annô 1195. Et nunquid inter tot Principum nomina numeranda pariter hôc titulô *Auſtria*, Auguſta Cæſarum Mater in LEOPOLDO Duce, poſt varios eventus tandem Ciſtercienſi? *Richardô Anglorum* Rege ſacram expeditionem promovente adversùs *Saracenos Leopoldus* ijsdem, quibus *Richardus* ſacris incitatus ſtimulis, cum ſuis

ſuis popularibus in *Syriam* trajecerat, concepta nuper ſuper hoc vota armatâ pietate inter victorias exſoluturus. Ortæ ſubinde *Regem* inter & *Ducem* ſimultates: & *Leopoldus* à *Richardo* duplici offenſus injuriâ, quam utramque recenſet *Angelus noſter* ex *Matthæo Paris* & *Polydoro Virgilio* ad annum 1192. c. 1. num. 9. & 10. Compreſſit ad tempus irritatus Dux inſigni animi fortitudine juſtiſſimas iras, commendatâ interim DEO ultione, quam ille ſummâ æquitate Orbi in ſpectaculum mox eſſet exhibiturus; Revertentem namque in *Angliam* Regem, & naufragiô jactatum in terras, atque ſubinde per *Auſtriæ* confines plagas feſtinantem ad Patriam, prædam ſcilicèt jam ultrò DEI nutu incidentem in promeritos caſſes, *Leopoldus* cepit, tenuítque aliquamdiu, eâ captivitate nuperas injurias ſibi recompenſans. Datus porrò Rex *Conrado Cæſari* in cuſtodiam, tandémque cùm utrinque Germanos inter & Anglos aliquamdiu litigatum eſſet, voluntate Ducis ad preces *B. Eliæ* Abbatis *Dunenſis* apud Flandros dimiſſus eſt, non ultrà auſus laceſcere Leopoldum, nè novâ fortè tempeſtate, ventorum velutì indignatione in Auſtriacorum manus jactaretur. Hæc utriuſque Gentis, paritérque Regis ac Ducis diſsidia ideò nempè hìc inſerui, non quòd aliquâ ratione pertineant ad Ciſtercium, ſed ut Lector magìs diſceret nôſſe *Leopoldum*, qui ob eas cum *Anglo* exercitas ſimultates apud Hiſtoricos utrinque eſt notiſsimus. Converſio Viri Principis ex eventu infauſto; Campeſtres namq; inter luſus equus ceſpitans Seſſorem Ducem in terram effuderat. Ex eo caſu fractus attritúsque pes, & quia malum per interjectam noctem ex prorumpente ſacrô igne ſuprà remedia & chirurgorum peritiam factum incurabile, à reliquo corpore reſectus. Eâ calamitate pulſatus Ducis animus, ut jam vel unô pede mundum fugiens ad ſanctiora aſſurgeret, curterétque; quídni enim etiam melius ſibi nunc eſſe, cum uno pede intrare in *Regnum Cælorum?* Quæſita igitur ad Cœlum via in *Sancta-Cruce* Ciſtercienſium apud *Auſtriacos* illuſtriſsimo Cœnobio, ubi poſitis Ducalibus titulis ac gubernaculis Monachum induit, geſsítque inter juges ac vehementes corporis è vulnere per intervalla afflicti cruciatus patienter atque ſanctiſsimè. Nuncupatus nuper cùm adhuc ſederet ad Provinciæ clavum à virtute LEOPOLDUS VIRTUOSUS, glorioſam hanc nuncupationem novâ in Ciſtercio pietate inſigniter ampliavit, apud *Manriquenum* ad Annum 1195. c. 1. honora-

 tus

tus elogiis *Principis egregii, pii, Eccleſiæ obſequentiſſimi.* Mora ejus in *SanctaCruce*, & vita brevis admodum, ſed quæ ſufficiat ad augendum Ciſtercii ſplendorem ac decus, cui ſatìs ſit *Leopoldum Auſtriacum* in Ciſtercio Monachum ſanctiſſimè devixiſſe.

Neque omittendæ hôc locô *Hiſpania*, *Italia*, *Hibernia*; quæ quidem ex aliis *titulis* non modicos Viros huc aſportare poſſent; verùm nimiùs ſim, ſi ſingulos rursùs reſumerem: reperiet eos Lector Benevolus ſparſim in hoc opere. Occupent tamen etiam aliquam hujus Tituli portionem memoratæ Gentes; Et in primis quidem *Hiſpania* in GARSIA de VERA, Viro nobiliſſimo, qui

Floruit Annô 1255.

præſtantiſſimus Heros, & ſub ſignis *Jacobi Aragonum* Regis Saracenorum terror, ac Chriſtiani Exercitûs Hannibal, poſtquam ingentibus victoriis fatigâſſet barbaros hoſtes, impetratâ à Rege miſſione baltheum poſuit militarem, atque in *Nortenſi* Cœnobio Ciſtercienſium cucullam in vicem loricæ militaris indutus, nova ac difficiliora prælia auſpicatus in utraque militia victorias laudésque perennes obtinuit, præliator ac triumphator inclytus.

Obiit Annô 1617.

Italia pariter hìc ſpectanda in HORATIO AQUAVIVA ab *Aragonia*, Illuſtriſſimo Duce, *Hieronymi Adriæ* Ducis Filio, *Julii* & *Octavii* Cardinalium Fratre, qui caſtra Chriſtiana, quæ *Pii V.* Pontificis Maximi auſpiciis ac hortatu adversùs Ottomannos in ſanctum fœdus coaluerant, cum aliis ſecutus, Ducíſque ſtrenui functus munere, navalis prælii ad *Naupactum*, occupatæq; inde adversùs Paganos glorioſiſsimæ victoriæ pars non modica extitit. Iis laureis reverſus domum, votum illicò ſolvit, quô ſe nuper Deo Ciſterciόque obſtrinxerat, Mellifluo Sodalitio aggregatus *Florentiæ* in Cœnobio *Divæ Mæ. Magdalenæ Ciſtelli.* Inde aſſumptus ad *Sedem Cælitanam* apud Neapolitanos 25. annis paſtorale munus egregiè geſsit. Commendantur, præter clariſsimam proſapiam Viri glorioſæ virtutes in tumuli ſuperſcripta epigraphe: nimirùm *vitæ integritas*, *doctrina*, *Religio*, atque etiam *magnitudo ac fortitudo animi admirabilis.*

Hiberna Gens avitæ Religionis; pietatíſque inter mille etiam preſſuras quàm tenaciſsima, illuſtres quoque Viros Principes Ciſtercienſium Horizonti invexit; quorum ſingulis quidem forent ampliſsimæ concedentæ laudes; verùm in híſce paginis interim nomi-

nomina, dulcéſque dnntaxat memoriæ ſufficiant. Itaque ex una *Dermitiorum* proſapia in *Buellienſi* Cœnobio tres clariſsimi Principes in Ciſtercii ſocietatem tranſierunt. Annô nempè 1196. Princeps CONCAVARIUS. Annô 1331. Princeps MÆLRUANIUS. Annô 1341. Princeps RUFFUS, Filius Cormaci Junioris. In eadem etiam Domo, deſertis Provinciæ gubernaculis inter *Bernardi* alumnos Annô 1244. adlectus eſt CORMACHUS, Filius Tumultachi Principis Gentis *Maolruanaidh.* In *Sameria* altera Ciſtercienſium Domo tres pariter comperio Inclytos Hiberniæ Principes Monachos. DONALDUM *Magnum* Filium *Egnechain*, *O Donelli.* TORRDHEALBBACHUM, Filium *Nellin* cognomentô *Carvi* O Donelli *Tyrconalliæ* Principis. AIDUM Filium Domnaldi junioris O Donelli *Tyrconalliæ*, & plurium aliarum Regionum Principem Hibernorum potentiſſimū, cujus apud *Jongelinum* in *Notit. Abbat.* L. 8. *pag.* 26. in modicis vocibus hæc clariſſima lego elogia; fuiſſe nimirum Aidum, *Anglorum Victorem frequentiſſimum*, *æquitatis & liberalitatis obſervantiſſimum.* *Floruit An. 1441.* *Floruit Ann. 1422.* *Floruit Ann. 1333.*

Apud *Polonos* præterea Ciſtercio acceſſit illuſtriſſimum jubar, JAROSLAUS SCORNICIUS, gente *Bogorius*, qui poſtquam annis triginta & ampliùs *Gneſnenſis* Archi-Epiſcopatûs gubernacula magna cum gloria tenuiſſet, ampliſſimos honores poſuit, atque in *Landenſi* Cœnobio Mellifluis alumnis ſeſe ſociavit, tutior expeditiórque ſinè dignitatum aggravantium ſarcina per monaſticas ſemitas aſcenſurus ad Beatiſſimam Cœlitum Patriam. *Floruit Ann. 1372.*

Laudis etiam ſeges quàm plurima Mellifluæ Familiæ accrevit per fœminas Principes, quarum quia ſexus imbecillior, in perferendo Ciſtercii rigore virtus quoque rarior atque pretioſior.

Illuſtriſſimum hoc agmen ducat DIVA HEDWIGIS *Poloniæ* Duciſſa, inter Eccleſiæ ac Ciſtercii ſtellas grande ac admirabile aſtrum! Progenitores habuit *Bertholdum Moraviæ* Marchionem, atque *Agnetem* Marchionis & Comitis de *Rotlebes* filiam. *Henrico Barbato* Poloniæ & Sileſiæ Duci deſponſata in Conjugem, vitæ ſanctimoniâ Matrimonium Sacramentum feciſſet, niſi jam anteà fuiſſet. Leges ſanctiſſimas Conjugibus non literis ſcripſit, ſed moribus. Sæculi fugam meditata, ut poſſet olim opportuniùs, quod nunc vellet optarétque, celeberrimum Parthenonem *Trebniacenſem* hodiedum tantæ haud dubiè Patronæ auſpi- *Obiit Annô 1[illegible].*

ciis ſuperſtitem, florentémque ſuis, Ducíſque Mariti ſumptibus erexit, aſylum nempè, quò olim ſeſe foret receptura: cui in dotem aſsignati reditus *centum* quot annis Virginibus in perpetuum ſuffecturi. Dotis amplisſimæ viva ac felix appendix Fundatricis ſanctiſſimæ Filia *Sancta Gertrudis*, quæ data Virginibus in Abbatiſſam ordine ſecundam innocentiſsimâ vitæ converſatione ſe in clauſtro auroram exhibuit, quæ in Matre ſolem ſuum præcurreret. Et debebat in aliorum emolumenta optima Princeps aliquamdiu adhuc differre concepta vota, ſtaréque tametſi invita ad Provinciæ gubernacula: uſque tandem pacatæ jam feliciter res, Maritúsque extractus è poteſtate hoſtium paterentur, ut deinceps vacare ſibi poſſet *Hedwigis*. Itaque ſecuta filiam clariſſimæ proſapiæ celſitudine Ciſtercii humilitatem magnificè exaltavit, tantò exinde inter ſorores, imò alumnas ſuas Ciſtercienſes humilior, quantò nuper inter nobiliſſima Fœminarum obſequia in Palatio excelſior. In genua cum inſigni reverentia provoluta figebat oſcula veſtigiis, quæ terræ impreſſiſſent dedicatæ DEO perſonæ. Egenis ſemper, quàm ſibi faventior, cibos quos meliores ipſa habebat, cum illis mutare ſolita eſt, contenta vilioribus, modò pauperes tantopere à Salvatore commendati lautiùs reficerentur. Et ſanè meruit per hæc benigniſſima Princeps favorem à Chriſto eximium; cùm namque Salvatoris *Crucifixi* ſimulachrum tranſiret, ſolvit dexteram è ligno ſuſpenſus Redemptor, & benè amantérque *Hedwigi* precatus, Divinô oraculô ſtupentem edocuit, exauditas eſſe preces, quas illa cum multo gemitu ad DEUM fuderit. Prodigiorum magnitudo numerúsque, quibus potentiſſima *Sileſiorum* Advocata Patriam implevit, pro dignitate ſatìs commendari in his anguſtiis vix poteſt. Inter cætera jucundum illud, quòd duos patibularios in furca ſuſpenſos poſterâ die juſſerit *Hedwigis* è fune reſolvi, & valentes ſoſpitésque abire. Intimos conſcientiarum ſinus in alijs oculô ſuprà mortales vires acutô diligentiſſimô ſcrutiniô perveſtigabat, labes ſordéſque, ſi quas fortè in ijs deprehendiſſet, illicò ſaluberrimis excutiens monitis, atque ſi præterea opus, propriis lachrymis eluens: quâ arte frequens ac efficax non paucorum animas DEO lucrata eſt. Moritura *Divam Parentem* in alumnæ ſolatia explicantem dulces ſinus læta conſpexit, in cujus brachia abeuntem animam feliciſſimè implicuit. Atque ut nôſſent in

Treb.

Trebniaco Virgines, quantô pietatis ardore erga *Divam* flagraverit jugiter Hedwigis, tenuit illa à feliciſsimo obitu eburneam DEIparæ effigiem tribus digitis tam preſsè, ut nullâ inde vi eripi potuerit, pulcherrimâ nimirùm æmulatione emortuæ digitis imitantibus beatiſsimam viventis animam, immortali Divinæ Parentis memoriâ nominéque pleniſsimè ſignatam, quæ ſcilicèt MARIÆ amores, quos ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Annis triginta à funere Divæ Principis evolutis ſolemni pompâ elevatô copore reperti fuêre tres illi digiti omninò incorrupti. Et quô, amabô, pactô, dum MARIAM tenes, & à MARIA teneris, corrumpi poſſis aut perire?

E *Galliarum* illuſtriſſimis Heroinis præcipuè quatuor præſentis Tituli horizonti ingentia lumina affundunt *B. Ermengardis*, *Antonia*, *Margaritha & Jaquelina*. B: ERMENGARDIS Comitiſſa *Britanniæ Minoris*, Majorum titulis, vitæ integritate, ac præſertim BERNARDI Melliflui amoribus ac amicitiâ primam Ciſtercii ætatem illuſtravit. Crediderim, haud aliter potuiſſe, voluiſséque caſtiſſimum è Clara-Valle Parentem fœminam amare, niſi quia Sanctam. Perſcripſit ille Matronæ optimæ epiſtolas geminas, dignatus, imò auſus in earum altera ponere verba, propria amantium ſtylo atque teneritudini: *Utinam*, inquit, *ſicut chartam nunc præſentem, ita & meam tibi mentem expandere poſſem. O ſi legere poſſes in corde meo, qnod ibi de amore tuo, ſuô digitô DEUS ſcribere dignatus eſt: certè agnoſceres, quàm nulla lingva vel penna ſufficiat exprimere, quod in intimis mihi medullis DEI Spiritus imprimere potuit.* Feliciſſima Princeps! quam in intima Magni Ciſtercienſium Parentis inſculpſerit Divina manus. Reſpondit *Ermengardis* geminæ Bernardi epiſtolæ primùm per literas aureas, id eſt, beneficia, magnis ſumptibus pro Ciſtercii alumnis extructô Cœnobiô de *Buſajo* apud *Nannetum* Urbem. Tandem reſponſura meliùs per ſeipſam calcatô mundi faſtu ſe Bernardi genio gubernandam ſubjecit, habitúque Ciſtercienſium indutô, vitam, Bernardi, Cœli imò amoribus dignam agens, ſanctiſſimâ, id eſt, Bernardi morte vitam piiſsimam clauſit.

Floruit An. 1150.

Epiſt. 116.

B: ANTONIA Duciſſa de *Orleans*, *Franciæ* Regibus juncta ſangvine Duci de *Bella Inſula* nupta, excellenti corporis formâ totius Galliæ in ſe convertit amores. Verùm Maritô celeri fatô è vi-

Obiit Annô 1618.

è vivis ereptô inter Ciſtercienſes Congregationis *Fulienſis* auſteritate vitæ totius Orbis in ſe convertit admirationem, ſtupentibus univerſis, à tam delicatis plantis poſſe calcari mundum, dolentibúsque procis tantas nuptiarum ſpes ingenti ſpecie ejus accenſas unô è mundo *abitu*, unôque Ciſtercienſium *habitu* poſſe, debereque eludi. Vix crediderim, adeò hodie frequentes eſſe, qui eâ animi fortitudine ad Ciſtercii rigorem vel è Viris aliquando convolaverint, ac Magna hæc Franciæ Princeps, repugnantibus namque Ducibus Parentibus, renitente Rege, reclamante totô Toloſanô Senatu conſtantia *Antoniæ* tentata, moveri nequaquam potuit, quin Añô 1601. aſperrimam Fulienſium vitam *Toloſæ* profeſſa fuerit. Et fortè hodie ſint, qui non ſecùs atque arundines modicô flatu in adverſam partem ſeſe inclinent, inſpiratas divinitùs religiones leviter excutientes. Alia omnia *Antoniæ*; neque enim ipſa concepta vota mutavit unquam, maſculâ nempè virtute corrigens fœmineam levitatem, neque per potentiſsimos arietes locô & propoſito cedere rogata, juſſa, impulſa, triumphari aliquando ullâ ratione potuit. Crevit cum ætatis incrementis Religioſæ Principis ardentiſsimus zelus, cujus impulſu Congregationem *de Calvario S. Scholaſticæ* Militantem ſub *Benedicti Parentis* regula authoritate Apoſtolicâ inſtituit, novô hôc fœtu ſanctiùs fœcunda, quàm ſi mille Principes inter delicias ſæculo & aulis genuiſſet. Corpore per cruciatus ſpontaneos exhauſtô una tãdem mors Crucem & vitam clauſit, quæ *Antoniam* ad beatiſsimam immortalitatem transvexit.

Floruêre circa Ann. 1610. & deinceps. Toloſæ pariter idem *Fulienſe* Inſtitutũ amplexa fuit B: MARGARITA Vidua, Domina de *Margaſtaldo* cum filia JACQUELINA Invertit illa divinô calens zelô *ordinem* in ipſo *ordine*, filiæ ſuæ ob virginitatis prærogativam in omnibus ſuâ ſponte cedens, eâque inferior, humillimô ſuô magiſteriô edoctura orbem, quantis intervallis Matres ſupergreſſæ intaminatæ Virgines easdem antecellant, Angelis propinquæ, non ſangvine, ſed virtute. Repoſuit nihilominùs Altiſsimus reſpiciens humilia *Margaritham* in *Matris* dignitatem, quâ nuper ſponte ſeſe abdicaverat, eámque in Parthenonis *Toloſani Prioriſſam* electam, voluit eſſe Matrem Filiarum lætantem.

Per alia quoque climata ſeſe inter Ciſtercii ſtellas implicuêre Illu-

Illuſtriſsima ſidera. Et quidem apud Hiſpanos B: THERESA de *Floruit Annô 1590.*
Toledo, Marchionum *de Velada* nobiliſsima propago, *Abulæ* in Parthenone *Divæ Annæ* Ciſtercienſium Virginum Antiſtita, quæ Alumnis ſuis nîl tam inſtillare ſolicita, quàm ut caſtiſsima præcordia ſua Divinis amoribus jugiter occuparent; id enim vel maximè decere Virgines, quæ relictis carnalibus hymenæis ſeſe DEO in ſponſas conſecraverint. *Thereſæ* ſidus æmulum B: URRACA *Floruit An. 1236.*
Comitiſſa, quæ in Monaſterio de *Cannas* ſive *Cannis* Parentum ſuorum auſpicijs pro Ciſtercii Virginibus erectô Hannibale ad *Cannas ſuas* victorijs inſolente longè felicior, ad Sanctiores has Cannas Ciſtercienſium adſcripta vexillis in ſeipsa carnem mundúmque Triumphavit. Sororibus præpoſita in Abbatiſſam, imbelle genus, virgines transformavit in Amazones, quæ armis Monaſticis devictô infernô Cœlum ipſum impugnârint.

Ex Flandris memoranda hìc B: IOANNA Flandriæ Comitiſſa, *Conſtantinopolitani Imperatoris* filia, primum *Ferdinandi Luſitaniæ* Principis, ſubinde *Thomæ* Principis *Sabaudi* lectiſsima conjux, quæ *Obiit circa Annô 1244.*
ſplendorem Nominis ſui auxit ſplendidiſsimo Parthenone *Marchetenſi* pro Melliflui Parentis virginibus alumnis â ſe fundatô. Porró etiam extra Ciſtercium ſeſe diffudit optimæ Principis munificentia, Religioſæ etenim *Divi Dominici*, Divíque *Franciſci* Familiæ Ejusdem ope ac opibus magnis incrementis promotæ fuêre. Ea pietatis ac miſericordiæ opera mirô tandem clauſit ordine, in Cœnobio Marchetenſi nuper à ſe erecto de conſenſu *Thomæ* Mariti ſui ſumptô velô pientiſsima ſanctimonialis. Laudanda præterea inter Belgas RICHARDIS, *Gerardi Geldriæ* Comitis relicta *Vixit circa Ann. 1220.*
vidua, quæ in *Ruremundenſi* Parthenone viduitatem Altiſsimo conſecravit religioſiſsimô Ciſtercienſium velô.

Apud Anglos inter cæteras eminuit B: ELA Comitiſſa *Salisburienſis*, Cœnobii de *Lacock* & Mater, & Filia; primô nomine nuncupanda, quia ejusdem Fundatrix, alterô, quia aſſumptô in eo *Floruit circa Annô 1300.*
habitu Ciſtercienſium Sancta alumna.

Ciſtercii in *Germania* decus B: ELISABETHA Comitiſſa *Juliatenſis*, quæ relictô Principatu unà cum *Germana Sorore* ſua *Burvenenſem* Parthenonem ingreſſa ingentibus animi ad divina tendentis paſsibus ad culmen perfectionis eluctata, à Virgineo *Burve-* *In Menolog. Ciſt. 14. Novembris.*

nenſium cœtu votorum ſuffragiis interpellata ſedere debuit Domûs Antiſtita, olim Populos, nunc Virgines, id eſt, Cœli felices Candidatas gubernare docta, &, quod glorioſius, digna.

Obiit Annô 1210. Claudat tandem hunc *Titulum* Illuſtriſsima *Bohemiæ* Dux HEDWIGIS *Theobaldi I.* (qui fuit *Wladislai II. Bohemorum* Regis frater germanus) filia, ſubinde *Friderici I. Brenæ* Comitis conjux, ac tandem in *Brenenſi* apud Luſatas Parthenone, cujus illa Fundatrix extitit, inter Ciſtercienſes Soror *Converſa.* Commendantur Principis Matronæ eximiæ virtutes à *Balbino in Bohem. Sanct. part. 2. Tit.* 20. præprimis, quòd pauperum Mater, quòd in oratione ſedula, quòd converſatione humilis, quòd Divini præſertim cultûs quàm ſtudioſiſsima. Cùm jam ſub *Hedwigis* auſpiciis ſurrexiſſet præmemoratum *Brenenſe* Cœnobium, aggreſſa Maritum, quatenùs & ipſe pulcherrimum ſequeretur in uxore exemplum, eidem cum efficacia perſuaſit, ut illicò Conjugis amoribus, Numinis & Divæ cultui, atque Ciſtercii propagationi, ſeræq; poſteritati perenne daturus ſpecimen, quàm cuperet creſcere, atque ad majora incrementa provehere Mellifluam Familiam, *Buchæ* in *Oſterlandia* pro Viris Cœnobium inchoavit; at quoniam immatura mors Fundatorem abſtulerat, perfecit *Hedwigis* tum per ſuas, tum etiam per filiorum facultates imperfecti operis glorioſas primitias. Tandem, ut præmonui, *Brenæ* Ciſtercium inter Converſas profeſſa, multis, id eſt, *viginti novem annis* humillimas muneris ſui functiones conſtantiſsimâ ſolertiâ ſanctiſsimè exercuit. Abiit demum ad laborum copioſum atque immortale apud Superos bravium, honorata à Sororibus tumulô marmoreô ſuprà terram in Matronæ Principis majeſtatem, atq; Fundatricis reverentiam altiùs prominente. Id inter inſignes Ducis Illuſtris gloriæ appendices referendum eſt, quòd Filia *Sophia* Genitricis piiſsimô exemplô Ciſtercium pariter amplexa ſit, prout ſequenti *titulô* memorabimus.

Et quidem per ulteriora nomina, atque ampliora elogia quídni ire poſſet hic calamus? Neque enim per modicas has paginas omnium Illuſtrium Perſonarum, quæ ad Ciſtercii inſtituta aliquando acceſſerint, cumulatiſsima ſeries hìc aut abſoluta eſt, aut abſolvi potuerit; Verùm cupio eſſe, quòd jubeor, in hoc compendio non admodum prolixus, contentus ſcilicèt ſcenâ, quam ad-

adornavi è Clariſſimis Viris, Fœminíſque apud *Henriqucum* præcipuè atque *Manriqueum* ſanctimoniæ laude conſpicuis.

SANGUIS

Clariſsime, Nobiliſsime!
Tot olim *Bacchi* ſpumantis calicibus
Inter Aulæ *luxum*, *luſum*, *plauſum*
Madide & generoſe!
I. tandem,
Milléque *venis* & *canalibus*
Ciſtercii *undis* te miſce!
De Medicorũ etenim mente, & naturæ genio
Vix *ſangvis* eſt ſinè vitio,
Qui ſinè *aquæ vehiculo*.
Itaque
Non tantùm *unô verbô*, ſed etiam *unâ literâ*
Dico tibi *Sangvis* inclyte mi,
I.
Vix utique inter Aulæ illecebras
Benè ſemper
Utut volueris, *valere* potueris!
Perſæpè enim *venas* naturâ indoléq; ſuâ *innoxias*
Viciant *duæ res* tam *infauſtæ* quàm infeſtæ
Vina, *Venus*.
Inclyte *Sangvis*
Aut *extingve*, aut *præverte*
Hos *calidos influxus*,
Hos *noxios effectus*,
Remedium & *refrigerium*
Habiture
In *Fonte* & *Ciſternis*!
Naturæ Author, Gratiæ Reparator, *Crucifixus* Salvator
In ſuo *latere*
Aquam copulavit cum *ſangvine*! Joann. 19.

Quis audeat nunc ea *ſeparare*,
Quæ DEUS
Inſuper in *ſuo corde conjunxerit*?
In pectoris meditullio, amoris domicilio
Ea *liquorum* conjunctio facta eſt!
Et quidni Salvatori *cordi* fuerit,
Quod è *corde* prodiit?
I. Magne *Sangvis*,
Exod. 25. Et *fac ſecundùm exemplar!*
Illabere & jungere Ciſtercii *Fontibus*
Sícque quemadmodum BERNARDI meritis
Ipſi hi *fontes*
Stillant *lac* & *mel*,
Ita tuis auſpiciis
Fluant *aquam* & *ſangvinem*,
Redemptionis humanæ
Suprema in *Cruce* complementa.
Seneca Moriens
Ingeniô *temperavit* fati aſperitatem,
Cùm præciſis *venis*, velutì *vinculis*
Sapientiſſimam animam, vitámque
In *aquis extinxit.*
Abiit cum anima & vita elicitus *cruor*
In ſubjectas *balnei undas*,
Vel hoc ipsô eventu *liquidè* probaturus
Sacerrimi Codicis Divina oracula,
2. Reg. 14. Velut *Aquas dilabi Mortales!*
Capio ego in hoc *confluxu* myſterium:
Atque in ſupremo *Philoſophi* facinore
Lego Ciſtercii fata & gloriam:
In *balnei tepida* lavacra
Calentiſſimus cruor projectus eſt,
Scilicèt
Ut per *geminatos* eos *æſtus*
Confunderetur gelidæ mortis imago,
Novíſque *coloribus* vel Senecæ ingenio *permixtis*
Pulcherrimi illius *confluxûs* pingeretur idea,
Clariſſimorum Principum Nobiliſſimi *Sangvinis*

In

In *Ciſtercii* Sacratiſſima *fluenta.*
Et *fervent* hìc *aquæ* præter *fontium* morem,
Quoniam in *latere* Redemptoris,
Ubere Virginis,
Ore Melliflui Parentis
Calentiſſimas ubique ſortitæ *Scaturigines*
Gratiſſimos *æſtus* propinant
Frigidis Mortalibus.
Et addite Vos his aquis *Sangvinem* Veſtrum
Indolis, virtutis, gloriæque ingenitis *ferventem* igniculis
Nobiliſſimi Principes!
Exhibete repetitis theatris Chriſtiano Orbi
In Vobis *Senecæ Mundo morientis* Scenam!
Fluat Sangvis veſter
In Ciſtercii *Fontes*,
Aſpergátque Mellifluæ Familiæ Majeſtatem novâ *purpurâ!*
Fuerit *Ægypto* in *vindictam*, Exod. 7.
Ciſtercio erit in *gloriam*,
Fontes habuiſſe *ſangvineos.*
Unicus *Narciſſus* apud *Ovidium* defluxit in *undas.*
Extinxit Narciſſi *famam* & *fabulam*
Ciſtercii *hiſtoria* & *gloria*,
In cujus feliciſſimas *aquas*
Sangvinem, vitam, mores, amorésque ſuos
Magnô numerô *ſparſerunt*
Florentiſſimi Inclytarum Domuum *Narciſſi!*
Neque flos ille ex *Ovidio*,
Neque iſti è *Ciſtercio*
Niveô ſuô *candore* formoſi,
Sinè *Sangvine undis* ſeſe miſcuêre:
Roſeô utrique *cruore* cryſtallineas imbuêre lymphas,
Sponſi in *Canticis Candidi* & *rubicundi* pulcherrimas ideas Cantic. 5.
Per *diaphana* corpora *clariſſimè* explicantes.
Scilicèt & *candet* & *rubet* Ciſtercius *Fons* iſte:
Cœlicum *candorem*
Dedêre *Virgo*, *Lac*, *veſtis*, *mens*,
Candida omnia, & *candoris æternæ lucis* æmula:
Clariſſimum *ruborem*

 Dedi-

Dediſtis Vos Inclyti Principes
Per ſanguinem *Veſtrum*,
Qui multâ hactenùs *purpurâ* nobilitavit Ciſtercii Annales.
Per iſtum Vos *Sanguinem* obteſtor!
Audite clientum vota,
Primâ quidem ſuâ *Origine* impia, & inofficioſa,
Sed *affectu noſtrô* æquiſsima.
Matth. 27. Sit *Sangvis Veſter Super nos!*
Sangvis ille,
Tot olim clarus *naturæ dotibus*,
Tot *Gratiæ* incitantis felix *chariſmatibus*,
Tot magnis erga Cœlites æſtuans *affectibus*,
Tot minutus *flagellis*,
Tot caſtigatus *inediis*;
Tot vexatus *vigiliis*,
Atque ex his *fontibus* tot cumulatus *meritis*,
Tot olim per gloriæ immortalis participium donandus *præmiis*,
Sit *Sangvis* iſte *Veſter ſuper nos!*
Non ut *perdat* filios,
Sed ut *ſervet ſalvétque* clientes,
Votô, *profeſſione*, *affectu*
Omninò veſtros!
Sícque per Aulica rursùs officia
Etiam adversùs quorundam *Philoſophorum* placita
Perennes Vobis dabimus plauſus!
Vivat!
Et in *æternum* Vivat,
Nobiliſsimus Veſter & Sacerrimus
SANGUIS!

TITU:

TITULUS XVIII.

CISTERCIENSES DUCUM PRINCIPUM ET COMITUM FILII ET FILIÆ.



CUrrent hoc Titulô etiam poſt Majorum ſuorum veſtigia, quæ ſuperiore *Titulô* ſignavimus, teneri Nepotes, & delicatos humeros ſupponent gravi Ciſterciijugo, quod primitùs Orbis Chriſtiani Gigantes terruit. Spectabit Lector cum admiratione, præter ſæculi genium, blandiſſimos illecebrarum flores

negligi à Filiis Principum, & plenis palmis è Ciſtercii rigore cum voluptate ſpineta tractari. Amplisſimus iſte campus eſt, & plurimô flore dives; Verùm nos pro inſtituti noſtri ratione paucos duntaxat hìc dabimus, eos nimirùm præcipuè, qui cum ſanctitatis divino odore inter *Ordinis Beatos* repoſiti ſint.

A Primo Familiæ *Fonte*, *Ciſtercio* ducenda linea eſt, & cum immortali gratitudine repetenda *Ottonis Burgundiæ* Ducis munificentia, cujus videlicèt magnificis auſpiciis ſurrexit prima Ordinis Mater *Archi-Cœnobium* Ciſtercienſe, Fundatori ſuo quot lapidibus, tot titulis, tot votis unà cum amplisſima Cõgregatione devinctiſſimum. Aliquid deinde ſaxis lapidibúsque amplius ab *Ottone* obtinuit Ciſtercium, vivam nempè Ejusdem imaginem B: HENRICUM dignisſimum tanti Patris Filium, qui monaſticô habitu inter primos Ciſtercii alumnos aſſumptô gratiſſimam Genitoris liberaliſſimi memoriam per nova incrementa ampliavit; domum enim, quam illuſtriſſimus Parens ſumptuoſis extruxit favoribus, nobiliſſimus Filius ornavit, implevítque virtutibus, ità ut Ciſtercienſes noſtri utriuſque *Ottonis* nempè atque *Henrici* beneficiô in utroque ſtatu felices & ſurrexerint & profecerint.

Obiit Annô 1139.

Germania quinque inclytos flores in Ciſtercii ornamentum conſecravit, *Conradum* & *Henricum* geminum, *Ottonémque*. Atque in primis quidẽ Principũ gem̃a, Regũ Sol, Sereniſsima Domus *Auſtriaca* in duobus *Divi Leopoldi* filiis, *Conrado* & *Ottone* utroq; Sancto; utrôque tantô Genitore digno filio, & quod Ciſtercio longè glorioſiſsimum atque gratiſsimum, utroque Ciſtercienſi, geminis velutì brachiis Mellifluam Familiam amantiſsimè complexa eſt. B: CONRADUS à teneris unguiculis pietati innutritus, adultam tandem virtutem Ciſtercio in celeberrimo *S. Crucis* Cœnobio intulit, in ea nempe Domo, quam Sereniſſimus Genitor pro Bernardi alumnis erexerat. Hæ *Ciſtercii* apud Auſtriacos *primitiæ* magnis deinceps incrementis auctæ ſunt, coloniis per Provinciam reliquã, itémq; *Hungariã ac Bohemiam* à Sancta Cruce fœcunda Matre numeroſè traductis. Ad felicitatis cumulatiſſimæ complementum fuit, quòd *Conradus* accreſcenti plantationi præfectus ſecundus Abbas patriis virtutibus ad vivum in ſe expreſsis, velutì fontibus è Cœlo derivatis, naſcentes tunc Ciſtercienſes quàm fœcundiſsimè irrigaverit. Geſsit Princeps Inclytus

Obiit Annô 1168.

tus in ſua hac clauſtrali Præfectura grandium dignitatum tyrocinia: eapropter à Cruce ſua Summi Pontificis imperiô avulſus, *Friſingæ* & *Paſſavio* celeberrimis in Germania Eccleſiis datus eſt in Antiſtitem. Et fidi Paſtoris munere egregiè functurum ſeſe, *Conradus* mox oſtendit, cùm *Friderico Imperatori* Patruo ſuo calamitosô ſchiſmate Eccleſiam, atque *Alexandrum III.* Pontificem Maximum indigniſsimè divexanti zelô Auſtriacô, atque invictiſſimô pectore ſeſe oppoſuit. Et quanquam Cæſaris edictô à Sedibus ſuis ejectus multaretur exiliô, eas tamen tempeſtates etiam in proprium ſuum caput ſævientes tranquillâ mente ſpectavit ſemper, tulítque quàm animoſiſsimè. Neque per ea diſcrimina induci unquam potuit, ut caſtra *Alexandri*, quæ eousque tantâ animi firmitate ſecutus ſit, ullâ ratione deſereret, *Victorique* Antipapæ cum Cæſare faveret. Poſtquam itaque tumultuatum fuiſſet ſatìs, pacatíſque aliquantùm rebus afflicta Eccleſia ad concordiam pacémque cepiſſet reſpirare, *Conradus* tot laureolis inclytus novos honores velutì in triumphum duxit, cùm in conſtantiæ Apoſtolicæ ampliſsima ſtipendia *Salisburgenſe* Archi-Epiſcopale faſtigium Urbis & Orbis votis pro *Auſtriaca* ſimul ac *Ciſtercienſium* ingenti gloria, ac tandem in laborum ſuorum immortalem mercedem Cœlum ipſum inter virtutum ac meritorum trophæa quàm digniſsimè conſcendit. Augeat etiam Virorum *Apoſtolicorum* divinum numerum *Auſtriacus* hic *Præſul!* Quem inter Religionis apud Germanos nutantis fortiſsimos Atlantes ſervata Roma ſuſpiciat!

Conradi Frater B: OTTO unô ferè nomine diverſus, cæterùm ſangvine, pietate, profeſsione, Germano ſuo propemodum per omnia ſimilis. Indolem Principis in florente adoleſcentia *Sorbona* Galliarum excoluit, experta cum admiratione ampliſsimam in eo ingenii capacitatem: Et tulit tandem ſuſceptô inter Ciſtercienſes Monachatu plauſus eximios *Otto*, inter ſuæ ætatis Viros Philoſophos ac Theologos celeberrimus. Memoranda hìc ſingulariùs Principis feſtinata converſio, opus ſanè Excelſi; Cùm namque ille poſt humaniorum literarum ſtudia è Galliis ad Patriam reverteretur, contigit, eum unà cum viæ, ſtudiorúmque nobiliſsimis Sociis in *Morimundenſi* Cœnobio, quæ erat noſtrorum erga illuſtriſsimos adoleſcentes obſequiorum hu-

Obiit Anno 1169.

humaniſsima promptitudo, per noctem hoſpitiô excipi. Cùm poſterô manè diſcedendum eſſet, ſensêre cum *Ottone* ſinguli, vix aliquid deinceps extra *Morimundum* ſibi ultra arridere poſſe: placere nunc Viros, qui vel ab ipſa loci nuncupatione extra *Mundi* caſus atque calamitates poſiti jam unâ manu Cœlum teneant. Admirabilem porrò illam Monachorum cantionem ſub noctis medium ſuaviſsimis jubilis ſurgentem ad ſidera, quid aliud eſſe, quàm felicem cum Cœlitibus votorum utrinque communicationem? Itaque communicatis in commune conſiliis itum ab omnibus in ſententiam, ut, quandoquidem tandem univerſi è mundo ejiciendi eſſent per mortem vel inviti, præverterēt nunc hanc neceſsitatem, cuperéntque omnes ante tempus eâ ſcilicèt morte *Mori Mundo*, quam olim interminabilis vitæ immenſa felicitas inter mille delicias eſſet exceptura. Igitur ex nobiliſsima illa adoleſcentum cohorte ſinguli eâdem Mellifluæ Familiæ cupidine ardentes in gratiſsimam hoſpitii vicem atque ſtipendium ſeſe in Ciſtercii alumnos unà conſecravêre. Magna, & præcipua *Tituli* præſentis portio, *Otto cum Sociis*, quos lego omnes illuſtriſsimas origines traxiſſe *è prima Germaniæ nobilitate*. Tuliſſet ingentes plauſus *Morimundus*, ſi unum *Ottonem* cepiſſet in retia; at verò tantô numerô per unius noctis capturam unam Domum impleviſſe tot Juvenes primæ apud Illuſtrem *Teutonum* Gentem magnitudinis, id ego pro ampliſsima Ciſtercii gloria ſummis jubilis dignum exiſtimo! Neque id in Ciſtercii faſtis absque exemplo eſt: jam BERNARDUS cum nobiliſsimo agmine præceſſerat, daturus nempè per id auſpicata præſagia, futuris ætatibus implendam reſtaurandámque Ciſtercienſem Familiam non rarò per integras Illuſtriſsimorum Candidatorum catervas. Et videbantur ſanè non modò Ciſtercio alumni, verùm etiam univerſæ Eccleſiæ totidem velutì acceſsiſſe Atlantes; admirabili ſiquidem Numinis providentiâ factum eſt, *ut ſinguli* illi ex *Morimundo* ad *Pontificias* dignitates evecti, doctrinæ vitæque meritis, quibusdam ſeu humeris, ſeu fulcris Romanum Orbem conſtabilierint. Triumphet iterum Ciſtercium! potuiſſe vel in una Domo formare tot Gentium atque Eccleſiarum ſacerrimos Pædagogos! Redeat nunc mecum Lector ad Ottonem, qui unus ille tot ſiderum Sol, Superiorum imperiô curſum reflexit ad *Sorbonam*, ipſe jam Sorbonam ingenii ſcientiarúmque claritudine illu-

illuſtraturus, à qua prima lumina hauſerat. *Pariſijs* domum reverſus à Morimundenſibus ad clavum Abbatialem evocatus, numeroſâ prole fœcundavit Matrem, dum eidem intra modici temporis ſpatia ductis è Morimundo per nova Cœnobia Coloniis *duodecim filias* genuit. Atque ut etiam ingenii ſui fœtum gratæ exhiberet poſteritati, grandi animô diſertòque ſtylô *Mundi ætates ab origine* reſumens, ſcripſit celeberrimam illam à *Condito Orbe* ad ſua uſque tempora ampliſsimam *hiſtoriam*, hodiéque in *Bibliotheca Patrum Ciſtercienſium* ſuperſtitem. Deſtinabatur interim *Otto* Eccleſiæ *Friſingenſi*, quam ille muneris Paſtoralis ſublimitatem magnis laboribus auſpicatus eſt, per quos nempè *Friſinga* magnis incrementis refloruit. Dedit porrò *Otto* id Germaniæ, Romæque ingens beneficium, & *Fridericum* Imperatorem Patruum ſuum, cui erat ſummè dilectus, jam tum minantem diſturbia, tamdiu in officio continuit, quamdiu vixit. Et una mors in culpa fuit; quæ præmatura nimis Virum abſtulit, qui in ſervatô *Cæſare* ſervâſſet *Germaniam Italiámque* cruentis diſſidiis deinceps inter ſe abſente Ottone collidendas. Metæ & morti propinquus, valens adhuc & integrâ valetudine ad *Capitulum Generale* Ciſtercium ſe contulit: reverſus inde cùm in itineris decurſu *Morimundum* primam converſionis ſuæ Matrem ſalutâſſet, quaſi ad hoc ipſum veniſſet, ut ejusdem materno in gremio beatiſsimum ſpiritum exhalaret, viribus repentè deficiens inter Fratrum amplexus, & mixtos lachrymis gemitus in *Morimundo Mundo* ſanctiſsimè mortuus, æternùm victurus migravit ad Superos. Videat nunc Lector, quantis vinculis per *Conradum*, *Ottonémque Auſtria* cum *Ciſtercio* colligata ſit! Dedit *Leopoldus* Ciſtercio *Filios*, reddidit Ciſtercium Auſtriæ *Sanctos*: & habet jam Familia utraque *Auguſtiſſima* nempè atque *Mellifluа* in Sanctiſsima hac apud Superos *Auſtriaca Triade* pro Auſtria & Ciſtercio feliciſsimos Advocatos.

Auſtriacis ſociandus *Carinthiæ* Comes B: HENRICUS qui unus ex *Ottonis* mox laudati nobiliſsimo comitatu *Morimundum* ſuô Monachatu illuſtravit. Evocatus ſubinde ad infulas Eccleſiæ *Trecenſis* Galliam ornavit germanis virtutibus. Deſtinatus porrò à Rege *Franciæ* cum clariſsimo *Oratoris Regii* charactere ad Cœſarem, ampliſsimô munere functus eſt ad genium utriúſque *obiit Annô 1169.*

gentis, *Germanis* debitor ſangvinis atque originis prærogativâ, *Francis* excellentiâ Sacræ infulæ, atq; reverentiâ illuſtriſsimi cha-
Obiit Annô 1374. racteris. *Bohemia* etiam hôc titulô glorioſa in PETRO à ROSIS, in *Alto-vadenſi* Cœnobio per Roſenſes fundato, Ciſtercienſi Monacho, qui pro Familiæ ſuæ ſervanda florida propagine Pontificis Romani indulgentiâ atque imperiô è Monacho factus Maritus, fœcundus Genitor ſuſceptis liberis feliciſsimè reſtauravit Roſenſis Proſapiæ diſpendia & pericula. Acclamatus ſubinde Regni *Supremus Camerarius*, id munus geſsit egregiâ prudentiæ ac modeſtiæ commendatione. Fervente ſub eam ætatem inter Reges *Angliæ* & *Galliæ* acri diſsidiô & bellô, ipſe etiam cum parte Bohemæ Nobilitatis occurrit ad aciem, ubi cùm in cruento prælio ſpectâſſet Prætorianum ſeu principale Labarum jamjam diripiendum ab Anglis, audaciâ Magnô Heroë dignâ ſeſe ingeſsit in conferta hoſtium agmina, vexillúmque fortiſsimè æmulis eripuit: quæ res Gallis acceleravit victoriam, atque inter utrumque Regem *Valeſium* & *Eduardum* tandem etiam pacem. In monimentum pulcherrimi facinoris *Roſenſes* ab eo deſcendentes in Gentilitio Scuto deinceps geſtavêre *Equitem Cataphractum.* Intulit tandem *Petrus* & togæ & ſagi ampliſsimam gloriam rursùs Ciſtercio, reverſus *Alto-vadum*, atq; alterâ jam vice Ciſtercienſis alumnus, inſigni animi demisſione *Converſis* adnumeratus, quanquam nuper jam Diaconus extiterit: ubi feliciſsimè conſummatus, appoſitus eſt ad Patres ſuos, qui pro Roſenſium inclyto Mauſolæo Alto-vadenſe Cœnobium jam primitùs elegerant.

Obiit Annô 1225. Et *Bavaria* hìc felix in B: CONRADO *Henrici* Bavarorum Ducis filio, cui una apud *Campanos Clara-Vallis* potior, quàm clariſsimi ſangvinis quàm maximus fulgor. Ita nempè Bernardi id datum reverentiæ atque exiſtimationi, ùt humillima illa minimæ Vallis Domus ſupra Principum inclyta palatia, aularúmque plurimam majeſtatem vel à Viris ſtirpe & origine ſummis nunquam non haberetur. Cùm jam magnis paſsibus percurriſſet in *Clara-Valle* Bernardi ſanctiſsimas ſemitas, ſtimulare cepit Optimi Principis animum *Paleſtina*, Chriſti Salvatoris veſtigiis glorioſa: quare impetratâ à Superioribus facultate laborioſiſsimi itineris moleſtias unius zeli pietatíſque ductu in ſe ſuſcepit. Perluſtrata eſt à Monacho Principe ſacerrima hæc Regio, inter calida ſuſpiria, quæ

ille

ille immixta piiſsimis oſculis imprimebat fortunatiſsimæ Patriæ, quæ DEUM in carne habuiſſet amantiſsimum incolam. Perſolutis votis in *Claram-Vallem*, nidulum ſcilicèt ſuum rursùs convolaturus in ipſa via *Barri* in *Lotharingia* ad alias Palæſtinas è *Viatore* feliciſsimus *Comprehenſor* à DEO eſt evocatus.

Inter *Germanos* recenſendi pariter, OTHO cognomentô *Parvus*, Marchio *Brandeburgicus*, & Princeps *Stargardiæ*, qui ab obitu Hedwigis Conjugis ſuæ, Filiæ *Rudolphi I.* Cæſaris, Ciſtercii Mellifluam Societatem amplexus eſt in Cœnobio *Leninenſi* apud Brandeburgos. JOANNES *Brunſvicenſium* Dux, deſertô Principatu inter Ciſtercienſes Monachus. ADELBERTUS Comes di *Pittingew* ex Archi-Præſule *Salisburgenſi* Ciſtercii alumnus in Cœnobio *Sitichenbachenſi*.

Obiit Annô 1304.

Floruit circa An. 1260.

E Belgis floruêre Nobiliſsimi ac Beatiſsimi Viri *Simon*, *Albero*, *Franco*. B: SIMON cognomentô ſuprà res omnes humanas eximiô nuncupatus vulgò PROPHETA Comitis *Geldriæ* filius, Evangelicô elogiô apud Hiſtoricos celeberrimus, quòd nempè *Vir in diebus ſuis potens opere & Sermone.* Fugienti Illuſtriſsimo adoleſcenti ſæculum *Alna* Ciſtercienſium alma Domus eidem pro aſylo fuit, ubi aſſumptô *Converſorum* habitu ut mundum tutiùs falleret, ſublimitatem generis inter ovium greges arte ſanctiſsimâ occuluit nobiliſsimus opilio. Verùm quò ipſe eâ functione, animôque ſibi vilior, eô Cœlo factus propinquior, Superíſque notior, unde etiam clariſsimô prodigiô ea *Simonis* humilitas cœlitùs magnificè commendata eſt, *columbâ* nempè ſplendidiſsimâ ſub nocturnis vigiliis è ſideribus delapsâ, atque noctem, gregem, *Simonem* aureis argenteíſque radiis undique colluſtrante. Indigniſsimè tulit divinam hanc lucem infernalis Tenebrio: eapropter ut caſtiſsimis præcordiis fœdas aſpergeret caligines, integrô ſeptenniô impudicis ideis, quibusdam velutì tenebris tentavit involvere puriſsimum adoleſcentis pectus. Cúmque per ea idearum blandimenta adversùs mentem per Superna lumina jam firmatam proficeret nihil obſcœnus hoſtis, mutavit arma, Victorem aggreſſus fuſte, ferrô, igne; at *Simone* rursùs & ſemper vel medias inter carnis plagas, corporíſque vulnera triumphante: quem utique ego tot victoriis laureíſque inſignem per caſtiſſima elogia accenſere auſim *Magno* Ægyptiorum *Antonio*, per eadem

Obiit Annô 1229.

 fe-

ferè prælia, parésque triumphos totô Chriſtianô Orbe celeberrimo. Nè tamen adversùs exteros hoſtes Victor animus premeretur bellis inteſtinis, corpus, à quo fortè inſidias metuere poterat, acerbiſſimô tormentô, *lorica* nempè *ſquammatâ* ferreâque catenâ nodis horridâ fortiſſimè torſit, compreſsítque. Et quídni in uno hoc corpore tantis compedibus captivo hoſtes omnes (paſſiones nempè) armis ſuis viribúsque jam exutos in poteſtatem quàm feliciſſimè redegerit? Itaque mundô, carne, dœmone, triplici nimirùm adverſariô Superior, totô pectore res cœleſtes atque immortales ſpirabat Vir Sanctus. Occupabat ejus mentem inter alia ſanctiſsima vota etiam præ cæteris una cupido videndi DEUM, ad quam ſupereminentem utique prærogativam annis ſeptem anhelavit per preces lachrymis armatas. Et meruêre vehementiſsima hæc deſideria, ut tandem novus hic è Ciſtercio Moyſes, quantùm nimirùm homini fas eſt, quem unicè optârit, DEUM viderit, relictô in anima feliciſſimi Spectatoris grandi præſentis DEI veſtigiô, ut videlicèt ſecreta cordium, intimósque conſcientiarum receſſus Soli cæteroquin DEO pervios, transfusâ quâdam in animum Viri Divinitatis portione, in aliis percurreret, luſtrarétque *Simon Propheta.* Ob ea cum cœlo cum DEO commercia cùm toti Orbi foret admirabilis, ipſe *INNOCENTIUS* Pontifex Maximus magnitudine rei perculſus, è præſente Viro experiri conſtituit ingentis famæ veritatem: quare *Romam* evocatus *Simon* novis oraculis implevit Curiam, approbante illô, qui errare non poteſt, famam haud diſſidere à rebus & factis. Sacros ordines ſummâ animi demiſſione recuſanti Viro Sancto Pontifex rariſſimum, ampliſſimúmque favorem Româ abeunti impertiit, ut nimirùm (quoniam ipſe quidem ſinè Sacramentali charactere Tribunalis ſacri miniſteriô fungi haud poſſet) omnes ac ſinguli qui *Simonis* juſſu Sacerdoti cuipiam peccata eſſent confeſſuri, plenariam peccatorum ſuorum remiſſionem ex Pontificiæ poteſtatis plenitudine conſequerentur. Tantis à DEO, Pontifice, Eccleſia univerſâ nobilitatus prærogativis Vir Maximus, calamitosô illô ſub *Cæſare Friderico* non multò pòſt futurô ſchiſmate per ordinem prænunciatô, vitam clauſit ſanctiſſimam, à felici morte prodigiis in tantum glorioſus ac frequens, ut non eſſet morborum genus tam fatale, ac contumax, quod ſolô invocatô Simonis nomine velutì divinô

phar-

pharmacô non perſanaretur. Ampliſſima ſanè curandi methodus, ſummæque ſanctimoniæ indubium argumentum.

Altera *Belgarum* gloria B: ALBERO è Comitibus *Flandriæ* *Theodorici* de *Elſatia Flandriæ* Comitis Nepos: in cujus aula cùm ille ad magnas clariſſimæ Familiæ ſpes educaretur, prævertit hæc Flandrorum vota unus BERNARDUS, atque *Alberonem* lingvæ ſuæ feliciſsimô magnetiſmô in *Claram-Vallem* ſub Crucifixi purpurea vexilla pertraxit. Revocatus tamen eſt à Flandris *Dunenſibus* ad Præfecturam Abbatialem, quam bienniô geſſit, ſanctiſſimæ illius Domûs Abbas ſecundus. Porrò qui obedientiæ imperiô clavum nuper ſumpſerat, humilitatis ductu clavum rursùs poſuit, atque in *Claram-Vallem* revolans deſideriô cœleſtis Patriæ, amoríſque divini amabili deliquiô jugiter incaleſcens, Vallem illam fecit Vallem dulciſſimarum lachrymarum quouſq; tandem è Valle & corpore in gloriæ Cœleſtis faſtigium fuiſſet aſſumptus. Neque inter Belgas tacendi HENRICUS filius Comitis *Luxenburgenſis*, vigeſimus ſecundus Abbas de *Hemmenrode*: & THEOBALDUS Comes à *Luxenburgo*, primùm Abbas *Igniaci* & *Urſi-Campi*, ſubinde Epiſcopus *Cenomanenſis*, & S.R.E. Cardinalis.

Floruit Ann. [illegible] *Floruit An. 1460.*

Tertius è *Belgio* nobiliſſimus Vir B: FRANCO illuſtri *Archennenſium* in Belgio *Equitum* ortus proſapiâ, qui poſtquam in *Expeditione ſacra* (ad quam geminô filiô patrium latus utrinque ſtipante, magnô, Chriſtianôque Heroë dignô zelô progreſſus eſt) ambos Filios ſpectâſſet gentili gladiô pro fidei gloria cæſos Chriſto in victimas, incolumis ad ſua reverſus, aliâ viâ feſtinavit ad amiſſorum pignorum indiſſolubilem ſocietatem; *Villarium* namque Ciſtercienſium in Belgio Aſceterium *Franconi* pro Palæſtina fuit, ubi poſitis armis Monachum induit, aliô armorum genere non Saracenos jam, ſed mundum dœmonémque per afflictiones corporeas fortiſſimè aggreſſus, victoriis de ſeipſo clarus, idem cum Filiis capeſſiturus bravium migravit ad Cœlites.

Floruit circa Ann. 1251.

Memorandus nunc apud *Gallos* B: JOANNES *Guillelmi Alenſonii* & *Pontivi* Comitis Filius, quem illuſtres Galliarum Eccleſiæ, *Pictavienſis* primùm, ſubinde *Narbonenſis*, ac tandem *Lugdunenſis* Sedes Metropolitana glorioſô ambitu pertraxerunt ad Sacras infulas, Virum nempè, qui ea Populorum ſtudia atque ſuf-

Floruit Ann. 1202.

fragia virtutum ſuarum, atque indolis nobiliſſimæ prærogativâ quàm digniſſimè meruerit. Addidit *Lucius III.* Pontifex Maximus Magno Antiſtiti cum inſigni munere novos inſuper ſplendores, eúmque ornavit Titulô *Legati Apoſtolici.* Vix per *Franciam* à ſacris infularum honoribus aliquid amplius ſperare potuerit *Joannes*; Igitur daturus Orbi Gallico ſpecimina, quantùm nempè ſummis etiam dignitatibus præcellat una dignitatum fuga, tentata nonniſi à Viris magnis, qui Infularũ majeſtatem majori cum gloria, virtutíſque recommendatione tandem dimiſerint, quàm nuper aut admiſerint, aut geſſerint. Arridebat præ *Lugduno* una *Clara-Vallis*, Domus plena Viris Sanctiſſimis. Itaque ex opulentiſſimæ Urbis & Cathedræ Archi-Præſule Monachus in Clara-Valle effectus, futuræ beatitudinis ſuaviſſima præliminaria in pulchritudine internæ pacis invenit, plenôque pectore per omnem deinceps vitam hauſit, evocatus tandem à rivulis ad primas Divini Torrentis ſcaturigines.

Obiit Annô 1160. Et ſpectanda *Anglia* in DIVO WALLENO Viro inter Ciſtercienſes Magno & glorioſo, *Simonis Huntingthoniæ* Comitis filio, *Macolmi* ac *Guillelmi Scotiæ Regum* avunculo, qui ex Canonico Regulari factus Ciſtercienſis in Cœnobio de *Wardona*, ſubinde è Domo illa ad *Rie-Vallem* ſub *S. Æilredi* magiſterium translatus, tandem ab eodem ſanctiſſimo Præſule *Meilroſenſibus* præfectus in Abbatem, ubique ſanctimoniæ ſuæ famam quàm latiſſimè diffudit. Præter curam Fratrum ſolicitabat etiam Viri benigniſſimi præcordia pauperum miſeranda egeſtas: eapropter & Fratribus ſeſe exhibuit Abbatem, & egenis Mecœnatem, utrôque nomine muneris ſui rationem menſurámque multâ ſolicitudine affectúque adimplens. Commendata eſt per prodigia magni *Eleemoſynarij* inſignis munificentia; urgente enim fame cùm frumenta ad pauculos dies vix ſuffectura ingenti ad DEUM fiduciâ benedixiſſet *Wallenus*, tantâ ubertate modicus ille alimentorum cumulus ſurrexit, crevítque, ut non Fratribus duntaxat, verùm & *quatuor pauperum millibus* per *tres* integerrimos *menſes* quotidiana alimonia defuerit nunquam, per dies ſingulos reparante Cœlô cumuli in famelicorum ſolatia diminuti diſpendia per nova prodigia ac incrementa. Vice aliâ, cum pauperum famelicus grex clamaret ad Cœnobii fores, peterétque panes, perſuaſit Fratribus Abbas

bas Sanctus, ut panem (qui aderat in penu unicus) jam in Fratrum refectionem in portiones diſpenſatum, æquâ cum egenis bilance diſtribuerent ſinguli. Feſtinatum eſt imperium *Walleni*, & diviſa præproperâ pietate panis fruſtra, erogatáque famelicis. Provocata eſt eâ charitate Divina manus in novum favorem quantocyùs velutì in vicem atque ſtipendium pulcherrimæ miſericordiæ *Meilroſenſibus* exhibendum; Nam cùm eôdem die ſub cœnæ tempus menſæ accumberent, reperêre ſinguli in loculis ſuis panem candore ſaporéque vincētem naturam & artem. Neque ſemel duntaxat, ſed ſæpiùs eô miraculô coronata *Meilroſenſium*, atque *Walleni* præcipuè laudatiſſima liberalitas. Porrò Cœlos inter orandum apertos conſpexit Vir Divinus, alter Stephanus. Et quídni DEUS in gratas vices cœlum ijs aperiat, qui manus multô munere plenas extendunt effundúntque in pauperes? Dœmones ſibi infeſtos ſæpè prece, atque etiam aliquando Evchariſtiâ fugavit, nè læsô Paſtore gregem invaderent. Hydropicorum fortunatus & rarus Medicus, quos cùm palparet ex tumida & humida eorundem carne ejecit, ſiccavítque noxios fontes. *Archi-Epiſcatum S. Andreæ* omnium ſuffragiis ſibi deſtinatum non admiſit, quò minùs à ſuis Ciſtercienſibus avelleretur Illud de *equo Walleni* mirabile, quòd Virũ Sanctũ ſeſſorem ſemper admiſerit ingenti manſvetudine, adversùs Seſſores alios ferocire ſuetus atque recalcitrare. Cùm infirmâ affectus valetudine ægriùs in ſellam valeret aſcendere, brutum animal corpore, quantum neceſſe erat, in terram inclinatô, Walleno obſequioſum, multâ reverenriâ atque compaſsione recepit, aſportavítq; gratiſsimum herum. Poſtquam ex humanis exceſsiſſet Vir DEI mœſtum animal cæteroquin plenô adhuc corpore validum ſubitò emarcuit. Patietur Lector pro *Walleni* gloria etiam hunc equum hôc locô ſtare, imò cadere, Domino enim ſuo & ſtat & cadit: Id ſanè in vitis Sanctorum non infrequens, à brutis animantibus DEI nutu in Servorum ſuorum obſequia vocatis obtinuiſſe ſanctitatis haud dubiam commendationem. Migraturum è ſæculo *Wallenum* præoccupavit *epiſtola*, mirum dictu! à *Salvatore & Alma Parente* perſcripta, per quam juſſus ſe accingere beatiſsimo itineri ad immortalem Patriam. Per portenta, Cœliteſque de imminente migratione admonitos quoſdam homines, in confeſſo eſt apud Hiſtoricos: per *literas* evocatum ad ſidera,

vix ſcio præter *Wallenum*, atque vel inde ex ſingularitate ingentis prærogativæ Virum tantò impenſiùs venerari diſco. Tandem revelationibus glorioſus migravit ad Cœlos, quos nuper vidit apertos. Et nè Paſtorem ſeſe perdidiſſe, ſed ad præparanda apud Cœlites paſcua præmiſiſſe nôſſent *Meilroſenſes*, poſt mortem cuidam è Fratribus gloriosâ luce coruſcus apparuit, ad eum hæc cum majeſtate fatus: DEI miſericordiâ *Virginis* Matris parentelâ, *ſuâque Paſtorale* vigilantiâ nullam omninò è grege ſibi commiſſo oviculam periiſſe unquam, ſed ſalvatos omnes. Vox aureis digna literis, & felicitas Parentis optimi, ſi quæ unquam, hæc ſanè maxima, filios omnes videre æternùm felices. A Sancti obitu *Thaumaturgi* Abbatis tumulus tantâ prodigiorum frequentiâ inclaruit, ut importunis clientibus, in momenta magnô numerô & ſtrepitu ad ſepulchrum *Sancti* accurrentibus, per quos nempè ſolitudo quiéſque monaſtica turbari cœpta, Cœnobii fores præcluſæ fuerint. Poſt annos quadraginta octo apertô tumulô repertæ ſunt venerandæ exuviæ incorruptæ, quæ vultum dormientis magìs exhibuerint, quàm mortui. Ita nempè illa morum, ac præcipuè Virginitatis integritas adhuc refulgebat in emortua carne, quæ ſcilicèt viventem *Wallenum* ultrà homines provexerit.

Obiit Annô 1132. *Venetiis* quoque ſua è Ciſtercio ſtat gloria in S: DANIELE è nobiliſsimo MOLINORUM proſapia oriundo, qui virtutem quam Patriæ, quam ſangvini debuit, inter Ciſtercienſes excoluit, à quibus ad Abbatialem clavum evocatus Præfecturam geſſit ſanctiſſimè, inter virtutum famæque è meritis creſcentis ampliſſima incrementa. Poſteaquam è vivis ad meliorem vitam migrâſſet Abbas Sanctus, Faſtis *Sanctorum Confeſſorum* adſcriptus eosdem nobiliſsimos *Molinos*, armis, conſiliis, togâ, ſagôque hodiedum inter *Venetiarum* majeſtatem celeberrimos nunc habet & claros ſuæ ſtirpis Nepotes, & gratos ſuæ ſanctitatis cultores, clientéſque.

Obiit circa Annū 1218. Nunc tandem & *Suecia* ad Ciſtercii gloriæ pondus aliquid ingens & pretioſum ſuperaddat in B: BENEDICTO *Ulphonis Nericiorum Principis* ſuperiore *titulô* laudati, Divæque *Brigittæ* filio, & *Alvaſtræ* apud *Suecos* Ciſtercienſium alumno. Intimis medullis animam Sanctiſsimæ Principis adhæſiſſe Mellifluæ Familiæ quis am-

ambigat, cui nempè Filium ſpem clariſsimæ Domûs illa lactaverit, ſubindéque paſſa ſit, tantas ab illo proſapiæ ſpes per monaſtica vota in Alvaſtra conſepeliri. Una res turbabat materna viſcera, quòd *Benedictus*, à quo Ciſtercium amplexus, vix unquam ſinè afflicta valetudine vixerit, morbis continuis vexatus, fractúsque. Plorabat igitur optima Mater, dolebátque amariſsimè vicem filii, ex eo, ut videbatur, ampliùs miſerandam, quòd fortaſsis morbi illi à Vindice DEO inflicti radicem haberent à peccato. Abſterſit benigniſsimus *Salvator* hæc alumnæ ſuæ lamenta, juſsítque mittere anxios metus, cœlo, filióque propè injurios. *Benedicti* namque ægritudinem minimè pullulare à culpa, ob quam mereretur flagellari, verùm eam ipſam eſſe divinâ miſeratione fœcundiſsimam ſegetem, è qua gloriæ ſupernæ opulentiſsima meſsis mox eſſet ſurrectura. In *Brigittæ* ampliora ſolatia adjecit inſuper *Benedicto* tantis optimæ Matris lachrymis jam deplorato novam, eámque celeberrimam nuncupationem, eúmque novô velutì baptiſmô nuncupavit, *Filium lachrymarum*, nè ſcilicèt ſola *Africa* haberet à lachrymis *Monicæ Lachrymarum Filium Aurelium Auguſtinum*. Fecit tandem *Benedictus* DEUS *Benedictum* Ciſtercii alumnum tot acutis morbis penè attritum conſumptúmque è filio lachrymarum poſt beatiſsimam è languido corpore migrationem filium conſolationis in Patria. Atque ut hæc filii interminabilis felicitas materna præcordia intimiùs penetraret, gratiſsima revelatione Chriſtus Salvator *Brigittam* edocuit, mutatas jam filii vices, qui nunc ex nuperis morborum moleſtiis patientiæ roſas apud Cœlites legeret, virtuti ſuæ in immarceſcibile ſertum: Gratulari utique nunc *Benedictum* ſibi de doloribus, ſinè quibus tantô apud Superos gradu non eſſet. Ità nimirùm ſæpè ſæpiùs indignè nimìs ſpinetis offendimur, è quibus collectæ laureolæ nos olim in gloria expectant.

Dandæ etiam *Fœminis* Principibus ſuæ laudes, meritáque elogia: & quidem in primis apud Placentinos in Italia S. FRANCHÆ Comitum *de Vidalta* nobiliſsimæ proli, quæ ijsdem, quibus *Bernardus* præſagiis prægnanti Matri ſub *catulo candido*; ſtrenuéq; latrante præoſtenſa eſt. Poſuit illa monaſticæ converſationis primitias inter Virgines Benedictinas *Placentiæ ad S. Syrum*, ubi cùm per vota ſolemnia ſeſe Sponſam DEO conſecraret, cœleſtibus *Obiit Anno 1218.*

Eeeeee hísce

híſce hymenæis cœlum interluſit inſigni favore; cùm enim præſenti Epiſcopo *Francha* inclinaret verticem ſacrô velô cooperiendum, *Angelus* Antiſtitis munere ab adſtantibus viſus eſt fungi, qui id virginale operimentum Chriſti Sponſæ impoſuit, futurũ nempè per omnem deinceps vitam adversùs incentiva carnis amuletum efficax, quemadmodum Virgo ipſa longô experimento jam felix in Angeli, ſacríque veli reverentiam confeſſa eſt. Antiſtitâ *S. Syri* per mortem ſublatâ aſſumpta eſt in vacantem præfecturam *Francha*, quod illa munus geſsit ad Sororum vota & ſolatia quàm ſanctiſsimè. Verùm impreſſa olim menti ejus in materno utero cum BERNARDO ſub figura *catuli*, analogia tandem prævaluit, ut analogiæ æmula, Bernardíque futura ſocia ad Ciſtercienſes tranſierit, duplici Parthenone, unô *Valeriæ*, alterô fundatô in *Plectolen.* Oeconomiam infirmam, ac penè vacuam emendavit per prodigia, vocatô Cœlô in partem ſolicitudinis, quâ nimirùm arte factum eſt, ut vacua dolia funderent vina optima, poſtquam *Francha* preces ad DEUM fudiſſet. Imtempeſtivam aliquando Oratricem cùm præcluſæ Eccleſiæ fores arcerent ab ingreſſu, non receſſit illa, ſed generali illâ clavi, quâ Cœli, nubéſque recludi ſolent, clauſas januas illicò reſeravit. Lingvam labiáque opitulatrix Virgo omninò habuit medicinalia, his quoties ægris benè precata, toties morbis abeſſe juſſis valetudinem precibus repoſuit. Fœcunda Ordinis Propagatrix verbi efficaciâ, vitæque ſanctimoniâ implevit Ciſtercium, imò Cœlum ipſum Virginibus: ad quod & ipſa glorioſa migravit. A morte *Sanctæ* obtinuit *Italia* in Parthenone *de Plectole* Montis *Sinai* novam & æmulam gloriam, atque etiam in *Francha* ſuam pariter *Catharinam*; ex ejus namque ſacerrimis oſſibus per pretioſa ſtillicidia liquor emanare cœpit, generali quâdam medendi vi pollens adversùs morborum genus quodcunque, præprimis oculis vitiô affectis ſaluberrimum collyrium. Scilicèt Diva Advocata atque Auxiliatrix in clientum ſuorum ſubſidia *nec oleum*, *nec operam* aut *opem perdidit.*

Floruit Annô 1489. *Hiſpanam* Gentem illuſtravit B: BEATRIX Soror *B. Amadei* & *Jacobi à Sylva* Primi Comitis *Portalegrenſis*, quæ cùm formæ venuſtate per Aulam *Caſtellanam* omnium laudibus atque amoribus celeberrima, etiam per cædes & cruentas æmulationes à procis Pro-

Proceribúsque ad connubii ſocietatem undique invitaretur, illa tantâ amantium inſaniâ atque immanitate vehementer offenſa, ex tot *Sponſis ſangvinum* uni CHRISTO ſacratiori cruoris ſui inundatione madenti inter Ciſtercienſes alumnas in Monaſterio *Divi Dominici de Silos* caſtiſſimis vinculis adhæſit: Inter ejusdem amplexus etiam deinceps experta *Matrem* Divini Sponſi non minùs ſibi faventem, quæ *Beatrici* non infrequenter amictu candidô, cæruleóque cum multa majeſtate gratiáque ſeſe in ſpectaculum dedit. Porrò per eos *Divæ Parentis* favores Marianæ Ciſtercienſium Familiæ augmentum auſpicata eſt, novâ *Congregatione* ſub invocatione MARIÆ *absque macula conceptæ* ſanctiſſimè erectâ. Cujus fauſta ſub tantæ Advocatæ ſignis primordia confirmavit INNOCENTIUS VIII. feliciſsimis argumentis, Puriſſimam Parentem vix ab aliis tam optare tam velle dici *Immaculatam*, quàm ab INNOCENTIIS, neque deſiderare per alios tam aut coli, absque labe vindicari, quàm per *ſuum* Marianis ſuis honoribus tam, & toties *juratum Ciſtercium.* Mortuæ *Beatricis* fronti fulgidiſſima inſedit ſtella, viæ ad aſtra comes, & gloriæ ſuper aſtra teſtis. Ornavit jam *feliciſſimô* ſuô *vocabulô* ac memoriâ Virgo Sancta in Superioribus *titulum tertium*: velit igitur Lector quæ eô, atque etiam quæ hoc locô dicta, in laudem *Beatricis* & *Ciſtercii* gloriam conjungere. In ijsdem Hiſpanijs ex illuſtriſſimis proſapiis floruêre: ELISABETHA Alphonſi Infantis dicti de MOLINA nobiliſſima filia. BLANCHA Infantiſſa, Domini *Petri* Infantis filia, ambæ in *Huelgenſi* Parthenone Sanctimoniales ANNA cognomentô AUSTRIACA, *Joannis Auſtriaci*, Philippi II. Fratris filia. MARIA de Velaſco, ex clara *Comitum Stabuli Caſtellæ* progenie, memoratæ Huelgenſis Domûs Antiſtitæ, hæc inter *Triennales* Nona, illa inter *perpetuas* octava.

Vixit circa Annum 1284. *Vixit circa Annum 1379.* *Obiit Annô 1629.* *Vixit circa Annum 1290.*

E *Luſitanis* memoranda hìc B: PHILIPPA *Petri Luſitaniæ* Principis filia, quæ in Cœnobio *S. Dionyſii* aularum faſtu ſeſe expolians velum Ciſtercienſe aſſumpſit, puritate vitæ, atque quod in Virgine admirabilius, felicitate ingenii ſupra ſexûs genium, ac præprimis lingvarum ſcientiâ ſupra Viros eruditos clariſſima. *Latini* idiomatis tam gnara, ut Magni illius *Venetorum* Patriarchæ *Laurentii Juſtiniani* Libros, tot Tullianis elegantiis celebres, è Latinis Luſitanos reddiderit. Sed in Ciſtercio unâ amoris lingvâ *Floruit Annô 1367.*

ſuprà cæteras omnes illuſtrior, quâ per ſublimes ecſtaſes, millé-que amabiles energias Dilecto *ad cor locuta*, rapta eſt tandem è mortali corpore ad pleniſſimam cum DEO Sponſo in cœlis idiomatum communicationem.

Floruit circa Annô 1216. E *Belgica* nobilitate illuſtriſsimos ſplendores Ciſtercio intulêre B. B. *Hauydis*, *Joanna*, *Bertha*, *Margaritha*. B: HAUYDIS *Theobaldi* in *Luxenburgenſi* Ducatu Comitis germana Soror, *Clari-Fontis* ipsô vocabuli etymô *clariſſimi* in ea Patria Ciſtercienſium Parthenonis Prima Abbatiſſa, *Fontem* illum (unde loco nomen) quem curandis febribus *Thaumaturgus Bernardus* olim fauſtâ ſuâ benedictione fecerat clarum, vitæ puritate reddidit clariſsimum. Quin imò ipſa loci æmulatione in *Fontem* ſuis Virginibus transformata eſt, è quo ille plenô pectore oréque vitales undas, mores nempè ſanctiſsimos & doctrinæ cœleſtis fluenta hauſerint. Refluxit tandem plena meritis ad primam *Fontium* ſcaturiginem.

Floruit circa An. 1224. In eodem Parthenone multâ pariter ſanctimoniâ claruit B: JOANNA memorati Comitis *Theobaldi* ex Fratre neptis, Domûs illius poſt *Hauydem* ſecunda Antiſtita. Huic Virgini à *Diva Parente* idem, qui olim BERNARDO, conceſſus favor; ſalutantem enim ſe in lapideo ſimulachro alma Parens in amoris præcipui ſignificationem multâ humanitate reſalutavit, atque inſuper, quæ eſt altera dilectionis prærogativa, capite ergà præcantem inclinatô amantiſsimæ alumnæ votis annuit. Perſtat hodiedum, *Manriqueô* teſte ad Annum 1216. cap. 10. n. 8. eadem *DEIparæ* effigies in Eccleſiæ porticu. Per eos favores JOANNA vocata eſt in Parentis Melliflui *Marianam Societatem*, vel ex hoc uno ampliſsimis elogiis longè digniſsima, quod eadem merita, eadem ab Auguſta *Cœlitum Regina* experta, quæ BERNARDUS.

Floruit Ann. 1212. Apud *Brabantinos* in *Valle-Ducis* floruit B: MARGARITHA *Henrici* Ducis *Brabantiæ* Filia, in cujus vultum & ora Charites multâ ſuavitate ſeſe diffuderant, unde etiam per eas corporis, atque inſuper per alias animi nobiliſsimas dotes corda omnium captivaverat. Ipſa interim ijs amoris profani compedibus libera, ſpretis nuptiis in *Vallem-Ducis*; celeberrimum pro Ciſtercienſibus Virginibus à Parente ſuo, vi voti extructum Cœnobium convolavit, ſanctiora inibi cum DEO Sponſo auſpicatura connubia,

quàm

quàm ea quæ mundus nuper ſuggeſſerat. Electa in Parthenonis digniſſimam Antiſtitam MARIÆ & MARTHÆ munia pulcherrimâ conjunctione in ſe una complexa, abiit tandem cumulatiſsima virtutibus ad utriuſque beata conſortia.

Flandrorum decus B: BERTHA è *Flandriæ* Comitibus clariſsima Soboles, quæ ſub florentem ætatem conjugio implicita, cùm primùm maritum per mortem amiſit, nova vincula tutiùs ſubterfugitura Velum Ciſtercienſe in *Aquirienſi* Parthenone aſſumpſit: indéque à *Joanna Flandriæ* Comitiſſa Cognata ſua ob ſpectatiſſimam illuſtriſsimæ Fœminæ virtutem ad prima *Marchetenſium* Parthenonis gerenda gubernacula, cùm renueret, compulſa, celeberrimæ illi Domui prima ſanctitatis lumina intulit, explicantis ſeſe per Orbem Ciſtercii lucidiſsimum jubar. *Obiit Annô 1247.*

Præterea in *Valle-Comitis* apud *Belgas* calcatis aularum illecebris ſacra cum Chriſto Sponſo fœdera iniit nobiliſsima Domina ISABELLA, *Geldriæ* Ducis filia, ejusdem Cœnobii Antiſtita.

Sileſia quoque felix in B: GERTRUDE unô hôc nomine, ſi cætera deeſſent, totô Orbe illuſtriſsima, quòd Matrem habuerit *Hedwigem*, Principem apud Sileſios Sanctiſsimam: à cujus uberibus non una lactis ſtillicidia, ſed aliquid lacte dulcius, ſanctiúsque, pietatis nempè divina ſemina traxit *Gertrudis.* Et per eas piiſsimæ educationis curas optimam Matrem formâſſe in filia Ciſtercio alumnam, probavit eventus, cùm in *Trebniaco* gratulante *Hedwige* inter Sorores velum illa aſſumpſit. Animus Virginis divinarum rerum capax, ſinúsque puellæ ad excipiendas cœleſtes revelationes amplus & vaſtus provocavêre Cœlites in communicanda clienti chariſmata, quæ tantâ voluptate in *Gertrudis* præcordia ſeſe explicuerant, ut in uno DEO jugiter occupata nullam ab extra aut vellet admittere, aut poſſet ſentire conſolationem. Id Virginis Sanctæ cum Cœlo commercium prodiderunt indubii teſtes, *prodigia.* Electa in ſecundam *Trebniaci* Antiſtitam, in præfectura *Hedwigem* induit, id eſt, *Matrem*, Virgines omnes transformatura in *Gertrudes*: ſuô nimirùm exemplô priùs edocta, atque experta, quantis paſsibus ad Cœlum currerent filiæ, quas Sancta præceſsiſſet Mater. Et ſanè ſolicitudo, atque ex ſolicitudine merces Virginis apud DEUM eò amplior, quò corona *Vixit circa Annum 1230.*

Fffff Soro-

Sororum major, quarum *numerum* exſuperâſſe *centeſimum* perhibet *Surius in vita D. Hedwigis cap.* 6. Ità tamen ſe geſsit Virginum Matrem, ut ſimul etiam ſe exhiberet, probarétque CHRISTO Virginem *Sponſam*, quam ille tandem utrôque nomine & munere digniſsimam, viſibili ſpecie ſpectabilis in cœleſtes thalamos toties concupitos introduxit, ex eo nempè fortunatiſsimam, quòd DEUM Sponſum *paranymphi* obſequiis amantiſsimè fungentem moriens & viderit, & habuerit.

Memorandæ hìc etiam tres illuſtriſsimæ Principes *Sophia*, *Adleta*, & *Hedwigis*, quæ quoniam *Matres* nactæ ſint è *Bohemorum* Regia proſapia, pro illius Gentis gloria ſtabit hæc Virginum clariſsima trias. Et quidem SOPHIAM genuit *Fridericus I. Brenæ* Comes, & *Luſatiæ Marchio* ex *Hedwige*, *Theobaldi I.* cognomentô Magni *Wladislai II. Bohemiæ* Regis fratris filia, quæ in tenera adoleſcentia Ciſtercienſe inſtitutum *Quedlinburgi* apud *Saxones* amplexa, cæteras Sorores tantô zelô atque æmulatione per virtutum Monaſticarum pulcherrimas ſemitas antegreſſa eſt, ut eam (laudabo Ciſtercienſem alumnam verbis *Balbini* nominatiſsimi è *Societate JESU* apud Bohemos Hiſtorici) ut *eam*, inquam, *velut de cœlo miſſam reliquæ Virgines intuerentur.* Subinde ad clavum aſſumpta, optimæ Antiſtitæ Matríſque munere ad cumulatiſsima omnium ſolatia egregiè perfuncta, meruit, ut refert idem *Balbinus locô cit.* à Scriptoribus *Saxonicis* & *Luſaticis* mirificè commendari.

Floruit circa Annũ 1220.

Bohem. Sanct. part. 2. Tit. 20.

ADLETA & HEDWIGIS geminæ *Sorores*, *Henricum I. Saxoniæ Palatinum*, & *Agnetem Wenceslai I. Sororem*, *Ottogari I.* Filiam clariſſimos habuêre Progenitores. Ambæ innocentiſſimas animas Cœleſtis Sponſi caſtiſſimis illecebris inter Ciſtercienſes Virgines in Cœnobio *Weiſſenfelſenſi* primâ ætatis aurorâ conſecravêre, antequam nimirùm lubricus mundus noxiis ſuis ideis puriſſima pectora imbuiſſet. *Balbinus* per modica verba ingentes utriuſque laudes abſolvit, *Bohem: Sanct: part:* 2. tit. 23. *Sanctiſſimè vixerunt*, *ſanctiſſimè obierunt.* Quid ultrà elogia hæc expectent Virgines in vita, in morte *Sanctiſſimæ*, nisì promeritas in Cœlo *Sanctitatis* ſuæ laureas?

Floruêre circa Ann. 1260.

Poſſem per mille, iterúmque mille illuſtrium Virorum, Fœmi-

minarúmque nomina præſentem titulum præ cæteris propè cumulare in immenſum, ſi nempè ſingulis Ciſtercii domibus) quarum olim univerſim *decem millia*) perluſtratis in ampliſſimum computum traherem perſonas nobilitatis clariſſimis inſignibus præfulgentes; vix enim Domum unicam ex tot millibus fore mihi perſuaſerim, ex qua de alterutro nobiliſsimo Sexu paginæ præſentes ornari non poſſent. Feci id obiter in *Manipulo Hemmenrodenſi*, quem ad calcem *Notitiæ Abbatiarum Ciſt.* annectit *Jongelinus*, atque etiam in *Epitome Faſtorum Lucellenſium* Authore *Bernardinô*, Domûs illius celeberrimo Abbate edita: & in primo quidem loco deprehendi *Hemmenrodenſem* Domum ſuô Monachatu illuſtraviſſe ARNOLDUM & JOANNEM Comites de SPANHEIM, *Everhardum* Comitem de HOMBERG, *Joannem* Comitem de HEINEBERG, *Wilhelmum*, *Hermannum* & *Henricum* Comites de VIRNENBURG: *Lucellenſe* verò Cœnobium nobilitâſſe *Henricum* Comitem ab HORBURG, ſubinde Epiſcopum *Baſileenſem*, *Ulricum* Comitem de NOVO CASTRO, *Bertholdum* Comitem ab URACH, *Joannem* Comitem ab ACHALZAM, *Henricum* Comitem ab HOMBURG, *Fridericum* & *Joannem* Comites de FERRETO, & LUPODUNO. Mitto alios, quorum numerus in *Hemmenrode* ex nominatiſsima Germaniæ nobilitate ſuprà *octoginta* excreſcit. Quòd ſi nunc collatis calculis ſingulæ Domus, ùt monui, computum Perſonarum Illuſtrium inire debeant, in quantos, amabò, inclytos cumulos hæc ipſa ſeries exurgeret? Verùm interim tam præſentis, quàm ſuperiorum *Titulorum* puſilla moles Benevolo Lectori ſufficiat, qui ex modicis his lineamentis magnitudinem Ciſtercii per clariſsimas proſapias jam per *ſex Mundi ætates* ad Majeſtatem illuſtrati deſumere velit, atque pro dignitate venerari.

SAGITTA!

Sacri, profaníque Amoris
Dulcis *interpres*,
Ac amabilis *proditor*,
Affectuum volatilis *ſtylus*,
Celérque *internuntius*,
Cordium, blandus *viſitator*, & *hoſpes*,
Vulneríſqve in pectore delicioſiſſimi
Gratiſſimus *Scrutator*,
Principum etiam noſtrorum
Figura ac *idea*,
Cujus magiſteriô didicerint,
Suſpenſis ſtemmatum honorúmqve Titulis,
Ex ſupremo aulæ *faſtu* & *faſtigio*
Deſcendere,
Ut ſcilicèt
Sagittæ æmulatione
Deinceps ultrà nubes & aſtra
Ad gloriæ & felicitatis beata cacumina
Altiſſimè *aſcenderent*
Stat in Zodiaco *Sagittarij* ſidus,
Stella parallela
Spectans in Ciſtercio ſocia lumina,
Princeps *Sagittarios*,
Qui
Manu non aliâ, quàm divinâ,
(Ea enim ſola hæc, & tanta poſſit)
Seſeipſos ejaculentur ad divini cordis
Immenſum Centrum,
à qvo non niſi ſtulti aberrant.
Siderum externa facies
Internos prodit, pingitqve Cœli vultus:
Et *Sol* DEUS,

Qui

Qui poſt nubila, & cœleſtium Orbium tot ſiparia
Latet abſconditus,
Veluti primum Luminum omnium originale
Longè Auguſtiùs fulget,
Quàm grandis hæc ſolaris ſphæra,
Quam orientem, occidentémque ſpectamus indies!
Quidni igitur & *Sagittarijs* noſtris
Intra Cœli interioris luminoſam Majeſtatem
Sua ſit illuſtris ſtatio?
Qui etenim profundiſſimè hìc deſcendunt;
Illic altiſſimè olim aſcendent:
Hanc ſcilicèt contrarij motûs divinam matheſim
De profundis ſtabuli Bethlehemitici, ad Cathedram Crucis uſq;
Per annos Triginta tres
Docuit
Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum
Tergeminô plauſu
Jubilatus Profeſſor,
Incarnatus DEUS,
Cujus
à ſummo Cœlo egreſſio profundiſſima *Pſalm. 18.*
In uterum Virginis.
Ciſtercij Viris illuſtribus pro lege eſt:
Ut nempè ideò
Ad Melliflui Sodalitij ſanctiſſimam humilitatem
Seſe demiſerint,
Quatenùs inde ampliùs
Ad Gloriæ ſupernæ fauſtiſſimam ſublimitatem
Aſcenderent:
Quoniam Divini oraculi vox illa veriſſima:
Qui *deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit.* *Epheſ. 4.*
Humanæ Gentis Servator,
Sagittarum felix Præcurſor, & Motor,
Per eandem omninò lineam,
Quâ Ipſe ad *Patris dexteram* redijt;
Sagittarum quidem omne genus monaſticum
è Ciſtercio ad ſe, poſt ſe,
At verò præprimis Viros, Principes

Provocavit, taxítque,
Ut *deſcenderent*, & *aſcenderent*,
In priori motu *humiles*,
In poſteriori *felices*,
In utroque pro Ciſtercio
Glorioſi.
Sub reconciliati olim Numinis fauſtis auſpicijs
Geneſ. 9. *In nubibus Cæli* collocatus *arcus*
Hactenùs monuit Spectatores Mortales,
Ut Arcui ſuas adjungerent *Sagittas*,
Eas enim optari, eas expectari à Superis,
Quorum utique nullus in beata conſortia admiſſus ſit,
Qui *ſagittandi* artem,
(*Deſcendendi* nempè priùs animi demiſſione,
Subindéque participatione immenſæ gloriæ *aſcendendi* rursùs)
Minùs rectè calluerit.
In nubibus igitur *Cæli* poſitus divinus *Arcus*
Sagittas nactus Principes è Ciſtercio,
è *Vallibus*, è *Ciſternis*
Exaltavit humiles,
Altiſſiméque ſupra nubes evibravit,
Humilium perenni ac felici fatô,
Qui quò magìs ſeſe demiſerint,
Eò ſublimiùs evehuntur,
Provehente eos *in Cælo*, *& in terra*,
Pſalm. 112. *Qui humilia* utrobique & *reſpicit*, & extollit.
Cupidinem amantium Deum
Puſillum, & *nudum* finxit, pinxítque Poëſis,
Solis tectum *arcu*, *pharetra*, *ſagittâ.*
Principes inclyti!
Ego dixi, *Dij eſtis*,
Et Dij Amoris!
Puſilli, humiles, faſtu Aulicô diminuti,
Nudi, veſtrâ ſponte exuti opibus,
Solâ amoris armati ſagittâ,
Cujus beneficiô cum Numine amantiſſimè colluſiſtis.
Tetigit Sponſa dilecti *cor*
Cantic. 4. *Unô* duntaxat *crine colli ſui*,

Et illicò

Et illicò vulneravit.
Fortiores pilô ſunt *Sagittæ* veſtræ
Illuſtres Sagittarij,
Ampliori longè vulnere in divina viſcera illæ ivêre,
Et fecêre mutuam Divos inter & Vos
Cor re ſpondentiam,
Qualem ferè dulce illud Amantium par.
David & *Jonathas* 1. Reg. 20
Per Sagittas internuncias
Olim habuêre ad invicem.
Neque ſola nuper *Thereſia*
Per Seraphicum ſauciata *Sagittarium*
Ea Cœlitum ſenſit vulnera:
Thereſiæ Socij Vos omnes,
Principes Clariſſimi,
Qui ſagittis veſtris & vulnera Numini *dediſtis*;
Et cordibus veſtris vulnera à Numine *tuliſtis*.
Arcus veſter
Dilectionis ſymbolum in ſe ſuſpenſum tenet,
Per anagramma
Carus,
In hoc *arcu* non alia *chorda*, quàm veſtra *corda*.
Mille proinde Vobis nos pectora in Centrum deſtinamus!
Figite in illis, felices *Sagittarij*, divina ſpicula!
Nam ijs telis elicita vulnera
Sunt perennis ſalutis fida ſignacula.
Vis & Tu, mi lector, ſauciari hac *Sag itta*?
Sequere me, & *Dic ita!*

TITULUS XIX.

CISTERCIENSES MILITES.



PEr tot Regum Principúmque Auguſta nomina & Palatia in Titulis ſuperioribus exhibita, ſpectavimus Ciſtercij plurimam Majeſtatem, quæ unà cum Perſonis ſeu claritudine Regiâ, ſeu nobiliſſimâ proſapiâ illuſtribus Mellifluæ Familiæ acceſſerit: Nunc mecum Lector in Campum exeat, arma Viróſque viſurus, & inſtructas acies, & candida labara, & ſacra prælia, & profligata Saracænorum agmina, & pulcherrimam famam cum mille laureis ferentem per orbis climata Ciſtercij virtutem,

tem, robur, facinora, triumphos! Inter Inſtituti noſtri glorioſa elogia admirabile illud ac ſingulare, tot inclytas *Militias*, Monachorum è Ciſtercio nutus & imperia non tuliſſe modò, ſed & inſuper exoptaviſſe. In alijs utique Titulis etiam aliæ Sacræ Familiæ in gloriæ participium venire audeant, quæ non minùs, ac nos, Pontifices Maximos, Purpuratos Patres, Infulis claros Præſules, Viros ſeu Apoſtolicis laboribus, ſeu Martyrij prærogativâ inſignes, Reges, Principéſque, atque alia clariſſima Nomina Lectori benevolo exhibere poſſint; at verò non video, quæ aliquando Religio tantô numerô, tantâ amplitudine per tot nobiliſſimas cohortes Orbis Chriſtiani hoſtes aggredi valuerit, & triumphare, præter unum Ciſtercium! Paradoxa hæc quidem videri poſſent, intérque ſe vel ipsô pugnare nomine, *Ciſtercienſis*, & *Miles*; Quid enim tam non Ciſtercienſis, quàm miles, & quid tam non miles, quàm Ciſtercienſis? Nisì fortè arma, caſtra, prælia, ſint preces, Chorus, Breviaria: alioquin haud facilè quies monaſtica cum turbis tubíſque bellicis, Ciſtercienſium ſolitudo cum militaribus copijs componi poterit; cùm utique hodiedum Ciſtercium recentibus lachrymis plangat tot inclyta Cœnobia Superioribus ſæculis per infeſtos milites ſeu everſa, ſeu devaſtata, ut proindè nil minùs ſperari poſſe videatur, quàm ut Ciſtercienſes & Milites ſimul in fœdus coëant; ſiquidem alteri illi tot cædes, funera, incendia, rapinas ab iſtis perpeſſi perſuaderi vix velint, ut ſeſe hoſtibus credant, jungántve. Verùm abſterſit pridem hoc dubium *Eugenius III.* dum *Bernardum* Sacri Belli contra Saracenos Summum Exercitûs Ducem nominavit: Imò ante Eugenium *Honorius II.* qui *Militibus templi* daturus ſacram vivendi normam, juſſit per Concilij Trecenſis Patres & Decreta Bernardo calamum ſumere, quibus armis leges, novíſque iſtis pro Eccleſia Præliatoribus Regulam præſcriberet. Igitur cùm naſcenti propemodum Ciſtercio ſeſe per Bernardum arma, militéſque ſociàrint, quis utique deinceps ſtupeat præfixam Epigraphen: *Ciſtercienſes Milites?* Neque per ſolos in Palæſtina Templarios exhauſta eſt Ciſtercij militaris fœcunditas, ut ij quia primogeniti, ſint ſimul unigeniti: In numeroſiores Mavortios racemos pullulavit generoſus iſte vigor, diffuſus deinceps, ſparsúſque per nobiles Europæ plagas, Hiſpaniam, Luſitaniam, Livoniam, Sabaudiam,

ingenti Chriſtianæ Reipublicæ, ac præprimis Hiſpaniæ fortunatiſſimo emolumento, quæ Hiſtoricorum confeſſione à *Maurorum* jugo, ſub quo diu, multúmque gemuit, per Ciſtercij Milites, tandem vindicata eſt. Bellicô claſſicô ſingularum Militiarum inclyta nomina per gratiſſimos clangores intonanda eſſent, at verò interim patietur Lector ex hoc calamo ea cum plauſu & majeſtate erumpere, quæ haud dubiè non unam duntaxat hanc pennam, ſed mille claſſica, & claſſicorum jubilos mille quidni mereantur? Egreſſi igitur præter *Templarios* è Ciſtercio Viri, Ordinéſque Militares, de *Calatrava*, de *Aviſio*, de *Alcantara*, de *Ala*, de *Monteſia*, de *Chriſto*, de *Monte-Gaudij*, de *Mont-Franc*, de *Truxillo*, S. *Georgij de Alſama*, *Gladiferorum*, S. *Bernardi*, S. *Mauritij*, & S. *Lazari*. Singulorum fontes atque incrementa ex ordine hìc dabimus.

Atque in primis quidem ampliſſimus TEMPLARIORUM Ordo parvis olim initijs ſurgens, ad immenſam ſubinde opulentiæ potentiæque molem excrevit. Primi, præcipuíque hujus Militiæ Duces ac Fundatores *Hugo* de *Paganis*, & *Gaufredus de S. Audemaro* cum Socijs ſeptem, qui Annô 1118. ſub *Balduino* Hieroſolymorum Rege zelô divinô ſuccenſi in manus *Stephani* Hieroſolymitanæ Sedis Antiſtitis depoſitô ſacramentô ſeſe DEO, Eccleſiæque obſtrinxerunt, velle ſe in Fidelium obſequia, illis, qui Palæſtinam peregrini ex voto aut pietatis ſtimulo eſſent ſalutaturi, fidiſſimam collocare operam, eóſque per omnem illam DEI Incarnati ſanctiſſimam Patriam deducere ſecuros, atque à Saracenorum direptionibus ſervare immunes. Ea propoſiti ſanctitas permovit Balduinum Regem, ut eiſdem prima Hieroſolymis habitacula deſtinârit juxta *Porticum Templi*, unde etiam derivatô etymô dicti deinceps *Templarij*. Decem propè annis hæſit iſthic novitius Ordo abſque ullis incrementis, uſque tandem interpellatus à memorato Balduino Rege, ab Hugone Magiſtro, ſociíſque fratribus Summus Eccleſiæ Præſul *Honorius II.* Patribus in Cóncilio *Annô* 1128. *Trecis* celebrato negotium altiùs diſcutiendum impensè recommendavit: à quibus unô ore, ac voto *Bernardus*, ille Orbis Chriſtiani Magiſter, nominatus eſt, qui naſcenti novæ Militiæ leges dictaret. Itaque Abbas Sanctus, quandoquidem univerſa Patrum authoritas id optaret, juberétque, novi cohorti Regulam in 72. titulos

los diſpertitam præſcripſit, Monachiſmi ideas aptiſſimè immiſcens legibus militaribus. Habitus inſuper Bernardi imperiô datus, Ciſtercio concolor, *Pallium album*, cui *Crucem rubeam* ſuperimpoſuit *Eugenius III.* quæ nempè crux inſerta ex mente Manriquei in *ſignum victoriæ*. Crevit illicò ingenti amplitudine obtentis à Bernardo legibus per Orbis Chriſtiani Ptovincias Templarius Ordo, qui eouſque, annis nempè decem, prout jam in ſuperioribus inſinuavi, ſterilis, nè unô quidem Milite auctus fuerat: Reſervavêre utique boni Cœlites Bernardo illuſtriſsimam hanc gloriam, ut tam inclytæ, pérque maria & terras in futuras ætates diffundendæ nobiliſsimæ præliatricis Societatis unus ille foret fœcundiſsimus Genitor. Itaque Bernardô Parente fœcundi & aucti Chriſtiani nominis & libertatis ſacerrimi vindices, in ſimilitudinem gignentis aut fœcundantis non potuêre eſſe alij, quàm Ciſtercienſes: quod palàm videre eſt in formula Juramenti, quod olim præſtare debebant Magiſtri Ordinis Provinciales, ubi inter alia ad rem noſtram hæc: *Deinde promitto ſubmiſſionem meam Generali Magiſtro Ordinis, & obodientiam ſecundùm ſtatuta Beati Patris noſtri Bernardi.* Et poſt pauca: *Religioſis Perſonis, verbis, armis, & bonis operibus auxilium non denegabo, præcipuè Monachis Ciſtercienſibus, & eorum Abbatibus, tanquam Fratribus & Socijs noſtris.* Quam autem fuerint Bernardeæ Regulæ ſuæ fortiſſimi ſimul ac religioſiſſimi obſervatores, *Paulus Æmilius in Ludovico Juniore* citatus apud *Manriqueum* ad *Annum* 1128. *cap.* 2. *n.* 8. pauculis his, ſed clariſſimis encomijs expreſsit: *Nihil his* (Templarijs) *adversùs incurſus Barbarorum ferocius, nihil magìs invictum: aut victoriam exuviáſque hoſtium reportabant, aut in veſtigio non inulti cadebant. Poſitis armis nihil illis humanius, nihil moribus ſuavius.* Atque ah! utinam, Viri ſtrenui, poſt occupatas à Barbaris Jeroſolymas extrà Palæſtinam per reliquam Europam, deinceps ſparſi, à primo fervore per Bernardi ſpiritum inſufflato, cum tempore non intepuiſſent, ſervâſſet ſanè Chriſtianus Orbis non ducentis modò annis, quibus perſtitêre, quin imò ad noſtras uſque ætates hoſce invictos prælïantis Eccleſiæ Hannibales & Scipiones, hæc fulmina belli, à quibus Porta Ottomannica tandem quateretur in ruinam. Pro cumulo gloriæ Bernardeæ omitti hìc non poteſt, quod *Cardinalis Vitriacus in hiſt. Orient. cap.* 66. de Militibus *Theutonicis* adno-

Cit. in Faſcicul. Henriquei lib. 1. diſt. 4. cap. 13.

Cit. apud

Manriquez ad Annum 1128. cap. 2. n. 7. adnotavit: receptam nimirùm fuiſſe paulò poſt ab eis eandem, quam Bernardus Templarijs tradidit, ſacram Regulam: *Profeſſionem*, inquit de prælibatis Theutonicis Eminentiſsimus Scriptor, *& Regulam, & Conſtitutiones Fratrum Militiæ Templi tam in bello, quâm in Pace prorsùs obſervant.* Eſſet fortè, eſſet, qui tanti viri nixus authoritate Milites *Theutonicos* Ciſtercienſium vexillis adſcriberet, quod quidem per me, dum interim ad alia feſtino, cuivis liceat. Henriqueus in Menelogio duos è Templarijs commemorat ſanctitate illuſtres viros, *Joannem de Monte Forti*, & *Everhardum* olim inclytæ Militiæ Generalem Magiſtrum, ac ſubinde in Clara-Valle Monachum. Menol Ciſt. 24. Maij. S. JOANNES poſt glorioſiſsimas contra Saracenos pro Eccleſia, poſt ſacerrimas adversùs inferni larvas pro DEO, pro immortali gloria partas victorias, fortiſſimam invictiſsimámque animam poſuit, efflavítque *Nicoſiæ* in *Cypro*: ubi dum numeroſa ad Tumulum miracula, atque in primis ſacræ Herois Chriſtiani exuviæ ab omni corruptione magnô DEI munere præſervatæ ſanctitatem ejus loquerentur, cœpit Viri ſancti feſtivitas *Nicoſiæ* officiô Eccleſiaſticô quotannis coli. Floruit circa Annum 1190. B. EVERHARDUS. *Magnus* ampliſsimæ Militiæ *Magiſter*, poſtquam ſatìs triumphâſſet Saracenos, ad aliud armorum præliorúmque genus, robur animi cœlitus inſpirati applicuit, Monachum indutus in *Clara-Valle*. Ibi Everhardo una præcipuè caro pro hoſte fuit, quam per flagella egregiè perdomuit. Turbaverat aliquando acriùs Viri præcordia peccatorum præteritorum reminiſcentia, quæ, ſiquidem nôſſe non poterat, an ex parte divini Tribunalis plenè eſſent dimiſſa, percellebant vehementi metu ſolicitam conſcientiam. Itaque in planctus reſolutus & lachrymas, totô optabat pectore, culpæ reliquias, ſi quæ adhuc reſtarent, per illos fletus penitiùs aboleri. Abſtulit illicò blandiſsimâ conſolatione benigniſsimus Salvator ea animi nubila, cùm plangenti Everhardo factus ſpectabilis, divinô oraculô, quô olim Hieroſolymis diva & ſanctiſsima pœnitens *Magdalena* à reatibus ſuis abſoluta eſt, anxium per hæc verba edocuit: *Dimiſſa ſunt tibi peccata tua.* Feſtinavit deinceps jam eliberatus ab ea animi ſarcina Vir ſanctus eò expeditior ad Patriam, ad divæ Magdalenæ in cœlis conſortium, cujus nimirùm in terris præſenſerit obtentæ veniæ felix participium.

Alter

Alter inclytus Militaris Ordo, qui ſub Ciſtercij ſignis & legibus Orbem Hiſpanum implevit victorijs, eſt Equitum Societas nobiliſsima de CALATRAVA, à cujus ſubinde auſpicijs, ſive ideis formatæ Militiæ de *Alcantaro*, de *Monteſia*, de *Chriſto*, de *Avibus*, aliæque primam originem traxêre, ſummô Hiſpani Orbis bono ac utilitate, quemadmodum illuſtris ille Belgarum Scriptor Aubertus Miræus *Orig. Monaſt.* l. 5. c. 9. per clariſsima elogia adnotavit: *Fortiſſimi* (ſcribit ille) *Equites Ciſtercienſes Calatravæ, Alcantaræ, Chriſti, & Monteſiæ, Caſtellam, Luſitaniam, Valentiam, atque Hiſpaniarum Regna Mauris ſuâ virtute eripuerunt: -- adeò quidem ut non immeritò Ordinem Ciſtercienſem, Hiſpaniæ à Maurorum jugo vindicem nuncupare poſſimus, magnâ certè gloriâ, & quam poſteritas omnis jure optimô ſuſpiciat atque æmuletur.* Manriquei calculô cœpit Ordo de *Calatrava Annô* 1158. eâ planè tempeſtate, quâ Mauri, gens barbara, formidabili exercitu *Calatravæ*, Urbi pervetuſtæ ac munitæ imminebant. Stabant in loci præſidio *Templarij*, qui fortè diffiſi, fortè etiam minores viribus, quàm ut feroci Barbarorum multitudini reſiſtere prævalerent, ante hoſtis adventum è præſidio per fugam dilapſi ſunt. Et ſanè nutabant Hiſpaniæ res diſpendiô unius Calatravæ, ſi ea à Mauris interciperetur. Igitur RAYMUNDUS, *Fiterij* Abbas Sanctiſſimus, *obijt Annô 1163.* zelô DEI, vindicandæque ab hoſtibus Patriæ cœlitus ſuccenſus, impetratâ à *Sanctio* Rege Urbis defenſione, ex Monachis, famulis, ſubditis Abbatiæ ſuæ non tam fervore tumultuariô, quàm ductu divinô validas 20000. copias collegit, quibus Saracenos, deſertâ Calatravâ jamiam potituros, feliciſſimè prævertit, eóſque per arma ſupernis auſpicijs victricia repulſos, atque in fugam actos opimis ſpolijs, multíſque in ea vicinia arcibus victor exuit. Servata Urbs novis Militibus nuncupationem dedit, unde deinceps dicti *Milites* de *Calatrava*, quæ unà cum cæteris victoriæ appendicibus in perenne triumphi monimentum à Sanctio Rege conceſſa Raymundo, ſociíſque. Hæ ſurgentis celeberrimæ Familiæ primitiæ debebantur Ciſtercio, cujus nimirùm auſpicijs confluxerint: Eapropter Raymundus non aliam veſtem, quàm Ciſtercienſium candidam Cucullam Cruce purpureâ fulgentem, non alias item, quàm eorundem Conſtitutiones ſocijs tradidit. Præcipuus in colligendo novo Exercitu Raymundo auctor fuit B. DIDACUS VELASQUEZ, *Floruit Annô 115[illegible].*

Iiiii i nuper

nuper ab *Alfonſô* Rege ſtrenuus ac fortis Miles, at eô vivis ereptô poſitô baltheô pientiſſimus in *Fiterio* Monachus. Qui ambo ſacerrimi agminis Duces ſtupentem Hiſpaniam docuêre, quantum pro Regnorum conſervatione Monachi è Ciſtercio audeant, quantum valeant. Lapſu temporis per nova ſemper incrementa propagata eſt Calatravenſis nominis claritudo per omnem Hiſpaniam, atque etiamnum hodie poſt propulſatos excuſſóſque ex toto Iberio Orbe Mauros, fauſtâ perſtat perennitate, unà cum *Jacobæa* Militia inter cæteras celeberrima, quaſi interire non poſſet, quæ Hiſpaniam ſervâſſet. Generales Magiſtri plerúmque ſumpti è præcipua Regni nobilitate: Subinde id munus perlatum ad Reges eſt, ſub nuncupatione *Adminiſtratorum*, penès quos jam à *Ferdinandi Catholici*, & *Caroli V.* temporibus perenne eſt ac ſtabile. Atque ex hoc ipſo novus Ciſtercio acceſſit ſplendor ac Majeſtas, de cujus gremio, numeróque hodie cuperent ambiréntque eſſe vel Reges. Abbas *de Morimundo* apud Gallos, Pontificiâ, Regiâque, atque etiam Ciſtercienſium Generalis Capituli authoritate Annô 1187. inſtitutus eſt Calatravenſium *Pater Abbas*, de cuius nimirùm filiatione deinceps eſſet inclyta hæc militia. Agnovit eam Matris dignitatem in Morimundo ipſe *Carolus V.* Auguſtiſſimus Imperator, ſecundus Calatravæ Generalis Adminiſtrator in quadam epiſtola ſuper quibuſdam *Militiæ* negotijs ad Abbatem Morimundenſem perſcripta, quam recitat *Angelus* noſter in ſerie Præfectorum Calatravenſium. Auxit ſacerrimæ Familiæ reverentiam *Raymundi* Inſtitutoris celeberrima Sanctimonia, cujus tumulus prodigijs frequens ac glorioſus viſitur in *Monte Sion*, Ciſtercienſium propè *Toletum* Cœnobio, Româ per conceſſas indulgentias clientum pietatem, ac Sancti gloriam hodiedum ampliante. Illud præ cæteris celebre magìs ac divulgatum, quod in *Cirvelos* Calatravenſium oppido, ubi Venerabilis Antiſtitis ſacra lipſana primitùs fuerant contumulata, quàm primùm fulgurante ac tonante Cœlo campanæ pulſantur, funéſque campanarum agitatione locum contingunt, in quo venerandæ exuviæ olim quieverant, illicò diſpulſis nubium fulminantium globis per æneas eas voces revocata aëris ſerenitas ſeſe in momento exhibeat. Quod inſigne annuúmque prodigium quò per merita Sancti evenit frequentiùs, eò incolis accidit

Manriq. ad hunc Annum cap. 3. num. 4. & 6.

cidit

cidit gratius, apud quos unà cum beneficio creſcit Patroni cultus ac reverentia.

Tertiam Ciſtercienſium Militiam *de* AVISIO, ſive *de* AVIBUS, refert *Manriqueus* in Annalibus ad Annum 1162. Et quanquam *Henriqueus* cum alijs prima ejuſdem initia ad Annum 1147. rejiciat, id tamen ex mente Angeli de privatis Nobilium votis intelligendum eſt, quibus ſeſe de propulſandis Saracenis mutuâ conventione obſtrinxerat. Annô igitur prætactô 1162. privatis illis fœderum militarium auſpicijs per *Humbaldum* Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem *Alexandri* III. Papæ in Hiſpanijs Legatum acceſſit authoritas Pontificia, rogatúque *Alfonſi* Regis ab eodem Apoſtolico Internuntio delegata eſt omnis poteſtas *Divo Joanni Cirita*, Abbati de *Tarouca* emerito, Viro eâ ætate Sanctitatis eximiæ, ut nempe novitiæ Societati leges dictaret: quas ille ad Ciſtercij ideas formavit, ſociósque Milites ſub Abbatis Ciſtercij, aut etiam Claræ-Vallis viſitatione conſtituit. Coaluit nobile hoc militare agmen in *Luſitania*, æmulatione *Calatravæ* apud vicinos Hiſpanos: Eiuſdem originem modicis verbis complexus Manriqueus noſter hæc ferè de Aviſienſi Militia ſcribit: Illuſtriſſimus Fundator *Alfonſus*, Rex Luſitanus, *Legislator S. Joannes Cirita*, *Magiſter Primus*, *Petrus Regis Frater*, *Milites ex prima Regni nobilitate*, *atque ex prima virtute*, *ſelecti omnes*, & *qui in prælijs adversùs Saracenos ingentis animi ſpecimen præ ſe tuliſſent.* Non unô nomine nuncupatus eſt militaris hic Ordo; verùm cum tempore aut loco mutata ſimul eſt ratio nominis. Dictus namque ſub primos annos, *Nova Militia*, à capta ſubinde *Ebora* mox *Eborenſis*, ac tandem de *Avibus*, ab auſpicio prætervolantis *aquilæ*, quod affirmat Manriqueus, aut de *Aviſio* à *Caſtri* vocabulo, ad quod ex Ebora Equites tranſmigrârunt, quod afferit Henriqueus. Magiſtri Generalis munus multô tempore per illuſtres Luſitaniæ proſapias divagatum, tandem in Regibus ſubſtitit, qui hodie eô titulô in perpetuum glorioſi, ampliſsimam majeſtatem & Aviſio & Ciſtercio conciliant. Sub naſcentis Militiæ primordia habitus Aviſienſium, ſcapulare & caputium, hoc breve, illud oblongum. *Bonifacius* IX. Romanus Pontifex duobus à condito Aviſio evolutis ſæculis commutavit Caputium in Crucem viridem, ac nè per ſca-

Ad Annum 1162. cap. 2. n. 1.

pulare inconditè diffluens impedirentur præliantes, indulſit haberi brevius: *Ergo* (quemadmodum argutè inſinuat Angelus) *quod modò Crux, illis temporibus Militibus Chriſtianis Caputium fuit: Et monaſticus habitus inſigne præferebat nobilitatis.*

Ad Annum 1162. cap. 2. num. 12.

Quarta Ciſtercienſium Militia, Equitum de ALCANTARA, originem habuit in *Legione* apud Hiſpanos *Annô* 1156. quam *Alexander Papa III.* primò confirmavit Annô 1177. Hinc privatis quanquam initijs (quod etiam mox obſervatum de Aviſienſibus) Calatravenſes anteverterit; authenticâ tamen, id eſt, Pontificia inſtitutione ſeu confirmatione ijſdem aliquantò eſt poſterior. Surrexit inclytus hic Ordo auſpicijs Illuſtriſsimorum duorum Fratrum SUERII & GOMEZIJ, qui ex prima Salmantinæ Urbis nobilitate, armis ſtrenui, atque opibus validi, vindicandæ à Mauris terræ Patriæ & Chriſtianæ, unà cum compluribus ejuſdem propoſiti fortiſsimis, Viris, opes, arma, ſangvinem, vitam egregiâ generoſitate conſecraverant. Atque ut inſignis ſacérque ille cœtus nova hæc fœdera auſpicaretur cum Numine Divûm, conſultus deſuper propè Salmanticam celeber ſanctimoniæ laude per illam ætatem Anachoreta *Arnandus*, qui cœleſti veluti oraculô laudavit Virorum propoſita, zelúmque: ejus hortatu illicò validiſſima Arx (unde nempè in vicinos Mauros ſubitis agminibus incurrere, eoſdémque propiùs fortè graſſari auſuros ſeu cohibere, ſeu etiam opprimere valerent) communibus ſingulorum expenſis ſtrui cæpta eſt, & abſoluta fervore ædificantium intra octo menſes. Nomen Arci primùm, ac ſubindè etiam Ordini impoſitum à vicina S. *Juliani* Eccleſia: agnomen ab arboribus, quæ fortè ibi inventæ ingentes *Pyri*, patriâ nuncupatæ lingvâ *del Pereyro*, ſeu de *Piro*: Inde Equites, qui hodie dicuntur de *Alcantara*, olim dicebantur *Sant-Julianai de Piro.* Regula deerat, quæ firmaret nobile agmen, tranſmitterétque ſuâ ſponte cohærentes ſocios ſacrô eôque perenni vinculô ad poſteros: eapropter ad *Ordonium* Salmantinæ Sedis Antiſtitem (qui primus apud Hiſpanos è Ciſtercio ad Cathedram Epiſcopalem evectus eſt) devolutô negotiô, Ciſtercij leges, quantum ſcilicèt armis aptari poterant, à Ciſtercienſi Præſule unô omnium & dantis & accipientium adſenſu novis Militibus impoſitæ, confirmatúſque interim ab

Ordonio

Ordonio Ordo Militaris S. *Juliani de Piro*, non multò poſt nuncupandus de *Alcantara*, ſtabiliendúſque ab *Alexandro* Pontifice per authenticum diploma. Novæ Religionis habitus idem ipſe, quô Ciſtercienſes hodiedum in Hiſpanijs utuntur, nisì quòd ob belli munia ſcapulare brevius permiſſum ſit, cui aſſutum Caputium albi coloris: Adeò olim in Caputijs ingens hærebat gloria Hiſpaniæ Nobilitatis. Mutatio nominis incidit in Annum Domini 1218. quo in oppido *Alcantara* novum Cœnobium, meliùs, propugnaculum extruxêre Milites Julianæi, è quo in vicinos Barbaros frequenti excurſione fregêre Maurorum vires atque ferociam: Dicti proinde deinceps à novo domicilio & caſtro *Milites de Alcantara*. Hodiedum in Orbe Hiſpano ſuperſtites ſervant vetuſtam Ciſtercij militarem famam ac gloriam, habéntque Potentiſſimos Hiſpaniarum Monarchas, quemadmodum Equites de Calatrava, Ordinis Supremos Adminſtratores.

Quinta Ciſtercienſium Militia S. MICHAELIS de ALA, in Luſitania ſurrexit Annô 1167. *Alphonſo I.* Rege fundatore. Occaſio colligendi inclyti agminis, victoria ingens obtenta Cœli beneficiô prodigiosè adversùs Mauros; Dum namque *Abarach* barbarus Civilliæ Rex ingentibus copijs in Luſitanorum fines irrupiſſet ferox vaſtator, Alfonſus parvâ ſuorum manu pro temporum anguſtijs collectâ ſeſe hoſtibus oppoſuit: & quoniam res ad prælium ſpectare videbatur, pientiſsimus Princeps nè impar viribus fidos ſocios in aperta diſcrimina temerariâ crudelitate projiceret, è cœlo vocavit ſuppetias, atque per vota plurimô zelô ardoréque æſtuantia Divi *Archangeli Michaëlis*, & *Angeli ſui Tutelaris* auxiliatricem in prælio dexteram iterum iterúmque totô pectore imploravit. Res mira! Illicò exciti à Superis Vindices, præſentiſsimâ ope adfuêre; fervente námq; pugnâ viſa eſt pennata manus, cujus non apparebat corpus reliquum, micantia arma undique vibrare, Regem quócunque neceſsitate prælij ſeu reſtaurandi ſeu perurgendi raperetur, antevertere, ferire hoſtes, ſternere reſiſtentes, pérque medios Barbarorum cuneos Alfonſum ſervare incolumen, ità ut ſubindè Rex ipſe Victor in inſtrumento inſtitutæ novæ Militiæ ultrò gloriatus ſit, cadentibus à latere ſuo mille, & decem millibus

 à dex-

à dextris ſuis, vulnus omninò nullum ad ſe appropinquaviſſe. Plagâ itaque magnâ in Campis *Santarenæ* Cælitum feliciſsimô adjutoriô percuſsi ſunt Barbari, eorundémque reliquias, quas Chriſtiadum gladius non abſumpſit, ingloria fuga abſtulit. Spoliorum vis magna & ampla victori militi relicta in prælij victoriæque glorioſa ſtipendia. Alfonſus Rex in triumphi majeſtatem cum optimatibus Alcobaciam, Regiam apud Luſitanos Ciſtercij domum petijt, ubi divis Adjutoribus per dies triginta actis immenſis gratijs, in ampliſſimæ victoriæ ſacerrimum monimentum *Militiæ S. Michaëlis de Ala* fauſta primordia inter Ciſtercienſes auſpicatus eſt. Leges huic *Societati* (ſic enim Manriqueus illam potiùs vult dici, quàm *Ordinem*, quippe, ùt ille obſervat, inſtitutam ſinè Religioſis votis) in articulos duodecim digeſtas conſcripſit Rex ipſe: aſſumpti in ſocios totius penè Regni Proceres: Inclytæ Militiæ pulcherrimus character & index, *Ala purpurea, inſignita auro & fulgure*, quam Milites deferrent ſupra cor, quoniam ſimilem ſe vidiſſe in prælio, teſtatur Alfonſus in prælibato Inſtitutionis inſtrumento. Ordinatus inſuper Militiæ univerſæ Superior, Abbas de Alcobacia, cui uni conceſſa poteſtas imponendæ Socijs *Alæ*. E Legibus Regijs ſeptimæ hôc locô meminiſſe lubet. Juſſi per eam Milites de Ala in Divi Michaëlis pervigilio comparere quotannis in Alcobacia, atque Veſperis, Matutinis, & Miſſæ unà cum Monachis intereſſe, communionémque de manu Abbatis recipere, *induti cappis albis ad modum Converſorum* Ciſtercienſium. Videat Lector Alfonſi Regium verticem, Procerúmque clariſſimam majeſtatem in tantis ſolemnijs non tam coronis ornari aut laureis, quàm Monachalibus Ciſtercienſium cappis, quas illi nempè Coronis laureíſque ſuis in celebri eo Conventu cum reverentia antehabuerint. Inclyta hæc Societas præ cæteris ſeſe per totam Luſitaniam latiſſimè explicuit, ex eo fortè, quod viderent Regem eidem impenſiùs affici; quanquàm ſtabili perpetuitate, quomodo nimirùm Equites de *Calatrava*; *Alcantara*, *Aviſio*, ad noſtras has ætates non pertigerit, cadente primô flore & majeſtate, uti perhibet Manriqueus ad *Annum* 1167. *c.* 8. *n.* 7. ſub Alfonſi Nepote. Ea rerum plerumque lex eſt atque conditio, ut quæ, cùm incipiunt, illicò ſummæ ſunt, ætatem multam non ferant: ex adverſo, quæ parvis initijs ſurrexerint, ampliùs ampliúſ-

Ad Annum 167 cap. 8. n. 1.

Henriq. in Faſcic. l. 1. diſt. 18. c. 3.

pliúſque per incrementa provehantur, ſubſiſtántque diutiùs; Cæterùm in Ciſtercio cœpiſſe Illuſtriſſimam hanc Societatem, Ciſtercio perquam glorioſum, citra Ciſtercij culpam deſijſſe, eidem haud indecorum. Subſtitutos Militibus de *Ala* Equites *Jacobæos*, accitos è *Caſtella*, conjectura eſt Manriquei cit. *Annô* 1167, *c.* 8. *n.* 8. Henriqueus noſter in Menologio ad 22. diem Novembris inter Ciſtercij Reges ſæpè jam laudatum ALFONSUM Luſitanum recenſet, eò quòd Ciſtercienſis Militiæ de *Ala* Auctor, Legislator, & inclytus Socius extiterit. Id ſanè *Chryſoſtomi* exemplô etiam audeat Lector, Magníque hujus Regis majeſtatem per virtutes & prodigia coruſcantem, pro Melliflui Sodalitij gloria inter plauſus unà mecum ſuſpiciat!

Obijt Annô 1185.

Sexta Ciſtercienſium Militia Equitum de MONTESA, è *Templariorum* reliquijs coaluit in Regno *Valentiæ* Annô 1317. *Jacobus II.* Aragonum Rex feliciſſimi Phœnicis Auctor ac Parens, qui cùm intelligeret *Milites* Templi in Concilio Viennenſi antiquatos, nè opulentæ eorundem poſſeſſiones, quas anteceſſores Reges Chriſti Eccleſiæ ſeu ampliandæ ſeu tutandæ religioſiſſimâ voluntate ſacraverant, in ea Familiæ rerúmque convulſione in profanos uſus diriperentur, auctoritate *Joannis XXII.* Pontificis Maximi, quem per Legatos requiſiverat, infelices Templariorum ruinas fauſtiſſimè reſtauravit, è derelictis eorundem bonis novam condens Militiam, quæ ſortita nomen à Caſtro *Monteſia*, Regiâ ordinatione pro primis ſocijs extructo. Evocati è Calatrava Magiſtri, qui Monteſianos edocerent Ciſtercienſium ritus atque ſtatuta. Confirmavit Ordinem jam Regijs auſpicijs conſtabilitum memoratus *Joannes* Papa additiodítque pro more gratias atque immunitates, eandémq; viſitatio ni & correctioni Abbatum Ciſtercienſium *Vallis-dignæ*, & *SS. Crucium* ſubjecit. Militiæ ordinatus Primus Generalis Magiſter *Guillelmus Erilius*, quem *Wion* Ordinis Auctorem arbitratur; at rectiùs hanc gloriam *Jacobo* Regi nobiſcum concederet. Sociorum habitus, veſtis candida, cruce rubrâ & planâ inſignita: Caſtitas in voto, qualis Religioſorum, perpetua: Virtus bellica adversùs Mauros clariſſima. Inter Supremos Familiæ hujus Magiſtros & ſangvine & virtute cæteris altiſſimè præeminet JACOBUS, *Jacobi Aragonum* Regis filius, qui *Eleonoræ* Alphonſi *Caſtellæ* Regis filiæ Parentum arbitriô deſtinatus in thori Regij con-

Floruiſſe videtur circa Annũ 1330.

conſortem, ſanctioribus afflatu Numinis flagrans incendijs intactâ lectiſſimâ Conjuge ad Monteſiana ſigna & vexilla convolavit, à quibus Supremi Magiſterij donatus honoribus, inter arma ſervavit ſacratum per vota DEO pudorem, quem nuper è thalamo illibatum attulerat.

Septima Ciſtercienſium *Militia* de CHRISTO, ijſdem initijs quibus *Monteſiana*, eôdémque tempore, *Annô* nimirùm 1317. exorta apud Luſitanos ex ampliſsimis Templariorum dominijs evaſit celeberrima. Eius Fundator *Dionyſius*, Luſitaniæ Rex potentiſsimus: Milites, primi Regni Optimates. Ordo hic Militiæ de *Ala* magnificentiâ ſuppar, duratione inſuper felicior; quoniam, ùt ſcribit Manriqueus; *Militum S. Michaëlis pennata Societas velut ocyus volans citò pertranſijt: Reddituum defectu, an Perſonarnm? ſeu veriùs, ideò Perſonarum, quia reddituum: quæ ſub Alphonſo floruit, ſub filio atque nepote paulatim deſijt.* Ordo verò de *Chriſto* non duntaxat per Dionyſium Regem, filium, aut nepotem, ſed per omnes retrò Reges tam firmus ac fauſtus ſtetit, ut teſte *Henriqueo*, nullus Regum deceſſerit, niſi eô illuſtratô ac locupletatô. Credebant ſcilicèt Principes optimi, Regiam purpuram novæ majeſtatis acceſsione cumulari digniſsimè, ornaríque quàm plurimùm inſignibus inclytæ hujus Militiæ. Inde *Sebaſtianus* Rex Ordinis habitum geſtabat palàm, continuô eô uſu veluti legem imperans Pictoribus, nè aliquando tentarent effigiem Regiam abſque celeberrimæ Societatis militari amictu, peccaturi cæteroquin penicillô in Majeſtatem, quæ non cuperet per artefacta ſpectari aliter, quàm cum glorioſi Agminis de *Chriſto* ſpecioſo Charactere, eâ omninò æmulatione, quâ Hiſpaniarum Reges è collo pendulam ferunt *Velleris aurei* figuram. Regis ſtudia amoréſque ſecuti Luſitanæ Gentis Primores, magnô ambitu ad inclyta vexilla ſeſe collegêre. Obtenta à *Joanne XXII. Pontifice Romano* novi Ordinis confirmatio colligavit nobiliſſimam Societatem ſacerrimô fœdere. Ex *Aviſienſibus* accerſitus Primus Militiæ Generalis Magiſter, ideas, legéſque Ciſtercij novos Socios docuit. Abbas de *Alcobacia* ordinatione Pontificiâ datus Militibus in Cenſorem, Moderatorem, ac Viſitatorem, ut nempe per ea Viri munia Ciſtercium pleniſſimè inſtillaretur Sociorum animis. Id præ cæteris hìc memo-

Ad Annum 1167. cap. 8. num. 7. & 8.

Faſcic. diſt. 18. cap. 5.

memorabile, quod ultimus *Templariorum* in Luſitania *Magiſter Laurentius Martinez*, Vir ſanctus ac Religioſus, cum alijs ſex ejuſdem Inſtituti Militibus, extinctô per Viennenſem Synodum Ordine ſuô, ſub glorioſa naſcentis Militiæ de *Chriſto* vexilla convolaverit.

Primum ſuccreſcentis agminis domicilium à Rege erectum eſt in *Caſtro Marino*: Aliquantô poſt tempore translata inde eſt princeps Magiſtri Generalis Reſidentia *Tomarium*, exſtructâ ibi domô longè ſumptuoſiſſimâ, quæ ſcilicèt elegantiâ ſuâ, pretiôque ſoli uni cedat Cœnobio totô orbe Hiſpano magnificentiſſimo *Divi Laurentij in Eſcuriali*. Annui Magiſtri Generalis redditus centum ducatorum millia. Habitus Militum albus, oblongus, in pectore clauſus, & ad ſiniſtrum latus apertus, ut eâ nimirùm parte hiatúque commodè gladius hæreat. In habitu crux rubra, quam linea candida interſecat: inde cruces apparent geminæ, alba una, quâ caſtitas, rubra altera, quâ ſanguis pro Chriſto fundendus ſignatur. Floruêre Viri magni & inclyti ſub agminis hujus nobiliſſimis vexillis, ac præcipuè Sereniſſimus Princeps HENRICUS, *Joannis I.* Luſitanorum Regis filius: qui Ordinis per annos 41. Generalis & Supremus Magiſter, magnis ſanctimoniæ laudibus per univerſam Militiam emicuit, ac præprimis Virginitatis intaminatæ prærogativâ, quem ille caducum alioquin florem Princeps Virgo, & Virgineus miles ſinè labe vigentem ad feliciſſimum tumulum ſecum abſtulit. Per Oceanum tamen ac vaſta maria *Henrici* virtus militaris (ſi famæ magnitudinem ac immortalitatem ſpectes) longè amplior & vaſtior; ipſe enim Luſitanis ſuis auctor fuerat, ut Annô 1420 ingens illa ac victrix claſſis inſtrueretur, quæ ſtupente plaudentéque Europâ, Regiones ac Gentes, à *Zonatorida* ad *Bonæ Spei Promontorium* uſque; ſub ea tempora adhucdum incognitas, magnis Chriſtianæ Reipublicæ incrementis, ſuíque nominis ac ſuorum perenni magnificentiâ navigando detexit. Fuerat ad eum diem terminus navigationis Mons *Atlas*, verùm ultrà Atlantem vela gloriámq; eò protendit Henricus, ut quadringentis & viginti emenſis leucis ad Montem *Leænam*; pertingeretur, inſulâ *Maderâ*, aliiſque in perenne ſtabiléque tanti operis trophæum feliciſſimè detectis. Aperuit

Florere cæpit circa Annũ 1415.

Miræus l. 3. de ſtatu Relig. Chriſt. c. 3. cit: in Menol: Ciſt: 10. Octob.

ſanè Princeps Magnanimus auſpicatiſſimâ hâc navigatione immenſum laudum ſuarum Oceanum, qui parvis calami hujus encomijs circumſcribi haud poſſit. Id ego hìc præcipuè noto, memorari utique non debere *Henrici* laudes, ſinè Ciſtercij commendatione, cujus auſpicijs atque vexillis tantâ fauſtitate in Orbem alterum evolaverit.

Aliæ præterea Militares Familiæ ſub Ciſtercij glorioſis legibus Hiſpaniam olim à Mauris vindicaverunt, quarum quidem tam celebris, quemadmodum mox laudatarum ampliùs non ſuperſtat memoria; quia tamen antiquitùs ad tempus floruerint, & Ciſtercienſium pro Eccleſia, pro ſervando, augendóque Orbe Catholico, zelum, fervorem, fortitudinem ſeris poſteris abundantiſſimè conteſtantur, ſubticeri abſque piaculo à calamo Ciſtercienſi non poſſunt: quanquam interim præter pulcherrima Militiarum nomina injuriâ temporum penè perierint omnia.

Octava itaque Ciſtercienſium Militia de MONTE-GAUDIJ, lætiſſimam nuncupationem obtinuit à *Caſtro Mons Gaudij* appellato, cujus alumni peſteaquam ſub Ciſtercij fauſtis ſignis ac proprijs Magiſtris aliquamdiu contra Mauros fortiſſimè dimicâſſent, cadente primô fervore coaluêre cum Equitibus de *Calatrava* in corpus unum.

Nona Ciſtercienſium Militia de MONT-FRANC, à primis Sedibus, *Monte* ſcilicèt *Libero* vocabulum traxit. Socij hujus agminis ſub Ciſtercij legibus adversùs Barbaros diu ſtetêre, ac tandem, quaſi ſcenâ præclarè peractâ, locô ac nomine cedentes antiquati ſunt.

Decima Ciſtercienſium Militia *de* TRUXILLO, pariter apud Hiſpanas Gentes ſurrexit, incertâ tamen nuncupationis origine, ſolô nomine, & quòd Ciſtercienſis fuerit, nobis nota, cujus nempe veſtigia leguntur in pervetuſtis Ciſtercij Conſtitutionibus, è quibus *Henriqueus in Faſcic. L.* 1. *diſt.* 18. *c.* 6. *& in Menol.* 20. *Auguſti*, hæc modica verba tranſcripſit: *Ordo Militum de Truxillo Ordini Ciſtercienſi incorporetur*, *& Abbati de Moreruela obediat.* Verùm more rivulorum ad communem alveum refluentium *Calatravenſibus* lapſu temporis tandem uniti ſunt *Truxillenſes.*

Undecima

Undecima Ciſtercienſium Militia nuncupata S. BERNARDI, ſub fauſta ac peculiari, Melliflui Parentis advocatione apud Caſtellanos exorta eſt, floruítque multâ ætate ſub tanti *Nominis* militaribus auſpicijs, quod nempe olim teterrimis Orci larvis terribile, nunc etiam ſeu corpore, ſeu animô concoloribus Mauris eſſet formidabile. Abſtulit hanc Bernardi bellicam gloriam *Petrus* Caſtellæ Rex, malô zelô Militibus offenſus, atque eorundem poſſeſſionibus peſſimâ cupidine inhians, qui cæsô primùm Generali Magiſtrô reliquum gregem penitùs diſperſit, fugientem illicò ex antiquis Sedibus ad alias Militares Familias, apud quas eadem ferveret Belli ſacri cura & religio.

Duodecima Ciſtercienſium Militia S. GEORGIJ de ALFAMA, ſub prima initia peregrinas, atque à Ciſtercio alienas leges ſecuta, Barbaros infeſtabat: at tandem *Famâ* Militum noſtrorum ſuper æthera volante, Ordini de *Monteſia* ſociata, Ciſtercio novum nomen, ſplendorémque attulit.

Decima Tertia Ciſtercienſium Militia GLADIFERORUM, extrà Hiſpanias quidem apud *Livones*, eôdem tamen propè fatô, quô quinque poſteriores illæ mox memoratæ & cœpit & deſijt. Ejuſdem Fundatores ac Propagatores B. B. *Maynardus*, *Bertholdus*, & *Albertus*, *Livoniæ* Epiſcopi & Apoſtoli, Ciſtercienſes omnes. Hujúſce Ordinis beneficiô multa animarum millia ê paganiſmo ad Ovile Chriſti traducta & teſtantur & gratulantur Hiſtorici. Gladiferorum habitus & regula ſub ſurgentis novæ Familiæ primordia Ciſtercienſium fuerant; Verùm ob præpotentes atque infeſtos *Lithuanos*, confœderatione cum vicinis in Pruſſia *Theutonicis* factâ, novum id fœdus ſtabilivêre cum mutatione inſtituti habitúſque, deinceps non ſolâ confœderatione, ſed inſuper & profeſſione futuri Theutonici.

Decima Quarta Ciſtercienſium Militia S. MAURITIJ, apud *Sabaudos* cœpit *Annô* 1434. Amadeô Duce in honorem Divi *Mauritij* Thebeæ Legionis Sanctiſſimi Ductoris (cujus enſem annulúmque ille inter ſacra cimelia obtinet) initia glorioſi agminis maximopere promovente. Surrexit quidem hic Ordo ſub alijs, quàm Ciſtercij legibus, quia tamen, poſtquam ſcilicèt aliquantum collapſus eſſet, rursùs Annô 1572. rogatu Emmanuelis

nuelis Ducis à Gregorio XIII. Pontifice Maximo in priſtinam dignitatem vigorémque repoſitus eſt, juſſúſque deinceps perſeverare ſub Ciſtercij auſpicijs & regulis, idcircò præſentem Titulum, & agminum ſub Mellifluis labaris militantium numerum quàm digniſſimè accumulat. Militiæ ſacræ ſupremi faſces, & Magiſterij gubernacula conceſſa à Pontifice Emmanueli, ducibúſque Succeſſoribus, ut ab illuſtri capite tota membrorum inclyta collectio lucem novam, ſplendorémque ampliorem attraheret.

Decima Quinta Ciſtercienſium Militia S. LAZARI, familia vetus, & quæ Divum *Baſilium Magnum*, pro authore agnoſcat, per tot retroactas ætates incrementa & decrementa, atque etiam metamorphoſes crebriùs experta, tandem novô fœdere cum Ordine *Divi Mauritij* authoritate Pontificis Maximi jam laudati Gregorij XIII. in unam Societatem coaluit: atque ex ea conjunctione Ciſtercij leges, veluti Divi *Mauritij*, ſuſcepit. Utriuſque Militiæ character, Crux, Militum quidem Mauritianorum candida, Lazarinorum viridis: quæ cruces geminæ nunc per eam confœderationem ſimul cohærent, ſubſtátque in veſte priori illi; veluti pro baſi poſterior hæc.

Et *Fæminis* præſente Titulô inter militaria elogia ſuus honos, noménque, & Inclyta cum laude gloria! Quæ Viros haud muliebri audaciâ æmulatæ Militiam *Calatravenſem* præ cæteris florentem magìs ſtabilémque ſuâ acceſſione, veluti novâ ſobole, ac cohorte egregiè cumulaverint. Refert *Angelus* noſter ad Annum 1219 *cap.* 8. Fæminarum ſub *Calatrava* auſpicijs & *nuncupatione* ſurrexiſſe eô Annô primum Monaſterium *S. Falicis* in Veteri Caſtella, *Gundiſalvô* ſupremô Calatravenſium Magiſtrô, *Garſiá Gutierez*, atque *Mariâ Suareſiâ* Garſiæ Conjuge novæ Domûs Fundatoribus. Acceſsêre ſubinde ejuſdem inſtituti duo alia Cœnobia, alterum in Diœceſi *Toletana* ad Almagrum Oppidum, alterum in *Seguntina*, nuncupatum S. *Salvatoris* de *Pinilla*. Habitus *Calatravenſium Monialium* idem, qui cæterarum è Ciſtercio Virginum, tunica, cuculla, velum; ſcapulare tamen deſignatum ad inſtar Militum, & Rubea Crux veſti ſuperimpoſita, character militaris, quô ad Calatravam pertinere dignoſcerentur. Perſtat unà cum Viris hodiedum in Hiſpa-

in Hiſpanijs Militaris hic fœminarum cætus jam per annos propè quingentos, Ciſtercij bellicam gloriam ad ultimos uſque ſæculorum fines cum plauſu propagaturus.

Atque hæc inclyta Militiarum, atque ampliſſima nomina non minùs ad Bernardum pertinent, quàm ad univerſum Ciſtercium, imò per Bernardum ad Ciſtercium; neque enim armorum ille ſplendor atque Majeſtas unquam fortè tam emicuiſſent in Ciſtercio abſque Bernardo, cujus nempè auſpicijs tam glorioſa Militum agmina Ciſtercienſi Familiæ acceſſerint! *Manriquesus* in hoc argumento pro Melliflui Parentis fauſtiſſimis laudibus planè eſt eximius ad *Annum* 1128. cap. 3. ubi de *Sermone exhortatorio* Patris Sancti ad Milites templi (quem vocat *opus mellitum æque ac igneum*) clariſſima ſua ſenſa ex ingenij ſui ſinu in chartam effudit per hæc verba: *Sed an etiam in eis Calatravenſes, Alcantarenſéſque, & cæteros quos paratos ſibi à DEO fortè prænoſceret, ſimul alloqueretur, quis judicabit? Certè quæ tradit, ejus normæ ſunt, ut omnibus debeantur, aut illis omnes. Nec immeritò liceat conjectari, tot militares Ordines, poſt ipſum licèt ad Cœlos jam translatum adhæſiſſe Bernardo præ alijs Sanctis, viam ſternenti Religioſis militijs in hoc opuſculo, quod nullus alius ante ipſum, nullus poſt ipſum æque præſtitiſſet.* Poſt *Angelum* audiendus Bernardus ipſe oris ſui buccinâ feliciſſimè clangens, & ſacras cohortes evocans ad prælia Crucis adversùs Crucis inimicos: - - *Securi ergo procedite, Milites, & intrepidô animô inimicos crucis Chriſti propellite, certi, quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à charitate DEI, quæ eſt in Chriſto JEſu. Illud ſanè vobiſcum in omni periculo replicantes, quia ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. Quàm glorioſi revertuntur victores de prælio! quàm beati moriuntur Martyres in prælio! Gaude fortis Athleta, ſi vivis, & vincis in Domino, ſed magìs exulta, & gloriare, ſi moreris & jungeris Domino. Vita quidem fructuoſa, & victoria glorioſa, ſed utrique mors ſacra jure præponitur. Nam etſi Beati, qui in Domino moriuntur, num multò magìs, qui pro Domino moriuntur?* - - *At verò Chriſti milites ſecuri præliantur prælia Domini ſui, nequaquam metuentes, aut de hoſtium cæde peccatum aut de ſua nece periculum; quandoquidem mors pro Chriſto vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Chriſto, inde Chriſtus acquiritur, qui nimirùm & libenter accipit hoſtis mortem*

In Tract. ſive Exhortat. ad Milites Templi cap. 1.

tem pro ultione, & libentiùs præbet ſeipſum militi pro conſolatione. Miles, inquam, Chriſti, ſecurus interimit, interit ſecurior, ſibi præſtat, cùm interit, Chriſto, cùm interimit. - - Sanè cùm occidit malefactorem, non homicida, ſed, ut ità dixerim, malicida, & Chriſti vindex, & Chriſtianorum defenſor reputatur: cùm autem occiditur ipſe, non periiſſe, ſed perveniſſe cognoſcitur. Mors ergo, quam irrogat, Chriſti eſt lucrum, quam excipit, ſuum. In morte Pagani Chriſtianus gloriatur, quia Chriſtus glorificatur: In morte Chriſtiani, Regis liberalitas aperitur, cùm miles remunerandus educitur. Hæc verborum incendia, ſparſit in Præliatorum præcordia Abbas Divinô Spiritu igneus; iiſque illuſtres Chriſtianorum Equitum turmas in aciem evocavit, eô quidem auſpicatiſſimò eventu, ut Chriſti Ecclésia per Hiſpanias, aliáſque Europæi Orbis plagas tantâ amplitudine non ſtaret ſinè Bernardo & Ciſtercio, quorum una hæc & maxima præ cæteris clariſſimis Familijs gloria, tanta Militiarum ſacrarum agmina in Eccleſiæ ſubſidium atque incrementum congregaviſſe!

VICTORIA!

Jucundiſſimam háncce vocem mille canant claſſica!
Pérque orbem, aëra, æthera,
Mille Æoli buccinent!
VICTORIA!
Tinniant tibi ab hac voce, *ambæ aures*
Tot armis Militijſque
Inclytum Ciſtercium!
Mille ex te pendent *clypei*,
Quibus omnibus ſtylô ferreô
Pulcherrima Fama Orbi poſthumo
Tuas inſcripſit victorias.
Triumphantis Eccleſiæ felicitas & *nuncupatio*
Per Ciſtercij arma & *Triumphos*
Communicata eſt etiam *Militanti*:
Et viſa deinceps, Ciſtercij auſpicijs, etiam in terris

Eccleſia

Eccleſia *triumphare*,
Quam nominis reíque beatitatem
Soli ſibi hactenùs uſurpaverant Cœlites.
Aurelij Auguſtini curioſa mens
Seſe in *triumphantis Romæ* auguſta ſpectacula
Delicioſiſſimè explicans,
Romanæ Majeſtatis in triumphum euntis
Fortunasiſſimam ſe optavit ſpectatricem.
Verùm videtur mihi Aurelius
Seu nimis *ſerò optaviſſe*,
Seu nimis *citò devixiſſe*:
In votis námque ei Cæſaris, Pompeijque victrices ætates,
Quæ utique jam pertranſierant.
Extendamus Auguſtini mentem in futura momenta,
In Ciſtercij ſcilicèt labara, claſſica, prælia,
Sacerrimóſque triumphos,
Quæ omnia Sanctum Doctorem votis ſuis veluti digitis præſi- (gnaviſſe
Quis negare velit,
Qui Eccleſiæ Romanæ fauſtitatem
Sub Ciſtercij ſignis, vexillis, auſpicijs
Toties *Militantem, Triumphantémque*
Penitùs intellexerit?
Igitur Aurelius deſiderijs præſagiíſque
Prævolavit Ciſtercij tempora,
Crebris olim pro Romæ vindicijs ſignanda triumphis.
Id *cliens* ego interpres de *Advocati* mei ſenſis
Et *nominis* & *præſidij* titulò pronuntiare hic auſim:
Tot ſcilicèt *Victoriæ*
Ciſtercienſium Militum *ferrô* in fidei incrementa congeſtæ
Satìs perhibent, neque ſuos Ciſtercio deeſſe *Vincentios Ferrerios*,
Quorum *ferrô*
Aureâ rursùs in Eccleſiæ gremium repoſita ſit *ætas*!
Divina Puerpera
Ciſtercij ubique & ſemper alma Parens
Etiam inter hæc arma, háſque victorias ſeſe opportuna immiſcet,
Pallia explicans in vexilla,
Brachia, manúſque in robur & præſidium,
Nuncupanda denuò, & millies

S. MARIA de VICTORIA!
Hæc auſpicia à DIVA:
Neque minora à DIVÆ alumno *Bernardo*:
Cujus ipſas nempe cunas quidni agitaverit *Bellona*,
Cùm in *Teſſelino* Parente (conciliavit?
Geneſim geniumque militarem veluti primogeneam materiam ipſa
Tranſtulit illos bellandi, vincendíque congenitos ſtimulos
Puer, Adoleſcens, Vírque Bernardus
Ad nova, & divini[illegible]
Spiritûs magna & ardua molientis prælia & luctas,
Quibus cœlitus toties deinceps parta *Victoria*:
Quæ vincit Mundum!
Tandem reverſus ad geneſeos ſuæ lineam,
In *Templarijs*,
Quos juſſus legibus inſtituere
Per ea auſpicia cæteros Ordines Militares
Evocavit in eorundem communem Societatem, & fœdera.
Nullus jam Ciſtercienſibus diſputaverit,
Jus Gladii
Cùm tot armata agmina ſub Mellifluis legibus
Hanc veritatem circumſideant!
Petri Simonis *gladius*
Joann. 18. In *Malchum* durus & aſper
Abſtulit incredulo *auriculam,*
Principium *fidei*,
Quoniam fides ex auditu,
Rom. 10. Eô vulnere atque hiatu penetraturus ad *Cor*,
Principium *vitæ.*
Ciſtercij *gladius*
Seu ille à latere *Militaris*,
Seu ille è labio *Apoſtolicus*
Luc. 22. (Quoniam *ecce*, etiam, *duo gladii hìc*!)
Saracenorum, Schiſmaticorum, Sectariorum
Aures & corda
Multâ vi, plurimô vulnere, conſauciavit,
Ut poſitis armis, animíſque
Innumeri *captivarentur* in obſequium fidei,
Donandi rursùs *libertate Filiorum DEI.*


Cru

Cruciatæ Bullæ prototypon,
Seu pulcherrima prototypi lineamenta
Per eas Victorias depinxìt Mavortium Ciſtercium,
Cujus ſcilicèt ſuprema & communia complementa
Religiones aliæ
Specioſas inter ideas
Cùm in Scholis, tum in votis
Adhuc hodie ſeu ſpeculantur, ſeu præſtolantur.
Eant ſanè Secundùm ſua vota,
Eant ſecundùm *Bullæ* imperia, in Crucis obſequia
Ordines univerſi!
In ea tamen ampliſſimæ collectionis *generalitate*
Id *ſingulare* habebunt Ciſtercij Alumni,
Quòd
Inter *veteranas* conſtituti cohortes
Novitia aliorum agmina
Veluti Duces trahent in ſequelam.
Ite igitur, ſi Roma, ſi Cœlum id jubeat!
Ite Ciſtercij militares Reliquiæ!
Et per mille novas Victorias
Capite, Carpite mille laureolas,
Triumphorum apud Superos felices primitias.
Interea noſtra, uſque ad paria in Cœlis trophæa,
Sit perennis in terris teſſera,

VICTORIA!

TITULUS XX.

CISTERCIENSES DOCTORES ET DOCTI.



A. Jahn offecij del:

BERNARDO præcipuo inter Ciſtercienſes Doctori novô prodigiô crevêre doctorales laureæ inter *quercus & fagos*, propagandô ſcilicèt in filios privilegiô; qui quanquam inter valles & abdita nemora nec baccas ament nec lauros, ambiantur tamen ab his, à quibus utroſque meritos honores quàm dignisſimè

gniſſimè obtineant. Sanè in ipſa etiam *Solitudine* Ciſtercienſium ſanctitas *ſola* non ſtetit; ſociam à latere ſemper habuit ſcientiam, quæ quidem publicum latere voluit ſæpè, vix tamen potuit aliquando, unde namque in Pontificum Curijs, Cardinalium Collegijs, Patrum Concilijs, Regum Principúmque Comitijs, tanta ſemper unius Ciſtercij fuit habita exiſtimatio, niſi quia in Mellifluis alumnis pulcherrimâ Societate viderint eoſdem Viros & Sanctitate præeminere & ſcientiâ? Recenſendi quidem forent pro meritis ſinguli; at numeri amplitudo, ac Virorum magnificentia non ſtant cum unius hujus Tituli anguſtijs. Sola *Bibliotheca Scriptorum S. Ord. Ciſt.* à *Carolo de Viſch* Priore *Dunenſi* Belga, & ibidem Theologiæ Profeſſore collecta, opus ſcilicèt pro Authore & Ciſtercio glorioſum, ſeptingentos & amplius exhibet Viros, qui per diverſa Facultatum & ſcientiarum genera celebres, ſuô calamô atque ingeniô Eccleſiam ac Ciſtercium egregiè illuſtraverint. Non effugiſſe Authoris induſtriam aliquos, & fortè complures, qui libri illius dignitatem per ſua nomina cumulare potuerint, quis audeat aſſerere? Interſeram hôc locô ad rem noſtram verba *Theophili Raynaudi* è Societate JEſu è ſua *Ape Gallicana* (Bernardo Mellifluo) ubi ille *num.* 5. uberrimè commendat Virorum è Ciſtercio literis præſtantium abundantiam: *In tanta* (ſcribit Theophilus) *Doctorum confluge, quæ poſterioribus ſæculis non decrevit, extitiſſe ex eodem Sancti Viri* (Bernardi) *inſtituto probatorum ſcriptorum copiam quæ complendis Bibliothecis par fuerit, adeò incredibile viſum iri non cenſeo, ut potiùs periclitentur inſimulari negligentiæ Philippus Seguinus, Laurentius Zamora, Angelus Manrique, & alij, qui vix ultra millenarium Scriptores Eccleſiaſticos ex S. Bernardi diſciplina diffundunt.* Sanè cum voluptate intelligo à doctrina laudari Ciſtercij prima, atque etiam poſteriora, & noſtra hæc ipſa, id eſt, omnia *ſex ſæcula*, floruiſſéque ſemper Viros ingenti numerô in Mellifluo Sodalitio, per quorum volumina integrè omninò Bibliothecæ impleri valuerint. Hæc Ciſtercij laus ideò habenda pro celebriori, quoniam non profecta à proprio, ſed alieno labio & calamo. Igitur in tam cumulata Doctorum commendatione cùm ex univerſa Bohemia modicos duntaxat in ſua Bibliotheca laudet præcitatus *Carolus*, & eos quidem ex una *Aula Regia*, diſſimulare vix poſſum, quin, bonâ Lectoris veniâ, aliqua ad

ad rem noſtram hôc locô ſuggeram. Atque primâ mox fronte ſolvendus nodus in hac ipſa memorati Viſchij in æqualitate, quòd nempè Ciſtercij Viros literis inclytos è Bohemia tam paucô numerô abſolvat, in ſcriptoribus verò Doctoribúſque Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Galliæ, Belgij, Italiæ, Germaniæ producendis, commendandíſque tam ſit multus atque induſtrius. Quæ ſanè diverſitas deſumi non debet ex eo, quòd fortè Bohemia non haberet numeroſiores, quos in præſentis ſcenæ Theatrum adduceret; Sed quia Authori Belgæ perſpectæ, ſeu communicatæ minùs Patriæ noſtræ res, quæ inſuper in hac materia, communicari fortaſſe haud poterant (& confiteamur comunem calamitatem, bellorum id eſt, alienô vitiô etiam in Ciſtercij Domos ſævientem) per hæreticorum diſturbia unà cum Cœnobijs, incolíſque miſerè peſſumdatæ. Velim obſervet Lector benevolus, Ciſtercienſium Pragenſe ſtudium, adhuc ante inclytæ Carolinæ Univerſitatis primordia ſurrexiſſe, ità ut veluti fortunatiſſimus phoſphorus clariſſimæ hujus Academiæ cenſeri debeat, quæ per *Carolum VI.* Cæſarem, petitô priùs atque obtentô Annô 1347. à *Clemente* Papa *IV.* Pontificiô diplomate, erecta eſt Annô 1348. cùm ſcilicèt Patres Ordinis, egregiâ ardentes ſcientiarum cupidine jam prævìè ad illos Annos ad pulcherrimum Provinciæ decus, literarúmque incrementa commune ſtudium Pragæ ordinaviſſent. Lego in *Balbini Hiſtor. Miſcell. Volum.* 1. *pag.* 61. noſtros in Antiqua Urbe à Carolo Cæſare donatos domô, vulgaritèr nuncupatâ *Jeruſalem* cum *Capella*, *Juribus*, *Servitutibus*, &c. ſub nova Divi *Bernardi* advocatione: quæ quidem donatio, ùt loquitur Cæſar in litteris, facta eſt *purè ſimpliciter*, *& irrevocabiliter in perpetuum.* Hanc ipſam domum fuiſſe deinceps ſtudiorum noſtrorum Collegium, quanquam pro indubitato pronunciare vix auſim, circumſtantiarum tamen collectio mihi radio eſt, quô in aliqualem probabilitatem proſpiciam. Non enim conceſſa eſt domus illa uni duntaxat Cœnobio, verùm Provinciæ integræ, aut, quemadmodum aſſerit Imperator in cit. lit. *Venerabili Ciſtercienſi Ordini*; eâ ferè ætate, cùm ſub ejuſdem Auguſtiſſimi Cæſaris auſpicijs & ſurgeret, & mox floreret laudata Univerſitas, atque cùm ejuſdem Caroli munificentiâ gemina præterea per Urbem, alterum nuncupatum vulgò *Jacobi*, alterum dictum *ad inſignia*, ſtuden-

Nomaſtic: Ciſt. in Libell. Novell. Defin. diſt. 9. cap. 7.

Studentium Collegia ad Academiæ augmentum fundarentur, eôque omninò tempore, cùm per alios inſignes favores per omne Regnum plurimùm excreviſſet Ciſtercienſium felicitas. Accedit, quòd illæ ædes transformari haud potuerint in Cœnobium, quoniam id Ordinis legibus intra Urbes eſſet prohibitum. Igitur per ea indicia probabile fit, donatam Ciſtercienſibus à Cæſare *Divi Bernardi Domum*, per ipſos deinceps adaptatam fuiſſe in ſtudiorum Generalium Collegium. Quâ porrò Urbis parte aut locô ſteterit hæc ipſa Literaria palæſtra (Collegium namque, quod hodie appellamus *Divi Bernardi*, à Domo per *Carolum* conceſſa, locus haud dubiè diſtinctus videtur) certum omninò non eſt: quamquam ſervata ab antiquo cujuſdam Domûs in Veteri Urbe nuncupatio in *Jeruſalem* (cui adjuncta Capella) præſumptionem quandam fundet, trahátque Ciſtercienſes poſteros in vetuſtæ poſſeſſionis ſuæ quædam veſtigia. Quòd ſi itaque in ampliſſima Bohemorum Metropoli, veluti in totius Regni conſpectu, Ciſtercienſes noſtri commune ſtudium ordinârint, præſertim ante, & illicò ſub ipſa Univerſitatis florentiſſimæ auſpicata primordia, quis ambigat ex ea felici palæſtra prodijſſe Viros laureis ac ſcientijs illuſtres? Quorum quidem dulces memorias hæreſis, per ſacrilegas flammas Cœnobia diu multúmque depopulata, omninò abſtulit atque extinxit, perennantibus interim feliciùs, Pariſienſi in Gallijs, Complutenſi ac Salmanticenſi in Hiſpanijs Studiorum Ciſtercienſium inclytis Collegijs, cum earundem Urbium glorioſiſſimis Univerſitatibus intimè confœderatis, adeò ut ad publicos Laureæ ac Cathedræ honores etiam Noſtri, cùm Ordo illos contingit, hodie paſſim aſſumantur. Excitavit attamen veluti è cineribus hunc Phœnicem ſacra Ciſtercij in Bohemia poſteritas, cùm literarum clariſſimô ardore flagrans, Annô 1616. ſtudium illud Pragæ glorioſâ induſtriâ quàm fauſtiſſimè reſtauravit: quod ſubindè, primò quidem favore Eminentiſſimi Principis Cardinalis ab Harrach, Annò 1652. Archi-Epiſcopali Collegio incorporatum, ac tandem Annô 1692. benevolentiâ Celſiſſimi Principis, Joannis Friderici è Comitibus de Waldſtein, Archi-Præſulis Pragenſis novâ confœderatione & prærogativâ auctum eſt: conventione initâ inter Principem Celſiſſimum Archi-Epiſcopum Pragenſem, &

Oooooo Metro-

Metropolitanum Capitulum ex una, & SS. Ordinum Præmonſtratenſis ac Ciſtercienſis Provinciæ Viſitatores ac Abbates ex parte altera, ut nimirùm deinceps perpetuis futuris temporibus iidem gemini Sacri Ordines in prælibato Collegio Archi-Epiſcopi Cathedras cùm Philoſophicas, tum Theologicas; eáſque tam ſpeculativas, quàm Canonico-Morales cum alternatione obtineant: libertate etiam datâ Sacræ Benedictinorum Familiæ, ut, quandoquidem jam olim per antiqua vincula præfatis duobus ordinibus in eodem Collegio Archi-Epiſcopali eſſet colligata, ſeſe pariter valeat cum ſimili onerum participatione, in novum & commune id fœdus aliquando colligere, cathedrâ interim Philoſophicâ in ſtatu quo pro ſingulis ſexennijs eidem relictâ. Annô 1696. Supplicatum eſt ab utriuſque Familiæ, Ciſtercienſis ſcilicèt & Præmonſtratenſis Abbatibus Provinciæ Bohemiæ Pontifici Maximo, Innocentio XII. qui *Annô eodem*, 6-*Julij* de Eminentiſſimorum Cardinalium S. Tridentini Concilij Interpretum conſenſu, & ad votum Eminentiſſimi Cardinalis Leandri Colloredi, cui eadem Congregatio id negotium examinandum remiſerat, præmemoratum Conventionis documentum, ſeu inſtrumentum cum omnibus & ſingulis conditionibus, & declarationibus in eo contentis & expreſſis authoritate Apoſtolicâ confirmavit & approbavit, illíq; inviolabile Apoſtolicæ poteſtatis robur adjecit. Flores ex Melliflui Parentis domo ſparſi per omnem Provinciam, fragrantiſſimâ gloriâ ornant Cœnobia ſingula, in quibus concepta ingenij ſemina in nova florilegia protuberant, cùm in pleríſque gratiſſimô Superiorum imperiô ſeu Philoſophia, ſeu Theologia, ſeu fidei controverſiæ, ſeu Jus Canonicum, ſeu quandoque etiam gemina ſimul ex his ſtudia & tradantur; & nonnunquam per certamina ſcholaſtica in conſuetis ſcholaſticis Theſibus ſeu emblematibus propugnentur. Conjungat nunc Lector benevolus ætatem utramque Ciſtercienſium in Bohemia, veterem illam ſurgentis, ac novam hanc nunc refloreſcentis Provincialis ſtudij, & advertet, non tam defuiſſe noſtris Viros, qui eſſent eximij, quam calamos, per quos Viri illi laudarentur, iterúmque verum eſſe, quod ex Manriqueo in alia quidem materia *Tit.VI.* jam ſuperiùs inſinuavi, Ciſtercienſes nimirùm veteres plus ſtuduiſſe *ſcribenda facere, quàm facta ſcribere.* Et hæc ratio altera,

altera, per quam cum modeſtia & veritate excuſandus ſim, quòd ſcilicèt præſentem Titulum non adeò fusè ac cumulate, quam aut voluerim, aut debuerim per Bohemiæ noſtræ laudes ornare valeam. Non offendat Lectorem prolixa hæc excuſatio, cujus omiſſio culpæ ſpecimen alienâ ferulâ fortè præſetuliſſet, quòd videlicèt in laudandis exteris multus, in domeſticis ſim modicus, & penè nullus. Spectemus nunc Viros, & Virorum magna nomina, quibus hic Titulus plenus erit. Præcipui Fontes, è quibus præſentem materiam hauſi, fuêre, *Phœnix Reviviſcens Henriquei*, *Bibliotheca Scriptorum* laudati *Caroli de Viſch*, *Annales Ciſtercij Manriquei*, & præter hos Authores, alij ſparſim. Digeſſi Viros in claſſes, ut ſuâ quique ſcenâ ſpectari poſſint.

GRAMMATICI.

PRimus hôc locô venit memorandus B. CONRADUS, à Cœnobio Ciſtercienſium apud Haſſos nuncupatus de *Heghena*, in Germaniæ noſtræ gymnaſijs pennâ ſuâ atque induſtriâ olim Grammaticus celeberrimus, meritus in ſcholis plauſum, qualem hodie Emmanuel de Alvarez, imò fortè ſupra Alvarezium paſſim ornatus ampliori titulô *Archi-Grammatici*. *Floruit circa Annum 1149.*

Alter *Grammaticæ* laude inſignis JOANNES SERLO, Abbas Fontanenſis apud Anglos, ingeniô ad mitiores Muſas promptô, quod ille tamen, latini idiomatis tyronibus daturus beneficium, rebus præcipuè grammaticis occupavit, unde etiam cognomen ei acceſsit, ut vulgo appellaretur *Grammaticus*, quam ille vocabuli antonomaſiam, quanquam naturâ ſuâ non tam delicioſam, quam laborioſam, voluptati Poëticæ longiùs antehabuit. *Vixit circa Annū 1160.*

Hebrææ linguæ majeſtati nova lumina attulit JULIUS, dictus inter Fulienſes ſuos à S. *Anaſtaſia*, olim verò *Bartoloccius*, Prior ad S. Bernardum Romæ, quem Innocentius X. Pontifex Maximus ex eo, quòd cerneret Virum memorati idiomatis peritia præ cæteris cum plauſu eximiè pollere, in vaticana Bibliotheca collocavit, auctum novô honore, ut eſſet *Linguæ Hebraicæ Scriptor Pontificius*. *Floruit circa Annum 1650.*

Floruit circa Annum 1600. & deinceps. Gallia etiam Virum inter eoſdem Fulienſes præſtantiſsimum aluit Joannem à S. *Franciſco*, in ſæculo nuncupatum *Gulenium*, linguæ Græcæ excellenter gnarum. Patrem ille habuit *Nicolaum Gulonium*, Græcarum litterarum in Sorbona Profeſſorem Regium, à quo memorati idiomatis elegantias egregiè edoctus, opera *D. Dionyſij* Areopagitæ Galliarum Magni Apoſtoli, itémque homilias *Divi Baſilij* ſuper *Exameron* atque ad petitionem Reginæ Galliæ opera *Epicteti Philoſophi Stoici* ex Græco in Gallicum tranſtulit, in Dionyſij præcipuè translatione, ſtyli elegantiâ Viris magnis admirabilis. A morte Parentis cùm Academiæ Pariſienſis ſuffragijs ad Paternam cathedram evocaretur, contentus duntaxat Sorbonæ judiciô meruiſſe honores, id munus germano Fratri ſuo, natu minori ceſsit, ac aliquantô tempore inter negotia Forenſia, & magnas inter ſpes verſatus, præcidit ſubitâ mutatione multorum ingentes de ſe expectationes, Ciſterciun in Fullij ſodalitio amplexus. Suſpexit Familia Virum inter continuas præfecturas, quas eâ commendatione ſemper geſsit, ut ad clavum univerſæ Congregationis tandem evectus ſit. Amavit etiam *Joannem* impensè Urbanus VIII. Romanus Pontifex, Muſarum & Doctorum ille cultor ac Mecænas. Et Regij in Aula Galliarum Proceres magnis affectibus ac reverentiâ Virum digniſsimum, virtutis famâ undique celebrem, quàm ſtudioſiſsimè ſunt proſecuti. Deplorata eſt à bonis omnibus Joannis mors, quæ hominem ſæculis dignum abſtulit annos non ampliùs natum quinquaginta quatuor.

Feſtinantem ad alias claſſes non teneat diu Grammatica, commendata interim ſatìs per hosquatuor Celeberrimos Viros.

P O Ë T Æ.

Obijt Annô 1596. TRes hâc claſſe ſpectandi Viri cum laureis: ſinè laureis, at non ſinè laudibus aliquantò plures. Primus è *Laureatis* CHRISTOPHORUS CASTILLEJUS, Hiſpanus, Ferdinandi I. Cæſaris delicium, cui ab intimis ſecretis fuit: Vir genij ingeniíque omnium diſciplinarum genere excultiſsimi, cujus ſuaviſsimâ conſuetudine unicè delectatus Ferdinandus, non paſ-

ſus eſt

ſus eſt unquam, Chriſtophorum amplioribus quantumvis honoribus dignum; à latere ſuô abſtrahi. Triginta integros annos Aulas & Cæſarem ſecutus, tandem cùm per divina lumina cælitùs in præcordijs ſuis flagrantia conſpiceret intimiùs Orbis perituri caducas res, inane nihil, ridendámque vanitatem, aulas aularúmque Muſas valere juſsit, & laureata ſua tempora Ciſtercij, ìmò Chriſti amabili jugo in *Valle Eccleſiarum* apud Patrios ſuos Hiſpanos profundiſsimè inclinavit, indutúſque Monachum inter ſeria & ſancta vitam clauſit grandævus, novas eáſque digniores apud ſuperos occupaturus laureas. Ingenioſis ſuis lucubrationibus, quas *Caſtillejus* pro ſtatûs ſui diverſitate, primò quidem Aulicus, ſubinde Monachus, compoſuit, poſthumas atque immortales laudes in ſcholis & Muſæis eſt conſecutus.

Alter Poëta *Laureatus*, CONRADUS FOSSOR, Abbas *obijt Annô*
XXV. Cæſarienſis apud Germanos, laurô ſuâ novum florem, *1540.*
felicitatémque Ciſtercio ſuperaddidit. Vir præter ingenioſam Poëſeos ſuavitatem, ſubtilémque acrimoniam, in ſcientijs pariter ſublimioribus celeber: Caſparo Bruſchio Scriptori Egrano, qui Conradum jam ſenem diſſerentem audiverat, cum admiratione ſummè venerabilis. Extant Præſulis laureati *ſubtiliſſima Poëmata*. ſub nuncupatione *Mortilogij* impreſſa Auguſtæ Vindelicorum, quæ Authorem novô plauſu ornant.

Tertius è *Laureatis* GABRIEL de FRANAIRILIS, Italus *obijt circa Annum*
Florentinus, ſuperiore ſæculô Poëta felix ac Nobilis, Ciſtercij *1650.*
alumnus in *Ciſtello*, lauri gloriam ſuô acceſſu Mellifluo Sodalitio implantavit, pennáque & venâ Poëticâ per complura opuſcula cum gratia & voluptate fluente, nomen ſuum apud Doctos pulcherrima immortalitate donavit.

Floruêre præter Laureatos etiam alij metri elegantia excellentes: apud *Hiſpanos* SEBASTIANUS de la PARRA, *Ca-* *Floruit circa An: 1610.*
racetenſis Cœnobita, & Congregationis Hiſpanicæ Viſitator Generalis. NICOLAUS BRAVUS, *Superati* Monachus. A- *obiit Annô*
pud *Italos* GABRIEL FRANCISCUS, Nobilis Florentinus, & *1648.*
ibidem Mellifluus alumnus, Poëta *omnium ſui temporis ſuaviſſimus*. Apud *Anglos*, *Hibernóſque*; GUILLELMUS KETHUS, *Claruit Annô*
Abbas de Killes, Rhetor & Poëta ingenioſus, multò mentis *1350.*
fætu tum in proſa tum in metro fæcundus. SEBASTIANUS *Floruit Annô 1620.*

SORTAL Hibernus Ciſtercium, profeſſus in Nucalenſi Cœnobio apud Hiſpanos, Poëſeos commendatione per omne metri genus inter Viros Congregationis Hiſpanicæ celeberrimus. Apud *Gallos* JONNES du PIN, Cœnobita Vaucellenſis, Medicinæ, Theologiæ eloquentiæ, Poëſeóſque laude inſignis. QUINTINUS CRASIUS, Caroli-Loci Supprior, Poëta ac Philoſophus ſui temporis celeberrimus. PETRUS ILARIUS ibidem Monachus, venâ Poëticâ excellens, quâ Divinæ Parentis laudes eleganter cecinit. PETRUS SALIUS, Monachus de *Floregijs*, pictoris ſtatuarij, Philoſophi, ac præcipuè *Poëta eruditiſſimi* nomen ac famam adeptus. MAGDALENUS TULIER, Monachus de *Bella Brancha*, anagrammatum atque epigrammatum doctô luſu felix ac promptus. FRANCISCUS MAUROI, Monachus de Clara-Valle, Poëſeos atque Theologiæ laude præſtans. JOANNES BERTHAULT, Alneti Abbas Epiſcopus *Sagienſis*, in Patrio latinóque idiomate Poëta egregius. Apud *Germanos*, MELCHIOR à MONDORFF, XLVII. Abbas *Veteris-Montis*, Principum Montenſium, Sacellanus perpetuus, præter reliquam egregiam literaturam, Poëta excellens. HENRICUS à BERNTHEN Abbas Cœnobij *Mariarodani*, Theologus & Poëta inſignis.

Obijt Annô 1372. *Obijt Annô 1151.* *Devixit Annô 1407.* *Floruit Annô 1383.* *Floruit circa Annum 1646.* *Obiit Annô 1611.* *Floruit circa Annum 1630.* *Floruit circa Annum 1426.*

Subſiſtat hic penna, neque altiùs ulteriúſque (quantumvis parata & valida) in Muſarum Parnaſſum evolet! itura ſcilicèt deinceps per cætera ſcholarum theatra!

ORATORES

NOlim hìc diu morari Lectorem benevolum, cùm præſens argumentum neceſſe non habeat tractari majori amplitudine, quoniam per ſubſequentes claſſes inter Hiſtoricos, Philoſophicos, atque Theologos non pauci dicendi ſimul laude excelluêre Oratores Clariſſimi: Igitur eſt, cur præfixam epigraphen ex induſtria paucis expediã, cùm aliunde cumulatiſſimè ſuppleri valeat. Spectandi nunc Viri. Atque in primis ex *Hiſpanis* eloquentiæ famâ inclaruêre: GERMANUS BUGESIUS, Hortenſis, S. Theologiæ Magiſter, Cæſar-Auguſtæ & Madriti Eccleſiaſtes celeberrimus, obſtinatiſſimorum peccatorum

Floruit circa Annum 1620.

torum ad meliora propoſita, lingvæ facundæ beneficiô & magnetiſmo, fortunatus motor ac promotor. PAULUS de MENDOSA, Monachus *Vallis Paradiſi*, Orator diſertiſſimus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege evocatus ad Cathedram Regio Aulicam, in quo ille ſacro munere totius aulæ plauſu diu perſtitit. DIDACUS MARFIL, Alumnus Cœnobij nuncupati *Saltus-Novalis*, ac ſubinde etiam ibidem Abbas, Toletanæ Urbis è ſuggeſtu admirabilis Tullius. Floruêre præterea ſuadæ felicis commendatione, apud *Anglos* MAURITIUS SOMMERSETUS Abbas Fontanenſis. Apud *Belgas* JACOBUS SEGHERS, Supprior S. Salvatoris Antuerpiæ. GERARDUS de PERONA, & JOANNES à ROSA, Abbates Valcellenſes, prior ille XV. poſterior hic LXIII. NICOLAUS de ALDENARDA, Religioſus Cœnobij de Dunis, eloquentiæ laude Pariſijs apud omnes clariſsimus, qui devixit Annô ætatis ſuæ 105. Apud *Germanos* JOANNES à BRIDELL, 42dus Abbas de Hemmenrode, ob facundiæ celebritatem, conſiliorúmque promptitudinem ac Sapientiam vulgò nuncupatus *os Cleri*. HENRICUS Blumen⸗Troſt/ Abbas Ebracenſis XX. & ALBERTUS Kirſenlooher ibidem Monachus, qui poſterior interfuit Concilio Baſileenſi. Claudo in modica ſerie ampliſsimam ſcenam & theatrum novum aperio.

Floruit circa Annum 1570. — *Obiit circa Annû 1621.* — *Vixit Annô 1193.* — *Floruit circa Annum 1645.* — *Floruit circa Annum 1470.* — *Obiit Annô 1571.* — *Obiit Henricus Annô 1455. Albertus circa Annû 1430.*

HISTORICI.

HOrum ſeries paulò numeroſior ſeſe per Orbem Monaſticum Chriſtianúmque explicuit. Et quidem apud *Hiſpanos* præter *Angelum Manriqueum*, Virum in Ciſtercij Annalibus ſummum (quem digniùs inter Theologos infrà laudabimus) in hiſtoria floruêre complures, è quibus memorandi hìc duntaxat quatuor, quorum priores duo, BARNABAS de MONTALBO, & CHRYSOSTOMUS HENRIQUEZ, Ordinis Univerſi Hiſtoriographi, ille in *Monte Sion* propè Toletum, alter *Hortæ* Ciſtercienſium Familiæ alumni, ambo illâ ipsâ pennâ, quâ nempe illuſtriſſima Ciſtercienſium concinnaverunt elogia ſeſe ultra mortalitatis metas extulerunt, ſimul ipſi apud gratiſſimos poſteros immortales cùm jis, quos ſuô ſtudiô & calamô immortales reddidêre. Uterque quidem egregijs

Floruit Montalbo circa Annû 1590. Henriquez obiit Annô 1632.

gijs voluminibus glorioſa Patrum noſtrornm facinora complexus eſt; at minùs numeroſô Codice *Barnabas* inclaruit, præmaturô fatô in ipſo operis fervore abreptus. *Chryſoſtomi* ardor nullô labore aut tædiô unquam intepuit: & quanquam is non exceſſerit annum ætatis ſuæ trigeſimum octavum, quô in Collegio noſtro Alnenſi apud Lovanienſes feſtinatè nimiùm, & cùm cæpiſſet florere quàm maximè conſummatus eſt, ſepultùſque ibidem in Parthenone noſtro, nuncupato *Vinea B. MARIÆ*; quia tamen à primis mox annis ſuôpte genio propenderet in perveſtiganda hiſtoriæ veſtigia, atque inſuper à Congregationis Moderatoribus in antiquitatum noſtrarum ſcrutinia, omnium ſententiâ conclamatus datúſque fuerit authenticus inquiſitor & arbiter, eapropter diminutæ ætatis moras compenſavit infatigabili induſtriâ, quâ vetuſta Belgij archiva (eò namque ad inſtantiam Alberti Archi-Ducis Belgarum Principis, ad ſalutandos Parentes Fratréſque Bruxellis in aula degentes, Superiorum annutu ſe contulerat) accuratiſſimè excuſſit, ſcripsítque univerſim volumina ampla & puſilla, pro exigentia ſubjectæ materiæ, non pauciora quàm quadraginta, è quibus pleraque hiſtoriam tangunt & ornant. Ab Ordine univerſo quàm optimè meritum Virum hunc genere, virtute, doctrinâ nobiliſſimum Abbas de Morimundo *Magnum Priorem Ordinis Militaris de Calatrava*, pro ſuâ, quâ in Illuſtriſsimos illos Equites antiquitùs pollet, authoritate, præcipuáque in Chryſoſtomum animi propenſione, inſtituit. Illô in primis memorandus celeberrimus hic ſcriptor, quòd calamum hiſtoricum quandóque à rebus Ordinis feriantem, celebrandis Auguſtiſſimæ Proſapiæ Auſtriacæ Heroibus, per complures Tractatus egregiè nobilitârit, quaſi Ciſtercienſium laudes per ſe ſubſiſtere haud poſſent, niſi niterentur Tantæ Domûs ſolidis elogijs. Plura meditantem immatura, heu nimiùm! mors cum omnium illachrymatione è vivis eripuit immortuum nempè hiſtoriæ, cui vitam dederat. Tertium è Ciſtercio illuſtrem ſcriptorem aluit *Mons Ramorum* apud Hiſpanos ATHANASIUM de LOBERA, *SS. Theologiæ Doctorem* Eximium, qui priùs in Galæcia, Terra ſua Patria, divulgatô vaſtô Chronicô, Livij Romani munere functus eſt: cúmque id opus paſsim apud doctos commendaretur, Philippi etiam II. Regis amores obtinuit, qui Virum

Obiit Annô 1605.

rum Theologum donavit inclytô *Regij Hiſtoriographi* charactere. Et Aragonia felix in GAUBERTO FABRICIO in Cœnobio *Fontis-Clari* vulgò *S. Fidei* Ciſtercienſi Aſceta qui, clariſsimâ ſuâ hiſtorica pennâ, non ſecùs, ac ardenti faculâ eam Gentem illuſtravit, editâ in foliô Regni Aragoniæ univerſali Hiſtoriâ, quâ veterum Aragonum geſtis & facinoribus novam inſpiravit vitam Scholaſticus Thaumaturgus.

Luſitania quoque Viros è Ciſtercio ſortita eſt cùm in Theologia, tum in Hiſtoria illuſtres: quorum primus BERNARDUS *Obiit circa Annũ 1617.* BRITO, Alcobacienſis, ingeniô valens, vaſtiſsimâque præſtans memoriâ, ſcientias propemodum omnes abſorpſit. Ob doctrinæ excellentiam creatus *SS. Theologiæ Doctor*, ingenij ſui fæcunditate plures edidit Tractatus Theologicos. Memoratur fuiſſe in Philoſophia ſummus, atque in Theologia adeò perſpicax, ut nihil unquam ipſi occurrerit tam abſtruſum, quod non adſequeretur. In antiquitatibus tamen, è cinere velutì & buſto ad novum ſplendorem eruendis, fuit præcipuus: Cúmque hiſtoricis Virum magnum delectari adverterent Optimates Regni Luſitaniæ, magnis votis eundem publicô decretô totius Regni Hiſtoriographum inauguraverunt. Satisfecit is publicæ de ſe expectationi abundantiſſimè evulgatâ *Monarchiâ Luſitanâ* tribus Tomis diſpunctâ. Quo grandi volumine Philippum III. Hiſpaniarum Monarcham ſibi in tantum devinxit, ut novis honoribus Virum digniſſimum ornaret, ſuúmque *Archihiſtoriographum* inſtitueret. Non potuit tamen Bernardus per publicos eos labores à Ciſtercio tam abſtrahi, quò minùs celeberrimi calami gratiſſimum pignus eidem exhiberet, utpotè qui jam nuper à Capitulo Generali, Annô 1597. celebrato, nominatus fuerat Ordinis Hiſtoriographus: Eapropter daturus optimæ Matri ſuæ ſolatium & decus, Hiſtoriam Ciſtercienſem ſex libris diſtinctam Uliſſipone Annô 1602. publici juris fecit. Ex eadem Alcobacia prodijt Bernardo ſuppar, ANTONIUS BRANDAONIUS, *SS. Theologiæ Doctor*, *Philippi IV.* Hiſpaniarum Monarchæ in Luſitania Regius *Archi-Hiſtoriographus*, *Floruit circa Annum 1627.* qui Monarchiam Luſitanicam in duos Tomos partitam Annô 1632. divulgavit. Electus in Alcobaciæ Abbatem, atque etiam in Congregationis, per id Regnum, Generalem, inclytas eas

functiones geſſit omnium commendatione quàm digniſſimè.

Floruit circa Annum 1620. BERNARDINUS de SYLVA, *Doctor Theologus*, Tertius, qui è Ciſtercij & Alcobaciæ gremio egreſſus illuſtravit Luſitaniæ faſtos egregiô Volumine, cujus inſcriptio: *Monarchia Luſitana defenſa.*

Res *Anglicanas* poſteris tranſcripsêre inter complures alios, Obijt Annô 1228. RADULPHUS *Coggelshalenſis* Abbas, & HUGO *Kirkſtedus* Monachus, Claruit Annô 1220. Regius ille, alter hic Scriptor Monaſticus. Porrò pro Ciſtercij gloria illud eſt, quòd RELIGIOSI de *Strada-Florida*, quæ eſt Domus Familiæ noſtræ in Cambria, Angliæ parte, per aliquot ſæcula, veluti ex officio ordinarij fuerint illius Patriæ induſtrij Chronologiſtæ.

Apud *Danos* pro Ciſtercienſibus noſtris *Sorenſe* fundavit Cœnobium *Abſòlon Vidus*, Archi-Epiſcopus Lundenſis, ea præcipuè de cauſa, quemadmodum lego in *Notit. Abbat. Jongelini Lib.* 8. *pag.* 33. ut nimirùm ex ea Melliflua domo Daniæ Regnum perpetuâ ſucceſſione ſemper haberet Viros eruditione præſtantes, qui ejus Gentis res geſtas per annos ſingulos comportarent in Provinciæ publicos Faſtos, ſícque antiquas Regni ætates beneficiô pennæ tranſmitterent ad poſteros, Ciſtercienſium obſequiô omninò felices, per quos ſcilicèt diſcerent Patriæ ſuæ vetuſtum ſtatum ac gubernacula.

Obiit Annô 1223. *Galliam* illuſtravêre præcipuè Quinque. B. HELINANDUS, Frigidi-Montis Monachus, olim in ſæculo hiſtrio inſignis, mutatâ ſubindè ſcenâ, damnatis nugis ad ſeria converſus, inter Ciſtercienſes, ſeu vitæ ſanctimoniâ, ſeu ſcientiarum ſpectetur claritas, vir utrobique magnus. Madebant Helinandi oculi penè jugiter amariſsimis lachrymis, quibus temporis pretioſa momenta nuper in mortalium jocos tam malè diſpenſata deplorabat. Et (quô ardebat zelô), ratus haud ſatìs eſſe eas aquas ad eluenda animi coinquinamenta, ſanguinem frequenti flagellô vulneréque è cruento dorſo excuſſum ſacerrimis illis undis ſuperaddidit, quâ fontium ſalubrium ſocietate ad veniæ pleniſsimæ portum tandem enatavit. Ea pietatis & pœnitentiæ glorioſæ opera, pro ingenij ſui felicitate interſecabat nonnunquam literarum ſtudiô, Vir rerum divinarum humanarúmque

que ſcientiâ egregiè præſtans: ex qua nempe induſtria profluxit nobiliſsimus ille fætus, *Chronicon ab Orbe condito* ad ſuam uſque ætatem, id eſt ad Annum 1212. diſtributum in Libros quadraginta octo: è quo Inſigni volumine (Bellarmini & Miræi confeſsione) præcipuam lucem ſumpsêre Divus Antonius, & Vincentius Belluacenſis: quin imò poſterior hic univerſum id opus ſummâ ſedulitate ac voluptate ſcrutatus, ex eo collegit *Librum Florum* nuncupatum. Alijs præterea lucubrationibus celebritatem nominis ſui transmiſit ad poſteros *Helinandus*, Virorum magnorum commendatione olim hodiéque celeberrimus. Neque defuêre prodigia, per quæ veluti divinos teſtes Viri ſanctitas apud Mortales divulgata eſt. ALBERICUS Monachus Cœnobij *Trium-Fontium* apud Catalaunenſes pari induſtriâ à Mundi primordijs elegantes Faſtos contexuit, deductos felici filô & ſtylô uſque ad tempora Ludovici IX. Sancti Galliarum Regis. Meruit id Chronicon *Philippi L'Abbæi*, Scriptoris è S. J. inſigne elogium, quô illius præclaram utilitatem ad conficiendas Illuſtrium per Franciam & Germaniam Familiarum tabulas Genealogicas non mediocriter commendat. PETRUS *Vallium Sarnay* in diœceſi Pariſienſi Monachus, Arma Viróſque, per quos ductu præcipuè Ciſtercienſium, Romanorum Pontificum imperijs atque auſpicijs ſumptum geſtúmque bellum ſacrum adversùs Albigenſes, inſigni volumine conſignavit. Eam hiſtoriam à *Petro* conſcribi juſſerat Innocentius Pontifex Maximus, quare abſolutum opus eidem Innocentio dedicavit Author gratiſsimus. PHILIPPUS SEGUINUS Prior *Caroli-Loci* Ciſtercij gloriam præ cæteris Galliarum Scriptoribus numeroſô magìs volumine totô Orbe cecinit: quem etiam inter alios Authores celebres pro fonte habuit *Henriqueus* in Menologio, aliiſque, quæ edidit, operibus. *Philippi* veſtigia & ſpecimina ſecutus CLAUDIUS CHALEMOT, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, in eadem, quâ Philippus *Caroli-Loci* Domo Ciſtercium Profeſſus, ac ibidem, ſubindéque etiam in *Regali-Monte* Prior, & tandem Abbas Cœnobij de *Columba*, *Annales Ciſtercienſes* duobus Tomis diſtinctos, paritérque *Seriem Sanctorum* Ordinis Noſtri ſuperiore ſæculô ex ingenij ſui ubertate in publicam lucem omnium gratulatione profudit.

Floruit circa Annum 1200.

Floruit circa Annum 1590.

Floruit circa Annum 1645.

Floruit circa Annum 1650.

Apud *Italos* unus pro mille, qui multorum laudes ſuô nomine abſorbeat ſit, FERDINANDUS UGHELLUS. Glorioſo huic Viro non alia ſubſcribam Elogia, quám illa, quibus eum ornavit *Carolus de Viſch in ſua Biblioth: Fol:* 108. ubi eundem compellat: *Ordinis Ciſtercienſis Gloriam, Italiæ decus ac ornamentum, nec non univerſalis Eccleſiæ lucidiſſimum ſidus.* Patrias ei cunas exhibuit Florentia, ubi in *Cœnobio Divæ Mariæ Magdalenæ* Mellifluo Sodalitio adſcriptus, rudimenta geſſit rerum magnarum. Labentibus annis primùm quidem ad Clavum Abbatiæ de *Septimo* aſſumptus, ſubinde per Comitiorum ſuffragia ſemel, iterúmque electus in Congregationis Præſidem Generalem, eos dignitatum ſarcinas tulit quàm ægerrimè, cùm ſcilicèt per cumulatisſimas Officij ſui functiones videret ſeſe à Muſis & Literis cum dolore abſtrahi. Igitur poſitô per reſignationem munere, ad Muſæum ſuum reverſus eſt. Pertulit interea Fama Virum ad Urbem: Quare per nova vota ſolicitatus ad Abbatiam *SS. Vincentij & Anaſtaſij*, nuncupatam ad *Aquas ſalvias*, magnis celeberrimi Cœtûs Poſtulationibus obluctari vix eſt auſus. Præſens hócce fulgentisſimum Sidus Roma etiam novô lumine, novô honore cumulavit, Ferdinandô *Sacræ Congregationis Indicis inſtitutô Conſultore.* Calamus Viri Magni non modò in Ciſtercij, verùm etiam in Eccleſiæ glorioſis memorijs eximius eſt atque elegans: Quapropter Ferdinandum noſtrum hujúſce ætatis celebrioribus Hiſtoricis jure optimô accenſendum perhibet *cit: Carolus. Fol.* 108. Neque omittendi in Italiæ laudibus *Ciſtercienſes* noſtri in FOSSA NOVA (ubi hominem Divina Vocatione exuit Angelicus Aquinas) qui per plurium ſæculorum decurſum continuatam induſtriam impenderunt in formandis Cœnobij ſui Faſtis, quos pro more Scriptorum *Chronicon* dixêre, opus ſcilicèt *omnibus Italiæ Chronologis familiariſſimum*, quô uſus ipſe *Baronius* in Annalibus, à quo etiam laudem obtinuit ad Annos 1150. & 1151.

Abituram longiùs per alias Orbis Chriſtiani plagas (in quibus penè ſingulis Ciſtercium ſuas habeat faces, Viróſque in Hiſtoria præcipuos) ſubſequentes claſſes abſtrahunt, prohibéntque liberiorem eſſe hanc pennam. Itáque alias Gentes, Scriptoréſque raptim, modicô duntaxat veſtigiô, ſolô ſcilicèt ferè nomine deinceps tangam.

Apud

Apud *Belgas* GASPAR JONGELINUS commendatione Mellifluæ Hiſtoriæ floruit, qui Ciſtercium amplexus Antuerpiæ ad *S. Salvatorem*, atque inde Superiorum annutu translatus in Germaniam, ſucceſſivè in geminis Ordinis noſtri Cœnobijs nominatus eſt Abbas, *Dieſenbergenſis* nimirùm, atque deinceps *Vallis Uterinæ*. Ultra tamen Præfecturæ hujuſcemodi prærogativas evolavit ingeniô, pennâque, quibus Ciſtercij ſereniſſimam Lucem per tot illuſtres Alumnos, ſeu Sacris Infulis, ſeu aulicis Titulis coruſcantem undique in clariſſimum Theatrum per diverſa Hiſtorica volumina explicuit. Adeſt è Viri eximij pretioſis lucubrationibus ad manum, quam nunc non infrequenter tero, *Notitia Abbatiarum* Ord. Ciſt: per Univerſum Orbem, Opus ampli laboris, & induſtriæ ingentis per annos complures productæ. CAROLUS deinde VISCHIUS, Dunenſis Prior (cujus Bibliothecâ Ciſt: toties hôc titulô, alibique uſus ſum) in calamum hunc meum inter inſignia præconia ſponte ſuâ influit. Genuit Virum Flandria, Dunenſe Cœnobium ſpectavit Monachum, Duacenſis Univerſitas ſalutavit Theologiæ Baccalaureum, Ebirbacenſe Aſceterium apud Rhingojos ſuſpexit Theologiæ Profeſſorem. Scripſit *Carolus* præter laudatam *Bibliothecam* alia præterea opera, ſcholaſtica, aſcetica, hiſtorica, per ſingula meritus apud poſteros, è Ciſtercio Alumnos, glorioſam cum plauſu memoriam. Et quídni etiam in commendatione Belgij memorandus ADRIANUS BUDSIUS, ejuſdem Dunenſis Eremi dignus Aſceta, Theologiæ Baccalaureus in Pariſiorum Sorbona, Cœnobij ſui, Ciſtercij, atque Belgij nobilis atque utilis Scriptor, cujus Nomen perſæpe video ſuſpicióque in Henriquei Menologio.

Floruit circa Annum 1650.

Floruit circa Annum 1640.

Obijt Anno 1488.

Apud *Alſatas* hiſtoriæ laude excelluit BERNARDINUS BUCHINGER Abbas primùm *Mulbrunnenſis*, ſubinde *Lucellenſis*, cujus poſterioris celeberrimæ Domûs *Chronicon*, quemadmodum & *Hiſtoriam* Cœnobij Mulbrunnenſis typis vulgavit, opus geminum ac inſigne, in quo non modò Ciſtercij, verùm etiam Alſatiæ, Ducatûs Wirtenbergenſis, aliarúmque Provinciarum glorioſa & multa antiquitas cum voluptate ſpectanda ſit. Reſpexit Doctiſſimum hunc Præſulem *Caramuel* ipſe, cujus ſcilicèt glorioſo Nomini *Bernardum ſuum triumphantem* cum reverentia inſcripſit.

Floruit circa Annum 1648.

Ciſtercij Reliquias apud Catholicos *Helvetas* induſtriò ac hiſtoricô calamô illuſtravit nuperrimè Author *Anni Ciſtercienſis*, Mellifluæ Familiæ alumnus in *Maris-Stella* propè Badenam Helvetorum, qui novâ methodô, ſtylô ad ſalivam præſentis ævi eleganti, in ea lucubratione Ciſtercij divos per ſingulos anni dies inter ingentia elogia Lectori commendat. Preſſit Author ex induſtria Nomen ſuum, vel ex eo novô nomine magis venerabilis, quòd perſonæ ſuæ plauſum animi dimiſſione ceſſerit integerrimo Cœtui Maris-Stellenſi.

Editus eſt liber Annô 1682.

Obijt Annô 1225.

Apud *Germanos* memorandus hôc locô B. CÆSARIUS, nuncupatus HEISTERBACENSIS, à Domo, ubi & Novitiorum Inſtructor, & Prior extitit, cujus Nomen paſſim lego apud diverſos Authores, Aſcetas æquè ac Hiſtoricos. Manriqueus in Annalibus pluribus in locis Cæſarium noſtrum laudat, ac præſertim ad *Annum* 1199. *cap.* 5. *n.* 1. ubi eum *Virum pium, prudentêmque, & doctum* compellat: Rurſúſque ad *Annum* 1190. *cap.* 5: *num.* 1. Feliciores præ alijs in Germania ex eo pronunciat Fratres de *Hemmenrode*, quod nempe Cæſario notiores, qui per Viri eximij calamum clariſſima ſuæ Sanctimoniæ monumenta fortunati glorioſíque provehere potuerint ad poſteros. Stylus ipſius (animi nimirùm index) rectus ac apertus, & non tam verbis pulcher, quàm rebus, præcipuè in *Dialogis*, ex eo, quòd cuperet ſua, quæ ſcriberet, ab omnibus æquè, ac planiſſimè intelligi. Maturus bravio, pennam ſimul animámque poſuit, illam laude dignam, hanc mercede ac retributione. Mortem ſubſecuta prodigia promulgavêre Scriptoris optimi Sanctimoniam, coronatam haud dubiè eſſe apud Superos. Stat hodie *Cæſarij* Nomen cum reverentia in Ordinis Menologio ad diem 25. Septembris.

Obijt Annô 1169.

Auſtriaci nominis Majeſtatem implevit Magnus ille OTTO FRISINGENSIS, è Ciſtercio aſſumptus, Divi Leopoldi Auſtriaci Filius, (de quo nos ſupra *Tit*: 18.) qui vaſtâ ingenij capacitate res geſtas à primis Orbis incunabulis complexus digeſſit in ampliſſimum *Chronicon* in ſcriptum *ab Orbe condito.* Adjecit *Hiſtoriam Domûs Auſtriacæ*, Opus Auguſtæ Genti pergratum, cùm vix dignior laudare Auſtriam, quàm qui prærogativâ clariſſimi ſanguinis Auſtriacos Principes pro primo fonte atque influxu habuit.

Bohemia

Bohemia quoque Florum ſuum nacta eſt in PETRO, Tertio Abbate de *Aula Regia*, dicto de Sittavia, Viri Patria, qui in angusto nomine *Chronici Aulæ-Regienſis* ampliſſimam Regni *Bohemiæ Hiſtoriam ad ſua uſque ad tempora* ingenio & labore concluſit; Præſul in Choro & Muſæo plauſum, & memoriæ immortalitatem meritus apud omnes; Apud ſeros autem Patriæ poſteros inſuper gratitudinem, qui in *Petri* volumine velutì in ſpeculo ſpecioſas venerandæ vetuſtatis imagines intueri nunc valeant. *Floruit Anno 1330.*

Sileſiarum rerum facem accendit currente hôc ſæculô VALENTINUS RULING Abbas Griſſovienſis, qui diverſas Coenobiorum Familiæ noſtræ Fundationes per eam Patriam ſedulâ indagine ſcrutatus glorioſa Monumenta produxit in publicum, beneficiô præli. In ijs ſimul multa permiſcuit, per quæ Ducatûs illius celeberrimi antiquæ memoriæ nova lumina obtineant. *Floruit circa Annum 1640.*

Et *Polonia* à Magno illo Patriæ Thaumaturgo B. VINCENTIO KADLUBKONE, Cracovienſium olim Epiſcopo, Ciſtercienſium apud Andreovienſes Alumno, utrobique Sanctiſſimo (cujus memoria in Benedictione commendata jam ſuprà inter Epiſcopos. Tit. 14.) Inclytis *Annalibus* aucta ornatáque eſt, quos Poloni Nepotes vel ex eo in præcipua habent reverentia, quòd nempe ij literarij Vincentij foetus, Primi omnium ſint, qui glorioſæ illius Gentis Hiſtoriam integram exhibeant, quæ alioquin apud alios Scriptores per fruſta diviſa ſparſim legitur. Hæc interim Nomina pro hâc Scena ſufficiant. *Obiit Anno 1224.*

PHILOSOPHI.

PHiloſophia apud Ciſtercienſes alijs coloribus aut affectibus pingi non debet, quàm quibus Theologiæ ſubordinari perfacilè poſſit: hinc menſura ſcientiæ Philoſophicæ in præſentiarum deſumenda eſt à magnitudine ſcientiæ Theologicæ, quæ ſiquidem in Ciſtercio eximia olim fuerit, ſítque hodie, (quemadmodum patebit è Viris paulò infrà producendis) eapropter celebrandi è Ciſtercio *Theologi*, ijdem etiam eô locô

 magnis

magnis laudibus venient ornandi *Philoſophi.* Nè tamen Titulus iſthic abſque nomine vacuus abeat, exhibendi erunt Lectori pro hac claſſe Viri nonnulli.

Obiit Annô 1193. Atque in primis ex *Anglis* memorandus B. BALDUINUS, laudatisſimus Cantuarienſium Archi-Præſul, cujus laudes non modicas jam ſuperiùs *Tit.* 14. recitavimus, hìc contenti Scholaſticô præciſè ejus encomiô, ſublevaturus ille natales humiles ad ſacra ea faſtigia, ſcientiæ ſubminiculô non ſecùs ac ſcalâ uſus eſt, præcipuè autem Philoſophiâ, in qua præ cæteris adeò excelluit, ut *Gradus Metaphyſici*, gradus eidem non infimi fuerint, per quos ad tantos in Eccleſia honores eluctatus ſit. Alter ex Anglis laudandus hôc locô GUALTERUS MORGANIENSIS Abbas, qui præter mitiores Muſas in Philoſophiæ naturalis arcana egregiè penetravit, geminô ingenij fœtu, unô inſcriptô de animalibus terreſtribus, alterô de volucribus, publicis typis excuſô.

Floruit circa Annum 1593. Apud *Hiſpanos* celebrandus in Philoſophicis JACOBUS JANUARIUS, *Sanctarum Crucium* profeſſus, commendatus plurimùm in Metaphyſicis ab ingenij ſublimitate & acrimonia, pervadentis feliciter abſtruſas ideas *Raymundi Lullij*, in cujus ille Methaphyſicam, opus, ſeu rerum naturâ, ſeu Authoris, quæque in verborum involucra claudentis arbitriô cæteroquin obſcurum ac intricatum, *Librum reſolutorium* ſcripſit ſubtilem ac eruditum, per quem Lullij volumini plurimum accrevit cum
Floruit circa Annum 1620. claritate pretium. Hiſpanus alter BARTHOLOMÆUS GOMEZ, *Vallis Paradiſi* Abbas, in Celeberrimo Ordinis Mayrenſi Collegio plauſum omnium tulit è Cathedra Philoſophica Profeſſor, ingeniô non minùs valens, ac præſtans induſtriâ, cujus utriuſque adminiculô Logicam, Phyſicam & Metaphyſicam doctiſſimis Commentarijs illuſtravit.

Floruit Annô 1490. Inter *Italos* Philoſophiæ laude BONIFACIUM SIMONETAM, Patriâ Mediolanenſem, Abbatem Monaſterìj S. *Stephani* de *Cornu* magnificis verbis commendat Illuſtriſſimus *Caramuel, Theol. Moral. L.* 1. *diſt.* 34. *n.* 340. quòd nempè *Simoneta omnes ſubmittant faſces in naturali ſcientia.* E tanti Viri labijs minuti etiam apices non profluunt ſinè pretio: præferri à Caramuele ſingulis,

lis, ampliſſima laus eſt, ultra quam dici quidpiam vix queat. Porrò Commentarij illi, quos Simoneta ſcripſit de Chriſtianæ Religionis, ac Romanorum Pontificum perſecutione, in editione *Baſileenſi* glorioſâ appellatione intitulantur, *opus benè Divinum ac inæſtimabile*, ut facilè è tam ſuperexcellenti epigraphe Authoris magnitudo deſumi poſſit. Apud eoſdem præterea Jtalos HIERONYMUS TREVISANUS illuſtriſſimæ *Treviſanæ Familiæ* nobilis propago, Abbas Monaſterij *S. Thomæ* in Urbe Torcellana, ac ſubinde *Cremonenſis* Epiſcopus, novô lumine accumulavit Philoſophiæ claritatem, Famâ Viri eunte per Orbem Italicum, atque Hieronymum geminatâ gloriâ *Philoſophum & Juriſtam Clariſſimum* cum plauſu declamante.

E *Gallis* memorandus hôc locô HUMBERTUS dictus PRULIACENSIS à Domo, in qua Abbatis munere functus eſt: Vir capacitate ingenij peramplâ pollens, qui perſpicaciſſimam mentem occupavit per ideas præcipuè Philoſophicas, quas pro Ciſtercij apud poſteros commendatione digeſſit in Commentaria, quibus *Univerſam Ariſtotelis Philoſophiam*, *Libróſque*, qui inſcribuntur de *Amima*, eruditè explanavit. Philoſophicum hoc Volumen in membranis conſcriptum hodiedum ſervat *Carolilocus*, Cœnobium inſtituti noſtri in Gallijs. Alijs inſuper commentarijs in *Quatuor Libros Sententiarum Petri Lombardi* bonitatem ingenij ſui teſtatam fecit. Eaſdem etiam Gallias, Scholarum, ac præcipuè Ciſtercij nobile decus PETRUS à S. JOSEPH hôc ſæculô illuſtravit. Digniſſimum quidem eſſet Viri Nomen, quod etiam inter Theologos jure optimô collocaretur; at quoniam eorundem ſeries aliunde erit ſat cumulata, inter Philoſophos veluti faculam quandam glorioſè micantem *Petrum* noſtrum conſtitui. Non ignorant hodie Scholæ eximias Viri laudes, quas per lucubrationes ſuas cùm Philoſophicas tum Theologicas ab Orbe literario & multas meruit, & copioſas obtinuit. Ornant nunc *Petri* clariſſimæ *Ideæ* (hanc enim epigraphen libris ſuis Scholaſticis pasſim præfixit) è prælo in publicum Theatrum egreſſæ, Bibliothecas etiam extra Gallias, atque â Lectoribus luſtrantur cum gratulatione, quâ celeberrimum Authorem proſequuntur.

Floruit circa Annum 1630.

Obiit Annô 1169.

Apud *Germanos* rurſùs cum reverentia nominandus OTTO Auſtriacus, FRISINGENSIUM ille glorioſiſſimus Antiſtes (paulò ante inter *Hiſtoricos*, atque etiam ſuperiùs *Tit:* 18. inter Principes nunquam ſatis laudatus) cujus beneficiô in Bavariæ, atque indè etiam in reliquæ Germaniæ Scholas Ariſtotelica illa diſputandi methodus, quâ hodie paſſim utimur, primùm invecta ſit. Hanc Viro prærogativam ex *Ænea Sylvio*, & *Helmundo l. 2. de Slavis. cap.* 9. in ſuam ſcriptorum Ciſtercienſium Bibliothecam tranſcripſit Carolus de Viſch. *Lit. O. pag.* 255. Quæ ſanè res Ottoni, ac per Ottonem univerſo Ciſtercio novos ſplendores advexit, utriuſque nempe auſpicijs aliquid datum eſſe Germanis, quod hodiedum apud eoſdem cum plauſu ſtet, neque è ſcholaſticis illis prælijs poſſe unquam victoriam reportari, quin ea aliquô pactô ad Ottonem Ciſterciúmque veluti primos fontes referatur. In ijſdem etiam Germaniæ finibus magnâ nominis ſui celebritate floruit MARQVARDUS, alumnus inclyti Cœnobij Waldſaſſenſis, qui unâ hâc excellentiſſimâ antonomaſiâ reliquas in ſe ſcientias coronavit, quòd ſcilicèt videam eundem apud *cit: Carol: de Viſch. Lit. M. pag.* 245. *Philoſophum ſuæ ætatis Principem* acclamari. Ampliſſima eſt hæc *Waldſaſſij* magnificentia, dediſſe Scholis Virum, qui ſcientiæ magnitudine ac prærogativâ integram ætatem ipſe unus impleverit.

Floruit circa Annum 1360.

Monui jam ſuperiùs, participium gloriæ è Theologis transferendum pariter eſſe ad Philoſophos, quare Lectorem eò rurſùs voco, ubi in Theologorum laudibus profuſi, in Philoſophorum commendatione vix poterimus eſſe modici.

MATHEMATICI & ASTROLOGI.

MAtheſis quanquam Ciſtercienſibus rarior, qui DEUM & Cœleſtia dimenſione non aliâ metiuntur, quàm cordis triangulô ſuos tamen etiam habuit è Ciſtercio aſſeclas: Quorum

rum præcipuè *Tres* memorandi ex *Anglis*, JOANNES GODARDUS Aſceta *Coggeshalenſis*, Vir ex naturæ genio propenſus ad perdiſcendas diſciplinas Mathematicas, in quibus ſtudijs intra Monaſticæ ſolitudinis ſilentia, eô tempore, quod à Chori laboribus reſtabat, aſſiduus fuit ac penè totus. Induſtriæ fru-ctus, *Liber unus de Rebus Mathematicis*, alter *de triplici modo computandi*, & id genus alia, quæ poſteris tranſcripſit. ROGERIUS SUISETUS nuncupatus à Cœnobio *Svinshed*, ubi in Ciſtercij leges juraverat, celeberrimi nominis *Mathematicus*, vulgò per excellentiam dictus *Calculator*, Oxonienſis Academiæ, & Collegij Mertonenſis non modica gloria, in ſcientijs cùm Theologicis tum Philoſophicis tantæ perſpicacitatis & ſubtilitatis, ut illa ætas tantô Virô Felix parem Rogerio vix habuiſſe credatur. Quanquam in Matheſi & Aſtrologia magis nunc nominatus, quòd nempe majori cum ingenij voluptate animíque contentione cùm in ſæculo, tum in clauſtro ea ſtudia ſectatus ſit, editis clariſſimis voluminibus, quorum Tituli hi ſunt: *De Cælo & Mundo: Deſcriptiones motuum, ſeu de Motu Cæli: De Parte Cabaliſtica: Ephemerides: Mathematicæ: Commentationes: Introductio ad Calculationem: Calculationes Aſtronomicæ* &c. Quibus eruditis lucubrationibus utrique illi Facultati plurimam claritatem attulit. Id in Magni Viri laudibus ſingulare, quòd perſpicacitate mentis multa in Mathematicis inveſtigaverit Rogerius, quæ ante eum attigerit nemo, & in cujus arguta & intima ſenſa poſt eum penetraverint pauci. RICHARDUS Natione Anglus, nuncupatus de ALDWERDT, Cœnobio videlicèt apud Triſones, ubi Ciſtercienſi Sodalitio ſeſe adjunxerat, Aſtrologiæ ſcientiâ clarus, cui Galliarum Sorbona ob ſpectatiſſimam eruditionem Theologiæ Magiſterium contulit. Per annos triginta in Ciſtercio ſacratiori Aſtrologiæ optimam navavit operam, probitate vitæ, atque etiam miraculis illuſtris. De Richardi Libris, qui quidem injuriâ temporum periêre, lego elogium perelegans apud *Carolum de Viſch. Lit. R. pag.* 286. excerptum veluti florem ex ejus vita: quòd ſcilicèt ijſdem non ſecùs, ac *Sol mundum, ita ille Friſiam illuſtraverit.*

Floruit circa Annum 1250.

Claruit circa Annum 1350.

Obiit Annô 1266.

Italia etiam Viros hiſce diſciplinis conſpicuos ſcholis & Ciſtercio peperit, è quibus ANTONIUS de ALBIZIS nobiliſſimus

Obiit Annô 1532.

mus Florentinus, Abbas *S. Salvatoris de Septimo*, Congregationis per Italiam Generalis Præſes, in Philoſophia atque matheſi egregiè excelluit, Vir longè digniſſimus, quem amaverit impenſè *Leo* X. Pontifex Maximus, cujus annutu ad Epiſcopales honores aliquoties evocatus, oblata faſtigia modeſtiſſimè ſemper declinavit. *Euclidis* dogmata doctiſſimis Commentarijs ceû radijs illuſtrans, meruit apud Mathematicos perennitatem cla-

Obijt Annô 1632. riſſimæ famæ. CHRISTOPHORUS BORRUS, Patriâ Mediolanenſis, altera apud Italos Ciſtercij gloria, ſidus è Societate JESU, ex alieno ſcilicèt climate (ſi tamen alienum eſſe poteſt, quod ſuperiùs *Tit:* 8. per *Ciſtercienſes Jeſuitas* cum Bernardo, & Mellifluo Sodalitio conjunxi) in Ciſtercij Horizontem translatum, magnâ luce illuſtravit utriuſque poli hemiſphærium Is in florida adoleſcentia *Societatem* amplexus eſt, cujus Moderatores cùm Chriſtophorum ad ultramarinas miſſiones cernerent idoneum, ſacrum Viro impoſuêre imperium, ut cum Sociorum manipulo tranſiret in Orientem, functurus apud illas Gentes, ac præcipuè in Cochina, Apoſtolici Prædicatoris divinô munere. Et perſtitit ille annos non modicos in ea meſſe, Superiorum ſubinde arbitriô denuò transportatus in Europam, Conimbricæ, ac Ulyſsipone diſciplinas Mathematicas aliquamdiu è ſuggeſto prælegit. Expetitus à *Philippo II.* Mantuam Carpentorum, ut artis à ſe primò inventæ, dirigendæ nimirùm ab occaſu in ortum navigationis, per declinationem magnetis, curioſa Myſteria in Aula Hiſpanica exhiberet, advolavit ad Regios nutus feſtinanter: digreſſúſque inde Romam, mutatione ſoli, inſtitutum quoque, in quo hactenùs cum plauſu & gloria hæſerat, in Urbe mutavit, ad Ciſtercienſis Familiæ Societatem cum noſtrorum gratulatione accedens, ubi deinceps floruit ſub nomine ONUPHRIJ. Recitat *Carolus de Viſch Lit. C. pag.* 71. ex *Leone Allatio* in Lib. quem inſcripſit de *Apibus Urbanis*, glorioſas Onuphrij noſtri laudes, quòd nimirùm ediderit de *arte navigandi opus exactiſſimum*, in quo demonſtravit, quô pactô in *quocunque maris ſitu gradus longitudinis infallibiliter inveniri poſſit. Correxit etiam Chartas navigandi: atque ex Lunaribus ecclypſibus, alijſque Mathematicis obſervationibus diſtantias locorum addidit: confecitque pro facilitando artis novæ ſucceſſu inſtrumentum conflatum ex metallo*: quæ omnia mirificè placuêre eruditis. Infauſta mors

Virum

Virum plura pro navigantium, & præſertim eorum, qui à *S. Congregatione de propaganda fide* ablegati Indias petunt, commodis meditantem, inopinata nimiùm abſtulit, adeò ut *prӕcit*: *Leo Allatius* meritò deploret, plura ejuſdem ſcripta in aliorum manibus delituiſſe (quos ille veluti *Plagiarios* accuſat) è quibus ægrè aliquando ad lucem & prælum ſint emerſura, niſi fortè ſub Spurij Parentis ſeu authoris affictô nomine. Ita ferè ille. Ego ingenioſum *Borrum* in *Chriſtophori* & *Onuphrij* nomina diviſum, in utriuſque Familiæ Societatis videlicèt, & Ciſtercij gloriam pertraho; ad priorem quidem pertinet, ſi primordia, ad alteram verò hanc noſtram, ſi felicem ſpectemus conſumationem.

Apud eoſdem *Italos* eximiè floruit TOBIAS de MARMORARIJs, Ciſtercij Alumnus in Cœnobio de *Septimo* propè Florentiam, qui celeberrimam famam in Philoſophia, Matheſi, & Aſtrologia aſſecutus, de his ſcientijs *plura & rara* poſteritati conſignata reliquit. Atque in primis id in Viri commendationem apud *Carolum de Viſch. Lit. T. pag*, 313. notatum comperio, quòd ad ſæculi præſentis genium, per ſingulos Annos *de futuris rerum eventibus docta prognoſtica conſcripſerit*: in qua re, Famoſo noſtræ ætatis Aſtrologo, quem vulgò dicimus *Gran Peſcator*, facem *Tobias* prætulit, cujus utriuſque beneficiô mortalium curioſitas magnâ voluptate in res futuras potuerit prævolare. *Obijt Annô 1570.*

AMBROSIUM de GANDAVO *Belgium* Orbi dedit, qui Ciſtercium profeſſus in *Spina*, Veteris Caſtellæ Cœnobio, ae utriuſque Gentis, Hiſpanæ ſcilicèt & Belgicæ ornamentum laudari debet. Evexit Virum curioſa, capáxque indoles, ad ſumma ſcientiæ Mathematicæ atque aſtrologicæ: unus ille in his diſciplinis omnes alios longiùs ſupergreſſus, obtinuit nomini ſuo ampliſsimam appendicem, ceû clariſsimam lucem, dictus paſsim *ævi ſui miraculum*. Ea famæ celebritas *Carolo V.* Sapientiſsimo Cæſari pro ſtimulo fuit, ut Ambroſium è *Spina* evocatum ad Aulam, Socium lateris ſui eſſe voluerit, quamdiu vixit: in eo non Mathematicum duntaxat expertus, ſed & Virum, qui conſilijs præſtans, Cæſari ad gubernandam vaſtiſsimam Monarchiam in Politicis ſolatio fuerit atque ſubſidio. Ab obitu *Caroli* eodem in æſtimationis gradu perſtitit in aula Philippi II. ſtudia Ambroſij Regiâ munificentiâ egregiè promoventis. Literis *Floruit circa Annum 1540. & deinceps.*

teris conſignavit complura; verùm temporum injuriâ nobiliſſimæ eæ lucubrationes exceptis duabus lucem hodie non vident.

Floruit circa Annum 1630. *Belgæ* jungendus *Hiſpanus* JACOBUS FALCO Valentinus, illuſtris Eques *Militiæ* de *Monteſa* ſub Ciſtercij vexillis arma famámque per Orbem Hiſpanum circumferentis, qui nomen ſuum armorum gloriâ nobile ac glorioſum, etiam Scholarum faſtis inſcripſit immortale, cùm inſignem *Commentarium de quadratura circuli edidit.*

Floruit hôc ſæculô. *Gallia* etiam hôc locô memoranda in PETRO *à S. M. Magdalena*, Religioſo Fulienſi, qui in patrio idiomate vulgavit *doctiſſimum & curioſiſſimum opuſculum Horologiographicum*, quod magnâ aviditate deſideratum ab omnibus, nulli non placuit. Docet in eo Vir eruditus, quâ ratione formandæ ſphæræ omnis generis Horologiorum, etiam Eorum, quibus noctu cognoſci queant horæ, nec non maris fluxus atque refluxus, & id genus alia, quæ Lectorem non minùs delectent, quàm inſuper etiam eidem proſint.

Obiit Annô 1579. BARTHOLOMÆUM MADAUER Abbatem 35. Cœnobij Aldersbacenſis apud Bavaros, *Germania* habuit in Mathematicis eximium, qui *opus quoddam* illuſtre *ad leges Matheſeos* induſtriè elimatum, unà cum numeroſis inſtrumentis Aſtrologicis æri inciſis eruditæ poſteritati tranſcripſit. Illuſtriſſimus *Caramuel*, ille Orbis literarij occulatiſſimus Argus, ipſum hoc Bartholomæi Volumen induſtriè ſcrutatus, pronunciavit magnificè in Viri laùdes, eſſe nimirum illud opus *laboris planè Gigantæi.* *in Epiſt. dedic. 1. part. Theol. Regul.* Nîl ſanè parvum per hæc verba de Bartholomæo dixit Vir magnus, cùm *gigantæum* vocabulum ejuſdem lucubrationibus præfixit. Habeat itaque ſibi doctisſimus Præſul eam prærogativam, quòd *Scholaſticus Gigas* Mathematicas illas ſphæras ſuô ingeniô in altius faſtigium excellenter provexerit. Neque in uno *Bartholomæo* abſolvitur Aldersbacenſium in Matheſi egregia commendatio, in plures *Ejuſdem* Domûs *Eruditos Cœnobitas* eam laudẽ transfudit citatus Caramuel, per quos nimirùm *diverſæ lucubrationes Mathematicæ ſubtili eloquentiâ concinnatæ* pro Ciſtercij inſigni gloria ſcriptis mandatæ ſint.

MEDI-

MEDICI.

ABundaret hæc epigraphe Viris innumeris, ſi Medicos Lector vellet, qui medendis animabus periti ac felices hôc locô collocarentur. Verùm alteros illos ſpectat ſuperſcriptio, quibus nimirùm corporum ſalus in ſtudio & cura eſt. Et quanquam in Viro uno eodémque ſimul conſiſtere non valeant profeſſio atque exercitium *Monachi* & *Medici*, per ſacros Canones, quoſdam ceû cancellos ab invicem diſpuncta; nè tamen etiam in hac una claſſe deficiat præſens Titulus, dabo aliquos, qui ante aſſumptum Ciſtercium in Medica arte excelluerint. Ignoſcat autem Lector, quòd in percenſendis híſce *Medicis* ero *modicus*.

Memorandus præprimis ex Manriqueo in *Serie Abbatum de Populeto* apud Hiſpanos BARTHOLOMÆUS CONILL, olim *Medicus Regius*, ſubinde in illuſtriſſimo Cœnobio Populetano Monachus, tandem ejuſdem Domûs Abbas 37. quam ille quidem præfecturam neque ad Blanchæ Reginæ, neque ad cæterorum Procerum urgentisſimas preces, verùm ad unius duntaxat *Eugenij* Pontificis inevitabile imperium non tam ſuſcepit lubens, quàm admiſit invitus. Suſpexit Virum hunc præcipuè *Alphonſus* Rex cognomentô *Magnanimus*, qui inconſultô Bartholomæô nihil unquam tentavit: Inſuper in epiſtolis ad eundem perſcriptis in Sancti Abbatis reverentiam calamô ſuô confeſſus eſt, omnia ea, quæ ſibi quàm plurima Divina Bonitas largita ſit, per Præſulis optimi Orationes, quoſdam veluti canales, ad ſe regnúmque ſuum profluxiſſe. Elogij ſanè hujus magnitudo vix ſatìs valet pro dignitate aut concipi, aut æſtimari, in Regijs ſcilicèt literis, Viri unius merita tantâ amplitudine commendari, ut quemadmodum olim tota *Regis*, ita deinceps totius *Regni Salus* omnis, in manibus Bartholomæi ſita fuiſſe, eſſéque credita ſit. Neque Regem fefellit de ſuo nuper *Medico*, nunc *Mediatore* concepta opinio, cujus ſanctimonia jam Divino munere coruſcaret miraculis, quæ inter etiam mortuus ad vitam per Bartholomæum revocatus. Oratoris Regij munus, quod illi Alphonſi oraculô & calamô impoſitum fuerat, tantâ induſtriâ apud Divos Cœlites implevit, ut præter penſum Monaſticum

Obijt Annô 1458.

 cum

cum (quod indies ſingulos apud Ciſtercienſes ſolet eſſe geminum, Canonicum nimirùm & Marianum : atque non rarò trinum, ex Officij funebris acceſſione) quotidie perſolverit Coronati vatis integrum Pſalterium, & hoc quidem non annô unô aut alterô, ſed quoad vixit. Manriqueus glôrioſo Præſuli è vivis ad Superos translato modica vocabula in perampla encomia inſcripſit: Bartholomæus annis 15. in præfectura exactis aufertur filijs, *Virtutibus an ſignis clarior?* *Dubium.*

In eadem *Serie* Abbatum de *Populeto Angelus* noſter alterum *obiit Annô 1558.* arte medicâ inſignem perhibet JOANNEM de la PENNA, qui exactis in eadem Domo, cùm in habitu ſæculari, tum etiam in veſte Monaſtica annis omninò 44. vitam, quam ex *Angeli cit:* Teſtimonio duxit Sanctiſsimam, clauſit beatâ morte.

Præter *Bartholomæum* & *Joannem* jam ex Manriqueo laudatos, & Sanctos Medicos, duos adhuc exhibebo è *Biblioth: ſcript: Ciſt: Caroli de Viſch*, *Nicolaum* & *Raynerum*, Germanum illum, hunc *Floruit Annô 1480.* Italum. NICOLAUS cognomentô SALICETUS, patriâ Argentinenſis, *Medicinæ Doctor*, poſtquam ſcientiæ ſuæ exercitiô felix optatâ ſoſpitate multos feciſſet valere quàm optimè, juſsit Diviniori arte etiam mundum ipſum *valere*, indutus Ciſtercienſem Monachum in *Pomerio* apud Alſatas, ubi ſubinde ob ſpectatiſsimam virtutem ad Clavum Abbatialem aſſumptus, eâdem fermè methodô, quam olim doctus in perſanandis corporibus, uſus eſt deinceps ad animarum ſaluberrima remedia, una in materia atque etiam in mercede ſpectanda duntaxat inæqualitas. Tranſcripſit nominis & Sanctiſsimæ artis ſuæ memoriam in libello pijsſimo, quem vocabulô medicô *Antidotum animæ* intitulavit. Altera *Nicolai* lucubratio, *Libellus inſignis de arte moriendi.* Obſervet Lector antitheſim, quâ vix ſimul cohærent ars *medendi*, & ars *moriendi* : Mortem propulſet Medicus, non ſvadeat, aut doceat. Verùm potior lòngè eſt ſub Medici hujus Abbatis ſanctis auſpicijs, hæc una & divina bene moriendi ars, ſuper mille vitas, & vitarum millium mille valetudines. Tertium Religioſisſimi Antiſtitis opuſculum, hunc Titulum præſeferebat: *Speculum peccatoris.* Hæ *Nicolai* lucubrationes pijsſimæ, ſemel iterúmque in lucem publicam Venetijs atque etiam Pariſijs emiſſæ, Authoris mentem apertisſimè produnt,

dunt, quàm nempe ſpectârit ubique, animæ ulcera quàm felicisſimè perſanare. RAYNERUS de BELFORTE Italus præcellens Medicus, divinâ admonitione vocatus in Mellifluæ Familiæ ſodalitium, ubi poſſet & in melius curare ſeipſum, & per ſe etiam alios. Ciſtercium amplexus eſt in Cœnobio *S. Galgani* apud Tuſcos, ubi ſociorum ſuffragijs è Medico & Monacho in Abbatem acclamatus, ſuô & Cœli munere medius deinceps vixit inter virtutes & prodigia, quæ poſteriora & viventem & defunctum *Raynerum* Orbi reddidêre ſummè venerabilem. Per Tractatus aliquot Medicos, quos adhuc conſcripſit in ſæculo, gratisſimam apud poſteros Medicos memoriam obtinuit Vir excellentiſsimus. *Obijt Annô 1272.*

JURISPERITI.

ABſque forenſi ſtrepitu hi Viri, Doctoratûs clariſſimi laureis olim inclyti, ſeſe in ſcenam præſentem effundant! quanquam enim divinitùs inſpirati forum omne, ſæculúmque ipſum declinaverint, paci tam internæ quàm æternæ intenti unice; præſens nihilominùs epigraphe eos in theatrum, ceu in forum protrahet, audituros ſuas non tam ſententias, quàm clariſſimas laudes.

Primos duos *Hiſpania* exhibeat, fauſtâ vocatione *Bernardum* utrumque. BERNARDUS ille prior nuncupatus GUTIERREZ, ante aſſumptum Ciſtercium *Juris Utriuſque Doctor*, ſcholaſticam laurum transtulit ad Eccleſiaſtica ſacra, Sacerdotiô initiatus, Verùm hoc in ſtatu non diu ſtetit, Vir quietis in ternæ amans; Cùm namque ad dignitates Eccleſiaſticas paſſim invitaretur *Bernardus*, offenſus inſigniter eâ impellentiū moleſtiâ, bonis ſuis prævìè in pauperes erogatis (qui ſtylus eſt primitivæ Eccleſiæ, atque Apoſtolicus) aſsignatâque etiam parte aliquâ non modicâ pro Collegio noſtro *Complutenſi* è ſtatione mundi excedens, importunos Invitatores fugâ eluſit, ſuſceptô monaſticô habitu in *Horta*, Ciſtercienſium Cœnobio. Non tamen ea declinatione elabi potuit honoribus cælitùs ſibi deſtinatis; Etenim non multò poſt ab Hiſpanæ Congregationis Patribus, quoniam id meruerit *Bernardus*, in *Procuratorem Gene-* *Obiit Annô 1607.*

ralem electus eſt: quod ille operoſiſsimum munus ardua inter negotia eâ dexteritate & commendatione geſsit, ut *Henriquei* Teſtimoniô in *Pœnice Lib.* 2. *Cap.* 17. Pontifici maximo, purpuratis Patribus, cæteriſque Romanis Prælatis perquam charus *inter primos Curiæ Romanæ numeraretur.* Reverſo ad Hiſpanias veluti in mercedem, conſenſu Patrum impoſitum fuit munus *Viſitatoris Generalis*, in cujus actuali exercitio, magna merita, vitámqne mortalem feliciter abſolvit. Compilavit *Compendium Privilegiorum* Ord: Ciſt: ſimúlque illuſtravit eruditis annotationibus, quod ex *Manriquei* elogio in ſerie *Abbat: Hort:* eſt *Aureum.* Scripſit præterea opus excellens planè & amplum, cui epigraphe, *de Privilegijs omnium Ordinum in genere & ſpecie*, à ſingulis, in quorum favorem Vir magnus laboravit plauſum meritus, & gratitudinem. BERNARDUS alter Hiſpanus dictus de ESCOBAR, Abbas *Montis-Sion*, Vir ſummis laudibus cumulandus, *Juris Canonici Doctor*, in perdiſcendis ſcientijs capacitatis eximiæ, græci idiomatis callentiſsimus, integritate morum Venerabilis, ab Henriqueo ob Sanctimoniæ prærogativam inſertus *Menologio* ad diem 13. *Februarij.* qui poſtquam ex methodi ſcholaſticæ præſcriptô in ſtudio Canoniſtico ſibi per quàm familiari crebriùs eruditè diſſeruiſſet de *Clavi Scientiæ*, deſcendit tandem ſaluberrimâ analogiâ ad pulchermimam praxim, fecítque religioſiſsimô artificiô doctrinam ac pietatem geminas claves, quibus Cœlum ſibi alíjſque aperuit. Et quàm felicem eventum ea clavium poteſtas in *Bernardo.* conſecuta ſit, revelavit *Bernardus* ipſe ab obitu gloriam ſuam Fratri *Juſto Matienco* de *Zorilla* ex Nobili *Matiencorum* apud Legionenſes Familia progenito, dulciſsimo amico ac Comprofeſſo ſuo, factus ſibi ipſi Teſtis, collocatum ſe nempe in refrigerio, frui perenni felicitate, ad quam pariter divinô nutu & munere fidiſsimum ſocium nunc invitaret. Decumbebat tunc rectè *Juſtus*, vexatus á Podagra, malo hodie ſupra remedia contumaci, cùm Bernar, dus ei hæc nuntiâſſet. Gratulatus igitur ſibi de dolorum beatiſsimo Termino, ac prœmio, accinctúſque per Eccleſiæ Sacramenta itineri, inter paucos dies morte ſuâ Bernardi vaticinium, ſanctitatem, gloriam obſignavit.

Obiit Annô 1606.

Vixit Anno 1380.

Ex *Anglis* memorandus ADAMUS MOREMUTHENSIS è Canonico ad *Divum Paulum Cantuariæ*, tandem humilis Ciſtercien

ſtercienſium Aſceta, qui capacitate in perſcrutandis Legibus, & felicitate in pertractandis negotijs in ea Gente magnus, celebritatem nominis ingentem apud omnes obtinuit. Impoſuit eidem *Gualterus Raynaldus* Archi-Epiſcopus Cantuarienſis illuſtre munus *Procuratoris Generalis*, quô conſpicuus charactere ad Romanam Curiam abijt, rebúſque Archi-Præſulis feliciſſimè compoſitis prudentiæ ſuæ famam etiam ultra maria transfudit. Atque ut doctiſſimæ indolis ſuæ præſtantiam apud poſteros commendaret, calamum litigijs eouſque fatigatum ad hiſtoriam tranſtulit, & duplex *Chronicon* rerum ſuô tempore & Patrum memoriâ geſtarum induſtriè ac ſincerè congeſſit.

In *Gallia* è Juris-Conſultis floruit RENATUS de MONTE CURVO, *utriuſque Juris Doctor*, Abbas de *Firmitate*, qui incidit in Tempora Franciæ fatalia, *Hugonotis* eam Patriam cæde, atque incendiò devaſtantibus. Religioſis omnibus è Firmitate martyrij laureolâ coronatis, ipſe ſolus remanſit ſuperſtes, ut ſcilicèt glorioſi Martyres in Patre Panegyriſten haberent, qui feſtos plauſus victoribus filijs pangeret. Recenſendus etiam hôc locô GABRIEL de *Sainct-Belin Juris Pontificij Doctor*, quadrageſimus Octavus Abbas de Mori-mundo. *Obiit Annô 1567.* *Obijt Annô 1590.*

Et *Pedemontium* Virum habuit famæ celeberrimæ FRANCISCUM SCIPIONEM *ab Eccleſia*, nobiliſſimâ in ea Patria oriundum proſapiâ, qui in florida ætatis aurora Ciſtercium amplexus, in virtutum ſcientiarúmque palæſtra ingentia de ſe ſpecimina illicò exhibuit. Annos non amplius natus, 26. cum plauſu ſalutatus eſt *S. Theologiæ, & Juris Canonici Doctor.* Subindè evocatus ad ſumendum clavum Cœnobij B. M. de *Macerijs* apud Burgundos, inſtitutúſque Vicarius Generalis per partes Italiæ, ijs laureis titulíſque glorioſus accendit apud Ciſtercienſes ſuos longè ampliores ſpes, quas tamen mors feſtina nimis, veluti in tenera herba virentes, cum omnium planctu ſuffocavit, Franciſcô, cùm Annum ageret 28. è vivis ereptô. Scripſit *diverſorum Virorum illuſtrium vitas*, & lingvâ vernaculâ *Libros 7. della Nobilita delle Donne.* Ampliora daturus Orbi literario, ſi Parca filum vitæ digniſſimi Præſulis duxiſſet longiùs. *Italia* quoque hìc inſerenda per clarum nomen BERNARDI, Abbatis Cœnobij *S. Abundi*, *Juris Pontificij Doctoris Celeberrimi*, ſub- *Obijt Annô 1578.* *Obiit Annô 1557.*

indè per Clementis VI Romani Pontificis gratioſa decreta Epiſcopi *Comenſis*, cujus loci felicitatem nuper quàm plurimùm illuſtravêre *Innocentij XI.* Papæ, glorioſi Natales, qui *Comam* in Patriam ſortitus eſt.

Floruit Annô 1499. Apud *Germanos* quinque hôc locô memorandi. STEPHANUS SCHURENIUS, Prior Campenſis, Coloniæ in majori *Floruit circa Annum 1570.* Eccleſia reſignatus *Juris Pontificij Doctor.* MATTHIAS AGRICIUS, Græci idiomatis egregiè gnarus, *Juris Utriuſque Licentiatus*, ejuſdémque Facultatis Coloniæ Agripinæ Profeſſor, *multis lucubrationibus clarus Sacerdos* tandémque in Hemmenrode Ci- *Claruit Annô 1440.* ſtercienſium alumnus. HERMANNUS in *Veteri Campo* (quod eſt Cœnobium in diœceſi Colonienſi) Ciſtercij alumnus, verbis *Guillelmi Eiſengrenij* Scriptoris rerum Germanicarum laudandus nobis, in cujus Libro, qui Titulum præfert: de *Scriptoribus Orthodoxis*, de Hermanno noſtro hæc lego encomia: fuiſſe *Cit: apud Carol. de Viſch. in Bibliotheca lit. G. pag. 147.* nempe enm *eruditione & eloquentiâ clarum*, *Oratorem perfectiſſimum*, *Juriſconſultum celeberrimum*, *nec ulli Theologorum ſecundum.* In ea laudum coacervatione creſcit Viri pretium etiam ultra hanc claſſem, cùm præter clariſſimam Juriſprudentiæ famam inſuper inter primos Theologos Hermannum videam commendari. Scripſit pro defenſione Concilij *Baſileenſis* opuſcula quædam docta, quæ fidei Controverſijs ſint radio & luci. Alter è Germanis laudandus venit GEORGIUS WEINBERGER, Prior Cœnobij *Campi Principum* apud Bavaros, Vir, qui egregij ſui operis, quod edidit, laudatorem habuit *Caramuelem* ipſum in ſua *Theol. Fundament. de Regulis Juris*, *cap.* 5. *fol.* 239. ubi ille de *Georgio* hæc: Scripſit *in omnes Regulas Juris Canonici*, *opus valdè utile*; *in quo ad ſingulas*, *omnes illi conſcientiæ caſus*, *quos varij Doctores ex ipſis reſolverunt*, *ponuntur*, *examinantur*, *judicantur.* Verſatum in Eruditorum voluminibus & præcipuè Canoniſtarum quàm ſtudioſiſſimè *Georgium* noſtrum intelligo ex *cit. Caramuele*, è quibus ſcilicèt velutì apis, plurima illa mella legerit, quæ deinceps in celebre illud volumen digeſſit. Tertius ex eadem *Obiit Annô 1319.* Germania commendandus hìc eſt JOANNES DEMETRIUS, *Sacrorum Canonum Doctor*, 17. Abbas *Lucellenſis*, virtutis doctrinæque laude eximius.

Obiiſſe videtur Annô 1338. *Bohemia* quoque in hac claſſe ſuas laudes ferat in ULRICO,

SS. Ca-

SS. Canonum Doctore, 17. Abbate *Sedlecenſi*, qui primùm Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Scholaſticus, ſubinde adſenſu Pontificiô Plebanus in *Malin* ac poſtmodum cùm Mellifluæ Ciſtercienſium leges è vicino Sedlecio præ cæteris titulis arriderent magìs, inter Sedlecenſes Aſcetas Monachus, tandémque quoniam id Viri merita exigebant, à Fratribus acclamatus eſt domûs illius Abbas. Invidorum æmulatione inquieta aliquantô tempore tulit gubernacula, quouſque *Joannes* Bohemorum Rex, Ciſtercij ornandi ſtudioſiſſimus, Annô 1331. ſeveris legibus repreſſiſſet infeſtos Cœnobio æmulos. Interdicti rigor in terminis magnificis pro Ciſtercio glorioſis: Velle nimirùm Regiam ſuam Majeſtatem injuriam Sedlecenſibus illatam, non minori ſeveritate caſtigare, quàm ſi in ſe, Regem ipſum peccatum fuiſſet. Advertat Lector, Ciſtercienſes & Reges, horum quidem dignatione, eorundem meritô in eodem olim ſteтiſſe immunitatis gradu, & non minùs obnoxios fuiſſe crimini, qui in Ciſtercium, quàm qui in Majeſtatem quidpiam auſi ſint. Adjecit idem Joannes Sedlecio prærogativam aliam, ut nempe cauſæ & litigia quæcunque eorum, qui de Monaſterij ditione eſſent, nullô aliquando pactô traherentur ad aliud forum, nè quidem ad Pragenſe, ſed integra, ſalváque uni Abbati, ſive ejuſdem delegato ſtaret poteſtas, eadem judicia per ſententiam abſolvendi. Hæc è Sedlecij monumentis á Reverendiſſimo DD. Abbate Henrico mihi fusè & gratiosè communicatis. Ad altiora nunc tranſeamus.

DOCTORES THEOLOGI.

THeologia ſcientiarum faſtigium, ſuper naturæ verticem, ipſóſque ſidereos orbes, & mundi molem ad Divinitatis cancellos intimos per lauri, cathædræque publica adminicula tam altè aliquando aſcendere neutiquam potuit, quin Ciſtercium ſecum traheret in ſublime. Illa ipſa Ciſtercienſium à ſæculo elongatio, & in ſolitudine manſio prima Theologiæ eorundem principia ſunt, quibus animus â terrenis phantasmatibus depuratus expeditior, puriórque ad ea quæ ſurſum ſunt, evolat. Neque raræ hæ Theologicæ è Ciſtercio aves, quæ vividô, excelſóque ingenio nubes & nebulas, abſcondita in di-

vinis arcana penetrantes, publicos Univerſitatum applauſus, publicos è pulpitis honores hactenùs toties, & quàm digniſſimè meruêre. Nè autem Virorum glorioſus cumulus præſentem claſſem ſuâ copiâ redderet fortaſſe nimiam, *Profeſſores Publicos* in peculiarem claſſem mox ſubſequentem conſultò ſervavi, hôc locô illos duntaxat è Theologis memoraturus, qui *Doctorali laureâ*, ſcientiæque commendatione conſpicui magnis laudibus inclaruerint. Atque in primis antequam ad rivulos abeamus, luſtrandi primi Familiæ Mellifluæ Fontes, *Ciſtercium* nempe cum *Firmitate*, *Pontigniaco*, *Clara-Valle*, *&* *Morimundo*, exhibendíque è ſingulis Viri clariſſimi, qui per publicos Scholarum lauros nova decora Ciſtercio advexerint.

Obijt Annô 1223. Et *Ciſtercium* quidem illuſtravêre Ordinis *Generales* ſequentes. GUALTERUS de OCHIES, in ſerie XX., *SS Theologiæ Doctor*, imò per verba Chronici Ciſtercienſis, *Doctorum Splendor*, Honorio III. Papæ, orbíque Chriſtiano pretioſus ac venerabilis. *Obiit Annô 1428.* JOANNES VI. in ſerie XXXVIII. dictus de MARTINIACO, *Doctor Theologus*, Synodi *Conſtantienſis* magna fax: cujus adminiculô cœpta, promotáque Reformatio Hiſpanica, magnô Ciſtercij bonô. In ejus epitaphij fine ſinè fabulæ admixtione Veritas hæc à priſca & ſancta Poëſi inſculpta ſaxo: *Devixit Annô 1462.* - - *Papali dignus honore.* GUIDO IV. in ſerie XLI. *Laureatus Sorbonæ Theologus*, auſpicijs *Calixti* III & *Pij* II. per Pontificia reſcripta Commendarum infeſtus æmulus, ac oppugnator. *Obijt Annô 1517.* BLASIUS de ASSEREIO, in ſerie XLV. *Theologus & Doctor Pariſienſis*, brevis ævi Antiſtes, ſed quem ſcientiæ fama in Pariſienſi Divi Bernardi Collegio immortalem fecerit. *Obiit Annô 1540.* GUILLELMUS VI. in ſerie XLVII. *Doctor Theologus*, cujus præfectura felix *Complutenſi Collegiô* apud Hiſpanos erectô. *Obiit Annô 1585.* NICOLAUS I. BOUCHERATIUS in ſerie LI. *Doctor Theologus Sorbonicus*, in Sacro Tridentino Concilio ſententijs clariſſimus, ſemel iterúmque Legatus Pontificius, Regiúſque: ejus tumulo gemini inciſi hi verſus:

O Pater innumeris meritis notiſſimus Orbi
Boucherat! Os ardens nomen tibi fecit & omen.

Obiit Annô 1604. EDMUNDUS à CRUCE, in ſerie LII. *Theologiæ Doctor Pariſienſis* zelô monaſticô plenus, ac ſtylô facundiáque celeberrimus.

mus. NICOLAUS II. BOUCHERATIUS, in ſerie LIII. *S.* Obiit Annô
Theologiæ Doctor Sorbonicus, *Pauli V.* Pontificis Maximi, & *Philippi III.* 1625.
Hiſpaniarum Monarchæ auſpicijs novæ Reformatæ Congrega-
tionis per partes Aragoniæ, Valentiæ, & Barchinonis ſub *Abba-*
tibus quadriennalibus Promotor. PETRUS NIVELLIUS, in ſe- Factus Epi-
rie LIV *Doctor Sorbonicus*, ſubinde Regijs favoribus evectus ad ſcopus Annô 1635.
Epiſcopatum *Lucionenſem*. CLAUDIUS VAUSSIN in ſerie Electus in
LVI. *Doctor Sorbonicus*, quem Germania Bohemiáque labente Generalem Annô 1636.
hôc ſæculô ſuſpexit velutì ſolem quendam perluſtrantem, vi-
ſitantémque Ordinis Cœnobia. NICOLAUS III. LARCHER, Electus Annô
in ſerie LVIII. *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, qui Cœlitum bene- 1692.
ficiô in communem univerſi Ciſtercij Parentem quàm digniſſi-
mè acclamatus, è Sorbona magna lumina illuſtriſſimo muneri
attulit, ſedétque hodie fauſtâ filiorum gratulatione Ordinis
Univerſi Superior Generalis: Cui Superi non annos adjiciant,
ſed ſæcula, eáque aurea, hæc enim ille, non alia, meruit!

Firmitas, Prima Ciſtercij Filia incrementum gloriæ nacta Claruit cir-
eſt in ANTONIO de VIENNA, Abbate domûs illius 22. quem ca Annum 1510.
Doctorem fuiſſe *ſubtilem in his, de quibus nunc ferè omnis inter Theolo-*
gos controverſia verſatur, ex *Joanne Chenu*, Scriptore Gallo in *Ca-*
thal. Epiſcop. Cabilon. tradit Manriqueus in *Serie Abbatum de Firmi-*
tate. Aſſumptus in Epiſcopum *Cabilonenſem*, affectus etiam Re-
gios Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ aſſecutus eſt, quæ
Virum ſapientiæ virtutíſque prærogativâ commendatiſſimum
adſcivit in conſcientiæ ſuæ, ſacríque Tribunalis intimum arbi-
trum. Et memorandus inter *Firmitatis* ſcholaſticos ſplendo-
res, IVO SAUUAIOT, *Doctor Theologus*, laudati Cœnobij hôc Floruit cir-
ſæculô Abbas. *Pontigniaci*, ſecundæ Ciſtercij filiæ laureata fuê- ca Annum 1628.
re decora! JOANNES III. Abbas in ſerie 12. *Doctor Theologus*, Floruit cir-
Divi *Edmundi* Cantuarienſium Archi-Epiſcopi, felicis in ea do- ca Annum 1245.
mo exulis contuberniô glorioſus, à quo & ſacrâ Ordinis veſte
indutus idem ſanctiſſimus Antiſtes, Ciſtercij ſidera auxit no-
vô ſole. JACOBUS de THERMIS, in ſerie Abbat. 18. *S. Theo-* Obiit Annô
logiæ Doctor, ſcriptor præclarus, quemadmodum perhibent opu- 1321.
ſcula, quæ adhuc extant, citantúrque à *Carolo de Viſch*, *in*
ſua Bibliotheca Lit. I. pag. 166. JOANNES VI. in ſerie 27. Floruit cir-
Doctor Theologus, Legatus Concilij Conſtantienſis ad Scotos. ca Annum 1400.

Obiit Annô 1613. CLAUDIUS BOUCHERAT, in ſerie 40. *Doctor Theologus*,
in cujus magni Viri reverentiam inſigne elogium è Philippo
Sequino notat *Manriqueus* in *Serie Abbat. Pontign.* quôd ſcilicèt
tantô ingenij acumine in divina & ſcholaſtica arcana penetra-
verit, ut *in ſacris literis nihil unquam tam arduum, difficilève repere-
rit, de quo non inter Theologos Sorbonicos ſubtiliter & doctè diſputaverit.*
Quidni & huic Theologico celeberimóque Ædipo unà mecum
Lector applauſerit? *Clara-Vallis*, tertia Ciſtercij filia, plantata
primùm à *Doctore Mellifluo*, atque deinceps per aliquot Docto-
res Theologos rigata eſt: è quorum glorioſa ſerie memoran-
Obijt Annô 1428. di: MATTHÆUS PILLARD, in *Serie Abbat.* 36. *Doctor Theolo-
gus*, qui nomine Eccleſiæ Gallicanæ legatione functus eſt in
Obijt Annô 1448. Generali Concilio Conſtantienſi. GUILLELMUS III. dictus
de EDUA, in ſerie 37 *Doctor Theologus*, Manriquei commenda-
Devixit A. 1506. tione *Clariſſimus.* PETRUS de VIREJO in ſerie 39. *Doctor Theo-
logus Sorbonicus*, qui Innocentij VIII. Fernandi Aragonum Re-
gis, & Generalis Ciſtercienſis auſpicijs authoritatéque refor-
mavit Ordinis Cœnobia per Hiſpanias. JOANNES VIII. di-
Obijt circa Annum 1510. ctus de CABILONE, in ſerie 40. *Doctor Theologus* qui *Henrici* &
Franciſci Regum Franciæ favoribus, Claræ-Valli ſuæ dedit bene-
ficia nova & vetera, privilegiorum nimirùm antiquorum con-
firmationem, novorum donationem. DIONYSIUS de AR-
Obijt Annô 1624. GENTINA, in ſerie 44. *Doctor Theologus Pariſienſis*, argenteus
quidem nomine, ſed moribus aureus, quos aſſiduô conatu for-
mabat ad Parentis Melliflui divinam amuſſim. Viri Sanctimo-
niam Bernardi æmulam in vita & poſt mortem Cœlum conſi-
gnavit miraculis. *Morimundum* quartam Ciſtercij filiam Viri
illuſtravêre in Theologia eximij. JOANNES IV. dictus de
Deceſſit Anno 1423. BRITANNIS, in *Serie Abbat:* 32. *Doctor Theologus*, qui *Henrici*
Caſtellæ Regis invitatione ſemel iterúmque in Hiſpanias pro-
fectus viſitavit, emendavítque in nonnullis Militiam de *Colatra-*
Obijt Annô 1517. *va.* REMIGIUS de BRASAJO, in ſerie 44. *laureatus Theologus*,
in cujus laudibus id planè glorioſum, quód *Ferdinandus* cogno-
mentô *Catholicus*, Caſtellæ Rex, ultró & publicè in Capitulo
Hiſpali celebrato confeſſus ſit, ſe in Calatravæ adminiſtratione
ſubditum eſſe *Remigij.* Viſitavit ampliſſimô zelô Ciſtercij Domos
per Univerſam Germaniam, Bohemiam, Poloniámque. JO-
Devixit Anno 1576. ANNES COQUEI, in ſerie 46. *Doctor Theologus*, á quo *Philippus II.*
Hiſpa-

Hiſpaniarum Rex per Legatum petijt inclytum illud jus, (quod ſtetit hactenùs penès Abbates de Morimundo inconcuſſum) nominandi ſcilicèt Magnum Priorem in Calatrava ex Monachis Hiſpanis, ſibi *Joannis* ſeu obſequiô, ſeu benevolentiâ indulgeri. Idem jam nuper etiam rogatus à *Carolo V.* Cæſare, Sacræ Militiæ Adminiſtratore: ut planè eximium ſit univerſo Ciſtercio, habere Viros in gremio, quibus coronati Orbis Chriſtiani vertices non imperia ferant, ſed preces exhibeant.
CLAUDIUS MASSONUS in ſerie 48. *Doctor Theologus* è cujus *Floruit circa Annum 1598.*
epitaphio legendæ Antiſtitis laureati laudes in hæc verba: *Claudium Maſſonum, doctorem Theologum, Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarium, & Eleemoſinarium, Morimundi Abbatem, breve ſpatium continet, cui totus Orbis æternum erit monumentum.*

Luſtratis Fontibus luſtrandi nunc rivuli per reliquam Galliam, atque poſt Galliam per reliquum Orthodoxum Orbem ſpectandi è Ciſtercio Viri Theologi. Igitur è Francia memo-
randi: ANTONIUS CARISETUS, *Theologiæ Doctor Sorbonicus*, *Claruit Anno 1567.*
Prior Caroli-Loci, Author Libri, qui inſcribitur, ad Aloyſium Cardinalem Eſtenſem, de *dignitate & Authoritate Cardinalium*
Romanæ Eccleſiæ. EUSTACHIUS à S. PAULO, olim in ſæculo *Floruit circa Annum*
dictus ASSELINE, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, R. P. Generalis *1600.*
Fulienſium Aſſiſtens, qui præter *ſummam Philoſophiæ quadripartitam*, ſæpiùs typis excuſam, & *Summam Theologiæ Tripartitam*, alijs quoque eruditis lucubrationibus ingenij ſui ſplendorem
Reipublicæ Literariæ probavit. JOANNES de BUTRIO, S. *Obiit Anno*
Theologiæ Doctor Pariſienſis, Monachus in *Clara-Valle* ſanctitate vitæ, *1522.*
& doctrinæ ſoliditate inſignis. JOANNES COGNEU, *S. Theolo-* *Claruit circa An: 1560.*
giæ Doctor Sorbonicus, Monachus in *Bona-Valle*, S.R.E. Cardinalibus de *Armigniaco*, & de *Socherijs*, ſcientiæ clariſſimæ intuitu, in pri-
mis charus. JOANNES GUON *Doctor Theologus*, *Vallis B. M.* *Floruit Anno 1589.*
Abbas in Sorbona Vir celeberrimi nominis. JOANNES GALLANDI *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, religionem profeſſus in
Ciſtercio, à Seguino laudatus inter Ordinis Scriptores. JO- *Obiit Anno*
ANNES PELLETIER, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, Abbas *Ful-* *1645.*
cardi Montis, qui zelô & ingeniô, Abbatis Ciſtercij ſupra Ordinem univerſum authoritatem Patriam tutatus eſt, ingenti volumine in Gallico idiomate ſuper hoc argumento conſcripto.

Obijt circa Annum 1240. to. JOANNES de FRANCIOGIA, de *Abbatis-Villa*, *Doctor Theologus*, Epiſcopus Biſuntinus, S. R. E. Cardinalis. His titulis illuſtris vix alias à me laudes expectet.

Floruit circa Annum 1649. LUDOVICUS QUINET, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, Abbas *Barberij*, qui præter Librum de *Theologia Myſtica* edidit plura alia opuſcula, pietatis Religioſæ adminicula.

Floruit circa Annum 1590. NICOLAUS PROFIT, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, Abbas *Jojaci*, qui Ariſtotelis, Divíque Aquinatis ſenſa Philoſophica capaciſſimâ indole præclarè aſſecutus, inter prælia Scholaſtica ingenij ſui vivacitatem præſtantiámque Pariſijs in Divi Bernardi Collegio egregiè ſemper exhibuit: juſſúſque prælegere noſtris Philoſophiam, propagavit eâ functione ampliùs nominis ſui celebritatem.

Claruit circa Annum 1470. THOMAS EX CAPITANEIS DE CELLIONIBUS, *Sacræ Theologiæ Doctor*, Eccleſiaſtes excellens, Abbas B. Mariæ *de Pietate Reineri*, Regius Orator Ludovici XI. ad Sixtum IV. Pontificem Maximum.

Obiit Annô 1628. BERNARDUS de MONTGAILLARD, *S. Theologiæ Doctor*, illuſtris Vaſco, *Perſinorum* Familiæ nobiliſſimus ſurculus, Abbas *Aureæ-Vallis* apud Luxenburgenſes, Henrici III. Galliarum Regis, ac ſubinde etiam Alberti & Iſabellæ Belgij Principum Eccleſiaſtes longè facundiſſimus: Præſul, pietate, ſcientiâ, zelô aureus, dignus omnium cultu ac amoribus. Regiâ propenſione oblatos ſibi geminos Epiſcopatus, *Apamienſem* & *Andegavenſem* animi demiſſione recuſavit fortiſſimè: cujus funeri in concurſu multorum Procerum ac Prælatorum, communi planctu parentatum eſt integrô triduo in aurea-Valle per ſingulos eos dies Viri clariſſimi laudes doctiſſimis panegiribus declamante celeberrimô Oratore *Andrea Valadier* Abbate S. Arnulphi Metenſis.

Floruit circa Annum 1640. BERTRANDUS THISSIER, *S. Theologiæ Doctor Muſipontanus*, Prior *Boni-Fontis* in *Theraſica*, voluminibus ſuis Theologicis, quæ ſub auſpicijs Claudij Vauſſin Ciſtercij Generalis divulgavit, abundè in Scholis notus.

Claruit circa Annum 1645. JOSEPHUS ARNOLFINI de *Illeſcas S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, quem in ſua *Bibliotheca Scriptorum* haud infrequenter citat, laudátque *Carolus de Viſch.*

Floruit circa Annum 1660. JULIANUS PARIS, in *Fulcardi-Monte* ſtrictiorem Ciſtercij obſervantiam profeſſus, *S. Theologiæ Doctor*, Compilator *Nomaſtici Ciſtercienſis.*

Vixit Anno 1387. THOMAS COLYNGHAMUS, Monachus Ciſtercienſis *Doctor Pariſienſis*, author operis, cui titulus: *Commentarij Sorbonici*

de

de Euchariſtia. NICOLAUS de MONTE SALIAMO, Ciſtercij Monachus, cujus tumulo inſcriptum hoc breve, ſed celebre encomium: *S. Theologiæ Doctor famoſiſſimus.* Nolim ire ulteriùs per hanc meſſem, quæ profectò per Galliæ Regnum hodie eſt opulentiſſima. *Obiit Annô 1344.*

Hiſpania atque *Luſitania* nunc luſtrandæ poſt Gallias: ubi primâ fronte ſeſe ingerit gratiſſimus ſplendor JOANNES CARAMUEL LOBKOWITZ, Madritenſis *Doctor Theologus*, Ciſtercium amplexus in Cœnobio Dunenſi Brugis apud Flandros: aureis characteribus dignum Nomen, ingeniorum quidam Sol, qui unâ Hiſpaniâ non contentus, Belgium, Germaniam, Bohemiam, Auſtriam, Italiam, aliáque Europæ climata, & illuſtres Academias perluſtrans, quot præclariſſimis voluminibus, tot clariſſimis influxibus beavit Orbem literarium. Ornavit Eccleſia Virum Eximium Epiſcopalibus infulis, quas lauro Theologicæ ſibi à Lovanienſibus cum plauſu oblatæ ità implicuit doctiſſimus Præſul, ut Aurelij, & Ambroſij in infulato, laureatóque Caramuele revixiſſe viderentur. Novô jucundôque litigiô, quemadmodum fermè olim de Homero, litigabant Urbes & infulæ Caramuelem ad ſe pertrahentes; Moguntina quidem Archi-Epiſcopalis Sedes ſuum ſibi vendicans ſuffraganeum, Eminentiſſimus Cardinalis ab Harrach Pragæ ſuum in Spiritualibus Generalem Vicarium ac Officialem, Meilroſenſis apud Hibernos Ciſtercienſium Abbatia, ab ſubindè Mons Serratus apud Divum Hieronymum Pragæ ſuum Abbatem, Viglevanium in Lombardia ſuum Epiſcopum, ac tandem Thronus Archi-Epiſcopalis Hidruntinus apud Hiſpanos ſuum Illuſtriſſimum Archi-Præſulem. *Carolus de Viſch*, in ſua *Biblioth. Lit.* I. *pag.* 178. Magnum hunc Virum quoniam quidem in omni prorsùs facultate verſatiſsimum, & immensô propè intellectûs ſui ſinu univerſas ſcientias profundiſsimè abſorbentem *Magni Alani noſtri de Inſulis* gloriosô encomiô pronunciat quàm digniſſimum, ut non minùs hodie *Caramuel*, quàm olim *Alanus* cum admiratione, reverentiáque dici debeat *Doctor Univerſalis. Erycius Puteanus* Vir inter Belgas clariſſimus in cenſura, quam Libro *Caramuelis* de *Jure Regis Hiſpaniarum in Regnum Portugalliæ* præfixit Authorem per ſummas laudes altiſſimè provehit, profluxiſſe nimirùm inclytum id opus *à Viro, ſi ingenium, doctrinam, eloquentiam* *Natus Madriti Annô 1606.*

quentiam ſpectes, magno, Eximio, ac planè divino. Alij alia, atque etiam ampliora: id Caramueli pro ſummo elogio ſit, laudibus omnibus, quas in ſe congeſsêre hactenùs, congeréntque deinceps alumni & clientes panegyriſtæ, ſe ſuperiorem eſſe, & digniora mereri.

Laudet ſeipſum Caramuel, & pingat ſe quantus fuerit, quoniam profectò nemo alius id rectiùs præſtiterit. Itaque ille de ſeipſo in *Epiſtola dedicat*: quam totius Orbis Chriſtiani Theologis *in Theol. Mor. Fundam. Tom.* 1. *pag.* 12. inſcripſit, hæc pronunciat: *Præditus ſum ingeniô clarô & forti, & Complutenſis Univerſitatis teſtimoniô inter Condiſcipulos primo. A prima pueritia præter legere & ſcribere nil ago. Sive in via ſim, ſive in lecto, ſemper meditor, quæ ſum dicturus. Quotidie ingenium quatuordecim horis exerceo. Sincerus ſum, non habeo dictamen venale, nec minis, nec precibus cedo, & experientiâ didici, etiam cum mortis evidenti periculo me poſſe meum dictamen tueri. Et tamen aliquando à communi ſententia egredior. Sed quid inde? Multi malunt docti dici, quàm eſſe, Multi non proprias, ſed aliorum opiniones excribunt. Nonnulli (& hoc ſcio certè) maluut contra dictamen loqui, quàm incurrere Doctorum cenſuram, Rari ſtudent, & Raro, nec omnes tantô ingeniô ſunt præditi, quantum ſubtilitas Theologiæ Moralis requirit.* Hæc Caramuel lineamenta, prima quidem de ſe, poſteriora de alijs, in utriſque tamen genuinam ſui expreſſit effigiem, in illis ſcilicèt veros ingenij indolíſque ſuæ colores in tabulam explicans, in his verò per aliorum umbras defectúſque ſeſe clariùs inſinuans. Sunt tamen, qui aut mordeant Caramuelem, aut quibus Vir tantus diſpliceat: priores occupavit invidia; alteros illos ignorantia, duo animi mala, & mala peſſima, quibus hodie Doctorum reverentiæ obganniunt multi. Supervolavit Caramuel ingeniô ſuô noſtræ ætatis aquilas Magnarum etiam alarum, & quoniam hæ ipſæ eò eniti non poſſunt, quò ille anteceſſit, conantur detrahere Virum è ſublimi, ſeu etiam, quod indigniùs, deprimere. Verùm longè ſuperior eſt Magni Doctoris exiſtimatio apud ſinceros, candidóſque, quàm ut invidorum jacula, imperitorúmque ſpiſſa nubila appropinquare valeant. Præſenſit utroſque hos, ſeu híſce ſimiles Anti-Caramueles *Caramuel* ipſe in Epiſtolæ contextu, quàm in Cit. Tom. 1. *Theol. Moral. Fund. num.* 5. inſcripſit

ſcripſit *DEO*, ubi ſciendi divinus ardor è mente & calamo Viri maximi hæc verba expreſſit: *Dixi DEO, ô utinam plus dediſſes, vel minùs! ô utinam me, Domine, doctiorem aut indoctiorem condidiſſes!* Quorum quidem votorum rationem illicò ſubjungit: *Si enim hebetioribus eſſem præditus oculis, non torquerer errorum in ſcholis obſervantium aſpectu: & ſi acutioribus, veritatem tandem aliquando invenirem. Sed quia nec talpa ſum, nec lynx, inter lucem & tenebras ab opinionum crepuſculina traditione dependeo.* Et quia hæc ipſa verba & vota carpenda aliquando prævideri à malevolis, in tempore reſpondit: - - *Sed & hæc ipſa obſèſſus à contradicendi ſpiritu carpit Anti-Caramuel, qui tamen mihi multò gratior eſſèt, ſi inſtrueret; dubiâ enim luce Orbem literarium percurro, & in communi via viam quæro, & ideò manuductione ſolâ indigeo, non autem vituperiô vel laude. Sanè quod mihi exopto, & invidet Anti-Caramuel, etiam illi deſidero: expediret enim illi & mihi, ut eſſet vel indoctior vel doctior. Et quidem, ſi indoctior, quàm eſt, mea negligeret; ſi doctior, intelligeret; ſed quia in medio poſitus, quò ſe vertat, neſcit, & nihilominùs non hæret, ſeſe vertit, quò neſcit. O utinam vigilaret, dormirétve! ſed quia dormitat, ſibi & nobis eſt oneri, & ſcholis jacturæ.* Videat Lector, quàm cupiat, optétque magnus Doctor è ſcholis amicos Pædagogos, qui docerent, non qui arguerent, laudaréntve. Neque decreſcet Caramuel, ſi vituperes, neque creſcet, ſi extollas; hæc enim duo media impertinentia ſunt ad Viri clariſſimi ſeu magnificentiam, ſeu depreſſionem. Solos ille invitat ad nominis doctrinæque ſuæ provehenda incrementa, qui forti pollentes ingenij robore hærentem ſe propellant in rerum latentem veritatem, certitudinémque. Igitur ſupra laudes omnes, vituperiáque, atque etiam ſupra invidiam ſtat, ſtabítque deinceps ſublimis Caramuel pro Familiæ Mellifluæ Benedictinæque immortali gloria, quam utrinque ſuô contuberniô, ceû lumine, ampliſsimè illuſtravit. Neque dum ad Benedictinos migravit, ſe Ciſtercienſibus ſuis ſuffuratus eſt; Verùm ſuô illô tranſitu, novô velutì glutinô antiquos ijſdem ſociavit Fratres, novóſque poſtliminiò utroſque inter ſtabilivit domeſticos amores, dum videlicèt ejuſmodi transmigrationis rationem fortè redditurus, ruditô calamô ſolidiſſimè demonſtravit, Ciſtercienſium novum à Benedictinis Ordinem nullatenùs eſſe, ſed novam ejuſdem Sacerrimi Ordinis Congregationem:

tionem: alioquin eâdem ſequelâ *Congregatio S. Mauri* apud Gallos, *Divæ Juſtinæ* apud Italos, *Hirſchfeldenſis* apud Germanos novi diſtinctíque Ordines cenſeri poſſent, cùm tamen per ea *Congregationum* vocabula optimi illi Patres non magis eſſe, dicíque cupiant, quàm *Benedictini.*

Præter *Caramuelem*, alióſque, quos jam ſparſim per alias claſſes aut laudavimus ſuprà, aut deinceps laudabimus infrà, memorandi adhuc aliqui è Doctoribus Hiſpanis, Luſitaníſque.

Floruit Annô 1623. VALERIANUS de ESPINOSA, *S. Theologiæ Doctor*, qui poſt varios munerum gradus, quos cum gratulatione geſsit, ad ſuprema *Congregationis* univerſæ gubernacula admotus, celeberrimam præfecturam novâ prudentiæ ſuæ gloriâ ampliavit.

Obijt Annô 1446. MARTINUS de VARGAS, J. U. Baccalaureus, & *S. Theologiæ Doctor*, Reformationis Hiſpanicæ beatiſsimus Author ac auſpex, qui nominis ſui glorioſam immortalitatem inſcripſit perennitati ſanctiſsimæ hujus Congregationis.

Obiit Annô 1609. MALACHIAS de OTALORA, *S. Theologiæ Doctor Complutenſis*, Abbas Inclyti Cœnobij de *Horta*, qui ſubinde abſolutô poſt triennium ſacrô Magiſtratu, iterum regreſſus ad Collegium *Palatiolenſe*, Cathedram deinceps ſcholaſticam majori animi voluptate tenuit, quàm nuper Præfecturam, nonnullorum hodie etiam fatô, quibus ſeu elicita, ſeu impetrata voluptas fortè eſt major in pulpitis, quàm in infulis.

Floruit circa Annum 1450. JOANNES COELLO, *S. Theologiæ Doctor*, ejuſdem *Hortenſis* Cœnobij Abbas 23. commendatus ab *Angelo* noſtro in Serie *Abbat. Hort.* de præcellente pietate, doctrináque.

Obijt Annô 1602. JOANNES TERROS, *S. Theologiæ Doctor*, 49. Abbas de *Populeto*, apud *Philippum* III. Hiſpani Orbis Supremum Monarcham gratioſus, à quo omnium privilegiorum Populetanæ Domui per ſuperiora ſæcula conceſſorum ampliſsimam confirmationem obtinuit.

Floruit circa Annum 1617. JOANNES LUPUS, *S. Theologiæ Doctor*, & Profeſſor, Abbas de *Morerola*, qui eruditô ſuô calamô varias ſcholarum materias illuſtravit.

Obiit circa Annum 1600. CHRYSOSTOMUS à VISITATIONE, *S. Theologiæ Doctor*, Luſitanus, alumnus Illuſtriſsimæ Domûs Alcobacienſis, qui laureæ ſuæ flores, ingeniíque labores conſecravit ampliſsimo honori Auguſtæ Deiparæ, conſcriptô eleganti volumine in duodecim Libros diſtinctô, in quo Almæ Parentis verba, quæ diva in ſacro Codice prolocuta eſt, gratiſsi-

gratiſsimus interpres doctiſsimis Commentarijs explanavit. Priorem operis Mariani partem dedicavit Author *Clementi VIII.* Pontifici Maximo, alterum *Ranutio Farneſio*, Parmæ & Placentiæ Duci. FRANCISCUS MACHADUS, *S. Theologiæ Doctor* *Floruit circa Annum 1550.* *Sorbonicus*, qui è Gallijs laurum transportavit in Luſitaniam, in qua Gente apud Alcobacienſes Ciſtercium nuper amplexus fuerat. Aſſumpſêre illicò digniſſimum Virum *Tomarcnſes* in Abbatem, in quo munere tantâ apud Luſitanos prudentiæ opinione famáque inclaruit, ut Prælati Principéſque paſſim à *Franciſco* velutì ab oraculo conſilia peterent, fauſtis ſubinde eventibus coronata. Scripſit gratæ poſteritati adversùs ingratiſſimam gentem Judaicam *volumina duo egregia.* LAURENTIUS à SPIRITU S. *S. Theologiæ Doctor*, primus, qui è *Claruit circa Annum 1580.* Triennalibus Abbatibus nova ea gubernacula in Alcobacia fauſtiſſimè auſpicatus eſt. GERARDUS à PLAGIS, *S. Theologiæ* *Floruit circa Annum 1591.* *Doctor*, V. Abbas Triennalis laudati Cœnobij, qui à Clemente VIII. Literas Apoſtolicas impetravit de non ſolicitandis ſuffragijs, ab *Angelo* in *Serie Abbat: Alcobac*: appellatas *Aureas*, Eandem etiam domum ſuis Doctoralibus laureis illuſtravêre, RE- *Remigius floruit Annô 1618.* MIGIUS ab ASSUMPTIONE, & FOELICIANUS COELLO, ambo *S. Theologiæ Doctores*, & Abbates Triennales, ille 14. *Fœlicianus Annô 1627* hic 17mus.

Priuſquam ex plagis Hiſpanis ad Terras alias emigremus, obiter hìc inſpicienda eſt Italia vicinæque Italis Provinciæ, è quibus memorandi hìc Viri. JACOBUS GRÆCUS *Syllæanus*, S. *Theologiæ Doctor*, Monachus Florenſis Cœnobij, cujus *Vixit Annô 1618.* præclaram eruditionem commendant doctæ ejuſdem lucubrationes, & præcipuè *Apologia* pro B. *Joachimo* Abbate, quem ille adversùs æmulos ſolidè tutatus eſt. JOANNES le BOSSU. *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, quem quidem Burgundia *Obiit Annô 1588.* genuit, ſed Italica Ciſtercienſium Congregatio ſecundum, celeberrimúmque Generalem Præſidem habuit. PETRUS BENEDICTI, Senenſis *S Theologiæ Doctor*, ad *S. Galganum* Abbas *Vixit Anno 1438.* XIII. SYLVESTER MARULI, *S. Theologiæ Doctor*, Patritius *Meſſanenſis*, ex Nobiliſſima apud *Siculos Marulorum* Gente progenitus, Abbas *Roccæ Amatoris*, cujus induſtriâ (quam Regijs auſpi- *Floruit circa Annum 1610.* cijs, impendiíſque promoverat Philippus II. Hiſpaniarum Mo-

narcha) inſigniter aucta eſt auguſtiſsimæ Domûs in *Eſcurial* ampliſsima Bibliotheca, per trecenta Volumina M.S. è diverſis Europæ Plagis, quas Sylveſter eô propoſitô ipſe perluſtraverat, operoſè & ſumptuoſè collecta. Conſcripſit Præſul hic doctrinæ laude celeberrimus plura volumina, quorum octo recenſet *Carolus de Viſch* in ſua *Biblioth: Lit: S. pag.* 298.

Anglia quoque Viros hôc locò exhibere poſſet non paucos, quos in *Phœnice* ſuô non modicô numerô per integrum primum Librum laudat *Henriquens*; verùm interim pro hoc compendio memorandi ſequentes. *Obiit Annô 1228.* STEPHANUS LANGTONUS, Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, *Doctor Theologus Pariſienſis*, cui ultra laurum aliquid ampliùs obtulit Sorbona, cùm eum *ſupremum* ſtudiorum *Cancellarium* omnium votis acclamavit. Evocavit porrò Stephanum *Innocentius III.* in Urbem, evexítque Virum digniſsimum ad Purpuratorum ſacrum Senatum, ſub nuncupatione Titulóque *S. Chryſogoni.* Deinceps ejuſdem *Innocentij* faventiſsimis auſpicijs in Angliæ, Terræ Patriæ decus ad Cantuarienſe Archi-Epiſcopale ſolium ſublimatus, Eccleſiarum ſacra jura, non aliô quàm nuper glorioſiſsimus Anteceſſor *Thomas*, Stylô & Zelô fortiſsimè propugnavit. Et tenuit afflictum Præſulem Pontifex contra æmulos, auctoritate *Henrici* Regis ſubnixos, nè Vir innoxius dignitate exueretur. Declinavit tandem quietis Monaſticæ divinâ cupidine tactus, Patriæ turbines, fugítque in amicam Angliæ exulibus Galliam, ubi in *Pontigniacenſi* Cœnobio Ciſtercienſium Sodalitio aggregatus, inter Rachelis amplexus ſeſe beatiſsimæ immortalitati feliciſsimè accinxit. Et quoniam bonitate ingenij, excelleret, ſcripſit *Commentaria Doctiſſima* in Univerſum Teſtamentum Vetus, divíque *Pauli* Epiſtolas. Inter Scholaſtica Ciſtercij ſidera apud Anglos recenſendi etiam *Claruit Anno 1368.* ADAMUS, *Regij-Loci* Abbas, & *Claruit Annô 1390.* GUILLELMUS REMINGTONUS, Monachus Ciſt: in Cœnobio de *Sallay*, ambo *S. Theologiæ Doctores* in Univerſitate *Oxonienſi*, qui calamos ſcholaſticos acuerunt in Stylos ferreos, quibus *Wikleffiſtas*, recenti tunc inſaniâ in Eccleſiam furentes, conficerent. Atque etiam his accenſendus venit *Floruit circa Annum 1244.* JOANNES de TOLETO, Ciſt: Anglus, *S. Theologiæ Doctor*, qui doctrinæ ſupereminentiâ & laurum meruit & Galerum, illam Oxonij, hunc

hunc Romæ ab *Innocentio IV.* ſub Titulo *S. Laurentij*, ac ſubinde
favore *Urbani IV.* ſub glorioſa nuncupatione Cardinalis *Epiſcopi*
Portuenſis. Illuſtravit inter alios etiam velutì clariſſima Fax è
Ciſtercij Horizonte evocata, Lugdunenſe Generale Conci-
lium ſub Gregorio X. convocatum. Neque prætereundus *Flo. uit Annô 1181.*
ODO dictus CERITENSIS, apud Anglos Ciſtercium profeſ-
ſus, *S. Theologiæ Doctor Pariſienſis*, apud Principes Proceréſque
ſcientiæ famâ commendatiſſimus, quô illi paſſim uſi ad Conſi-
lia intima. Viri cumulata elogia è *Pitſeo* recitat *Carolus de Viſch*
in ſua *Bibliotb. Lit. O. pag:* 253. fuiſſe nimirùm Odonem *Oratorem*
diſertum, *Philoſophum acutum*, *diſputatorem ſubtilem*, & *Concionato-*
rem elegantem, *quíque felici ingeniô omnia penetraverit.* Memoran-
dus pariter hôc locô GERARDUS PURSELL, *S. Theologiæ* *Floruit circa Annum 1650.*
Doctor Abbas Cœnobij *Legis-DEI* apud Hibernos labente ſæ-
culô.

Perluſtrandum nunc breviter *Belgium*, ſpectandíque in eo
Viri *laureis* inſignes. JOANNES de WARDO, *S. Theologiæ* *Obijt Annô 1293.*
Doctor Pariſienſis, Flander, Aſceta Dunenſis, primus, qui ex uni-
verſo Ciſtercio ad eos ſcholarum honores evectus ſit; Licèt
namque *Joannem* anteceſſerint Viri literis inclyti, ij tamen jam
extra Ciſtercium laureolæ gloriam occupavêre. Wardo no-
ſter ex ipſo Mellifluo gremio primitias Doctorales auſpicatus
eſt. JOANNES de BRUXELLA, *S. Theologiæ Doctor*, Abbas *Obiit Annô 1481.*
Alnenſis 24. qui doctiſſimâ pennâ congeſſit opus ſermonum
eruditorum, ſpectantium ad genus moris. JOANNES *Obijt Annô 1333.*
de VILLARIO, aliàs etiam, quemadmodum præcedens, de
Bruxella, *S. Theologiæ Doctor* Abbas Villarienſis 30. apud Braban-
tinos, qui ſermones pariter perelegantes Poſteris tranſcripſit.
JOANNES BRANDO, *S. Theologiæ Doctor*, alumnus Domûs *Obijt Annô 1428.*
de Dunis in Flandria, Author *Chronici* celeberrimi *ab Origine*
Mundi uſque ad Annum 1414. THEODORUS PYBES, de *Obijt Annô 1632.*
Adama S. Theologiæ Doctor Romanus, Religioſus *Dunenſis* qui præter
alias eximias lucubrationes Tractatum etiam inſignem de *Im-*
maculata Conceptione Divinæ Puerperæ ingenioſè concepit, edi-
dítque in publicum. WILHELMUS SMETIUS, *S. Theologiæ*
Doctor, Abbas 22. Cœnobij de *Capella Thoſan*, qui evulgavit
Summam Theologiæ Scholaſticæ tribus Tomis diſtinctam, teſtem

 clariſſi-

Obiit Annô 1293. clariſſimæ indolis. BALDUINUS de BOSSU, *S. Theologiæ Doctor*, Abbas de *Camberona*, qui ſcripſit erudita *Commenta-*
Deceſſit Anno 1635. *ria* in quatuor Libros Sententiarum. JOANNES FARINART, *S. Theologiæ Doctor Duacenſis*, memoratæ Domûs *Camberonenſis* Abbas, ac per Belgium, Leodiúmque Vicarius Gene-
Obijt Annô 1484. ralis, ſub medium labentis ſæculi Præſul eximius. ÆGIDIUS PRESLERIS, *S. Theologiæ Doctor* ſubtilis, Abbas *Alnenſium* 25. Concionator melleæ ſvadæ ac felicis. Floruêre præterea apud Belgas: ROBERTUS, *S. Theologiæ Doctor*, decimus Abbas
Floruit Annô 1324. Cœnobij de *Caro-Campo.* JOANNES BRIEURE, *S. Theologiæ Doctor*, & Profeſſor, vigeſimus tertius Abbas de *Claro-Mariſco.* JOANNES LANDVINUS, *S. Theologiæ Doctor*, vigeſimus octa-
Obijt Annô 1485. vus Abbas de *Grandi-Prato.* FRANCO CALABER, *S. Theologiæ Doctor*, quadrageſimus primus Abbas de *Villario.* Magi-
Obiit Annô 1457. ſter GISO, *S. Theologiæ Doctor Pariſienſis*, alumnus Mellifluæ Domûs de *Dunis.* Mitto cæteros, cùm ad *Germaniam* feſtino, ubi primâ fronte gemina è *Menologio* occurrunt laureata Capita:
Deceſſit Anno 1175. B. ALEXANDER Ordinis Univerſi Generalis IX. *Doctor Coloniæ*
Floruit circa Annum 1190. *famoſiſſimus*, ad 29. Julij, & B. GODEFRIDUS, *Doctor Theologus*, & Canonicus Colonienſis, ſubindè Aſceta pijſſimus in *Heiſterbach.* Hæcce beata ſidera ſequantur nunc reliquæ è Theuto-
Claruit circa An: 1250. nia Faces. ADAM, *Aldersbacenſis* Aſceta apud Bavaros *S. Theologiæ Doctor*, qui Univerſam *Theologiam Moralem verſibus hexametris eleganter complexus* eſt, quod opus ex arte & ingenio rarum atque laborioſum, Magnus ille noſter ingeniorum arbiter ac diſcretor, *Caramuel* in *Epiſtola dedicatoria primæ part: ſuæ Theol: Moralis*
Obiit Annô 1490. vehementer nuper commendavit. ARNOLDUS MUNEKENDAM, *S. Theologiæ Doctor*, Abbas *Veteris-Montis*, nomine Capituli Generalis diſertus Orator coram *Sixto IV.* Romæ ad-
Floruit Anno 1655. versùs Commendas. JOANNES BLANKENBERGH, *S. Theologiæ Doctor Colonienſis*, Abbas ejuſdem Cœnobij de *Veteri-Monte*, Vicarius Generalis per Tractum Rheni, atque Weſtphaliam, magni nominis ac laudis Antiſtes, Colonienſis Uni-
Obiit Annô 1430. verſitatis *Rector Magnificus.* BARTHOLOMÆUS, *S. Theologiæ Doctor*, & Profeſſor eximius, decimus ſeptimus Abbas de *Ebraco* in diæceſi Herbipolenſi, Philoſophus & Theologus Viennenſis, per *Jongelini* verba atque elogia *diſputator omninm ſui ſæculi acerrimus*, qui interfuit Concilio *Conſtantienſi*, ſæpiúſque cum Huſſio

Huſſio Hæreſiarcha congreſſus, tandem authoritate ſacræ Synodi cum alijs novem adversùs contumacem pronunciavit ſententiam capitalem. SEBALDUS BAMBERGERUS, *S.* *Obiit Annô 1518.* *Theologiæ Doctor*, & Profeſſor eximius, 25. Abbas *Fontis-Salutis* in Franconia, Vir in oculis aulíſque Principum venerabilis, præpoténſque, quorum auſpicijs ac nomine frequenter Patriæ Comitijs interfuit, prudentiæ commendatione apud univerſos celeberrimus. HILGERUS ac ALBERICUS BURGHOFFIJ, *Floruêre ambo Annô 1650. & deinceps.* *S. Theologiæ Doctores*, Fratres ſanguine ac religione, è Cœnobio de *Campo-Liliorum* aqud Auſtriacos in Bohemiæ Vicariatum gemina translata ſidera, etiam poſt mortis occaſum, ſi famam, ſi laudes, ſi typis commendatas mentium ideas ſpectes, mortalitatis neſcia. Viros ambos hæc Provincia ad clavum evexit; *Hilgerum* quidem ex Pragenſi Profeſſore ac Superiore, ad Infulas ſedlecenſem ac Zarenſem, ſubindéque ad Vicariatûs generalia gubernacnla, *Albericum* verò ad Abbatiales honores de *Nova Cella* aqud Luſatas inferiores. GEORGIUS MELEZI, *S.* *Floruit circa Annum 1620.* *Theologiæ Doctor*, quondam Canonicus *Wratislavienſis* apud Sileſios, DEI nutu in Mellifluæ Familiæ Societatem evocatus, cùm Sarenſes in Bohemia eundem ultrò ad dignitatis Abbatialis prærogativam invitarent, neglectis infulis in *ſancta Cruce* apud Auſtriacos habitum ſuſcepit, ubi tantâ vixit morum puritate, ut in Viri integerrimi pulcherrimas laudes Abbas loci *Chriſtophorus Schaffer*, hæc oracula frequenter pronunciaverit, *Georgij* merita eò eſſe apud Cælites gradu ac dignitate, *ut per eum operaretur DEUS, ſi miraculis indigeret Eccleſia Catholica.* Non modica hæc eſt religioſiſſimi Doctoris coṁendatio ab eo nempe profecta, qui vi Patrij muneris in *Georgij* ſancta arcana curioſiùs penetraverat. Claruêre præterea plurimâ luce in laurearum fulgentiſſimo Horizonte. JOANNES LANGENRADT, *S. Theologiæ Doctor* *Obijt Annô 1584.* *Colonienſis*, 35. Abbas *Campenſis*. GERARDUS à NOVO CASTRO *Obiit Annô 1524.* *S. Theologiæ Doctor*. 38. Abbas de *Veteri-Monte*. PETRUS WEGELIUS, *S. Theologiæ Doctor*, & Profeſſor eximius, *Deceſſit Annô 1479.* 23. Abbas *Fontis Salutis*. NICOLAUS KOLB, *S. Theologiæ* *Deceſſit Annô 1458.* *Doctor*, Abbas 21. *Cæſareenſis* apud Suevos. LAURENTIUS AURICULARIS, *S. Theologiæ Doctor*, 38. Abbas *Lucelenſis* apud *Obiit Annô 1648.* Alſatas. FRANCISCUS HUGUE, *S. Theologiæ Doctor*, Adminiſtrator Cœnobij *Pariſienſis* in Diæceſi Baſileenſi. PETRUS *Floruit circa Annum 1640.* WIL-

WILHELMUS, *S. Theologiæ Doctor*, ſub annum 1630. reſtitutorum Monaſteriorum *Rittershuſani*, & *Ciſterstalenſis* Abbas, Ciſtercienſis Familiæ per Romanum Imperium Commiſſarius Generalis, & *Jongelini*, *Lib. 2. pag.* 70. *Notit: Abbat:* glorioſô elogiô, ob gigantæos labores pro conſervando, reſtaurandóque apud Germanos Ciſtercio diu generoséque exhauſtos, Ordinis Univerſi fortiſſimus *Hercules*. JOANNES GRIBELIUS, *S. Theologiæ Doctor Sorbonicus*, primùm Abbas Cœnobij B. M. V. de Oſſeco, ſubindè translatus ad Waldſaſſenſem præfecturam. MICHAËL SCHNABEL, *S. Theologiæ Doctor*, 38. ad S. *Crucem* apud Auſtriacos.

Floruit Anno 1330.

Floruit circa Annum 1633.

Claruêre ambo circa An: 1496.

Neque omittenda *Polonia*, è qua memorandi JACOBUS & PETRUS, Fratres Germani & Religioſi, in Cœnobio de *Paradiſo* Mellifluo Gremio aggregati quorum prior ille oblatam ſibi ab Univerſitate Cracovienſi *Theologici Doctoratûs* lauream, & poſt laurum à Paradiſienſibus delatam Infulam inſigni animi modeſtiâ ſubterfugit: Alter ille, *Petrus*, *S. Theologiæ Doctor* inauguratus, in quem eô eventu Abbatiales honores Monaſtici Electores contulerant, digniſſimum verticem pro meritis coronandum eligentium arbitrio exhibuit. Advertat rursùm Lector benevolus Ciſtercij genium in *Jacobo* hoc noſtro declinantem plauſus & Titulos, quos tamen utroſque, etiam cùm fugeret, quoniam meruit, quidni & tulerit?

PROFESSORES PUBLICI.

AScendat nunc altiùs Ciſtercij humilitas, mille quantumvis vallibus circumſcripta, ad Cathedræ publicos honores, ſtétque in faſtigio, & ſpargat odorem, quô impleta Eruditorum Lycæa reſpirent, & diffundat lucem, quâ Scholaſticus Orbis refulgeat! Hæc ſanè Ciſtercij ampliſſima commendatio, hodiedum eminere è Mellifluo gremio clariſsimos Viros, qui in Galliarum Sorbona, qui Salmanticæ, qui Compluti (quæ Univerſitates in Orbe Chriſtiano ſunt inter florentiſsimas) magnis plauſibus ſpectentur *Profeſſores Publici!* Dabo in Scena hac *Gallos*, *Hiſpanos*, *Italos*, *Germanos*, neque abſolvam omnes, contentus Theſim conſtabilivіſſe, ſcilicèt quàm bene conveniant, & in una

& in una Sede morentur Ciſtercij humilitas, & Cathedrarum *publica* in Scholis Majeſtas.

Atque in primis ſi ſeriem *Generalium* Ordinis perluſtrem, quinque occurrunt pulcherrimô eô charactere conſpicui. S. GILBERTUS, nuncupatus *Magnus*, ſive, *Theologus*, apud To- *Obiit Annô 1165.*
loſates, atque etiam ſubindè apud Pariſienſes *Profeſſor Publicus*, VIII. Ciſtercienſium Generalis. *Magni* cognomentum ei peperit eruditio ſumma, ingeniíque vaſtiſſima capacitas, quâ utrâque in omni ſcientiarum genere ſuper cæteros excelluit. JA- *Obiit Annô 1516.*
COBUS IV. de PONTE SCISSO, Pariſijs *S. Theologiæ Doctor*, *& Profeſſor Publicus*, Ordinis Supremus Parens 44. JOANNES *Obijt Annô 1559.*
X. de LOYSIER, Pariſijs Doctor Theologus, ejuſdémque Facultatis *Profeſſor Publicus*, Ciſtercij Generalis Abbas 48. HIE- *Obiit Annô 1570.*
RONYMUS SOCHERIUS, in Sorbona S. Theologiæ *Profeſſor Publicus* Ordinis ſupremus Moderator 50. S. R. E. Cardinalis. NICOLAUS LARCHER Pariſijs, S. Theologiæ *Profeſſor Publi-* *Electus Annô 1692.*
cus, Ordinis Superior Generalis 58. apud quem eximium & digniſſimum Præſulem ſtant hodie Ciſtercij ſuprema gubernacula. Præter Generales claruêre etiam ibidem ſequentes. B. ÆGIDIUS de ROYA, Pariſijs Doctor Theologus, & *Profeſ-* *Obiit Annô 1478.*
ſor Publicus, Abbas *Montis Regalis.* ADAMUS GERMANI, *Deceſſit An: 1581.*
Doctor Theologus, & *Sacrarum Literarum Profeſſor Publicus*, Monachus Caroli-Loci. FRANCISCUS CÆSAR, Doctor *Deceſſit Ann. 1294.*
Theologus, & *Profeſſor Publicus*, Dunenſis, Flander. JO- *Floruit Annô 1445.*
ANNES VALE, S. Theologiæ Licentiatus, & Bibliorum *Profeſſor Publicus*, ex eadem Dunenſi Domo. JOANNES MY- *Obijt Annô 1490.*
REJUS, Abbas *Montis-Regalis*, & Sacrarum Literarum *Profeſſor Publicus.* YSEMBARDS le TOLLIER, natione Normanus, *Claruit Annô 1509.*
Doctor Theologus, & *Profeſſor Biblicus* ac *Publicus.* JACO- *Obijt Annô 1393.*
BUS de ALTA-VILLA Abbas *Ebirbacenſis* apud Germanos, in *Sorbona* S. Theologiæ Doctor, & *Profeſſor Publicus* ac celeberrimus, *Eiſegrenij* elogiô *Theologus verè profundiſſimus*, qui veritates *Cit: apud Carol: de Viſch. in Bibliotb. lit. I.*
Theologicas illuſtravit ingenti lumine, in *ampliſſimis & ſubtiliſſimis ſuis Commentarijs, quæ ſcripſit in quatuor Libros Sententiarum.* JA- *Claruit circa Annum 1270.*
COBUS cognomentô ANGLICUS, Pariſijs Doctor Theologus, & *Profeſſor Publicus.* Deberem in hac meſſe *Sorbonica* eſſe locupletior, & majori numerô illuſtres Viros dare, qui ad *publicas* Ca-

cas Cathedras è Bernardino noſtro Collegio evecti ſint; ſed quoniam plurium notitia ad me perlata non eſt, & aliunde conſtat perennis Bernardini Collegij flos, famáque publica, quâ Pariſienſe Ciſtercienſium ſtudium cum Sorbona confæderatum unitúmque eſſe intelligitur, vix fore credo, ut quiſpiam in ea luce cæcutire velit, & per quatuor & amplius jam ſæcula, à quibus Collegium fundatum perſiſtit, non ampliori ſerie collocare Ciſtercienſes Doctores ſupra Sorbonæ Cathedras, quàm collocaverim ego, qui libenter confiteor, me plures è libris non nôſſe. Honor iſthic *Cathedræ Publicæ* Pariſienſibus noſtris perpetuus eſt: & nulla eſt hodie temporis differentia, quâ non ſtent, ſtaréque valeant in pulbicis ſcholarum ſuggeſtibus è Bernardinis *Profeſſores Publici.* Cogat nunc Lector optimus tot ſæcula in computum, & cognoſcet, quòd ego ex vaſtiſſimo corpore per pauca hæc nomina articulos duntaxat aliquos ſparſerim. Unum tamen ex hodiernis tacere hìc vix poſſim, PHILIBERTUM BERANCENET, Profeſſum in Archi-Cœnobio Ciſtercienſi, qui jam per annos 36. in Sorbona *publicam Cathedram* obtinet recente ſemper laureâ, atque in annos ſingulos ſuccreſcente in novos flores, novóſque honores ad magni Doctoris grandævum verticem digniſſimè coronandum. Memorandi hìc etiam Viri clariſſimi, ante aſſumptum Ciſtercium Pariſijs in Cathedris *Profeſſores Publici*: GUILLELMUS de CAMPELLIS, *Caroli de Viſch* illuſtri encomiô, *Gallicanæ Eccleſiæ ingens lumen*, Pariſijs Philoſophiæ *Profeſſor Publicus*, ſubinde *Catalaunenſium* Epiſcopus (à quo *Bernardus* Parens in Abbatem inauguratus eſt) ac tandem poſitis infulis in Clara-Valle Monachus. Divus EDMUNDUS Cantuarienſium Archi-Præſul (quem ſuprà *Tit*: 14. prolixè ſatìs laudavimus) in Pariſienſi Univerſitate Philoſophiæ, ac Theologiæ *Profeſſor Publicus*, cujus ori cùm in ſcholis è ſuggeſtu ſacra dogmata explanaret, viſa eſt cæleſtis columba ſuaviſſimi nectaris gutas inſtillare. S. BONIFACIUS Lauſanenſium Præſul, Doctor Theologus, Lutetiæ Coloniæque *Profeſſor Publicus.* B. ALANUS Converſus, nuncupatus de INSULIS, Theologorum ſuæ ætatis Princeps, Academiæ *Pariſienſis* nobiliſſimum jubar ac Prodigium, qui ab ingenij feliciſſimi magnitudinem adeptus eſt vulgò ampliſſima nomina Doctoris *Magni* & *Univerſalis.* Et ultrà morta-

Floruit circa Annum 1619.

Obiit Annô 1227.

Obijt circa Annum 1260.

Obijt Anno 1294.

mortalium ſphæram jam aliquid auſus ſapere Alanus, tentavit ingenij Pennis evolare ad perſcrutandam DEI Unius & Trini Majeſtatem; at liqueſcente humani intellectûs cerâ è ſublimi lapſus eſt novus Icarus, caſu tamen longè feliciſſimô in profundas Ciſtercij Valles, in illas nempè Ciſternas & aquas, è quibus Numinis & Ordinis beneficiô haud difficulter potuerit emergere ad beatiorem gratiæ & gloriæ immortalis portum. Audiamus rei non incurioſam ſeriem à *Matthia Bonhome* Authore vetere ac ſincero, qui ſcribit, *Alanum* in craſtinum de ineffabili Diviniſſimæ Trinitatis myſterio ex condicto de ſuggeſtu diſſerturum, liberioris profundioríſque ſtudij gratiâ egreſſum ad proximi fluminis ripas deambulaviſſe, ubi eôdem, quô olim magnus Aurelius Hipponenſium Antiſtes, fatô per puerulum præter labentis alvei aquas in perexiguam ſcrobem cochleari ſorbillantem edoctus eſt, in modicam ingenij mortalis foſſulam Oceanum Trinitatis utique transfundi non poſſe. Detumuit illicô Alani æſtus, atque ut Doctrinam, quam ab heſterno puerulo hauſerat, Pariſienſi Populo, qui magnò audiendi ardore copioſiſſimè confluxerat, piſcator jam ictus poſtridie inſtillaret, conſcensâ cathedrâ totum thema, ſimúlque concionem ipſam per ſola hæc verba abſolvit, clausítque: *Sufficiat vobis vidiſſe Alanum.* Quibus dictis feſtinanter deſcendit, ſtupentéſque Auditores, atque à Magno Doctore expectantes res planè ingentes, è veſtigio deſeruit, & in *Ciſtercio* ſimulatâ perſonâ humilem Converſum & Opilionem induit. Urgentibus ſubinde Ordinis negotijs Generalis Ciſtercij Abbas Romam petens *Alanum* miniſteriô indoléque promptum ſibi in comitem viæ adlegit. Aperuit ſe in Urbe Theatrum, in quo divinâ ordinatione *Alanus* larvam depoſuit; Virô namque eruditô, ſed pravô & hæreticô orthodoxam veritatem per falſa ſophiſmata contumaciter torquente in partem adverſam, ſenſúmque reprobum, juſſu Pontificis convocatns eſt ſacræ Inquiſitionis Apoſtolicus Senatus, ubi acriter diúque ab impoſtore præſente clamatum eſt. Aderat ſimul ſacro huic Tribunali Aſſeſſor & arbiter Abbas Ciſtercij, à Patribus invitatus, Alanô interim obſequij causâ propriùs adhærente ejuſdem lateri. Auſcultabat Vir magnus impudentiſsimi Hæreſiarchæ inſanam dicacitatem aliquamdiu patienter; at verò cùm unum alte-

Cit. apud Henriq. in Menol. ad 30. Januar.

Bbbbbbb 2 rúmque

rúmque ex Aſſeſſoribus obſervaret hærere perplexum, petitâ ab Abbate Facultate ac benedictione, garrulum hæreticum argumentorum pondere preſſum victúmque, ſuſpenſis ad rei novitatem Judicum animis, tantâ felicitate triumphavit, ùt is inſanis clamoribus in Victorem debacchando palàm vociferaretur: *Tu aut Diabolus es, aut Alanus.* Cui ille: *Non ſum Diabolus, ſed Alanus.* Omnium itaque applauſu repertus rursùs Alanus ad honores & dignitates à Romanis poſtulabatur, ſed Virô Sanctô modeſtè omnia ſubterfugiente, cathedráſque atque infulas uni Ciſtercio longiſſimè poſthabente, redditus Ciſtercio eſt, mutatâ Scenâ non jam opilio, ſed Magnus Doctor: ubi adjunctis duobus Clericis dictando & ſcribendo vitam reliquam inſumens, nobiliſſimis ingenij partibus nomen ſuum fecit immortale. Recitat *Carolus de Viſch* in ſua *Biblioth: Ciſt: Lit: A. pag. 13.* prolixâ ſerie Viri clariſſimi volumina, quæ poſteritati tranſcripſit: inter quæ etiam ſunt *Alani arcana dicta de Lapide Philoſophico*, quod ideò noto, ut ſcilicèt prætioſa illa curioſitas, quæ hodie tot magna ingenia cum ſumptuoſiſſima voluptate occupat, etiam jam olim ſuos radios ab Alano & Ciſtercio obtinuiſſe intelligatur. Laudandus Doctor celeberrimus per verba *Ludovici Jacob à S. Carolo*, Carmelitæ, Conſiliarij & Eleemoſinarij Regij, qui *Librô* 3. de *claris Scriptoribus Cabilonenſibus*, hæc de Alano noſtro: *Alanus de Inſulis, Monachus, natione Belga, Doctor Theologus Pariſienſis, cognomentô Univerſalis, deinde Converſus Monaſterij Ciſtercienſis, Vir ad miraculum eruditus, fortiſſimum Eccleſiæ Catholicæ propugnaculum, Magnum humilitatis exemplum, immortalis Monachorum gloria, fulgentiſſimum Pieridum Sidus, Hæreticorum malleus, &c.* Vixit annis centum & ſedecim, DEO, virtuti, literis. Fragmentum Epitaphij illius in Ciſtercio eſt versùs ſequens:

Qui duo, qui ſeptem, quì totum ſcibile ſcivit.

Luſtranda nunc *Hiſpania*, ingeniorum magnorum felix & locuples Patria, viſendáque præprimis *Salmantica* & *Complutum*, Iberiæ Gentis Scholæ Principes, quibus Ciſtercienſium Collegia, ſtudiáque incorporata ſunt, communéſque lauros ac cathedras unà cum ìpſis ſortiuntur. E Salmantinô Collegio (quemadmodum obſervat *Jongelinus* in *Notit: Abbat: L. 6. pag.* 10.) unô

10.) unô eodémque Annô 1633. tres primarias Univerſitatis cathedras, occupabant tres è Ciſtercio Doctores clariſſimi, quos mox memorabimus. Primus eorundem laudandus venit ANGELUS MANRIQUE, *Hortenſis* Cœnobij alumnus univerſæ Hiſpaniæ ſplendor, *Doctor Theologus*, ſapientum communi ſuffragiô ſcientiarum omnium Princeps, Primariæ Cathedræ apud Salmanticenſes Moderator, ac *Profeſſor Publicus*, Obſervantiæ Hiſpanicæ Superior Generalis, *Philippi IV.* Hiſpaniarum Monarchæ Aulicus Eccleſiaſtes, ac tandem *Pacis Auguſtæ* Epiſcopus. Suſpexit Magnum hunc Virum Salmantica per annos omninò triginta Cathedræ Theologicæ Profeſſorem celeberrimum, intérque lauros pulcherrimè conſeneſcentem. Atque hic eſt ille *Angelus*, è cujus *Annalibus* toties in præſente opuſculo verba, ceû oracula cum ingenti reverentia, atque etiam voluptate produco. Video in *Annalium* præfixa *cenſura*, unô veluti propoſitô conſpirare inclytos Hiſpaniæ Doctores in *Angeli* immortales laudes, & quò majora de Viro dixerint, plura ſemper in tanti præſulis commendationem & tentare, & veriùs per elogia certare. E quibus *Joannes Eſchalaz*, Salmantinæ Eccleſiæ Canonicus, & Logicæ magnæ Proprietarius Anteceſſor, ſequentibus panegyricis vocibus pro Manriquei magnificentia egregiè pronunciat: Fuiſſe nimirùm *Angelum*, Virum in *Theologia tum ſcholaſtica, tum Morali ſummum*, *ejuſque Studijs à primis adoleſcentiæ annis nunc uſque deditiſſimum, Oraculum ad majores quasque difficultates Regni, Regis, ac Supremi Fidei Tribunalis aſſiduè conſultum: Regium ſimul Eccleſiaſtem, Sacrarum Literarum peritiâ prædivitem; vulgatis quoque in illis jam olim ſelectiſſimis lucubrationibus celebrem; editis pietatis illius ſtimulis in omnium animis incentorem; Vigilantiſſimum totius Ordinis ſui Præſulem; tot denique curis undique circumcinctum, quarum ſingulæ magnorum quorumvis hominum integras vires inſumerent. - - Mirentur hæc reliqui in unum collecta Virum, quæ & diſperſa per plures jure mirarentur. Nos qui Angelum noſtrum novimus, ipſum ultra mortalitatis metas præcellentem, ùt par eſt, ſuſpicimus.* Porrò in ejuſdem cenſuræ contextu ſub finem, Manriquei celeberrimos *Annales* cumulatâ laude proſequitur idem *Eſchalaz*: *Prodeant*, inquit ille, *in publicam lucem eximijs omnimodæ Sanctitatis, omniumque virtutum exemplis fœcundi Annales; prodeat magni Ordinis Ciſtercienſis ingens decus, Religioſorum Ordinum exemplar,*

Floruit Annô 1630. & deinceps.

ad Initi. Tom. 1. Annal.

plar, ac incitamentum, Eccleſiæ Catholicæ ſolamen, & fulcrum. Antoninus *Diana*, Vir in ſcholis magnus in epiſtola ad *Caramuelem* noſtrum perſcripta lineam unam veluti radium inſeruit coincidentem cum plauſu in punctum illuſtriſſimæ laudis: *Quid agit*, ſcribit ille, *lumen Hiſpaniæ, & ornamentum Ordinis tui, ſapientiſſimus Manrique*? Invitatus, ac veluti eâ quæſtione confricatus acutiſſimus Caramuelis calamus in Epiſtola ad *Dianam* reſponſoria, pro *Angeli* commendatione ſequentia encomia fusè & excellenter congeſſit: *Manriqueum noſtrum tibi eſſe Hiſpaniæ lumen, & mei Ordinis ornamentum, gaudeo; communem enim ſententiam ſequeris. Sic ad unum amici & inimici. Re & nomine Angelus; quantus in ſcholaſticis ſit, demonſtrat Academica dignitas. Cathedræ primariæ emeritus Profeſſor eſt; ad hanc, & aliàs priùs, promotus, non Principum favore, ſed Sapientum judiciô. Quantus in ſcriptura, libri editi concionatorij. Alij conciones publicant, quibus plauſibiliter utuntur Oratores Neolegi; at inter alios Manriquei libros laurea Evangelica magna cum laude authoris, inutilis judicabatur. Nemo auderet vel unam inde lineam excerpere; nemo vel unam periodum declamare; nam impunè non faceret: Placuerat Liber ille omnibus, ſciebatur memoriter ab univerſis, ideóque vix poſſibile, vel unam declamare lineam, quin furtum ab auditoribus incuſaretur. Artes curioſæ, ſi Viros illuſtres non conſtituunt, exornant. Poëſeos & Rhetorices notitia ſublimiore præditus, ligatâ oratione animos miſerijs illigatos ſolvit; ſolutâ diſſolutos alligat rationis regulis. Ut poſteritas, quantus in Architectonicis fuerit, cognoſceret, erexit crucem Architectis: Gradus Salmanticenſis Collegij ſubintelligo, pulchrè divites, & ſecuriſſimè periculoſos. Cochlea optimè elaborata ſaxa intorquet; aëre vacuo immenſam molem appendere conſpicimus; ſed ſi miraculum perpendimus, reperimus illam, quanta eſt, Manriquei artificis angelicô ingeniô ſubcollari. Sed quia hujus Angeli authoritas nota eſt omnibus, nec verbum addam.* Hucuſque Caramuel. Hæc, aliáque *Angelus* noſter meritus apud mortales, majora apud Felices Superos, quorum extinctas memorias ingenti calami animíque ardore per tot inclyta volumina rursùs accendit, Angelorum Sodalitio in altero Orbe & re ſociandus & nomine. Inter alia ingenij ſui glorioſa monumenta cenſeri præcipuè etiam debent *Commentaria in univerſam ſummam D. Thomæ Aquinatis*, quibus per integros 32. annos inſudavit magnus Theologus. Applaudo ego Hiſpaniæ, Salmanticæ, Eccleſiæ, ac præprimis Mellifluæ Familiæ, è cujus horizonte

rizonte à ſole *Angelo* ingentia lumina illæ obtinuerint! Salmanticam prætereà illuſtravêre : LUDOVICUS BERNARDUS de QUIROS, Religioſus è Cœnobio de *Spina*, ſacrorum Bibliorum *Profeſſor Publicus*, cujus illa eſt ſingularis prærogativa, *Ludovicum* in S. Scripturæ Studio atque intelligentia tam fuiſſe aſſiduum felicémque ac verſatum, ut communi omnium voce diceretur *Magiſter eorum, qui hoc in Studio excellerent*. Ornavit Congregatio Hiſpanica Virum clariſſimum Reformatoris Generalis illuſtriſſimô charactere, & *Philippus III.* Rex Catholicus *Ludovici* Conſilijs, in arduis graviſſimíſque Regni negotijs ſemper uſus eſt. Docuit ſcripsítque cum plauſu ad ultimam uſque ſenectam Commentarios doctiſſimos in complures S. Codicis Libros: & mors tandem Virum extinxit cum Salmanticenſium communi planctu, animámque divinis illis ideis plenam ab ænigmatum caligine in viſionis beatæ cæleſtem claritudinem tranſpoſuit. CHRISTOPHORUS de LA ZARRAGA, Doctor Theologus Salmantinus, ibidémque Primarius in Cathedra Divi *Thomæ Profeſſor Publicus*, & Sacri Officij *Conſultor*, ſubinde in novo Orbe Carthaginenſis Sedis digniſſimus Antiſtes. ILDEPHONSUS PEREZ de UMANES, inclytum Ciſtercij Decus, Doctor Theologus, atque per annos non paucos apud Complutenſes Salmantinóſque Bibliorum *Profeſſor Publicus*, Hiſpanæ Obſervantiæ Reformator Generalis. HENRICUS de LA GARMA, *Vallis Eccleſiarum* alumnus, Doctor Theologus, Salmantinæ Academiæ, ſupremíque Senatûs Regij ſuffragijs denominatus *Profeſſor Publicus*. FRANCISCUS de ROYS & MENDOSA, *Vallis Paradiſi* Aſceta, Doctor Salmantinus, & *Profeſſor Publicus*. *Henriquens* & *Viſchius* has noſtras ætates in ſuis Voluminibus non attigêre, eapropter cùm cæteros ignorem, ad *Complutenſes* tranſeo: apud quos ſuus ſtat Illuſtriſſimo Manriqueo parallelus Sol PETRUS de LORCA, Doctor Theologus, primúmque in *Thomiſtica*, ac ſubinde etiam in Scotica Cathedra *Profeſſor Publicus*, Congregationis Hiſpanicæ Generalis Reformator: qui doctrinæ celeberrimæ famâ implevit orbem Heſperium, plausúmque ac venerationem eximiam ab univerſa Eccleſia ſibi, Ciſtercióque ſuo conciliavit. Pendebant Viri Principes à *Petri* oraculis atque conſilijs, Hiſpaniarúmque potentiſſimus Monarcha *Lorcam* non modo ha-

Obiit Annô 1624.

Deceſſit Anno 1659.

Floruit Anno 1630.

Obijt Annô 1647.

Claruit Annô 1643.

Obiit Annô 1612.

dò habuit conſiliorum ſuorum arbitrum, ſed iuſuper (quanta Doctoris inclyti majeſtas!) quodammodò *Regni Adminiſtrum*, cujus nempe ſapientiſſimô arbitriô imperij faſces Philippus gubernaret. Commendanda Viri admirabilis prudentia per verba *Caroli de Viſch Biblioth: Lit.* P: *pag.* 269.: Cùm totus eſſet (ſcribit *Carolus* de *Petro*:) *rerum occurrentium, quæ ex univerſâ Hiſpania ad auxilium & conſilium ejus confluebant, totus quoque erat librorum, & totus ſuus.* Obſervet Lector amplitudinem excellentis ingenij tot diſparatis rebus circumſcribi fatigaríve haud potuiſſe, & Petrum unum, Virorum ſumma & operoſa munera, ad Hiſpaniæ Sodalitiíque ſui Melliflui ſolamina, in ſe uno conjunxiſſe, atque in ſingulorum commoda rursùs diviſiſſe. Perſtat animi ejus pulcherrima imago in eximijs lucubrationibus, quas in Thomiſticæ præſertim ſententiæ favorem atque illuſtrationem elaboravit. Vitam *Petri* conſcripſit DIONYSIUS CUCHUS, Ciſtercij alumnus *in Bona-Valle*, Complutenſis Doctor, & S. Theologiæ *Profeſſor Publicus*, Abbas Collegij Academici ibidem, qui edidit *in diverſas partes Summæ D. Thomæ Aquinatis docta Commentaria.*

Floruit Annô 1626. & deinceps.

Floruêre præterea è Divi Bernardi Complutenſi Collegio Viri præcipui. CYPRIANUS HUERGENSIS, Monachus Nucalenſis, Sanctæ Scripturæ interpres & *Profeſſor Publicus*, Ordinis Melliflui nobile ſidus, ſcholarum decus, de quo communis illa vox & ſententia: *Omnia Hiſpaniæ Regna tam doctum Virum non habere*, qualis quantúſque eſſet Cyprianus: Unde ad illum veluti ad commune oraculum confluebant Viri, etiam Eccleſiaſticâ aut Palatinâ dignitate præfulgentes, præſertim quos torquebant conſcientiæ ſtimuli. Diſceſsêre à prudentiſſimo arbitro omnes, reportantes optata animi ſolatia, tranquillitatémque mentis per *Cypriani* conſilia collatam: eapropter clariſſimum, præcipuúmque à ſingulis elogium quaſi in ſtipendium tulit, nuncupatus vulgò HISPANIÆ PHOENIX. Subjungit eximiæ huic antonomaſiæ gloſſam *Henriquez* in *Phœn: Lib:* 2. *cap.* 23. *Nomen ſanè rarum & glorioſum hôc noſtrô ſæculô, quô omnes Ordines Viris Doctiſſimis abundant, in Hiſpania præſertim.* Immortalitatem famæ ſuæ in eruditis Commentarijs, præcipuè ex *Bernardi* mellifluo genio *in Cantica Canticorum* Reipublicæ Literariæ tranſcripſit. PETRUS de OVIEDO Mona-

Obiit Annô 1560.

Floruit Annô [illegible] & deinceps.

Monachus *Hortenſis*, nobiliſſimæ apud Hiſpanos proſapiæ, longa exercitatione in Philoſophia atque Theologia evaſit ſummus: inde donatus doctorali laureâ inſtitutus eſt Academiæ Complutenſis ſuffragijs *Cathedra Veſpertina* in Theologia *Profeſſor Publicus*. In quo gradu ſibi ulteriorem viam aperuit ad illuſtriſſimi honoris ſacerrimum faſtigium, evocatus nimirùm à *Philippo* III. *Rege Catholico* in Peruanum Regnum, acclamatúſque in *Hiſpaniola* Archi-Epiſcopus *Dominicopolitanus*, ac ſubinde etiam *Charchenſis*, novíque Orbis *Primas*. CHRYSOSTOMUS CABERO, Theologiæ Doctor Complutenſis, primò Philoſophiæ moralis, ſubinde Sacrorum Bibliorum, ac tandem primariæ Cathedræ *Scoti* omnium gratulatione *Profeſſor Publicus*, Collegij Complutenſis Abbas. IGNATIUS FIRMINUS de HIBERO, Monachus *Nucalenſis*, Doctor Theologus, & Compluti in *Durandi Cathedra Profeſſor Publicus*, indéque *Philippi II.* auſpicijs & gratijs *Fiterij* Abbas. DOMINICUS de ASTETI, *Compluti*, S. Theologiæ *Profeſſor Publicus*, Abbas de *Iranzo*. PLACIDUS de ARBRETO, Monachus *Superatenſis*, Doctor Theologus, *Compluti Profeſſor Publicus*.

Floruit Annô 1623. & deinceps.

Obiit Annô 1612.

Obijt circa Annum 1622.

Floruit circa Annum 1640.

In *Luſitania* etiam ſpectandi illuſtres Viri. JOANNES CLARUS Monachus de *Alcobatia*, Doctor Theologus, cujus hæc eſt ampliſſima laus, quòd, cùm ſub naſcentis *Univerſitatis* Conimbricenſis fauſta primordia Annô 1504. pro cathedra Theologica digniſſimus Moderator quæreretur, *Joannes* noſter tanquam Vir totius Regni doctiſſimus, ab *Emmanuele*, Sereniſſimo Portugalliæ Rege *Profeſſor Publicus* cum plauſu nominatus ſit. Igitur florentiſſima Facultas è Mellifluo Ciſtercio quoniam primitias ſuxit, ſuccum hodie in Succeſſores diſpenſare vix poteſt, quin primæ in *Joanne* radicis cum immortali gratitudine meminerit. FRANCISCUS ALCOBACIENSIS, nuncupatus à Domo inclyta, ubi amplexus Ciſtercium, Sacrarum Literarum *Conimbricæ Profeſſor Publicus*, egregiô zelô Judaiſmum conſtanter inſectatus, edidit inſigne Volumen *contra Judaicam perfidiam*, maximè contra *hujus temporis Judæos*, in quo in obſtinatiſſimam gentem doctiſſima fulmina detonuit. FRANCISCUS alter ALCOBACIENSIS alumnus, cognomentô appellatus CARREYRO, S. Theologiæ Doctor, ejuſdémque Facultatis apud

Claruit Annô 1504.

Floruit Annô 1597.

Floruit Annô 1609.

Ddddddd Conim-

Conimbricenſes *Profeſſor Publicus*, cujus præſtantiſſima commendatio recitari verbis non alijs debet, quàm *Manriquei in* ſerie *Abbat. Alcobat: Abbat. Triennal II.* ubi hæc de *Franciſco Angelus*: *qui vel docente ibidem Franciſco Suarez* (ſæculi noſtri oraculo) *inter primarios meruit numerari.* Intelligo ex his laudibus *Carreyrum Suarezio* conjunctum fuiſſe ſidus ſocium, æmulúmque, cujus utriuſque lumine felix Conimbrica pleniùs introſpiceret in veritates Theologicas.

Claruit circa Annum 1390. Et memorandus apud *Anglos* HENRICUS CRUMPE, natione Hibernus, Ciſtercij alumnus in Cœnobio *Baltinglaſſenſi*, S. Theologiæ Doctor, & *Oxonij* facultatis ejuſdem *Profeſſor Publicus*, qui multô zelô torſit, argumentíſque ſubtiliſſimis pupugit Wicleffiſtarum naſcentes viperas.

In *Italia* ſuas hodie etiam poſt fata immortales ferat laudes *Obiit Annô 1117.* magnus ille BASILIUS de MOLINA, natione Hiſpanus, profeſſione *Hortenſis*, Doctor Theologus, ejuſdémq; extra Patriam Superiorum annutu, atque Auditorum applauſu *Ferrariæ Profeſſor Publicus*, ſummo Pontifici, Italiæque Principibus dilectus unicè, à quorum importunis affectibus ad dignitates tantùm non compulſus, animi demiſſione ſuperior, Mecænatum favoribus ingeſtos toties honorum Titulos ſemper conſtantiſſimè declinavit, rediítque tandem ad ſuos Hiſpanos, ubi Ciſtercienſibus impetraturus immunitates, dum ſe modeſtiſſimè inſinuaret in aulam *Philippi III.* ultrò à Rege & Principibus amari, & privilegijs perquam eximijs ſe ſuóſque Ciſtercienſes ornari ferè priùs *Obijt Annô 1611.* ſenſit ipſe, quàm petijt. MARSILIUS VASQUEZ, alter apud Italos memorandus clariſſimus Vir Doctor Theologus natione Toletanus, profeſſus Ciſtercium Florentiæ in Cœnobio de *Ciſtello*, ibidémque atque etiam *Ferrariæ* Philoſophiæ ac Theologiæ *Profeſſor Publicus*, Archi-Epiſcopi Florentini, & *Ferdinandi I.* Magni Tuſcorum Ducis Theologus, S. Officij Conſultor, atque illô ævô inter ſcholarum Principes ac capita Vir clariſſimi nominis. Scripſit inter cætera opus eruditum *de auxilijs Librum unum*, ad *Clementem* Papam, eô planè tempore, cùm in urbe ferverent ingenia, & controverſiæ de divinis auxilijs, qui liber, referente *Carolo de Viſch*, in *Biblioth. Lit. M. pag.* 238. Theologorum Senatui in ea rerum caligine magno fuit uſui.

uſui. Neque omittendus hìc LUDOVICUS JÆGER, Monachus *Albæ Dominorum*, S. Theologiæ *Profeſſor Publicus Bononiæ*, ac ſubinde *Lucellenſium* apud Alſatas Abbas 29. *Deceſſit Anno 1495.*

Inter *Germanos* commendandi illuſtres Viri. B. HENRICUS, Doctor Theologus, *Profeſſor Publicus*, ac ſubinde ſuſpenſis lauris humilis inter Ciſtercienſes Converſus, cujus glorioſam memoriam ex *Barnaba de Montalbo ibi cit.* ſuo Menologio ad diem 26. *Septemb:* inſeruit *Henriquez*. *Floruit circa Annum 1175.* JOANNES MERCATOR, Abbas 23. *Ebracenſis* Cœnobij, Doctor Theologus, ejuſdémque Facultatis in Univerſitate *Viennenſi Profeſſor Publicus*, Maximiliani Cæſaris in ſacro conſcientiæ tribunali intimus arbiter. *Obiit Annô 1489.* JOANNES NUBLINGUS, Prior *Ebraçenſis*, *Heydelbergæ* S. Theologiæ *Profeſſor Publicus.* *Floruit circa Annum 1500.*

Tot celebres per Chriſtianum Orbem cathedræ, in quibus tanti è Ciſtercio Viri per ſæcula digniſſimè conſederint, quídni ſervent, exhibeántque hodiedum mellifluis poſteris meritos Patrum plauſus? Nimius ſim, ſi cathedras ſingulas, & relicta in ijs clariſſima Ciſtercienſium veſtigia perſcrutari velim. Apertum theatrum eſt: curioſi oculi, quos invidia non faſcinavit, luculenter deprehendent, hôc unô brevíque ſpectaculô abſolvi non potuiſſe tot ſæculorum illuſtres Viros, quos docta mater Ciſtercium in Orbis litterarij ſplendorem decúſque è gremio profudit.

VIRI DOCTI.

ETiam ſinè lauris floruêre Ciſtercij vertices atque ingenia, & quidem ſerie longè numeroſiori, quàm ſint eorum florida tempora, quæ Univerſitatum ſuffragijs lauros geſſerint. Immenſus iſte campus eſt, & per ſingulas Ciſtercij Domos patentiſſimus; Verùm nè præſentem Titulum nimiâ nominum copiâ accumulem, pauculos duntaxat è mille producam. Et quidem ex *Hiſpanis* memorandi: LAURENTIUS de ZAMORA, *Hortenſis* Abbas, Vir in divinis, humaníſque literis inſtructiſſimus, Ordinis fulgentiſsima fax, ingeniô calamóque in ſcholis præcipuè Theologicis notiſsimus, Eccleſiaſtes celeberrimus & ſanctiſsimus, quem Barchinona, quem Cæſar-Auguſta, quem *Deceſſit An. 1614.*

Regia Sedes Madritum è ſuggeſtu perorantem, *veluti Numen quoddam cælo delapſum* ſuſpexerint. *Henriqueus* in *Phœn: Lib. 2. cap.* 57. admirabilis Præſulis clariſsimas laudes híſce verbis commendat: *Nec veremur eum Eccleſiaſticæ dictionis Tullium, Theologiæ Homerum, rationum fidei Ariſtotelem, & Paulum in pulpito Chriſtiano diſſerentem meritò nominare.* Scripſit opus vaſtum, quod *myſticam Eccleſiæ Monarchiam* intitulavit, aliáſque doctiſsimas lucubrationes pro Verbi Divini Præconibus, quæ *pluſquam decies* ſub prælum miſſæ, Eruditis ſemper & placere & prodeſſe potuerint. RAPHAËL SARMENTUS, oriundus ex Regia *Sarmentorum* proſapia (quæ inclyta Domus de vetuſtatis prærogativa certat cum *Stuartorum* apud Anglos Familia Regia) Abbas *Montis-Sion* ſanctimoniæ ac doctrinæ commendatione clariſsimus, Sacer è ſuggeſtu Orator inter primos, author *Promptuarij Conceptum ad formandas conciones totius anni.* ERANCISCUS VIVARIUS, *Nucalenſis* Monachus, Congregationis Hiſpanæ in Curia Romana *Procurator Generalis*, apud Pontificem Maximum, Purpuratóſque Patres ob virtutis ſcientiæque prærogativam ſummo in amore ac pretio. *Carolus de Viſch* per omnia ferè ſcholarum genera Viri elogia quàm ampliſsimè diffundit, hæc de *Franciſco* prolocutus: *Matheſeos abſtruſa penetrabat, Poëta erat acutus, Orator eloquens Philoſophus omnibus numeris abſolutus, Theologus profundus, - - in hiſtorijs verſatiſſimus.* Manriqueus ad *Annum* 1164. *c.* 10. *num.* 9. præmaturo Viri fato altè ingemiſcit, ex eo nempè, *quòd ſcriptis ſuis univerſam Eccleſiam exornâſſet*, ſi in longiorem ætatem ſervatus fuiſſet. Edidit tamen opera complura, quæ recitat *cit. Carol. de Viſch*, è quibus ſe non pauca hauſiſſe confitetur Henriqueus noſter. FRANCISCUS SUAREZ, *Olivetanus* Abbas Regius Madriti Concionator & univerſæ Congregationis Hiſpanicæ Reformator Generalis, pietatis ac doctrinæ famâ celeberrimus, ingenij ſui clariſſimam imaginem expreſsit in *Commentarijs Perpetuis, quæ ſcripſit in* 4. *Libros Sententiarum.* HIERONYMUS de LLAMAS, Abbas *Carracetenſis*, Vir inter Hiſpanos inclytus, integritate morum, atque exquiſitiſsimâ eruditione conſpicuus, Eccleſiaſtes Madriti omnium acclamatione celeberrimus, cujus divina facundia ex eo quàm plurimùm æſtimata fuit, quòd ſcilicèt, ſeu fulminans in flagitia, ſeu commendans virtutes, ſeu adornans panegyres, *nunquàm fatigârit*

Obiit Annô 1608.

Obijt Annô 1636.

in Biblioth. Lit. F. pag. 113.

Floruit circa Annum 1587.

Obijt Annô 1610.

tigârit Auditores. Morbô aliquando correptus, cùm in Divi Hieronymi ſolemnijs (cujus nomine atque patrociniô felicem ſe gratulabatur) ad divinas laudes occurrere haud poſſet, eámque abſentiam animô ferret quàm dolentiſsimè, per illuſtre prodigium ignea ea vota commendavêre Cœlites; viſus namque eſt *Hieronymus* ſub tempus matutinarum precum in choro cum Fratribus ſtare, & alacri cantione cæleſte Numen laudare, cùm tamen eâ ipsâ horâ ſciretur, affixus lectulo, perpeti morbi moleſtias in infirmitorio. Rogatus porrò, ut exponeret rei tam admirabilis arcanum, reſponſi humilitate preſſit miraculi celebritatem: *Spiritu*, inquiebat ſubridens, *in Choro fui, à quo actum eſt, quod corpori negatum fuit.* GABRIEL CASTELLANOS, alumnus de *Horta*, Abbas, Viſitator Generalis, & Definitor Congregationis, Vir acris, ſubtiliſque ingenij. GASPAR de VALLE PETROSA, Monachus *Populetanus*, in diſciplinis divinis, humaniſque verſatiſſimus. BERNARDUS ALPHONSUS Cœnobita de *Superato*, author doctiſſimus *Commentarij in Cantica Canticorum*, *& Libri de immunitate Eccleſiaſtica.* BERNARDUS de VILLALPANDO, Monachus *Nucalenſis*, Vir cupidine doctrinæ, hiſtoriæque egregiè flagrans, Moderatorum auſpicijs ac Imperijs Gallias peragravit, aſportavítque in Heſperiam Patriam Melliflui Sodalitij glorioſiſſimas antiquitatis memorias. Scripſit ſubinde duo præclara volumina, primum quidem, quod intitulavit *Itinerarium Ordinis Ciſtercienſis*, alterum ſub nuncupatione *Ligni Vitæ*, de *Viris illuſtribus* ejuſdem celeberrimæ Familiæ. DIDACUS SANCHEZ, *Carracetenſis* Cœnobij alumnus, doctrinâ zelôque animarum præcipuus, author perelegantis operis, cui Titulus, *Agricultura ſpiritualis.* EMMANUEL SUERIUS, Eques Militiæ *de Chriſto*, elimatiſſimi ingenij Vir, præprimis celeber in matheſi ac hiſtoria. EUGENIUS MARTINEZ, Monachus *Hortenſis*, divinis præſertim litteris excellenter inſtructus, ſcripſit Tractatum inſignem de *Natura Deorum*, aliáque. LUDOVICUS de MENDOZA, alumnus de *Spina*, clariſſimâ eruditione præſtans, ſcripſit *ſummam totius Theologiæ Moralis*, dedicavítque *Philippo* II. Hiſpaniarum Regi. MARCUS de VILLA ALBA, Generalis Reformator apud Hiſpanos, virtutis, ſcientiæ, prudentiæque laude conſpicuus, atque ex ijs titulis *Philippo* II. Regi Catholico

Claruit circa Annum 1600.

Obiit Annô 1599.

Floruit circa Annum 1644.

Floruit circa Annum 1600.

Obiit Annô 1629.

Floruit circa Annum 1590.

Obijt circa Annum 1612

Floruit circa Annum 1584.

maximopere dilectus, quem etiam *Marcus* per inſignem epiſtolam, veluti amici aut Patris munere fungens, conſolatus eſt, cùm *Claſſem* illam *Hiſpanicam* Anglicis terris tam formidabilem, ventorum turbines infauſtiſſimè diſperſiſſent. Corpus Venerabilis Præſulis poſt ſeptem ab obitu annos apertô ſarcophagô deprehenſum eſt incorruptum, haud ſecùs, ac ſi tunc

Floruit circa Annum 1600. primò contumulatum fuiſſet. FERDINANDUS de ESCOBAR, Abbas Montis-Sion & Bonæ Vallis, Conſultor Sancti Officij Inquiſitionis Toletanæ, & Qualificator Supremæ Inqui-

Floruit circa Annum 1630. ſitionis. FERDINANDUS PIZARRO de ORELLANA, nobiliſſimæ in Hiſpania ſtirpis, ibidémque in Senatu Nobilitatis Apoſtolicus & Regius Judex, Ciſtercius Eques de *Calatrava*, Author Eruditarum lucubrationum, quas recitat *Carol. de Viſch* in Apendice ſuæ Bibliothecæ.

Obiit Annô 1270. In Anglia commendandi Viri. S. ALMUS, Abbas de *Balmurenoch* & *Meilroſa*, ſuô ævô doctiſſimus ac pientiſſimus.

Obiit circa Annũ 1170. GUALTERUS DANIEL, Divi *Ailredi* Rievallenſis Abbatis diſcipulus, hauſit à clariſſimo Præceptore pulcherrima lumina, quæ ipſe ſubinde ſparſit per complures elegantes lucubrationes.

Floruit circa Annum 1160. GUILLELMUS *Rievallenſis*, Aſcetal de *Rusfordia*, inter præcipuos Anglicanæ Gentis Scriptores, edidit *Magnum & amplum*

Claruit circa Annum 1310. *Chronicon Angliæ*, aliáque. NICOLAUS STANFORDUS, Ciſtercienſium alumnus, doctrinâ præſtans, ſermone comptus, quem *Joannes Lelandus* cit: apud *Carol. de Viſch. in Biblioth. Lit: N. pag.* 251. digniſſimum pronuntiat, cui cum plauſu deferatur *Illuſtris Scriptoris* titulus ac præcellentia. Scripſit *Moralitates in*

Obijt Annô 1273. *Geneſim.* ROBERTUS KELDELITH, nobiliſſimus Scotus, Regni illius *Cancellarius*, clariſsimæ indolis Vir, ſubindè in Cœ-

Floruit circa Annum 1170. nobio de *Neübottel* Monachus, ac Meilroſenſium Abbas. THOMAS, *Frigidi-Montis* alumnus, Divi *Thomæ* Cantuarienſium glorioſiſsimi Antiſtitis & Martyris viarum ac tribulationum fi-

Obiit circa Annũ 1140. dus ſocius ac comes, doctrinâ religionéq; præcipuus. TRUSTANUS ex *Eboracenſium* Archi-Epiſcopo humilis in *Fontanenſi* Cœnobio Monachus, Vir excellentis ingenij, & ſuâ ætate doctrinæ celeberrimæ.

Obijt Annô 1647. Apud *Italos* præclaras laudes ferant. NICOLAUS BACCETIUS, Florentinus Monachus *Ciſtellenſis*, Marſilij Vaſque-

zij

zij diſcipulus, vivaciſſimô pollens ingeniô, cum plauſu vulgò acclamatus *Ordinis ſui Decus ſuique gloria ſæculi.* ALEXANDER *Obiit Annô 1636.* de PIERIS, Florentinus, alumnus Cœnobij de *Ciſtelle*, omnigenâ eruditione præditus. ALOYSIUS de CAPITANEIS, *Floruit circa Annum 1600.* Ciſtercium amplexus in *Clara-Valle* Lombardica juxta Mediolanum, doctrinâ virtutéque clariſſimus. AUGUSTINUS *Obijt Anno 1499.* JAFFAUGATUS, Florentinus, Monachus de *Septimo*, ſcientiæ plurimâ commendatione inſignis. NICOLAUS à S. VIN- *Floruit circa Annum 1650.* CENTIO, Fulienſis ingeniô, calamôque promptus. PHI-LIPPUS à S. JOANNE BAPT: aliàs MALABAYLA, è Comi- *Floruit circa Annum 1640.* tibus *Canalis*, Fulienſium Superior Generalis, Vir ſangvine, eruditione, virtute illuſtris. BARTHOLOMÆUS à S. FAU- *Floruit circa Annum 1620.* STO, aliàs PYRRHUS, Siculus, Fulienſis, Theologus inter Morales eximius, ſcripſit de *Genere moris* clara opera, quibus uſus Illuſtriſſimus Doctor Antoninus *Diana* reſolutiones ſuas ſecundùm *Bartholomæi* doctiſſima ſenſa regulavit. SEVERUS *Obijt circa Annum 1532.* de VARINIS, Placentinus, Cœnobij de *Septimo* Præſul doctiſſimus, Leonis X. Pontificis Maximi *Theologus*, author *Commentarij in ſomnium Scipionis*, quem perſcripſit ad Carolum V. Cæſarem, cui erat præcipuè dilectus. Inter Viri magni diſcipulos memorat *Viſchius* præprimis *Gregorium Corteſium* S. R. E. Cardina- *Biblioth. Ciſt. Lit. S. pag. 298.* lem. NICOLAUS GRONIUS, Florentinus, memoratæ domûs alumnus, ac ſubinde Prior ad Aquas-Salvias Romæ, *Obijt Annô 1518.* Ejuſdem Leonis Papæ X. *Theologus* Vir litteraturæ excellentis, oblatæ ab eodem Pontifice Epiſcopalis Infulæ modeſtiſſimus contemptor. At præ cæteris memorandus HILARION de *Floruit circa Annum 1640.* RANCATE, Congregationis S. Bernardi apud Italos alumnus, S. Crucis in Hieruſalem Abbas, Generalis Inquiſitionis Romæ Conſultor, Vir omni eruditionis genere præſtantiſsimus, & cui per Italiam Ciſtercius Ordo Caroli *Viſchij* aſſertione, pau- *Bibl. Ciſt. Lit. H. pag. 150.* ciſsimos pares tulerit. In conſilijs præcipuè felix ac perſpicax: unde per annos viginti ſex ſummorum Pontificum prudentiſsimus extitit arcanorum arbiter ac Conſiliarius. Linguarum etiam notitiâ clariſsimus, præſertim *Hebraicæ*, *Syriacæ*, & *Arabicæ*. Commendat Virum *Cornelius à Lapide Prologom.* in *Eccleſiaſticum cap.* 3. ubi confitetur, verſionem Syriacam accepiſſe ſeſe, partim ab Illuſtriſs: & Reverendiſs: Dom: Sergio Riſio Maronita, Archi-Epiſcopo Damaſceno, partim *à pererudito Viro* Hilarione

 noſtro

noſtro Rancato ſancti Officij Theologo. Votum ejuſdem *Cornelij* pro *Maronitæ*, noſtríque *Rancate* commendatione, *citatô locô* hoc eſt: *illis* (id eſt memoratis ambobus Viris) *eam verſionem* (Syriacam) *acceptam ferat, gratéſque referat gratus, qui eâ gratìs fruitur, Lector.*

Floruit circa Annum 1140. In *Gallia* pariter ſpectandi Viri. GAUFRIDUS ANTISIODORENSIS, Petri *Abailardi* primùm, ſubindè melioribus auſpicijs Melliflui *Bernardi* diſcipulus, à cujus præclara inſtitutione evaſit celeberrimus, *Eiſengrenij* citati apud *Carol. de Viſch in Bibl: Lit:* G. *pag.* 120. elogiô, *ſuæ ætatis eloquentiſſimus, Poëta gravis; Theologus ſacrarum Legum exercitatiſſimus.* DIONYSIUS dictus vulgò CISTERCIENSIS, Theologiæ Profeſſor eximius, famæ celeberrimæ, ornatus Titulô *Doctoris* inter Gallicos *clari & ſubtilis*, ſcripſit Commentarios doctiſſimos *in Magiſtrum* *Obijt Annô 1161.* *Sententiarum.* ODO, *Morimundi* Abbas, S. Theologiæ Profeſſor excellens, per plura egregia volumina, quæ conſcripſit, nominis ſui immortalitatem conſecutus. *Magiſter* PETRUS de ROYA, doctrinâ celeberrimus, Monachus in *Clara-Valle.* *Obiit Annô 1597.* SIMON de MAILLE, ex Abbate de *Oratorio* Archi-Epiſco- *Floruit circa Annum 1642.* pus *Turonenſis*, plurimâ eruditione conſpicuus. CAROLUS à S. PAULO, Fulienſium Generalis, ſubinde Epiſcopus *Abrin-* *Claruit Annô 1590.* *cenſis*, Antiſtes doctiſſimus. JOANNES MOREAU, *Vallis B. M.* alumnus, Fulienſium Syndicus in partibus Italiæ, inter Ordinis *Obiit Annô 1621.* Doctores ſidus fulgentiſſimum. JOANNES JACOBUS à S. SCHOLASTICA, Fulienſis, doctrinâ, & pietate præſtans, Eminentiſſimi Cardinalis de *Sourdis* ſuffragiô & decretô, Eccleſiaſtici Burdigalenſis Conſilij Præſes.

Obiit Annô 1610. Perluſtrandum nunc *Belgium*, ubi floruêre: JOANNES CRÆSBEQUIUS, Ciſtercium Profeſſus in Cœnobio *Loci S. Bernardi ad Scaldim*, Theologiæ Baccalaureus *Lovanienſis*, ejuſdémque Facultatis Profeſſor *Villarij*, inſigni eruditione Præcellens, ſcripſit doctos *Commentarios* 1$^{mò.}$ in Regulam *S. Benedicti*, 2$^{dò.}$ in diverſos *S. Scripturæ Libros.* 3$^{tiò.}$ in quoſdam Tractatus *Obiit Annô 1466.* *Summæ D. Thomæ.* JACOBUS LIEVINS, Cœnobita *de Dunis*, Theologus Pariſienſis, eruditionis prudentiæque commendatione celeberrimus, Procerum Prælatorúmque in rebus arduis commune quoddam ac generale *Oraculum*, cujus conſilia

ampliùs

ampliùs quàm olim Apollinis Delphici Gentilis Antiquitas, ſem-
per ſuſpexerit *Flandria*. LUDOVICUS ARTALDUS, XXXVIII. *Obiit Annô 1544.*
Abbas Monaſterij de *Claro-Mariſco*, S. Theologiæ Baccalau-
reus, orator ſuadæ celeberrimæ, Auguſtiſsimæ Conjugi Caro-
li V. Cæſaris à ſacris Confeſsionibus: compeſcuit, Gandavi
populares tumultus *oratione elegantiſſimâ*, intérque Cæſarem &
Gandavenſes nutantem concordiam ſeu ſtabilivit, ſeu reduxit.
PETRUS, XVIII. Abbas Dunenſis, Bonifacij VIII. Pontificis *Floruit circa Annum 1300.*
Maximi Pœnitentiarius. PETRUS de LA RUE, ÆGIDIUS
de DAMMIS, ambo S. Theologiæ Baccalaurei, atque etiam *Obiit Pet. us Annô 1648.*
LEANDER BANTIUS, Aſcetæ *Dunenſes*, PHILIPPUS MON- *Ægidius Annô 1463.*
TANUS, Cœnobita *Molinenſis*, JOANNES FOUCARD, Ab- *Leand. r*
bas de *Laude*, ſinguli pennâ per eruditas lucubrationes evolan- *Annô 1644. Floruit circa Annum 1600.*
te apud poſteros glorioſi.

Germaniam etiam præcipui Viri illuſtravêre: B. RICHAL- *Claruit circa Annum 1640*
MUS Abbas *Specioſæ Vallis* in Franconia, author inſignis operis
continentis *ſubtiliſſimas apocalypſes*, *Philoſophis*, *Theologis*, & *Aſceticis maximè neceſſarias*, quem cùm inſpexiſſet, perlegiſſétque Ca-
ramuel, glorioſam cenſuram in laudem eruditi Authoris pro-
nunciavit, quam recitat *Carolus de Viſch Biblioth. Lit. R. pag*: 285.
REMUNDUS *Ebirbacenſium* Abbas VI. ingenij clarus acumine. *Obijt Annô 1249.*
NICOLAUS HESIUS, & JOANNES KNOBELIUS, ambo *Vixit Annô 1520*
in hiſtoria celebres, ille Ciſtercij alumnus in *Hemmenrode*, hic
in *Cæſarea*. JOANNES PISTOR, Abbas 24. Cœnobij de *Obijt Annô 1547.*
Campo Principum apud Bavaros. HERMANNUS & OTTO, *Obiit Hermanus Annô*
Abbates de *Waldſaſſio*, in Palatinatu Superiori. PHILIPPUS, *1222. Otto*
Abbas *Otterburgenſis* in Palatinatu inferiori. VULCHINUS, *Annô 1308. Floruit circa Annum 1390.*
primus Abbas *Sichemenſis* apud Thuringos: Omnes ſcriptis ſuis
apud ſeros eruditóſque poſteros digniſsimè immortales. JO- *Floruit Annô 1141.*
ANNES SEIFRIDUS, alumnus de *S. Cruce* apud Auſtriacos, *Floruit Annô 1608.*
ſubinde *Zwetclenſiium* Abbas, Vir ingenij celebritate in *Viennenſi*
Univerſitate commendatiſsimus. MALACHIAS ROSEN- *Floruit circa Annum 1650.*
THAL, *Campi-Lilienſis*, S. Theologiæ Baccalaureus, & Pro-
feſſor, Caramuele laudatore eruditus Scriptor. NICOLAUS *Claruit circa An: 1401.*
Auſtriacus, Aſceta de *Sanctâ Cruce*, indolis ac induſtriæ clariſsi-
mæ, præcipuè in laudibus Divinæ Puerperæ: Qui ſinguli per
egregias lucubrationes animi felicis doctiſsimas ideas præli be-

Ffffff neficiô

neficiô eruditis tranſcripsêre. Mitto pro hac ſerie cæteros, qui ſanè per univerſam Ciſtercij amplitudinem numeroſiſsimi ſunt, nè ultrà propoſitam molem Titulus excreſcat.

ASCETÆ.

His quidem quàm maximè abundat Ciſtercienſis Familia, quoniam ſylvarum inter valliúmque alta ſilentia, in pulchritudine divinæ contemplationis hactenùs illa conſederit quàm delicioſiſsimè. Dabo hìc duntaxat aliquos pro firmanda epigraphe; quos inter potiſsimùm commendat Henriqueus Bernardi, ejúſque ſtyli melliflui dulciſsimos *imitatores*, S. ÆLREDUM, *Rie-Vallenſem*, ETHELREDUM, *Wardenſem*, & B. GILBERTUM de *Hoylandia*, *Suiſetenſem*, Abbates, omnes *Anglos*, ut vel ex hoc perſpicuum fieret, Bernardi ſanctiſsimum ſtylum ab Anglorum Angelorúmque nominibus, ideis, rebus vix diſsidere. Hi igitur egregij Trium-Viri, lingvæ pennæque ſuavitate mella favóſque ſpargentes, dulciſsima nuncupatione meruêre, ut quiſque potuerit dici ſcribíque *Alter Bernardus*. *Gilbertus* divinos atque admirabiles illos Commentarios in *Cantica Canticorum*, quos Parens Mellifluus ad Sponſi immortalis amplexus per mortem evocatus abſolvere haud potuit, quâ voluit rerum vocúmque dulcedine, continuavit; unde ad cætera Bernardi volumina etiam has *Gilberti* lucubrationes *Merlo Horſtius*, & *Joannes Mabillon* Operum S. Doctoris induſtrij Compilatores annexuêre, quemadmodum & B. GUERRICI Abbatis *Igniacenſis*, dulciſsimi Patris olim in Clara-Valle diſcipuli *Sermones* longè elegantiſsimos, quos ille ad normam ambroſiæ in Bernardo facundiæ velutì apis argumentoſa per anni feſta digeſsit. Memorandus hâc claſſe præcipuè Eminentiſsimus Cardinalis JOANNES BONA, qui calamô cœli, Numinìſque interprete, aſcetica & divina tantâ dexteritate & energiâ tractavit, ut unô eodémque ore & optimus DEUS, & *bonus* Cardinalis *Bona* mortalibus ad cor locuti videantur. Recenſendi prætera: GUILLELMUS Abbas *S. Theodorici*, *Gallus*, olim Benedictinus, tandem in Signiaco Ciſtercienſis, lucubrationibus cùm aſceticis tum controverſiſticis illuſtris. Bernardo Parenti per ſanctiſsima amicitiæ vincula præprimis confœderatus.

Obiit S. Ælredus, ex veteri Regum Angliæ ſtirpe progenitus, Annô 1166.

Ethelredus, Annô 1220.

B. Gilbertus Annô 1166.

Floruit Annô 1150.

Floruit circa An: 1650. & deinceps.

Floruit circa Annum 1150.

SANCTUS

SANCTUS à S. CATHARINA, *Italus*, Fulienſis Congregationis Superior Generalis; cujus omnis induſtria in pulcherrimis opuſculis ubique cum plauſu & fructu perlectis eò ſpectabat, ut mortalium animos erigeret ad Numinis amores, virtutúmque exercitia. *Obiit Annô 1630.* JOANNES d'ASSIGNIES Abbas *Nizelenſis*, *Belga*, Vir *pietate ac doctrinâ præſtantiſſimus*, quemadmodum perhibet *Carol. de Viſch. Biblioth. Lit.* J. *pag.* 174. cujus non paucos Tractatus, quos pro animarum ſalute, pietatíſque ſolidis incrementis conſcripſerat, Viri virtutum eximio in pretio habuêre. *Obiit circa Annũ 1640.* JACOBUS COBELIUS, *Germanus*, alumnus Abbatiæ de *Aldersbach*, ſanctæ quietis ac contemplationis quàm ſtudioſiſsimus, locupletavit Aſcetarum divina ſtudia per libellos diverſos, ità ut, perhibente Illuſtriſsimô *Caramuele* in *epiſt. dedic.* 1. *Partis Theol. ſuæ Regul.* vix unus ſit de religioſo Aldersbacenſium cætu, qui aliquô careat. *Floruit circa Annum 1640.* GALLUS Abbas *Aulæ-Regiæ* apud Bohemos Aſceta illuſtris, non animô modò, ſed inſuper & calamô, quem egregiè fatigavit in Religioſorum ſolida ſolatia ac ſubſidia, conſcriptô eleganti opere, cui Titulus, *Malogranatum*, per formam dialogi inter Patrem & Filium. *Floruiſſe videtur circa Annũ 1487.*

Contineo tandem pennam, cupientem evolare amplius in Doctorum laudes & commendationes, de hoc, quantum valeo iterum iterúmque ſolemniter proteſtatus, me in modicis hìſce paginis non omnes Viros eximios, quos ſeu debui, ſeu potui commemoraviſſe, verùm id intendiſſe præcipuè, ut ad leges Philoſophicas recenſerentur *non ſingula generum, ſed genera ſingulorum.* Libri, è quibus hos rivulos duxi, ante annos quinquaginta, & quod excurrit, typis excuſi, recentiores Viros, qui per proximas ætates floruerint, non exhibent, neque ego alios in præſenti feſtinatione ad manus habeo, qui noſtra hæc Ciſtercij tempora per novos *Phœnices*: ac *Bibliothecas*, quemadmodum nuper *Henriquez*, & *Viſchius*, propiùs illuſtraverint, è quorum ſcaturigine numeroſiori omninò canali præſentes has paginas irrigare potuiſſem. Fervent in ſingulis ſacris Ordinibus hodie ingenia præcellentiſſima, neque in tanta aliarum Religionum activitate Ciſtercium inertiâ torpet, Viris eximijs glorioſum ac dives, idque præcipuè, ubi *ſtudia* vigent *Generalia.* Recitabo hìc Collegiorum ſeu ſtudiorum ejuſmodi nomi-

na, quorum quidem nonnulla adhuc hodie ſuperſtant, floréntque, alia ſeu aliò translata, ſeu injuriâ temporum deplorantur abolita. Itaque ea ſunt: *Pariſienſe*, *Toloſanum*, *Montis-Peſſulanum*, *Dolanum* apud Gallos, *Salmanticenſe*, *Complutenſe*, *Stellenſe* apud Hiſpanos, *Conimbricenſe* apud Luſitanos, *Bononienſe* apud Italos, *Oxonienſe* apud Anglos, *Lovanienſe* apud Belgas, *Heidelbergenſe* & *Herbipolenſe* apud Germanos, *Pragenſe* apud Bohemos, *Cracovienſe* apud Polonos. Hæ ipſæ ſtudiorum publicæ domus erectæ ſunt olim à noſtris in Urbibus, in quibus floruêre Univerſitates, ut nimrùm eâ ſcholarum propinquitate æmulatio noſtros accenderet, traherétque in pulcherrima ſcientiarum incrementa. Quod idem in Ciſtercienſibus commendat *Henricus Spondanus. Tom. 1. Annal. Eccleſiaſt. ad Annum* 1249. ubi expreſsè perhibet, noſtros eô ipsô præcitatô annô cæpiſſe *ſtudere Theologiæ*, *Decretis*, *& Legibus*, *& ædificâſſe nobiles manſiones pro ſtudentibus*, *Pariſijs*, *& alibi ubi Scholæ vigebant.* Superiore Annô in Generali Capitulo Giſtercij celebrato à Patribus decretum eſt, ut in Ordinis Germaniæque decus ac emolumentum *Coloniæ Agrippinæ* pro noſtris ſtudioſis novum erigeretur Collegium, commendatô erectionis ejuſmodi negotiô Reverendiſſimo Domino Abbati de Hemmenrode. Alia præterea lego apud Hiſpanos noſtrorum Collegia, extra Univerſitates quidem, celebria tamen alumnorum frequentiâ ac profectu. Ea ſunt *Mayrenſe*, *Palatiolenſe*, *Montis-Ramorum*, *&* S. *Claudij*. Neque Collegiorum defectu alibi à noſtris ceſſatur à muſis & ſcholis; aut enim Univerſitates frequentant, aut in clauſtris pulcherrimâ Societate, quanquam arduos inter labores, Chorum & Scholas, per alternas horarum vices conjungunt, ut pauca apud Germanos, Sileſios, Auſtriacos, Bohemos, Moravos, Luſatáſque Cœnobia reperias, quæ non per pulveres Scholaſticos iterum iterúmque hodiedum glorioſiſſimè ſordeſcant. Et quídni *Bernardi Doctoris* id poſthumum beneficium ſit, ſervare in Ciſtercio *Doctorum* nomina, famam, lauros, laudes ſeris poſteris? qui tum digniùs erunt *Doctoris Melliflui* filij, cùm ingeniô, induſtriáque ad ejus æmulationem, ſimilitudinémque propinquiùs acceſſerint.

LAU-

LAURUS.

Cæſarum ac *Doctorum*,
N*on æqualium* temporum
Haud impar gloria!
Circa utriuſque verticem ſeſe decorè explicat
Auguſta & *docta* arbor,
Nata, parata loqui
Non per *ora*, ſed per *folia*
Utrorumque in *Solijs* & *Scholis* majeſtatem.
Implicuit ſe quercus in Abſolonis *cæſariem*, 2. Reg. 18.
Tenuítque è prælio *cedentem*, ut cæderetur:
Fatale lignum atque crudele,
Quod *fronde Frontem* colligavit;
Lictor ſimul & *Furca*!
LAURUS
Medias inter *Sylvas* quercu longè *urbanior*
Cæſares atque Doctores
In una *Cæſarie*,
Id eſt, *per capillos* quidem, ſed vi longè gratiſſimâ
Pertraxit in mutua fœdera,
Ut eſſent deinceps
Si non *Pares Curiæ*,
Certè *Pares Laureæ*.
Pependit Abſolonis vertex ab *arbore*,
Hìc *arbor* pendet ab utrorumque capite,
Et quod Regio illi adoleſcenti fuit *ſupplicium*,
Hoc *Cæſari* & *Doctori* fit *præconium*.
En tota utriuſque *potentia* in *folio*!
Bonâ tuâ, mi Lector, veniâ
Ludamus Folijs,
Sed *ingeniò* ad utriuſque *genium*,
Cæſaris ſcilicèt & *Doctoris*.
Foliorum iſte *luſus* & *uſus artis* & *fortunæ eſt*:

Ggggggg Quoniam

Quoniam Cæſares *fortuna* facit, *ars* perficit.
Et Doctores *ars* parat, *fortuna* ditat:
Atque ſinè alterutra non ſtat utrorumque integra felicitas!
Platonis dogma & votum,
Pro Reipublicæ proſperitate pronunciatum,
Ut *Reges Philoſopharentur*,
Et *Philoſophi regnarent*!
Viden' novis votis colligari *Cæſarum*, *Doctorùmque* laureas,
Atque in *laureis vertices*,
In quibus ſtat *Orbis* fauſtitas gemina,
Quæ *orba* concideret, *pateretùrque*
Sinè *geminò* hoc *Patre*!
Pallas
Scholarum divina Præſes
E cerebro Jovis procreata
Uteri Paterni congenitas ſibi Sapientiæ *dotes*
Aſportavit ſecum pro *dote*,
In terris nuptura,
Sed cui?
Si vis nubere, nube pari.
Seu *Cæſari* ſeu *Doctori*,
Imò utrique,
Utrôque enim *digna* eſt Pallas,
Et utrique Palladi *pares*,
Et *Cæſar* & *Doctor*,
Ille *naſcendi Majeſtate*, ſi Progenitores,
Hic *uteri ſimilitudine.*
Si ingenij fœcunda felicitas ſpectanda ſit.
Sociavit igitur *Pallas Sponſa*
E Patre *Jovialis*,
E ſinu & utero *ingenioſa*,
Cæſares, Doctoréſque ſibi,
Et quia ſibi, etiam inter ſe.
Ovid. Lib. 1. Metamorph. *Planxit* Apollo Daphnem verſam in *laurum*,
Ego *plaudo*,
Quoniam Apollo Muſarum, Scholarúmque ille Deus
Magis amare debuit *Daphnem Laurum*,
Quàm Virginem:

Quâ

Quâ metamorphoſi multorum hodie caſtigantur *ſtudia*,
Qui in Scholis Parnaſsíſqne ſuis malint ſociare Apollini
Daphnem mulierem,
Quàm *Daphnem arborem.*
Pulcherrimò itaque fædere, Deorúmque auſpiciô
Apollinem inter & *Laurum* firmata Societas,
Provocavit Muſarum Muſæorúmque cultores
In haud diſpares Amores,
Qui propendere in *Apollinem* non debeant,
Quin ſimul pendulô affectu in *laurô* hæreant.
Conſidete nunc *Laureati* Vertices
Sub Arbore hac veſtra!
Explicabit illa frondes in brachia,
Colligétque in umbram & refrigerium
Laureolæ
Vos Candidatos & Hæredes;
Servatura deinceps Lauri ſocietate & vinculô
Cæſares & *Doctores*
Illos *munificentiæ* exhibitione,
Hos *obſequij* ſubmiſſione
à ſe indiviſos.
Incertum hucuſque mihi, fortéque & tibi, mi Lector,
An laus, an vituperium:
Eſſe *Doctorem in Folio*?
Nunc mecum ſinè fraude, pro ſum̃a laude, mi Lector applaude
Sub Floridis Lauri auſpicijs
Doctori in Folio!
Et quídni etiam
Cæſari in Folio?
Utrique enim in modicis *laureolæ folijs*
Imperij atque *ingenij* celſitudinem *obumbrant.*
Et Cæſar in *Solio*,
Et Diogenes in *dolio*,
Nunquam ſinè *Folio.*
In quo amborum laudes & nomina
Conſcripſit immortalis fama
Pennâ *aureâ*,
Quam vel ipsâ vocabuli affinitate meretur
Laurea.

Deplorata olim à Democrito *veritas*,
Et cum veritate *ſcientia*
Prolapſa in *puteum*,
Hilari riſu hodie *excipitur*,
Cùm è *Ciſtercio*, *Parvo Fonte*, illa rursùs *læta* & *lota* emergit.
Amici (quis neget?) ſunt *Muſis Fontes*,
Cujus fœderis *teſtes liquidi*
Cryſtallineæ in Parnaſſo *Caſtalij* undæ,
quas Pieriæ circumſident Sorores,
doctáſque pellucidis aquis imprimunt *ſpecies*,
Recipiúntque velutì è *ſpeculo impreſſas*,
In quibus ſe pulcherrimâ *praxi ſpeculantur.*
Unde vos *undæ* jungite ſocia inter vos fædera!
Tu in primis Parve *Ciſtercij*, parve *Parnaſſi* Fons!
Ambiant vos *ambos* Muſæ,
Aquáſque fæcundent ſuô contuberniô
Atque per alternas vices,
Nunc *Pindum* incolant, nunc *Ciſtercium*:
Sit diviſa utriuſque *Fontis*,
Sit etiam diviſa *Pieridum* felicitas,
Quæ eaſdem doctæ mentis illecebras
Æquè hauriant è *Ciſtercio*, quàm è *Caſtalio.*
Vos autem Fontes gemini
Clariſſimis rivulis irrigate Scholarum lauros,
Ut feliciter & perenniter deinceps creſcant,
Atque pulcherrimô ambitu vos *coronent.*
MARIA
Fluentorum cœleſtium auguſta Auſpex
Non modò apud Italos,
Verùm etiam inter ipſas has veſtras *Laureas*
Sapientiæ ſuæ ſedem figet,
In medio Doctorum è Ciſtercio *Laureatorum*
Rursùs & quàm maximè
LAURETANA.
E *Daniele* depromptus Doctorum character, ac ſtipendium,
Daniel c. 12. *Stellarum inſtar Fulgor*,
Etiam trahit Ciſtercienſe ingeniorum *Lauretum*
In ſpem *Illuſtriſſimæ* mercedis,
Verùm olim in Patria *luminum*:

Nunc

Nunc interim *flos* in voto & affectu eſt.
In Scholarum firmamento *fulgere* hìc velint alij,
In ſtudiorum viridario *florere* cupiunt noſtri,
Idque ob auſpicatæ Lauri *florentiſſimam* ſimilitudinem,
Quæ emerita Doctorum tempora
Non *fulgore* hìc circumdat, ſed *flore*.
Vos è Ciſtercij Scholis Cathedríſque inter ſidera translatæ Luces,
Vos luminum cæleſtium æmulatione
Beatis *influxibus*
In veſtros hos *flores*,
cæleſtes pluite *rores*,
Ut floridi Scholarum *honores*
Mellifluum *Lauretum*
Divini *Lateris*, & Virginei *uberis* pretioſis *fluentis*
Per eruditum Bernardi os labiúmque, ceu aquæductum
Sacerrimè *irriguum*
Plurimô ſemine rursùs fæcundent,
Faciántque inter *publicos* ſeu *tubæ*, ſeu *turbæ* plauſus
Ciſtercij felices alumnos
Non *Laurum* modò obtinere, ſed & *Palmam*.
Scholarum tu nobile *Palladium*,
Fauſtiſſima Laure!
Patere ſupra Frondium tuarum pulchra faſtigia
Docta è Ciſtercio aggregari apum examina.
Pungent illæ aculeis, *pingéntque* ſingulis in folijs *mellea* ſua *nomina*,
Quæ *unionum* inſtar in *unum* coaleſcent diadema,
Quô te
Cæſarei Verticis inclytum *decus*,
Scholarum floridam *mercedem*, ac nobilem *ſtimulum*,
Triumphorum hilare *ſymbolum*, ac gratum *indicem*,
In *Arborum* omnium auguſtam *Reginam* & *Præſidem*
Coronabunt, *inungéntque*,
Non *oleô*, ſed *melle*,
Hâc enim *unctione apiculæ* Reges ſuos inaugurant.
Igitur
Per vices refluant æmula beneficia!
Sint tibi apes, apúmque nomina pro *Corona*,
Tu verò ijſdem dulciſſimis alumnis tuis ſis, quæ es
L A U R U S!

TITULUS XXI.

CISTERCIENSIUM FAVORES CONCESSI PER DEUM ET DIVAM.



Nihil dulciùs amantium prælijs, præcipuè ſi inter illos ea prælia ſint, qui amantium patriam cælum, incolunt. Audio quidem legóque apud Chronologum Apocalypticum prælia & *prælia magna* in Cælo, Michaëlem inter, Angelóſque prævaricatores; at verò non fuêre ea prælia amantium, pugnante ſcilicèt

Apocal.12.

ſcilicèt Luciferô pro ſcelere, & Michaële econtra ſcelus faſtúmque improbi ac reprobi agminis cum fido ſociorum manipulo egregiè vindicante. Fauſtiora in terris prælia lego apud Manriqueum, *Annal. Tom.* 1. *ad Annum* 1104. *cap. unic. num.* 8. Salvatorem inter, Matrémque Virginem, certante utrôque, quis in ornando, fovendóque Ciſtercio alterutrum vinceret. Fuſiùs Vir magnus *locô cit.* de Chriſti Virginíſque in Ciſtercium propenſione diſſeruerat, cùm tandem *num. ult.* pauculis hiſcè verbis fontem inſinuat, unde præcipui in Mellifluum Sodalitium favores profluxerint, amantium ſcilicèt Chriſti & Matris amica prælia; *Videat Lector, ſcribit Angelus, cum Filio certantem Matrem, & ferè neutrum alteri cedentem in ea cura*, Ciſtercij nimirùm, utrôque vindicante jus ſuum in Filios & alumnos; Salvatore quidem, quòd ſanguine lateris, Matre verò, quòd lacte uberis ſcripſiſſet Titulum noménque filiationis in Bernardi labiis, lingua, gutture, pectore, anima. Lis iſta pulcherrima, Ciſtercióque tam glorioſa, nefas ſit, ut componatur hôc calamô, ſeu arbitrô ſeu advocatô: utriuſque litigiô atque certamine creſcet Mellifluæ Familiæ gloria, & ſeu alterutra pars vincat, ſeu vincatur, noſtri pro ſpolijs tollent favores, & ſi ullibi, hic ſanè veriùs, inter duos litigantes *Tertius*, ſeu quod in Fronte libri mutatô duntaxat grammaticô genere præfixum eſt, Ordo *Ciſtercius bis-Tertius gaudebit.* Vix quidem ullus eſt in toto hoc opuſculo Titulus, qui unum alterúmque, imò nonnunquam & plura ſeu Matris ſeu Filij beneficia, quædam quaſi ſpolia Ciſtercio illata non commemoret; Verùm quoniam illa plerumque ſunt particularia ac perſonalia, hôc locô expediet pro exigentia præfixæ epigraphes producere favores à *DEO* & *Diva* Ciſtercienſibus impertitos magìs generales, qui ſcilicèt cùm omnes tangant, mereantur in ſingulorum ſolatia peculiariter hìc connotari.

Ponendum eſt privilegium ingens, & ſanè maximum fronte primâ, unde alia venerationem, pretiúmque expectent atque obtineant, *Quòd* ſcilicèt *nullus Ciſtercienſium damnabitur.* Aſſertio ſi à ſolo humano labio, calamóque proflueret, admodùm inſolens atq; temeraria; at verò quia Salvatoris oraculô firmata, eò minùs dubia atque fallibilis, quòd tam ſancta tam labia divina elo-

 na elo-

na eloqui non ſoleant aut polliceri quod falſum ſit, atque inane. Lubet oracula in hunc ſenſum atque veritatem bis térque repetita ſuíſmet coloribus ac verbis Lectori tam domeſtico, quàm extraneo exhibere; huic quidem, ne noſtris verbis aliquid re ipsâ majus, illi verò nè quidpiam minùs dixiſſe videamur. Primùm igitur oraculum factum eſt B. GERARDO, Monacho in Clara-Valle, Divi Bernardi diſcipulo, cui fides eò adhibenda firmior, quòd ſub Melliflui Parentis ſacerrimis gubernaculis, felices filij tam non vix poſſent malè loqui, quàm malè vivere. Gravi correptus morbô *Gerardus* in lectulo decumbebat, conſummandus in brevi feliciter, at priùs ad Bernardum omnéque Ciſtercium functurus legatione, quâ nulla illis optabilior aut jucundior. Triduana itaque ecſtaſi extra ſenſus abductus Vir ſanctus, ea à Chriſto audijt & didicit, quæ ſubinde ſibi reſtitutus, inter tenera utrinque animorum ſolatia, Clara-Vallenſibus ſuis gratiſſimus vates renunciavit. Stabat ad ægroti lectulum Bernardus Parens cum Corona Fratrum auditurus læta ac magna: Tum ecce *Gerardus* repente oculos aperuit, quos per triduum clauſos tenuerat, hilaríque vultu atque eloquiô hæc ad circumſtantes profatus eſt: *Bona eſt*, inquit, *obedientia! Ad tribunal Chriſti fui, animas Sanctorum vidi, ipsúmque facie ad faciem dicentem mihi: Ecce locus tuus inter Fratres tuos. Nullus tui Ordinis peribit, ſi Ordinem amaverit, aut enim in ipſa morte purgabitur, aut brevi poſt mortem purgatorium ignem evadet. Salvi autem qui de Ordine tuo ſunt, aut in Ordine Apoſtolorum, aut Martyrum, aut Confeſſorum ſortem accipient.* Quibus dictis communione acceptâ inter lætas Fratrum comprecationes, dulcéſque pſalmodiæ jubilos è carne & valle ad præoſtenſam ſibi gloriam abijt, primus gaviſurus eô privilegiô, cujus ipſe fuiſſet tam fauſtus internuntius. Ita *Libellus* qui ſub *Titulo Doctrina S. Bernardi* inter opera ipſius circumfertur. Favoris hujus ampliſſimi pretium ij potiſſimum de condigno æſtimare noverint, quibus Divinæ prædeſtinationis incertitudo, ac modicus electorum numerus in Theologia pleniùs ſunt perſpecta. Prærogativa eadem aliâ rursùs vice Bernardo Parenti revelata eſt per Monachum quendam nuper defunctum, nè ſcilicèt favore tantô ſemel iterúmque cælitùs inculcatô, quôquô modô contigeret, ſeu per inſcitiam, ſeu per oblivionem Ciſtercien-

Obiit circa Annũ 1135.

ſes ex

ſes ex parte aliqua fruſtrari. Species facti repetenda eſt ex *Lib. 2. cap. 1. Exordij Ciſtercienſis.* Accidit aliquando in Clara-Valle, ut ſub Miſſarum ſolemnijs miniſtrorum negligentiâ aqua Sacerdoti deeſſet, quæ dum expectaretur, ſub illa mora *Bernardo* Patri Monachus nuperrimè defunctus ante Presbyterij gradum ſe ſpectandum exhibuit, agitatô ſeverè capite ſuboffenſi atque redarguentis vultum præſeferens. Sciſcitatus illicò eſt ex filio Pater ſanctus, cur eâ capitis motione viſus eſſet Fratribus indignari? Ad quem defunctus: *ô ſi ſciretis*, inquit, *quales & quantos ſocios habetis in Cœlis, profectò caveretis vos ab omni negligentia! Quod verbum* (placet pro majori oraculi fide contextum Hiſtoriæ haud imminutum ex fonte tranſumere) *Quod verbum Pater Sanctus gratanter audiens, reſpondit. Verène putas, quòd omnes qui in hoc Monaſterio ſunt Fratres, ſalvabuntur? Etiam, inquit, ſalvabuntur. Et non ſolùm ipſi, ſed & omnes, qui in Ordine noſtro obedienter & humiliter fuerint converſati, ſalvabuntur. Recordatus verò pius Pater cujuſdam Fratris, quem pro negligentia & duritia cordis ſui frequentiùs corripi oportebat, & ob hoc ſuper eo multùm contriſtabatur, ſubintulit dicens: Nunquid de Salute illius Fratris certi aliquid nôſti? Reſpondit: Nec ipſi deerit miſericordia DEI.* Stimuli hi ſunt, qui animos Ciſtercienſium pungant, ut cælitùs revelatæ atque promiſſæ retributionis deſideriô incaleſcentes, per virtutis ſemitas eò currant alacriùs, quò ipſos Cœli oracula vocant, urgéntque vehementiùs. Verùm non ſatìs DEO ſponſione geminâ in Ciſtercium fuiſſe liberalem, gloriámque cœleſtem eidem bis promiſiſſe, adjecit in *Grandi-Sylva* celebri apud Gallos Cœnobio revelationem novam, ut perire Ciſtercienſes non poſſint, ſi gloriam jam ſemel, iterúmque in Clara-Valle, atque rursùs tertiò in Grandi-Sylva promiſſam vel ſemel obtineant. *Exordium Magnum Ciſtercienſe Lib. 2. cap. 26.* huic revelationi facem præferat. Graſſata per Gallias *Annô* 1167. contagioſa lues, etiam Ciſtercienſibus non pepercerat, tametſi mortes & funera, quæ homines inter plagas & flagella numerant, noſtri beneficiorum locô habuerint. Extincti per peſtem intra dies non multos in una præmemorata Domo Monachi atque converſi *Quadraginta quinque*, *Beati* omnes, quales etiam in *Menologio* decimâ *Julij* ab *Henriqueo* recoluntur. Quos inter B. BERNARDUS, è nobili oriundus proſapiâ, Vir proba- *Obiit Annô 1167.*

 tiſſimis

tiſſimis moribus, cùm malô morbi prævalente ad extrema deveniſſet, raptus extra ſenſuum functiones, audijt à benigniſſimo Salvatore ſibi ſuíſque è Ciſtercio Fratribus æternam apud Cœlites gloriam ampliſſimâ conceſſione promitti. Notata in vultu languentis hilaritas *Pontium* loci Abbatem Sanctiſſimum permovit, ut à Bernardo inſtanter peteret revelari ſibi ea, quæ vidiſſet, fore ea haud dubiè ſolatia inter tot filiorum funera deſolato Patri. Non potuit Viri Sancti modeſtia atque humilitas expugnari ijs precibus, quanquam Abbatem eſſe ſciret, qui rogaret. Igitur nè ea oracula, quæ ſingulorum fortè concernerent commoda, unius meritô ac arbitriô privarentur omnes, omiſſis precibus, quas utique una eluderet humilitas, imperiô ſalutaris obedientiæ nolentem conſtrinxit, ut non poſſet ampliùs tacere ex humilitate, qui deberet loqui ex obedientia. Eô juſſu ſolutum eſt illicò vinculum linguæ ejus in hæcce verba: *Quoniam virtus obedientiæ veritatem me ſilere prohibet, rem ſum dicturus vobis, cui fortaſſe fidem dubiam adhibebitis. Sed ut teſtimonium hoc credibile faciam, ſcitote, quòd cum fine dicti etiam finem vitæ accipiam.* Recitatis porrò, quæ ad ſe, ſuæque ſalutis revelationem pertinebant, ſubjunxit ſequentia: *Ex ipſius etiam* (Salvatoris nempe) *ore audivi: Quia omnes, qui obedientes in iſto Ordine uſque ad mortem perſeverabunt, Salutem æternam ab ipſo conſecuturi ſunt. Fratres autem noſtros, qui de ſæculo migraverunt, in magna beatitudine pauſantes aſpexi: Et mei ipſius locum, quem inter eos miſerante Dominô ſum ſortiturus prævidi.* Dixit, & vixit, egreſsô ſcilicèt ex ore *Bernardi* oraculô etiam ſimul egreſſa anima dictorum veritatem morte obſignavit. Addit Author *Anni Ciſt:* ad *decimam Julij*, ubi hos ipſos Beatos *Grandi-Sylvenſes* memorat, & per pia vota in patrocinia ſolicitat, ab uno eorundem, quem tamen is non exprimit, fortè ab ipſo etiam hoc noſtro *Bernardo*, revelata eſſe duo inſignia motiva, ob quæ optimus DEUS uſque tertiò Ciſtercienſibus Cœlum promiſerit, donaverítque. Ex una nimirùm parte ſtare Almam Virginem in Mellifluos Alumnos impensè affectam, quæ communis omnium Advocata, tam cupiat eſſe ſingulorum Mater, ut nullum è filijs perire ſinat. Donari Matris precibus à propitio Numine peccatores, quos ipſa ſuis ſuffragijs in gloriam ſubvehat, quídni igitur alumni, clientes, & quæ rei ſumma, filij è Ciſtercio æque aliquid,

quid, vel etiam majus quidpiam à Matre expectent, quæ primas cunas, curas, ubera, & quid non, naſcenti Ciſterciæ Familiæ dediſſet? Ex parte altera pro Mellifluis filijs ſtare merita primorum Patrum, qui admirabili Sanctimoniæ Angelicæ magnitudine uberrimè ampliſſiméque Cœlum promeriti, theſaurizaverint eos theſauros fauſtis poſteris, quorum perennis felicitas etiam ex parte non modica è primævi Ciſtercij excellentiſſima perfectione comparanda ſit. Itaque Mariæ patrociniô, Patrúmque meritis Ciſtercienſes omnes æternùm felices fore. Scio hæſitaturos hìc nonnullos, qui fortè aliorum beneficijs offenſi, dum non favebunt, ea aut omninò negaturi ſunt, aut ſaltèm extenuaturi, quòd ſcilicèt ipſa hæc privilegia, quoniam nimia ſint, nulla ſint; aut ſi fortè eſſe aliquid ſeu prodeſſe privilegiatis poſſint, id utique nîl eſſe Ciſtercio ſingulare, verùm univerſis Chriſti Fidelibus commune; Tam enim verum eſſe, nullum è Chriſtianis fore unquam damnandum, qui piè & Chriſtianè vixerit, quàm, nullum è Ciſtercienſibus fore reprobandum, qui humilem obedientémque vitam duxerit. Atque non minùs indubitatam eſſe hanc theſim, Chriſtianos omnes Cœlum in votis, ſpe, pactis tenere, qui ſcilicèt boni eſſent, quàm Ciſtercienſes omnes provehendos ad gloriam, qui itidem boni, obedientéſque fuerint: utrobique divina promiſſa cadere ſuper Chriſtianos & Ciſtercienſes, non quia præcisè tales ſint, ſed quia boni ſint. Igitur Ciſtercienſium prærogativam hac in parte inanem eſſe & nullam. Non potui unquam iraſci invidiæ, ſed compati, quæ dum aliena bona non bene, non libenter videt, ijs malè imò peſſimè invidet. Scient aliæ Religioſæ Familiæ veteres & novæ, quæ eôdem, quô nos, privilegiô gaudere dignoſcuntur, hoc invidiæ ulcus armatô calamô ſtylóque pungere, atque expungere. Ego, qui hìc in theatro hiſtoriæ, velutì in apologiæ palæſtra digladiari vix auſim, breviter, obitérque duntaxat ad objecta reſpondeo, nè ſcilicèt ſi tacerem pro Ciſtercienſibus, nos victos cogitarent aut jactarent æmuli. Atque in primis oppoſiti pars prior vel in rudimentis fidei Chriſtianæ non bene audit, quod nimirùm privilegium hoc ſuſpectum eſſe debeat ob nimiam ejuſdem latitudinem, ac quendam velutì exceſſum. Non mordet hæc calumnia privilegiatos, ſed pri-

vilegij authorem, DEUM, qui nimius eſſe arguitur in amanda provehendáque Ciſtercienſium Familia. Non ſumus nos ij, qui benigniſſimo Deo manus ligemus, legéſque præſcribamus, ultra quas aut non audeat, aut non valeat eſſe in homines, ſervos, clientes, amicos, filios liberalis. Solô eô titulô, qnòd Dominus ſit, id poteſt, quod diſputant Adverſarij. Quanquam enim juſtiſſimo DEO negent facultatem Theologi, ante præviſa demerita, reprobandi quenquam; vix tamen ſunt, qui ex motivo infinitæ bonitatis ac miſericordiæ in quæſtionem trahant poteſtatem illimitatam ante præviſa merita præordinandi ad vitam quoſcunque; Ex eo namque nulli injurius eſt, quòd hos cupiat eſſe felices, alios non ità, dum neutris ex ullo titulo debitor eſſe dignoſcitur, adeóque unius beneficium in noſtro hoc caſu non debet cenſeri alterius injuria. Hæc pro omnibus generaliſſimè, etiam extra Ciſtercium, ſed alia inſuper pro Ciſtercio. Non eſt pollicitus Salvator, Ciſtercienſes ſalvandos omnes purè gratuitò, quia ſcilicèt præcisè ſic voluerit, tametſi id abſolutè potuerit; Verùm reſpiciendo, ùt ſupra notavi, ad merita primorum Patrum, ac præſertim aliquid eximium dando dilectiſſimæ Matri ſuæ, quæ unicè foverit Ciſtercium. Non eſt hoc gratìs dare, quod Matris, Patrúmque meritis alicui conceditur. Moneor ab amicis, ut interſecem Catholicam hanc hiſtoriam extravagante, ſed tamen haud inutili, parentheſi, quâ Heterodoxorum ſcrupulos (ſi qui fortè ex illis has lineas legerint) pleno pectore, oréque adversùm nos congeſtos breviter diſſolvam. Offenduntur illi, cùm intelligunt, in Scholis Libríſque noſtris commendari Sanctorum, noſtráque merita, quaſi hæc aſſertio ſacrilegô præjudiciô enervaret meritorum Chriſti infinitudinem, quæ ſcilicèt aliquid eô pactô expectare, ſortiríque debeat ad ſui complementa à nobis. Hanc utique theſim pugnare contra ſufficientiſſimam & abundantiſſimam Salvatoris ſatisfactionem, quæ utpote in ſe infinita, perfici ampliùs per aliquid ſuperadditum haud queat. Hæc illi: neque malè, ſi bene intelligantur. Noſtra etiam omnium hæc una mens, hæc vox eſt: Chriſti merita eſſe haud dubiè infinitè ſatisfactoria, in ordine ad Orbis univerſi eluenda etiam infinita flagitia, in genere *infinitæ ſatisfactionis*, in qua infinitudinis linea nos nec unum punctum ſuperaddimus: Sed confi-

confitemur præterea, noſtra, Sanctorúmque merita etiam aliquid poſſe quanquam in alia linea, in *genere* videlicèt *applicationis*, adeò ut per viam applicationis velutì per canalem Chriſti merita in noſtra commoda ſalutémque defluant, síntque quaſi ſemen, quod ſinè noſtro labore atque induſtria in gratiæ gloriæque meſſem nequaquam aſſurgat. Igitur ex Scripturæ oraculo, *qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* 2.Cor.9. *Portant* nunc in Superna Civitate Sancti DEI *manipulos cum exultatione*, quia nempe olim *euntes & flentes*, dicam ego ampliùs, & jejunantes, & vigilantes, & eſurientes; & ſitientes, & æſtuantes, & algentes, & egentes *miſerint ſemina ſua*, Chriſti merita, quæ in ſudore vultûs eorundem in fructum centuplum aucta cumulatáque ſint. Psalm.125. Itaque ex his Cælitum manipulis grana in terras decidua quis clientum non colligat? Neque ſola ea ad nos decidunt, pondus videlicèt, gravitatémque, ut prolabi provehíque ad centrum poſſint, ſortita à meritis Chriſti. Hic ſenſus eſt Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ ſæpè laudatis Salvatoris meritis attribuit ſatisfactionis omnimodæ plenitudinem, Sanctorum verò meritis ejuſdem plenitudinis *applicationem* ſeu derivationem, qui ſenſus ad ſcripturæ oracula, per quæ & Chriſti & noſtra merita paſſim commendantur, eſt omninò accommodus. Igitur cùm Heterodoxi hìc audiunt, per merita Divæ Virginis, Primorúmque Patrum Ciſtercienſes noſtros provehendos ad beatitudinis immortalis participium, non ſumant ſcandalum à Catholico & ſaniſſimo dogmate, quoniam alumni Mellifluui non aliter cupiunt ad Gælorum faſtigia extolli, niſi ut ea provectio tanquam principale adjutorium, præcipuámque baſim reſpiciat & habeat Salvatoris merita; merita autem Patrum illius provectionis applicationem extrinſecam, & quoddam quaſi acceſſorium adminiculum. Hæc incidenter, non meâ ſponte, ſed monitus antevertere æmulorum tela. Repetendum nunc Chriſti oraculum, ad Melliflui Sodalitij dulciſſimum jubilum, *Nullus de Ordine Ciſtercienſi peribit*, quia nimirùm & Virgo Mater, primíque è Ciſtercio Sancti in explanato jam ſenſu, ità meruêre. Alterum oppoſiti membrum etiam non urget; aliàs enim nihil novi, nihílque eximij dixiſſet Chriſtus, cùm Cælum Ciſtercienſibus per triplicem Interpretem promiſit, ſi nullâ aliâ

Kkkkkkk præro-

prærogativâ gauderent illi ad capeſſendam gloriam, quàm Chriſtiani cæteri. Cenſendus autem eſt, aliquos novos favores mellifluis alumnis voluiſſe ſuperaddere, neque verba loqui, effectu ac ſignificatione vacua, præcipuè ſi promiſſio conſideretur (proùt conſiderari debet) cum ordine atque reſpectu ad DEIparæ peculiares amores, ac Primorum Ciſtercij Patrum merita mox memorata, quæ ſiquidem abſque inſigni calumnia non poſſunt dici apud DEUM vacua aut nulla, verùm exiſtimationis planè excellentis, non potuit pariter favor in ijs fundatus eſſe niſì eximius ac præcipuus: & per conſequens cùm ſæpè prælibata Patrum merita, Virginíſque ampliſſimi favores peculiari quâdam ratione ad unos Ciſtercienſes pertineant, promiſſio pariformiter ex ijſdem geminis motivis reſultans, ſpeciali jure ad eoſdem ſpectare debuit. Itaque omnibus quidem promiſſum Cælum eſt, at Mellifluis clientibus præcipuè, qui ſingulari quâdam prærogativâ ex pacto Chriſti, patrocinio Virginis, Patrúmque meritis ſibi illud vendicant. Quòd ſi æmuli promiſſionem incuſent, conditionatam nempe eſſe, non abſolutam, ſalvandos nimirùm Ciſtercienſes, ſi Ordinem amaverint, ſi humiliter obedientérque uſque ad mortem in ordine perſeveraverint, fatebor equidem, ſi verba ſpectemus, talem eſſe; at ſimul etiam monebo, per appoſitas conditiones non vitiari aut evacuari promiſſionis veritatem atque efficaciam, verùm eas ipſas conditiones ſe habere non ſecùs ac media ad ſuum finem, ut proinde propoſitio ſive promiſſio iſthæc conditionata abſque omni ſanè equuleo in abſolutam reſolvi, tranſiréque poſſit: *Per Ordinis amorem, atque obſervantiam, ſimulque humilem obedientémque in Ordine converſationem, omnes Ciſtercienſes vitam conſequentur æternam.* Quâ reſolutione admiſſâ planum fit atque perſpicuum, aſſecutioni vitæ æternæ adjunctam eſſe vitam humilem atque probam per modum medij. Quemadmodum igitur finis per media non tollitur, ſed perficitur, acquiritur: & quemadmodum qui dat finem, dat etiam media ad finem: atq; porrò, qui promittit finem, promittit etiam media ad finem: ità pari pactô Salvator cùm generali conceſsione omnibus Ciſtercienſibus promiſit ſalutem æternam, qui eſt finis omnium ultimus, ſimul etiam promiſiſſe exiſtimandus eſt media ad conſequendum hunc ipſum finem, id eſt, auxilia gratiæ,

gratiæ, ſinè quibus nullus aut humilis eſſe poteſt, aut obediens: & quemadmodum non aliter promiſit finem, niſi cum reſpectu ad Matris ſuæ preces, & Patrum merita, ità cenſendus eſt ob eadem motiva obligâſſe ſe, ad impertineda opportuna media, per quæ ad finem perveniri poſsit. Ex quibus pleniùs patet, radicem primam, cur ſcilicèt Chriſtus pollicitus ſit, nullum è Ciſtercienſibus periturum, non eſſe tam illam, quod eſſent humiles atque obedientes; hæ enim virtutes Religioſis omnibus communes in ſe ſpectatæ fortè non deberent ſolæ laudari & coronari in ſolis Ciſtercienſibus, quàm potiùs, quod eſſent tantæ Matris, & tantorum Patrum filij, qui ſinè mala eorundem nota perire haud queant. Igitur Ciſtercienſe nomen ac profeſſio, DEIparæ favoribus, & Patrum meritis felix, primus titulus eſt, quòd Cæli oraculô Ciſtercienſes ſalvandi ſint omnes. Hæc mea non mala ſequela, quâ alij, & quidem Adverſarij pro invectiva uſi, fortè etiam non malè inferunt, ſeu potiùs interrogando, quod interrogant, negant: Ergo nullus Ciſtercienſium damnabitur? ô quantis ego votis optarem, ut hæc illatio eſſet una ex illis, quales ſolent propoſitiones aliquæ apud Metaphyſicos dici, *æternæ veritatis*! Interim quanquam millies invectivam hanc obtorqueant æmuli, ego nè ſemel quidem auſim damnare è Ciſtercio vel unum, non quòd aſſeram, nullum è noſtris damnatum eſſe, ſed nè per me contingat, damnari quempiam; nolo enim eſſe tam crudelis in Fratres. Si quas fortè revelationes aut oracula exteri habeant de reprobo quopiam è Ciſtercio, illa cum fide recitent, & ego reponam, vitium non eſſe in privilegio, ſed in perſona, quæ digna quidem eſt privilegiô ex *titulo profeſſionis*, verùm indigna ex moribus & converſatione. Unius porrò delictô haud infirmari totius Familiæ privilegium, in confeſſo eſt, præſertim in ſalutis æternæ negotio, in quo quiſque ſibi ipſi ſeu malus, ſeu bonus eſt. Multô igitur plauſu affectúque Ciſtercienſibus meis gratulari debeo, quòd in DEO & Diva tam fidos habeant ſuæ ſalutis ſponſores vadéſque.

Hæc Salvator & Deipara pro ſuis è Ciſtercio alumnis in ſæculum futurum, ut eſſent olim felices æternùm: alia rursùs Diva Parens pro ijſdem, ut non minùs forent fortunati in

 tempo-

tempore, ſæculóque præſenti. Ignoſcet Lector benevolus, quòd beneficium jam ſuperiùs *Tit: primô* laudatum, hìc iterum memorem; ibi namque favorem laudavi, quatenùs collatum perſonæ, Divo videlicèt *Alberico*, hìc eundem memorabo quatenùs collatum Ordini: quanquam fore Lectorem vix credam, qui in re Ciſtercio tam glorioſa de venia ſolicitari debeat, ſiquidèm omnem illum, qui hæc leget, faventem Ciſtercio cupio. Elegerat ALBERICUS, ille Deiparæ ocellus, ſecundus Ciſtercij Abbas, novæ Familiæ MARIAM in Matrem, ſive potiùs Virgo ipſa elegerat Ciſtercium in prolem, ſive, quod pro amborum reverentia aſſerere malim, utrorumque electione & Maria data Ciſtercienſibus in Matrem, & Ciſtercienſes adſciti in Mariæ filios. Igitur nova & Optima Parens in eò plurimùm ſolicita, quô pactô faceret filios etiam in tempore perennes, aliquando *Alberico*, ſuo ſidereo ſplendore venuſta apparuit, aperuítque favorem mortalium opinione perquàm eximium, his nimirùm verbis ad alumnum dilectum prolocuta: *Ego Ordinem iſtum uſque in finem ſæculi protegam, & defendam.* Feret haud dubiè ex hoc Reginæ Cælitum oraculo ætates multas, etiam ſupra Mathuſalæ annos accumulatas Ciſtercienſium Religio, cui Maria nec fines rerum, nec tempora poſuit, ſed hôc ſuô fauſtiſſimô vaticiniô omnes caſus, temporúmque injurias, quibus hucuſque celeberrimæ etiam Familiæ everſæ ſunt, ſapientiſſimè prævertit, nè evertere poſſent Ciſtercium, quod ipſa mundi ſupremæ ætati coævum atque conterminum eſſet ſervatura. At non ſolùm ſe Ciſtercio in perpetuum debuit, verùm & Ciſtercium ſibi, Protectrix optima ac potentiſſima, ut ſcilicèt pulcherrimum Matris nomen inter mortales ſervaret ſibi in Melliflua progenie, ex Bernardi nomine atque auſpicio tam ſibi dilecta, ſinè qua Matris officia vix toties præſtitiſſet. Omnibus quidem de hac Ciſtercienſium perpetuitate hæc ſcribo, præcipuè tamen ijs Religioſis Ordinibus, qui ſimili cælitùs donati favore, ad Orbis uſque ſupremum excidium Numinis beneficiô immobiles perſiſtent, ut nimirùm ij ipſi amodò noverint ſe in Ciſtercienſibus habituros in fine mundi ſocios, privilegij identitate magnitudinéque pares atque felices.

Obiit Annô 1109.

Aliud

Aliud rursùs beneficium habent noſtri, imò per noſtros Orbis univerſus, qui hodie in eo rerum ſtatu vix ampliùs ſubſiſterent, niſì olim ruentem Virgo Mater per Ciſtercium, etiam ante *Divos Dominicum & Franciſcum*, quàm potentiſſimè tenuiſſet. Beneficium ſanè præclarum atque ingens, pro quo mundus Ciſtercio quàm maxima, quia ſe univerſum debet. *Henriquez in Menologio*, & Author *Anni Ciſt:* ad 23. *Maij.* hunc favorem recenſent, dum ambo B. GUILLELMUM, Monachum in Clara-Valle pientiſſimum commemorant, laudántque, cui aliquando in exſtaſi poſito prælibatæ rei glorioſa ſcena exhibita ſit. Viderat is ſe ſiſti ad Tribunal Chriſti, non tam ut ipſe reum ageret, quàm ut judicij fauſtiſſimum eventum Ciſtercienſibus ſuis præſentiſſimus teſtis referret. Vultus Judici erat minax tonánſque in Orbis ſcelera, quæ menſuram, numerúmque tranſcenderant, & matura pœnæ univerſalem ultionem perurgebant. Hærebat jam in labijs Judicis fatalis ſententia, in Orbis ſupremam cladem illicò caſura: Lueret nempe ſemel plagam, quam millies meruiſſet: Non ſervire ſceleratis indultam moram, niſì ad ſcelerum incrementa: Meliùs perituros, ut deinceps peccare non poſſent, quàm ſervare peccaturos, qui nunquam non peccare velint. Spectabat juſtas Filij iras miſericordiæ Mater, ſéque opportunam, importunam tragædiæ ingeſſit, quôquô modô poſſet, placatura offenſum. Non deerant Matri ubera, quæ Judex ſuxiſſet, non viſcera, non ſinus, non brachia, quæ Puſionem foviſſent, non labia quæ tot à DEO infante ſignata oſculis, adhuc baſia amoréſque ſervabant in purpura: Poterat Virgo placare DEUM unici ſtillicidij commemoratione, quod olim in os lactentis pueruli infudiſſet è mammillis; Verùm ut periclitanti Orbi, imò univerſæ Curiæ cœleſti oſtenderet, quanti Mellifluos ſuos alumnos faceret ipſa, & propter ſe Matrem DEUS, omiſit ubera, viſcera, ſinum, brachia, & unos Ciſtercienſes in argumentum veniæ offenſo Filio propoſuit, in hæc verba Judici ſupplex: *Parce Dilecte Fili mi, Parce! etſi non propter illos, ſaltèm propter amicos meos, Perſonas Ordinis Ciſtercienſis!* Ex quo non malè conijcio, eô locô, nomine, atque affectu eſſe Ciſtercienſes apud Divam Virginem, quô viſcera ſua & ubera, cùm perinde ſoleat illa rogare atque placare Filium per viſcera, ac per Ciſtercienſes; optimè

Floruit Annô 1222.

namque illa noverat, nihil Filium denegaturum ſibi roganti per Ciſtercienſes; quibus Matrem nihil negare ſolere noviſſet Filius. Servatus proinde Orbis per Ciſtercium, ſervare viciſſim debet Ciſtercium, quoniam hôc ſalvô ille perire vix poteſt.

Relatus à Manriqueo ad Annum 1236, cap. 1. num. 13.

Non excedam judicio, nisì novos honores Ciſtercienſibus in Judicio ad Tribunal Chriſti per DEiparam & Sanctos impenſos ex *Cantipratano* hìc referam. Memorat celeber hic Scriptor, & *Manriquei* noſtri teſtimonio verè Beatus Vir, *Lib:* 7. *c.* 29. *part.* 22. *de Apibus*, *ſive Lib: Miracul:* de quodam Venerabili Decano in partibus Normanniæ, qui in mentis exceſſu raptus eſt ad locum præfulgidum, in quo Salvatorem, DEiparam, omnéſque Sanctos in ſubſelijs velutì pro Tribunali conſidentes conſpexit. Vocabantur ex ordine mortalium ſinguli, recepturi pro meritis atque demeritis præmia ſeu ſupplicia. Neque omiſſi Ciſtercienſes, quibus tamen præſente Virgine timeri non poterat. Ingrediebantur illi ad Tribunalia Judicum inſigni cum modeſtia ac reverentia: quos intuita DEipara, mox neglectâ judicij formâ, ijſdem tanquam familiaribus & amicis è ſede aſſurrexit, hilaríque vultu ſvaviſſimè ſalvere juſſos, tantâ orationis energiâ, atque argumentorum efficaciâ, dulciſsimos clientes quàm fauſtiſsimè propugnavit, ut nunquam *Cicero pro Domo ſua* eô eloquentiæ apparatu, ſvadæque felicitate perorare potuerit, ac Alma Mater pro Ciſtercio; non enim minus Ciſtercium Mariæ, quàm Domus ſua Ciceroni. At non debuit ſola Virgo ſtare pro Mellifluo Sodalitio, Sancti omnes in Dominæ ſuæ honorem, novorúmque è Ciſtercio hoſpitum tutelam pariter aſſurgentes, unô veluti ore affectúque in eorundem favorem peroravêre, ut priùs defenſi viderentur ac abſoluti, quàm accuſati. Dum his amoris honoríſque argumentis ſupra reliquam mortalium Univerſitatem unos à Cælitibus evehi Ciſtercienſes ſpectaret laudatus Decanus, cæpit & ipſe majora dignioráque de Ciſtercio mente volvere. Animi ejus ideæ non meliùs, quàm *cit: Cantipratani* verbis hìc ſcribentur: *Et quia tantum honorem & reverentiam eis* (Ciſtercienſibus) *omnes exhiberent, cœpit Decanus ille Ciſtercienſes ſuper omnes beatos reputare, quòd DEI Matrem, & per eam omnes Sanctos*

Sanctos in cauſis ſuis advocatos habere, & Interceſſores apud ſummum Judicem mererentur. Abſolutâ magnificâ pulcherrimáque ſcenâ, nè videretur Vir ille pius fruſtrà eam ſpectaviſſe, relictô illicò ſæculô, Mellifluo gremio acceſsit in ſavigniacenſium Cœnobio, ut qui deinceps magnô ardore ambiret eoſdem cum Ciſtercienſibus honores, ſubiret pares cum ijſdem labores. Nemo jam audeat in terris deſpicere Ciſtercium: Nec quiſpiam exiſtimet, ſe rectè dignéque colere Almam DEI Parentem, qui Ciſtercio minùs vel malè affectus ſit; non enim totam Virginem honorat, qui aliquid deſpicit, quod Virgo ipſa honorat.

E judicio tranſire lubet ad *Capitulum Generale* Ciſtercij celebratum, ubi iterum novis honoribus à Salvatore, Sanctíſque Angelis auctos Ciſtercienſes, memorat *Cæſarius Lib.* 7. *cap.* 20. Dialog: atque è Cæſario *Manriquem* ad *Annum* 1209. *cap.* 9. Viſionis præſentis interpres ſeu internuncia, Virgo in Regno Franciæ nobilis, Sancta, Spiritu Propheticô illuſtris, atque ideò fortè minùs profeſſione Ciſtercienſis, quàm affectu, quia paralytica, à *Cæſario* ex eo eximiè laudata, quòd noſtris per hoſpitalitatis officia impensè affecta. Ignoſcet Lector, quòd viſioni brevem hanc notam præfigam, ſcilicèt revelationem utramque tam præſentem quám præcedentem contigiſſe perſonis ab Ordine extraneis, ut nimirùm aliorum linguis laudarentur Ciſtercienſes etiam inviti, qui ſuas ipſi laudes, etiam divinitùs oblatas, tam ſolicitè ſanctéque nôſſent tegere, ut *Manriquei* judicio (quemadmodum etiam jam alibi memini) non modicæ res Ordini mellifluo glorioſæ hodiedum lateant, quas nimirùm una ſuppreſſiſſet noſtrorum humilitas. Quanquam ex ea ipſa laudum fuga accedat Ciſtercio Nomini nova atque excellens commendatio. Hæc velutì per parentheſim: Nunc in ipſum viſionis pulcherrimæ theatrum mentis obtutum intendamus. Præmemorata igitur Virgo eô ipsô tempore, quô in Ciſtercio per Ordinis Patres Generale Capitulum celebrabatur, vidit è loco Capituli ſcalam miræ elegantiæ, ſplendoríſque immenſi ad Cœlorum protendi ſublimia: cui deſuper innixus Salvator proſpectabat dilectum ſibi Cœtum, quaſi oſtenſurus amicis viam per ſcalam ad aſtra, ſive per

 illam

illam lineam communicaturns divina conſilia, ſecundùm quæ Ciſtercienſes aberrare non poſſent à puncto ſalutis. Medij inter Salvatorem & Ciſtercium conſpiciebantur in ſcalæ gradibus per diſtincta agmina deſcendentes, aſcendentéſque Cæleſtes Genij, non minori voluptate ac celeritate illabi in Ciſtercium, quàm redire in Cœlum, velutì Angelis perinde foret utriuſque domicilij fauſtiſsimus incolatus. Relata nunciatáque Patribus per fideles authenticóſque Viros magna hæc viſio in ſequenti Capitulo Generali, cum ingenti ſingulorum gaudio atque exultatione feſtivum ſacrúmque hoc epiphonema ex Magni Patriarchæ Jacobi labio depromptum pro jubilo ac
Gen. 28. plauſu tulit: *Verè terribilis eſt locus iſte, non eſt hìc aliud, niſì Domus DEI, & Porta Cœli.* Felix Melliflui Parentis glorioſa Societas, in cujus favores inclinatiſsimus DEUS, ſcalas eidem in viam explicuit, id eſt rectam è Ciſtercio ad Cœlum ſemitam. Non corruet hæc ſcala, quam Salvator manutenet, neque excident è gradibus Viatores, quibus Angeli dati in miniſterium, ſubſidium, fulcrum.

Nunc è *Ciſtercio* ad *Claram-Vallem* digrediamur, atque ibi iterum ad Capitulum, viſuri DEIparam Capituli Præſidem. Refert *Manriqueus* inſignem hanc viſionem ad *Annum* 1159. *cap.* 4. deſumptam ex *Magn. Exord.* Ciſt. *L.* 4. *cap.* 1. Fuiſſe nimirùm apud Clara-Vallenſes Virum quendam ſeniô ac meritô venerabilem, qui aliquando in viſione ſpectaverit Virginem Matrem, radijs inſtar ſolis micantem, in cujus gremium Divinus Puſio ſeſe recollegerat, Capitulo Monachorum præſidere, fungíque Abbatis officiô. Sub Capituli finem ex pœnis apparuit, quàm ſcilicèt egregiè Clara-Vallenſes peccaviſſent; ambos enim Seniores, qui ad latera Virginis utrinque aſſederant propiùs, vocavit ad pacis oſcula, quibus inter caſtas blanditias amabiliſſimè impreſsis, ut gaudium eorundem eſſet plenum, uteri ſui delitias, pulcherrimum Puſionem utriuſque brachijs dulciſsimè implicuit, implicantiâ *Bernardo Theologo*, Bernardíque alumnis quàm digniſsimâ. Subinde Virginis imperiô, per duos illos Seniores amplexu atque oſculô in ſingulos Clara-Vallenſes diſtributa pax eſt, quatenùs, etiam extra Claram-Vallem diſcerent univerſi, Bernardi filios non alijs
mulctari

mulctari pœnis, quàm Divinæ Parentis oſculis, Filiíque amplexibus. Ita quidem viſio ſuaviſsima è Seniculi oculis diſparuit; Verùm ego adhuc apud Matrem in Capitulo hæreo: neque poſſum me tam feſtinanter explicare ex Matris, Puſioníſque brachijs atque amplexibus: cur ſcilicèt in præcedenti viſione Chriſtus Salvator ſupra, extráque Capitulum, non in Capitulo; hìc verò Mater non ſuprà, non extra ſed in ipſo Capituli veluti meditullio eſſe, viderique voluerint? Niſì fortè, quia Præſides Capitulum ingreſſuri Matres eſſe debeant, quæ non tam iraſci ſcirent, quàm miſereri. Sola Mater Capitulum ingrediatur, Judex, rigor foris maneant: aut ſi optimus Salvator ingredi velit, parvulus ſit, qualis nempe in altera ſcena mox memorata, qui non tam timeri debeat, quàm amari.

Audebo hìc in ſcala paulò ante laudata è Capitulo ad cælum aſcendere, exploraturus, quô locô ſe habeant ibi Ciſtercienſes noſtri. Dux viæ erit mihi *Beatus* ille *Converſus*, DEIparæ cultor egregius, de quo Author *Anni Ciſtercienſis* ad *decimam quintam Auguſti* rem narrat, quæ non niſì inter ingentia Ciſtercienſium ſolatia, dulcéſque jubilos referri queat. Raptus aliquando is fuerat, dum perennem felicitatem inter calida ſuſpiria meditaretur, ad cæli arcana, & favore Virginis ductus per omnes Beatorum Ordines, cùm in ſingulorum contemplatione jucundiſsimè hæſiſſet, cæpit tandem in illa gaudiorum patria, de hoc uno acerbiſsimè dolere, quòd nullum omninò è Ciſtercienſibus ſuis, tametſi omnibus Cæli angulis quàm curioſiſsimè introſpectis, inibi deprehendiſſet. Queſtus igitur primùm ſibi, quòd de ſua felicitate gaudere rectè plenéque non poſſet, cùm ſuorum infelicitati illachrymari deberet, qui eò ipsò infelices eſſent, quod in cælo præſentes, id eſt felices non eſſent. Et quoniam digniùs queri haud valeret, quàm apud Matrem, DEIparæ pedibus, thronóque advolutus inter gemitus hæc ad Virginem: Ecquid hoc Mater optima? Cur filium etiam inter delicias alienâ (quàm hìc inter tot Cælitum miriades ampliſsimam intueor) felicitate torques? Meam certè ego jam non ſentio, dum meorum non video. Quòd fatum, quæve ſors Ciſtercienſes meos Cælo excluſit, & Te dulciſsimâ Matre id vidente, id tolerante?

Hæc re[illegible] contigit circa Annum 1215.

Vix pateris extraneos vel ad tempus eſſe miſeros, & Filijs tam dura videris, ut neminem ex illis hic in gloria per te felicem conſpiciam. Fuêre (& fateri id ipſum debes Auguſta Domina!) fuêre Ciſtercienſes Filij tui obſequiô, affectu, cultu: Sint pariter filij in præmio, gloria, cælo; id enim illi meruêre, & tuis quidem auſpicijs. Honori tuo accedet, quidquid Ciſtercienſium felicitati, qui ſinè diſpendio Materni Nominis tui nullatenùs poterunt eſſe miſeri. Fratres mihi meos oſtende, aut redde, niſi etiam mea damnare velis obſequia, quæ & quanta Tibi tam devotus hucuſque impendi. His queſtibus fidem Matris diu multúmque pulſaverat Ciſtercij advocatus: cùm tandem Virgo oſtenſura ſe fidem, quàm Mellifluo Sodalitio dederat, etiam ultra omnem expectationem ſervaviſſe, pallium ſuum latiſſimè explicuit, ſub quo fortunatiſſimus ille ſpectator candidos Ciſtercienſium greges magnô numerô conſpexit ac jubilô, qui nullibi tutiùs aut dulciùs eſſent felices, quàm apud Matrem: neque ullibi propinquiores DEO, quàm proximi DEIparæ, quæ non affectu, non locô vellet diſtare à Ciſtercio. Non eſt igitur, quòd Ciſtercienſes anxiâ ſolicitudine torqueri ſe ſinant, quô locô aut gradu apud Cælites olim ſint futuri: eadem omnium jam eſt præſignata manſio, ſub Pallio Virginis: altiùs eluctari nemo audeat, nemo poſſit, quoniam ſupra DEIparæ ſolium ac Pallium quis ex univerſo Beatorum cætu aſcenderit?

Non minùs illuſtres favores è Cœlo Ciſtercienſibus nunciavêre B. B. Monachi *Iſembardus*, & *Ignatius*, *Hemmenrodenſis* ille apud Germanos, hic *Morerolenſis* in Hiſpania. ISEMBARDUS quidem paulò ante felicem obitum quater in ecſtaſim raptus, quaſi ſemel capere non potuiſſet rerum cæleſtium magnitudinem, quas fratribus mox eſſet narraturus, tandem ſibi redditus, inter alia, quæ in Cælo viderat, vix verba ſe habere aſſeruit, quibus admirabilem illum Ciſterciæ cucullæ candorem vel obiter explicaret. Humile hoc, cæleſtíſque candoris æmulum veſtimenti genus, ſpeciali Numinis favore tam ibi ornare noſtros, ùt Sancti è Ciſtercio cucullis præfulgidi, inter majora Triumphantis Eccleſiæ Luminaria, ipſius, quâ præ alijs fulgent, illuſtriſſimæ lucis ſuffragiô omninò computari debeant.

Obiit Annô 1179.

ant. Æquè grata & magna apud Cælites vidit indéque ab ecſtaſi redux Fratribus cum plauſu expoſuit. B. IGNATIUS *Floruit Annô 1580.* *Morerolenſis*, præſertim de ſumma DEIparæ Virginis in noſtros propenſione, quæ Ignatium ſuaviſſimè affata, hoc oraculum ſeu nuncium per omne Ciſtercium divulgandum ei impoſuit: Patronam ſe Ordinis eſſe & Advocatam, imò Matrem, atque ex ijs titulis ſe ſanctè polliceri, defenſuram ſe ſemper omnes illos, quoſcunque habitu Ciſtercienſi indutos conſpexerit: Neque unquam minorem ſolicitudinem ſe habituram pro amantiſſima ſibi Melliflua Familia, quàm habeat Mater de unico Filio, cui tenerrimè affecta ſit. Quis unquam majora ſeu expectare, ſeu experiri auſus ſit à Cœli Regina, quæ materna viſcera ſua in Ciſtercij favores, obſequia, tutelam, toties & ultrò, ac velutì cum inſigni ambitione ac voluptate quàm uberrimè profuderit? Et nè Mariæ nomine loqui & vaticinari inania videretur *Ignatius*, adfuit illa mox ſub finem dictorum, clientíſque animam è corpore egredientem ſuis ipſa manibus excepit, ijdémque brachijs, quibus olim DEUM infantem in cunas, in glorioſo Salvatoris, Divorúmque Patrum Benedicti & Bernardi viſibili comitatu, cælo ac quieti quàm feliciſſimè importavit. Huc ſpectâſſe videtur *Joannes* Abbas Generalis Ciſtercij in *Exhortatoria concluſione Lib. Privileg.* relatus 5. *Augusti* apud Henriqueum in *Menologio*: qui inter alia de Sacra Ordinis veſte hæc ſcribit: *Cujus habitum tam Monachorum, quàm Sanctimonialium tradidiſſe fertur* (Deipara) *cum tanta dignitatis auctoritate, merito & virtute, ut diabolus nullam habeat poteſtatem in aliquem, qui eô indutus moritur.* Quia etenim inſigni prodigiô niger Ciſtercienſium habitus olim ſub Abbate Alberico beneficiô Virginis (quæ Ordinis Scriptorum teſtimoniô *quinta Augusti* in Ciſtercium deſcendiſſe perhibetur) mutatus ſit in album, inde fit, quòd Virgo adversùs hoſtes defendat eum habitum, quem portentosâ illâ metamorphoſi ſuum fecit & ſacrum. Ob rerum affinitatem ſilere hìc non poſſum Monachum illum Ciſtercienſem apud Hibernos, de quo *Manriquens* ad *Annum* 1221. *cap.* 7. ex *Cæſario* refert, quòd famoſam illam, inferníque larvis horridam ſpecum, *Divi Patritij Purgatorium*, vulgò nuncupatam, cum Superiorum permiſſu ingreſſus totâ nocte in ore, ſeu margine ſpeluncæ hæſerit, abſque eo, quòd infeſti

dæmones (quorum tamen numeroſæ turmæ pro more & horrore in conſpectum, & ſpem prælij audacter ſeſe effuderant) in eundem vel levi plagâ aut verbere auſi fuerint ſævire. Cujus ratio à *Cæſario* inſinuatur, quia nimirùm Monachus ille candidâ Ciſtercienſium cucullâ fuerit indutus. Provocabant quidem cum fremitu Monaſticum pugilem ad conſueta certamina, verùm haud parati priùs congredi, nisì æmulus è Ciſtercio Crucem candidam (ſic cucullam nuncupabant dæmones) depoſuiſſet: tunc demùm auſuros ſe & pugnare, & fortè vincere: Nunc ſi eam veſtem, retineat, nihil ſe prævalere in veſtem, quam DEIpara, ſeu in Monachum, quem veſtis ſacraverat. Ex ea dæmonum confeſſione ac confuſione doctior ſacer pugil, quanquam pugnaturus cum monſtris advenerat (id enim debebant, quicunque Divi Patritij Purgatorium ingreſſi fuiſſent) induci tamen nequaquam potuit, ut veſtem, quæ ſola pugnæ obſtabat, deponeret: ſed importunis hoſtibus, quorum clamosô imperiô cucullam exuere jubebatur, conſtanter regeſſit: *Veſtem meam non deponam, paratus ſum intrare, paratus ſum vobiſcum contendere, ſed non ſinè veſte profeſſionis meæ.* Ità exactâ per verborum jurgia nocte, ſub auroram inventus eſt à Monachis eô locô, ad quem ſub heſternum veſpertinum crepuſculum depoſitus fuerat, ſinè pugna, ſinè luctamine, ùt quidem videbatur, at non ſinè victoria, ùt notat cit: *Manriqueus*, quippe *cui veſtis religionis etiam ante congreſſum victoriam dederit.* Satis vincit, qui vinci non poteſt. Igitur candidæ veſti per DEIparam datum hoc cælitùs robur, ut & Virgo per veſtem, & veſtis per Virginem Ciſtercienſes tueretur.

Occaſione Ciſtercienſium amictûs, qui extra chorum eſt albus & niger, DEIparæ in Ciſtercium hôc locô commendandus eſt favor, quem lego in *Henriquei Menologio*, ad diem 7. Octobris. *Ermeſendis Luxenburgi* Comitiſſa, Clari *Fontenſis* Parthenonis in ea Patria Fundatrix, ad eum ipſum locum, quô nunc ſtat Cœnobium, levandi exhilarandíque animi causâ aliquando egreſſa in ſomnum inciderat. Illicò futuræ rei præſagia dormienti præoſtenſa ſunt. Viſa enim illi è vicinis collibus deſcendere Virgo majeſtate & ſpecie humana hæc vincens, puſione pulcherrimô inter Virginis amplexus hærente. Hæc

cùm

cùm ad vicini fontis crepidinem placidiſſimè conſediſſet, conſpexit *Ermeſendis* ex inopinato gregem ovium magnô numerô ad eandem feſtinare, quas illa ſingulas blandiſſimè tangens, permulcénsque ingenti voluptate dormientem Principem perfudit: quæ fauſto gregi plurimùm gratulata eas delicias, quas illæ nunc haud dubiè dulciùs, quàm in opimis paſcuis inter tam venuſtæ Majeſtatis pulcherrimas manus perſentiſcerent. Erat verò ovicularum color candidus & niger, nigredine tegente corpora per dorſi medium, ventríſque longitudinem, ſcapularium ad inſtar: Reliquas porrò corporis partes albedo occupaverat. Hæſit in ſingulis myſterijs ſolicita *Ermeſendis*, evigilánsque, cùm ſatìs per ſe explorare haud poſſet viſionis portentum, Eremitam quendam, in ea vicinia clarentem ſanctimoniæ famâ, ſuper hoc conſulens, ejuſdem oraculô, velutì perſpiciliô, inter mentis uberrima ſolatia proſpexit in ſcenæ pulcherrimæ arcana: Virginem nimirùm, quæ ſe multâ majeſtate è montibus in valles demiſiſſet, fuiſſe Auguſtam Cœlitum Imperatricem, puellum inter brachia ludentem, Virginis, DEíque Filium, oves præcipuô affectu ad Virginem feſtinantes, ſignatáſque colore albô & nigrô, è Mellifluo Ciſtercio Virgines Sanctimoniales. Videret itaque nunc *Ermeſendis*, quid ea Matris, Puſionis, oviúmque Societas eô locô portenderit: ſcilicèt optare domicilium, ubi deinceps Virgineus ille grex ſub Almæ Parentis perenni ſtaret præſidio. Iret proinde eâ viſione Divinitùs deſtinata auſpicatiſſima Fundatrix, erigerétque illicò novum pro Ciſtercio parthenonem, qualem nimirùm DEipara; qualem Puer DEUS, qualem utriuſque clientelâ felix grex deſideràſſe viſi ſint. *Ermeſendis* igitur ijs auſpicijs hilaris, mox implevit Cœli oſtenta, Eremitæ oracula, extructô pro Ciſtercienſibus Virginibus clariſsimô Cœnobiô de *Claro-Fonte.* Gaudeo Virgines è Ciſtercio Divæ Matris nuncupari oviculas: & quia Viri ex eodem ſunt gremio, fraternóque jure accedunt ad ſororia privilegia, eapropter gaudeo etiam favoris participatione nos omnes unius gregis Societate evocatos, electóſque eſſe ad Paſtoritias almæ Matris curas. Character iſte eſt amoris teneri, è Ciſtercio clientes invitare ad ovium in ſe fundandam metaphoram, quæ ideò grata nobis ſit, oportet, quoniam Auguſta Virgo ſupra Matris nomen ac

officium inſuper Paſtoritiæ cuſtodis munus, blanditiáſque tantâ erga Ciſtercium dignatione & aſſumpſerit & geſſerit.

Non claudam hunc titulum, quin pro Ciſtercienſium veneratione producam rem miram, quam narrat *Henriquens* in ſuo *Phœnice*, *Lib.* 2. *cap.* 31. de Ciſtercienſium Cœnobio, nuncupato *Mons-Salutis* apud Hiſpanos, cujus Religioſi id donum divinitùs obtinent, quod Theologi appellant *gratiam gratìs datam*, ut ſi fortè pecora canum morſu, ſeu aliunde rabida, benedictione ſignent, eâ, velutì antidotô malum ac rabiem mox quàm fauſtiſſimè propellant. Favor hujuſmodi ex eo præcipuè quòd perennis ſit & communis, inclyti ſplendoris Ciſtercij Nominis eſt glorioſus index ac præco, fortè non multùm diſſimilis illi tametſi in alio morbi genere, quô Chriſtianiſſimi Galliarum Reges ſuô contactu ſtrumas curare ſolent, & lepram; quemadmodum enim hic dignitati Regiæ, ità ille locali Religioſæ profeſſioni annexus eſt, ac veluti inſitus. Affirmat *Henriquens loc: cit*: per univerſa Congregationis Hiſpanicæ Cœnobia gratiam hanc eſſe diffuſam, quamvis in hac clariſſima medendi arte Profeſſi de *Monte-Salutis* ac *Bona-Valle* præ alijs excellant. Neque ſuſpectus eſſe debet *Chryſoſtomus*, quòd calamô non parcô nimiùm liberalis videatur in diſpertiendis ijs donis, quorum diſtributio ad ſolum DEUM pertineat; id namque de Viro credi vix poteſt, qui arbitratu aut affectu non ſuô, ſed Moderatorum imperiô, atque inſuper Doctorum cenſurâ operibus ſingulis præfixâ, ex impoſito munere Generalem Ordinis ſui Hiſtoriographum egit: & qui de ſua Hiſpania, in qua natus, educatúſque fuit, eò minùs exiſtimandus eſt figmenta ſcripſiſſe, quò magìs domeſticos ſuos Ciſtercienſes à ſe ſciret offendendos, quòd falſis honoribus ornare præſumeret Fratres & conterraneos, qui utique propriô experimentô meliùs nôſſent in ſeipſis cœleſtia dona, quàm Chryſoſtomus eadem ex alijs fortè tranſcribere. Hæc dum ego pro Henriqueo, atque etiam pro ipſa rei veritate produco, Lectorem benevolum impensè obteſtor, ut faveat Ciſtercio favorem conceſſum divinitùs, per quem Ciſtercienſes etiam extra Ciſtercium prodeſſe poſſunt, & volunt.

Favores

Favores alios, qui Ciſtercienſibus per Divos Cœlites, tam Sanctos,quàm Angelos obtigêre,non incongruenter pro complemento recenſere hìc poſſem, quos utique pro diſtincto copioſóque peculiari Titulo congeſtos jam habeo ; Verùm ſapienti Lectori interim ſufficiet, ſola Redemptoris, DEiparæque beneficia hìc ſpectaviſſe, quæ haud dubiè minorum Sanctorum poſt ſe trahant gratias; Neque enim veri ſimile eſt, Filio atque Matre inter ſe certantibus, uter alterum vinceret favoribus in Ciſtercium profundendis, Cœlites reliquos ſtetiſſe otioſos, qui crebris viſitationibus extra Cœlum vix tam alij viderentur velle eſſe, quàm Ciſtercienſes; non minùs patrociniô, quàm contuberniô.

ORGANUM.

AEris captivi amabilis *Carcer*, ac jucundum *tormentum*,
Naturæ & *artis* dulce *conjugium*,
Vocum amicum *prælium*, & diſſona *pax*,
Digitorum *choragium*, manuúmque *palæſtra*,
Aurium *delicium*, cordium *illicium*,
Affectuum *clamor* & *amor*,
Vivæ vocis in animis & brevis *imago*,
Salvatoris, *DEiparæque*
Atque etiam *Ciſtercij*
In hoc Titulo icon fit ac ſimulachrum.
In Bernardi labia
Filio pandente *latus*,
Matre explicante *Uber*,
Quídni ex ea *lateris uberíſque* cum *Corde* vicinia
In Rhetorica Theodidacti Oratoris organa
Mellea confluxerit CONCORDANTIA?
Effuſum cor Salvatoris è *latere*,
Cor Virginis ex *ubere*:
Utriuſque *Cor*, utriuſque *amor*:

Cor dat, qui *amorem* :
Et quia ambo ſimul *Cor*, amorémque dant,
unô verbô, plurimâ re
CONCORDANT.
Sit ſua Philoſophis ſpeculatio in *Organo Ariſtotelico*,
Ubi non tam digitorum, quàm ingeniorum luſione
Multa Auditui Phyſico reſultet voluptas !
Feliciores in hac *parte* & *arte*
Melliflui è Ciſtercio *Theo*-& *Mario*-Sophi,
Qui *à Corpore Organico*
Quod Trinitatis omnipotenti dexterâ
Supra *naturæ genium* atque *ingenium*
Incarnando Filio in Virgine Matre formatum eſt,
Fauſtiſſimâ *praxi*
Tot jam charismatum *oracula auſcultavêre.*
Luc. 1. Et Virgo ipſa
Superveniente ex *alto Spiritu*
Velutì *aëre* Divinô plena
Toties *Vocale* Organum
In Ciſtercij favores *conſonuit.*
MARIA eſt,
Cant. 2. Cujus *Vox dul*CIS, *& facies de* CORa,
Quæ ſcilicèt ipſius Sacri textûs ſuffragiô
CIS cum COR
CONCORDET.
ChORus & ChORda,
Duæ res,
Quæ in CIStertio ConCORdare debent.
In utroque vocabulo COR latet,
Quoniam ſinè *corde* in *Choro*,
Sinè *corde* in *chorda*
Duæ illæ res, nullæ res.
COR *dat* FILIUS,
COR *dat* Mater,
Abſque hac ConCOR*dantia*
Ciſtercij ChORus ex CORs, vacuus, nullus.
Aliàs *bis* dat, qui *Citò* dat ;
Nunc *bis* dat, qui *CIS* dat.

Libri

Libri hujus Epigraphe:
CIS-tertium BIS-tertium.
Dant Filius, Matérque corda CIS-tercio,
Dant corda ſimul BIS-tertio:
Quoniam Annô Ordinis *ſexies ſaculari*
COR-RE-lativa ſunt hæc:
CIS tercium BIS-tertium,
Et BIS-tertium CIS-tercium.
Igitur qui dant corda CIS tercio, dant corda BIS-tertio;
Et BIS dat, qui CIS dat.
In *Organo claves* geminæ,
Alba & *nigra*
In Ciſtercio color geminus,
Albus & *niger*
COR-RE-ſpondent.
Sítne *Organum Ciſtercij*,
Seu *Ciſtercium Organi* ſymbolum,
Utrúmne affirmes? utrumque affirmes.
Eſt C in Organo clavis *alba* CIS clavis *nigra:*
Eſt C in *Ciſ*tercio litera initialis,
Eſt *CIS* in eodem *CIS*tercio ſyllaba initialis:
Hæret in hac *litera*, in hac *ſyllaba*
Clavis gemina, *alba* & *nigra.*
Tange me, & nigrum tetigiſti!
Vox & votum nuper fuit
Oratoris *nigri* ex *candido* affectu Pragæ declamantis. *In ſolemni introductione Celſiſs. Princ: Joan: Joſephi è Comitibus de Breüner, Archi-Epiſcopi Prag. Annô 1695.*
Tange me, meóſque è Ciſtercio, tange divine Fili, tange alma (Parens,
Et ampliùs quàm Ille,
Nigrum ſcilicèt ſimul & *album*,
Id eſt, *Ciſtercienſes* tetigiſti.
Tacti montes fumigant: *Pſal. 143.*
Tacta Organa reſonant.
Tangat te *manus Domini*, & *manus Dominæ*, Ciſtercium Organum!
Mutila eſt Organœdorum harmonia,
Si deſit manus altera.
Ariolorum clamor apud Ægyptios:
Digitus DEI eſt hic. *Exod. 8.*
Sufficiat Ægypto unicus digitus.

In Ciſtercio aliquid ampliùs adſit
Manus ſcilicèt integra,
Et manus gemina
Domini & *Dominæ*!
Erumpant his tacta manibus Organa in Mellifluos jubilos,
Sítque juxta *tactûs* augmentum
In *CIS*tercij *FIS*tulis
ma*GIS*, magíſque *gratiarum actio*, & *vox lau* D*IS*!
Quoniam quoties illa tanguntur,
Toties nova chariſmata conſequuntur:
Neque enim manus dant *vacuas* DEUS, & *Diva*,
In quibus utrinque omnis *plenitudo* corporaliter inhabitat.
1. Reg. 9. *CIS* filius Abihel
Suô *nomine Organi* portio,
Et Organi Ciſtercij clavis *præambula*,
Saulem genuit.
Ex hoc nomine per anagramma *re ſol ut* o nova vox perſonat,
Saul, *Laus!*
Seu jam *dixi*, ſeu jam *cecini*,
E Ciſtercij *Choris* & *Horis*
Laus,
Laudíſque vox plurima reſultet
Per diem & noctem Cœlo *convocalis* & *conſonans*!
Dum has ego *Laudes laudo*,
Præſentem Titulum per hæc vota *claudo*:
UT pro moRE MIlle FAuſta SOlvat moduLAmina
DEO & *DIVÆ*
Melliſonum Ciſtercij
ORGANUM!

TITU-

TITULUS XXII.

CISTERCIENSIUM FAVORES CONCESSI PER SUMMOS PONTIFICES.



STat penès Apoſtolici Apicis Summos Præſules ampliſſima poteſtas, Chriſti fideles ligandi, ſolvendíque. Etiam in Mellifluam Familiam indefinitè protenditur ea divina facultas, quanquam interim peculiari Pontificum propenſione factum gratulemur, ut in alio genere geminâ illâ poteſtate uſi

Præſules optimi, ligandi ſolvendíque munus ùt plurimùm uſur-paverint per beneficia, ligando quidem obligandóque Ciſter-cienſes per privilegia *gratuitua*, ſolvendo verò dandóque illis merita velutì ſtipendia per privilegia *remuneratoria*. Et quô, amabo, pactô Vicaria in terris Numinis Majeſtas, aliâ lineâ in Ciſtercium feratur, quàm DEUS ipſe toties in Ciſtercienſes gratioſus? Pulchrum eſt, Principalem, Vicariúmque eâdem incedere orbitâ, unôque arbitratu & ductu in idem coincide-re gratiæ punctum. Præceſſit Titulus de prærogativis con-ceſſis per DEUM & Divam, qui velut cæleſtis ac infallibilis idea Titulo præſenti præfixus ſit, trahátque Præſules Roma-nos in ea gratiarnm veſtigia, per quæ DEUS & Diva in copio-ſis favoribus anteceſſerint. Redibit hìc inter Pontifices ea ipſa amicalis, qualis ſcilicèt in memorato ſuperiore *Tit.* Virgi-nem inter & Redemptorem meminimus, ubi per beneficia certatum eſt, atque deinceps certabitur. *Henriquem* Privile-giorum noſtrorum volumen è Bullis Pontificum congeſtum Ciſtercienſi Menologio annexuit, ubi pro Melliflui Sodaliti immunitate ac commendatione multa eximia pronunciavêre, ſtabiliêréque Pontifices Maximi. Non tamen integram privi-legiorum ſeriem abſolutam eſſe à Chryſoſtomo, verùm præ-termiſſa plurima, quæ in Archivo Ciſtercij aſſervantur, aſſerit *D. Burghoff in Elucid: Exempt: Ciſt: part:* 3. *cap.* 21. *in fine.* Adeat Lector fontem ipſum, videátqne Pontificum oracula non mo-dicis favoribus Ciſtercium accumulantia. *Manriquem* in qua-tuor Annalium Tomis, Summorum Præſulum Bullas ſparſim recitat, quas ille omnes authoritate Eminentiſſimi Cardinalis *Ubaldini* ex Vaticano ad literam authenticè tranſcriptas acce-piſſe ſeſe, cum grati animi ſignificatione gloriatur ad *Annum* 1198. *cap.* 2. *num.* 10. Non tangam, niſi duntaxat in paucu-lis, hìc ea, quæ cum alijs Religioſis Inſtitutis habemus com-munia; illa enim memorari in alijs laudaríque haud poſſunt, nisì laudis participatio ſimul in Ciſtercium profluat. Pleráque peculiaria magìs erunt, quæ hìc dabo.

Atque in primis certum eſt apud D. *Hilgerum Burghoff* in ſua *Elucidatione Exemptionis & Jurisdict: S. Ord: Ciſt: Part.* 1. *cap.* 11. Ciſtercienſes cum Mendicantibus & omnibus alijs Ordinibus in

in privilegijs communicare. Pro qua aſſertione Authores eô locô citat: *Cockier p.* 1. *q.* 17. *n.* 16. *La Crux Lib.* 2. *de Stat Relig. c.* 4. *Forerum Theſ.* 27. *c.* 2. *Rodriq. Tom.* 1 *q.* 55. *art.* 7. *alióſque.* Credo vix eſſe, qui hunc favorem in controverſiam torqueat, cùm ea ipſa privilegiorum communicatio ſit mutua Religionum omnium ad ſe invicem colligatio, nexúſque pulcherrimus, quô manus Apoſtolica Ordinum pluralitatem in animorum fœderúmque conſtrinxit unitatem. Neque Privilegium hoc peculiare eſt Familiæ uni alteríve, verùm omnes latiſſimè reſpicit: proinde ab ea univerſalitate excludi vix poſſunt Ciſtercienſes, qui ad communicationis Societatem ex eo non indigni accedunt, quòd ſuas quoque gratias in commune bonum adferant, per eandem communicationis viam in aliena Inſtituta Pontificum voluntate liberaliter diſpertiendas. Primô locô hunc favorem poſui, non quia revera ſub naſcentis Ciſtercij initia tempore omninò primus ſit, ſed quia generali quâdam amplitudine omnium aliarum Religionum privilegia complexus, univerſalitate ſua favores reliquos latiſſimè antecellat.

Alterô locô collocandum eſt ingens *Exemptionis* beneficium; quô quidem hodie pleráque gaudent religioſa Inſtituta ab Ordinariorum Diæceſanorum juriſdictione exempta, & immediatè Apoſtolicæ Sedi ſubjecta, id enim importat *Exemptio*, quæ juxta *Rodriquez* in *ſuo Compendio de Exempt. Regul: reſol:* 63. *num.* 1 optimè deſcribitur, quòd ſit, *Liberatio à poteſtate Ordinarij, inferioris Papâ, ſtante ſubjectione immediatâ ad Summum Pontificem.* Attamen ad Ciſtercienſes peculiari ratione à prima Familiæ origine ſemper ſpectâſſe Exemptionis nomen ac prærogativam, vix eſt, qui in Ciſtercij rebus verſatus aut neget, aut ignoret. Jam antiquitùs ea immunitas celebrata verſibus, per quos adhuc hodie Exempto Ordini plauſum damus:

Sanctus, & Exemptus, primáque ab origine liber,
Nullus in hunc quicquam juris habere ſolet. *In init. Privil. priſc. Ord.*

Fatigavit ad hanc uſque ætatem frequenter *Exemptionis* titulus præla & Typographos, quanquam id non contigerit noſtrorum arrogantiâ, verùm Exterorum in Ordinem obſervantiâ,

tiâ, qui nollent per tituli ſeu imminutionem ſeu ſubreptionem peccare in noſtros. Nos in hac Patria eam prærogativam ſilentiô diſſimulamus, contenti eſſe magìs, quàm dici, ſcribíve. Exemptionis Fons, ſeu prima occaſio, Divi *Stephani III.* Ciſtercij Abbatis *Charta Charitatis* (ſic dictæ primitiæ Legum noſtræ Congregationis) ubi Patres Ordinis communibus votis non tam ſanciverant, quàm optaverant; primum namque ſoli ſinè Pontifice non auſi: quatenùs nimirùm manutenendo Ciſtercij primo rigori atque auſteritati, Abbates liberi eſſent & immunes ab Epiſcoporum jurisdictione, quibus eouſque pro illorum temporum ratione in benedictionis ſolemnijs obedientiam profitebantur, nè videlicèt, quemadmodum notat *Manriqueus* ad *Annum* 1114. *cap.* 3. *hujusmodi profeſſio rigori Ordinis aliquid detraheret, Epiſcopis ſive quidquam relaxantibus, ſive impedientibus Ciſtercij diſtrictionem.* Hæc *Manriquei*, imò *Stephani*, Patrúmque pro Exemptione ratio enervat gravem calumniam, quâ primi Ciſtercienſes de reatu accuſantur, quòd imperia Ordinariorum temerè excuſſerint, nolentes obedire. Sanè nîl peccavêre Viri Sancti in Præſulum jura atque imperia, qui non aliô animô eam libertatem affectaverint, nisì ut illam per rigidiſſimas leges, ceû per mille compedes ac vincula, ad ſæculi horrorem in clauſtris quàm ſeveriſſimè conſtringerent. Animô nempè evolaturi ad celſa ſanctitatis faſtigia una in humanis pertimeſcebant obſtacula, quæ minùs gratis imperijs Viros tenere, contineréque potuerint intra vitæ mitioris non arduos limites. Servos DEI extra Orbis viciſſitudines evectos, ab Eccleſiarum Præſidibus rogare nunc, expectaréque id unum, ut eorundem auſpiciô atque adſenſu ab ijs, ad quæ ſemel manus extendiſſent, ſeu ſponte redire, ſeu quôquo modô deinceps abſtrahi haud poſſint. Juſtas eas preces eſſe, & æqua deſideria, quæ divinis afflatibus exarſiſſent. Sinerent Præſules Illuſtriſſimi eas Ciſtercij primas ſcintillas, in magna abire incendia, à quibus Orbis reliquus novas flammas, nováque lumina illicò foret obtenturus. Primus poſt hæc Patrum ſanctiſſima vota, executioni manus applicuit Divus *Hugo* Pontigniaci Abbas, qui per *Humbaldum Antiſiodorenſem* Epiſcopum ſolemni ritu inſtituendus Abbas, limitatâ formulâ obedientiam promiſit, *Salvô* ſcilicèt *Ordine ſuô.* Ea ipſa limitatio, quâ *Humbaldus* minimè offen-

offenſus videbatur, alijs ſubindè è Ciſtercio Abbatibus veluti pro ſtimulo ac lege fuit, pleriſque fauſtô eventu audentibus, quod *Hugo*, & nemine ex Epiſcopis contradicente: quaſi Abbates optimi eâ re minimè præſumerentur ſeu eſſe, ſeu velle eſſe injurij Eccleſiæ Præſulibus, quòd ultroneè ſanctiſſimos humeros ſupponerent Apoſtolico animarum oneri, non ſuâ quidem præſumptione, ſed Præſulum conniventiâ, annutúque tollentes partem ſolicitudinis, quâ illi nulla alia commoda quærerent, quàm animarum immenſa lucra, muneríſque graviſſimi in proprios ſuos lacertos ex parte transferendi, ſpontanea ac ſolida Epiſcoporum ſublevamina. Offendi porrò paucorum diſpendiô, qui tam non malè modò ſe obedientiæ ſubtraherent, indignum rati Antiſtites ſapientiſſimi, ex eo Ciſtercienſium zelo, veluti fauſto augurio prævidentes, integros infidelium hæreticorúmque greges, qui olim ad Chriſti ovile, Eccleſiæque obedientiam per Ciſtercienſes eſſent adducendi. Preſſiùs Epiſcoporum hac in re ſilentia, atque attentatæ exemptionis diſſimulationem ponderat *Angelus* noſter ad *Annum* 1119. *cap.* 5. quem ſuis verbis ad propoſitum noſtrum proloquentem magnificè audire hìc lubeat: *Eſt tamen*, inquit ille, *quod mirabile appareat, & quod humanam prorsùs induſtriam ſuperans, divinæ tantùm potentiæ adſcribi debeat, has omnes leges Epiſcopis conſultis, atque eorum conſenſu factas fore. Neque eorum, quibus minor experientia ignorantiam feciſſet conceſſionis, ſed expertorum, quippe intra quorum diœceſim fundata Monaſteria, earundem legum à Principio uſum habuerant. Porrò de omnibus Epiſcopos conſultos, nè quidquam ſinè eorum conſenſu actum, in ipſa etiam Charta charitatis confirmatione expreſſit Calixtus. - - Sed voluntati DEI quis reſiſtet? In cujus manu ſunt corda quorumque Principum.* Ità nimirùm *Angelus* ille noſter fidenter pronuntiat, exemptionis noſtræ principia Cælô authore ſurrexiſſe, neque rem, quæ DEO placuerit, diſplicere debuiſſe Epiſcopis, DEI Vicarijs. Minùs fortaſſe fixum ſtetiſſet hoc beneficium, nisì Pontificum Conſtitutionibus firmatum crebriùs. Itaque ſeu ad noſtrorum preces, ſeu etiam motu propriô per Pontifices Romanos, *Eugenium III. Anaſtaſium IV. Adrianum IV. Lucium III. Alexandrum III. Urbanum III. Gregorium IX. Innocentium VIII. &c.* Bullis Papalibus ſtabilita Ciſtercienſium exemptio, atque inſuper aucta, hodiedum etiam

poſt Tridentinum ijs fulcris, Pontificum nimirùm gratijs ſubſiſtit, quibus primitùs cœpit. Non vacat hìc diù multúmque inquirere in exemptionis membra, quâ nimirùm exemptione Ciſtercienſes è tribus gaudeant, sítne illa perſonalis, ſive localis, aut realis? Compendiô ſolvenda quæſtio eſt, eoſdem quoad perſonas, res, loca, tantâ latitudine exemptos eſſe ab utraque Epiſcoporum poteſtate, diæceſana ſcilicèt & jurisdictionis, ut neque per eoſdem viſitari poſsint aut corrigi, neque teneantur ijſdem præſtare ſubſidia charitativa, collectas, procurationes, aut quaſcunque exactiones, neque tandem ſeu ratione delicti, ſeu contractûs conveniri valeant apud Eccleſiaſtica eorundem Tribunalia. Hanc immunitatum amplitudinem per varias Pontificum Bullas ſparſam in unam tandem *Conſtitutionem* collegit *Innocentius VIII.* quæ incipit: *Ad Romani Pontificis ſpectat officium.* Non diffiteor, alias quoque hodie Religioſas Familias non minùs exemptionis prærogativâ immediatè ſubjici Sedi Apoſtolicæ, ac Ciſtercienſem noſtram; verùm id in Mellifluo Sodalitio obſervo ſingulare, quòd per noſtros, velutì præcipuos pædagogos reliqui Ordines docti fuerint ignotum ferè antiquis *exemptionis* vocabulum, didicerintque ab Eccleſia primùm id petere atque expectare, quod jam à Ciſtercienſibus viderint fauſtiſſimè poſſideri. Conſului pro hac veritate ex induſtria *Magnum Bullarium Romanum*, in quo ante exortum Ciſtercium non niſì duas reperi Sacras Familias, quas Summi Pontifices ſub ſpecialem Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſceperint, quarum prior eſt Congregatio *Camalduenſium* ſub *Alexandro II.* poſterior Congregatio Monachorum *Vallis-Umbroſæ Ord: S. Benedicti*, ſub *Urbano II.* At quoniam eæ Familiæ, quod ſciam, non creverint in eam latitudinem, quemadmodum Ciſtercium, minoríque fæcunditate, ac Melliflua Societas, ſeſe in reliqua Orbis climata diffuderint, vix eſſe potuerint aliorum Ordinum *exemptionis* magiſtræ, qui alibi in diverſis mundi plagis ſeu exorti, ſeu propagati minùs deſiderare, minùs ſequi poterant, quod minùs nôſſent. At verò Ciſtercium *Alexandri III.* Pontificis Maximi oraculô *ad exteras quoque & barbaras nationes Monaſteriorum fundatione extenſum*, totôque Chriſtianô Orbe propagatum, inſtillare magìs valuit Ordinibus ſingulis *exemptionis* igniculos atque ídeas, ut nimirùm ejuſdem hodie

in lit. Canoniz. S. Bernardi.

hodie cum voluptate meminiſſe non debeant, ſinè admixta Ciſtercij grata reminiſcentia, à quo eſſe didicerint, quod ſunt. Itaque *exemptio* ante Ciſtercium velutì ſterilis, per Ciſtercium fæcunda, noſtrorum exemplô, velutì ſemine in plures transfuſa eſt. Non auderem hæc eâ audaciâ pronunciare, nisì illa ipſa hauſiſſem ex clariſſimis *Manriquei Annalibus*, qui ad *annum* 1114. *cap.* 3. *n.* 7. de noſtrorum exemptione hæc ſcribit: -- *Ciſtercienſis ergo Familiæ prima exemptio, exemptionis aliarum Religionum velutì fundamentum & baſis fuit;---quæ ſemel Ciſtercio data facilè in alias pertranſijt Religiones, exemplô, ùt ſolet, ſternente viam in ſimilibus, atque ad majora etiam provocante, quod hìc compertum, nempe, ut hoc antiquiores omnes Ordines, hoc recentiores Ciſtercio gratularentur, quòd nunquam à non Religioſis judicandi, ſinè ſpeciali Sedis Apoſtolicæ delegatione pertrahantur.* Hæc *Angelus*: atque ego ex *Angeli* verbis hæc alia: Si Ordines ex mente *Angeli* gratulari Ciſtercio de exemptione debeant, non verò ità Ciſtercium Ordinibus cæteris, igitur inhæreat, neceſſe eſt, exemptio peculiari quâdam prærogativâ Ciſtercienſibus, qualem cùm reliquæ Familiæ non habeant, eam in uno Ciſtercio communi gratulatione ſuſpiciant univerſæ: & ea quidem prærogativa illa ipſa eſt, quam in recitatis verbis inſinuat *Angelus*, quia ſcilicèt commendata ſæpè *exemptio* Ciſtercio primùm *data in alias pertranſierit Religiones.* Verbô, exemptionum Fons Ciſtercium, ex quo omnes immunitates ſuas hauſerint, qui hodie exempti ſunt. Hæc veritas Mellifluo Sodalitio perquam glorioſa ad leges Philoſophicas, verbáque & mentem Manriquei duplici ſenſu explicari poterit. Primò quidem, exemptionum cauſas efficientes eſſe Pontifices Romanos; cauſas verò exemplares, & velutì ideas, ſecundùm quas, Ciſtercienſes noſtros. Deinde, Summos Præſules eſſe exemptionum Fontes, Ciſtercienſes eorundem Fontium velutì canales, per quos in reliqua inſtituta eæ gratiæ transfuſæ ſint. Aut qui Ciſtercio hanc prærogativam minùs faveat, doceat, quæſo, per quam regulam ſive Religioſam Familiam, tanquam per modum ideæ aut canalis exemptio in Ciſtercium, aliáve inſtituta derivata ſit, & non invitus transferam Ciſtercij gloriam in alium quemcunque Ordinem, qui eos honores digniùs quàm Ciſtercium meruerit. Non auſim hôc locô tacere pulcherrimam analogiam, quam ex *Conrado Leontorio* refert

rio refert *Angelus* ad *Annum* 1114. *cap.* 3. inter immaculatam DEiparæ Virginis conceptionem, & Ciſtercienſium toties jam laudatam exemptionem; quòd nimirùm Melliflui alumni ab Ordinariorum jurisdictione exempti ſint eô ferè pactô, quô Virgo Mater à peccato originis; quemadmodum enim Divina Puerpera eô ſenſu à labe originali exempta dicitur, quòd ſcilicèt ab illa præſervata ſit: ita & Ciſtercienſes noſtri ex eô dicuntur exempti, non quia Epiſcoporum poteſtates unquam experti, ſed quia à prima ſtatim origine exempti fuerint: quanquam hæc ipſa exemptio ſua etiam incrementa, ſuáſque velutì ætates habuerit, à parvis progreſſa ad majora. Cui veritati etiam Poëta vetus ſupra citatus applauſit, metróque Ciſtercio Ordini accinuit:

Sanctus, & Exemptus, primáque ab origine liber!

Quæ analogia vel ex eo, ſi cætera abeſſent, diſputari non debeat, quòd ſit inter Virginem & Ciſtercium, id eſt, inter ea extrema, quæ ſibi per favores & obſequia intimè cohæreant. Stante tamen hâc ipſâ Ciſtercij exemptione pleniſſima ſimul ſtat Illuſtriſſimis Eccleſiarum Præſulibus *Reverentia Canonica*, exhibenda ipſis ab Ordine univerſo, ſtabilita legibus, firmata praxi: quam nuper rursùs innovavit Capitulum Generale *Annô* 1651. Ciſtercij celebratum, quatenùs nimirùm ſecundùm præſcriptos ritus in *Libro Uſuum* Epiſcopis ad noſtra Monaſteria venientibus cum debita veneratione ac ſolemnitate occurratur. Exemptionis prærogativâ onerum tantummodò Epiſcopalium facta eſt diminutio, abſque ullo honoris præjudicio, aut diſpendio. Currit nunc per eadem planè veſtigia, eâdem etiam celeritate Ordo Mellifluus ad Præſulum obſequia & nutus, perinde, ac ſi exemptus non eſſet. Spectavi ego hanc ſcenam cum voluptate in Oſſeco noſtro Annô 1696. 3. Junij. cùm Reverendiſſimus ac Celſiſſimus Princeps Joannes Joſephus è Comitibus de Breüner Archi-Epiſcopus Pragenſis (*Titul*) eam Domum, clientéſque ſuos fauſtiſſimâ præſentiâ bearet, ſalutavíque Superiorum imperiô humili dictione Digniſſimum Hoſpitem inter campanarum feſtivos ſonitus, Reverendiſſimô Dominô Abbate, ac Univerſâ Loci Congregatione Principi ſuo occurrentibus cum reverentia & jubilo. Hæc Oſſecij,

nec alibi

nec alibi ſanè minora. Eô fine animóque hæc infero, ut pateat, quàm omninò nihil per exemptionis noſtræ acceſſionem deceſſerit honoribus Epiſcopalibus, qui in eodem gradu in Melleo Ciſtercio hodiedum perſiſtunt.

Novus ſubinde decor Exemptioni laudatæ acceſſit ſub *Innocentio VIII.* Pontifice maximo, qui Conſtitut: *Expoſcit*, ampliſſimam poteſtatem fecit Generali Ciſtercij, benedicendi ſolemniter Abbates & Abbatiſſas Ordinis univerſi, quæ benedictio uſque ad *Innocentij* tempora ab Epiſcopis peti debuerat. Peculiare iterum hoc obſervo in Ciſtercij laudibus, atque extra Ciſtercium alibi, quod ſciam, rarum. Non minima ſcilicèt portio & radius muneris Epiſcopalis eſt ea benedicendi facultas, quæ Pontificiâ authoritate conceſſa Ordinis Supremo Capiti, in membra digniſſima ſeſe non modicô fulgore deinceps diffuderit. Extendit *Innocentij* favorem latiùs *Clemens VIII.* qui eidem Ciſtercienſium Generali facultatem dedit, prælibatum benedictionis Abbatialis munus delegandi alijs, nè ſcilicèt ſolæ ferè Galliæ ſentirent Pontificias gratias, ſi ſoli uni Generali illud ipſum jus abſque delegationis indulgentia privativè competeret. Non ſuâ utique culpâ reliquos Abbates in Germania, Auſtria, Bohemia, Sileſia, Polonia locô diſtare à Ciſtercio, quòd ob ſimilem diſtantiam quaſi in pœnam privari debeant favoribus, quos Burgundi atque Franci haberent domeſticos, comparandos certè ab extraneis non aliter, quàm per magna impendia, viarúmque longa incommoda. Igitur vigore memoratæ amplificationis Abbas Generalis Ciſtercij, Viſitatoribus ac Vicarijs ſuis per Provincias eam poteſtatem ſpecialiter delegare poteſt ac ſolet, ut videlicèt ſuarum Provinciarum Abbatibus atque Abbatiſſis benedictionem ſolemnem conferre ipſi valeant, quæ quidem benedictio reſpectu Abbatum vulgò etiam dicitur *inſulatio.*

Annô 1489. emanavit hæc Bulla.

Recitandum nunc eſt privilegium aliud inſigne, quale rurſùs, ſi favoris amplitudinem ſpectemus, extra Ciſtercium nullibi, quod Abbati Ciſtercij primíſque quatuor Abbatibus Annô 1489. in Conſtit: *Expoſcit*, contulit idem qui ſupra *Innocentius VIII.* noſtris impensè affectus, éſtque in Volumine privilegiorum numerô 121. vi cujus præfati quinque Abbates non mino-

res modò quatuor Ordines, ſed & duos ſacros, *Subdiaconatum* ſcilicèt & *Diaconatum*, exceptô ſolô Sacerdotiô, Ciſtercienſibus ſuis licitè & validè conferre valeant; Generalis quidem omnibus Ordinis perſonis ad ea ſacra munia idoneis; quatuor verò Primi Abbates Religioſis ſuorum Monaſteriorum. Spectemus gratiam in terminis: ait itaque præcit: Pontifex: *Ac nè Monachi dicti Ordinis pro ſuſcipiendis Subdiaconatûs & Diaconatûs ordinibus extra clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur; Tibi, & Succeſſoribus tuis, ut quibuſcunque dicti Ordinis Monachis; Alijs verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum Succeſſoribus, ut ſuorum Monaſteriorum prædictorum Religioſis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordines hujuſmodi aliàs ritè conferre, liberè ac licitè poſſitis, auctoritate Apoſtolicâ, & ex certa ſcientia tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus.* Paulò ſuperiùs Pontifex inſinuaverat, cur Ciſtercium præcipuô eô favore ornârit, non ità alias Religioſorum Familias; quia nimirùm *ipſe Ordinem noſtrum præ cæteris in viſceribus gereret charitatis, & illum intenderet non minoribus gratijs & privilegijs, quàm Prædeceſſores ſui feciſſent, decorare.* Non ſolent ſapientiſſimi Eccleſiæ Præſules, qui in ſpecula ſedent, amare gratìs, quos amant: meruiſſe debent, ut amentur, atque meruiſſe magìs, ut magìs, ac præ cæteris amentur. Sunt, qui Ciſtercio pulcherrimam hanc prærogativam ſeu invideant, ſeu, quod ampliùs, detrahant. Atque ut expediant ſe in compendio, aſſertámque veritatem unô dejiciant ariete, univerſim negant, ab ullo ordines, quos ſacros appellamus, conferri poſſe, præterquam à ſolis Epiſcopis, prout refert doctiſſimus *Caramuel Comment: in Reg: S. Bened. diſp.* 129. *n.* 1626. At ſanè mitiùs ſentire, ac loqui ij Authores debuiſſent, nè telô, quod in Ciſtercium contorſerant, Innocentium læſiſſent, atque in Innocentio Pontificiam authoritatem. In confeſſo eſt, ùt patet inſpicienti Magnum Bullarium Romanum, laudatum Innocentium Generali Ciſtercij, primíſque quatuor Abbatibus eam poteſtatem conceſſiſſe, non impetu, aut affectu fortaſſe præcipitatô, verùm, prout ipſe loquitur, *ex certa ſcientia.* Igitur aut in re gravi, quam tantâ conſilij maturitate atque induſtriâ diſcuſſerat, errâſſe dicendus eſt Pontifex, aut manutenendi Ciſtercienſes in ſuo jure: primum in Scholis orthodoxis in ea verborum, conceſsíque favoris clariſſima luce quis aſſerat?

Standum

Standum itaque eſt ſecundo, neque ſuperſtitione nimiâ diſquirenda Pontificis Summi authoritas, an ſcilicèt dare potuerit, quod jam dedit: Factum pro ratione eſſe debet, quòd Innocentius de plenitudine Supremi muneris facere potuerit id, quod fecit. Aut ſi cui ſuſpecta hæc videantur, conſulenda eſt in Innocentijs Succeſſoribus, aliiſque Pontificibus Summis, Veritatis Magiſtra, Sedes Apoſtolica, an nimirùm Innocentius VIII. atque eâdem ſequelâ, reliqui omnes Pontifices Maximi temerè errare ſoleant, cùm per publica Literarum Apoſtolicarum inſtrumenta gratias concedunt *ex certa Scientia*, indignationémque Omnipotentis DEI, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in illos ſeverè torqueant, qui in ejuſmodi conceſſiones quidpiam auſi fuerint, prout pariter factum in citata Bulla? Alij majorem reverentiam habentes Pontificio muneri, privilegium hoc magìs tolerant, quàm affirmant, & veluti potiùs ſeu liceret, ſeu liberet, aliquid detrahere Ciſtercio quàm Romæ, negant, illud hodie eſſe ampliùs in vigore & exercitio, evacuatum ſcilicèt dudum per Tridentini Decreta, ſeu veriùs per diſſvetudinem, ideóque ſolum id gloriæ reſtare Ciſtercio, olim fuiſſe Troës, magnáque potuiſſe, quæ tamen hodie poſſint minùs. Hæc aſſeri magìs audio, quàm probari. Ac in primis quidem ſi Tridentinum contra nos militare debeat, citandus eſt Concilij locus, per quem privilegio expreſsè derogatum ſit; ſiquidem *Coninck Tom. 2. diſp. 20. num.* 91. & *Llama p. 4. c. 3. §. 4. & ſeqq.* in Ciſtercij favorem expreſsè pronunciant, à Tridentina Synodo privilegium hoc nuſquam revocatum eſſe, & quemadmodum ex *Philiberto Marchino Novarienſi Tract. 1. de Sacr: Ord: p. 2. c. 13. n. 9.* notat præcitatus *Caramuel*, aſſertum de privilegij per Tridentinum revocatione, ab adverſarijs Authoribus nequaquam probari, quæ probandi ſeu negligentia, ſeu impotentia magìs firmat oppoſitam veritatem. Quòd alij ſe fundent in praxi contraria, ſive privilegij non uſu, abſolvi debent á ſcrupulo per Virorum graviſsimorum teſtimonia, qui negatam praxim authenticè adſtruunt. Atque in primis ſapientiſſimus Caramuel *locô* ſupra *cit*: de privilegij hujus actuali exercitio hæc habet in terminis: *Hoc privilegium eſt in praxi, & hodie ſuperſunt, qui ad majores Ordines ab his Abbatibus fuerunt promoti.* Eadem aſſerit *Henriquez in Menolog: primâ Januarij in Annotat*: ubi hæc ille: *Hoc*

privilegium à varijs Pontificibus approbatum etiam hodie in ſuo vigore perſeverat; variòſque egomet vidi Monachos per præfatos Abbates ad Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordines promotos. Ejuſdem praxeos Patroni & teſtes ſunt Doctores Clariſſimi, *Llamas. p.* 4. *c.* 3. §.6. & *Victoria* quem adducit *Caramuel* locô citatô, aliíque. Igitur cùm in noſtra uſque hæc tempora fauſtè contiunatam praxim ignorare cenſendi non ſint Pontifices Maximi, qui profectò è ſuprema ſpecula vigilantiſſimè proſpiciunt, nè in jura præcipuè Epiſcopalia à quopiam temerè involetur, eandémque illi praxim olim fundatam per Innocentij Bullam, neque per Succeſſores Pontifices, neque per Conciliorum decreta ullatenùs abrogatam, ſcienter in ſuo primævo rigore hodie permittant, neque, cùm maximè poſſent, minimè contradicant, exiſtimandi ſunt probare, approbaréque conceſſam antiquitùs gratiam, quoniam ſcilicèt illa Pontificum non contradicentia, inſinuat fundátque tacitum eorundem conſenſum, qui apud Theologos ſufficit ad legitimam privilegiorum uſurpationem atque exercitium, præſertim ubi authenticè conſtat de gratiæ conceſſione, prout in noſtro hoc caſu. Hæc in Ciſtercienſium favorem, omnium quidem, præcipuè tamen eorum, qui ſeu Gallias ipſas, ſeu Gallijs propinquas terras incolunt, commodéque à vicino Generali ordinationis ejuſmodi beneficium conſequi poſſunt, domicilij viciniâ fortunati. Exiſtentes namque in plagis remotioribus, malunt ordinari á ſuis Diæceſanis, quàm experiri privilegium per tot impendia, è quibus extranei lucrum ferant. Porrò ſi vera eſſet in praxi pulcherrima ſpeculatio Eximij *D. Hilgeri Burghoff. in præcit: Elucid: Exempt: Ciſt: p.* 3. *c.* 16. poſſent per communicationis viam omnes & ſinguli Domini Abbates Ampliſſimi Ordinis Ciſtercienſis ſuis Monachis præfatos majores Ordines conferre, quod illi quidem, ùt ibidem ſcribit, videtur *minimè improbabile*; cùm nimirùm ex *Gregorij XIV.* conceſſione Abbates Congregationis Hiſpanicæ omnibus gaudeant primorum quatuor Abbatum privilegijs, inter quæ etiam eſt hoc ipſum, de quo ſcribimus: ad quam privilegiorum indefinitam ac generalem extenſionem per viam participationis communis etiam cæteri Abbates de univerſo Ciſtercio accedunt. Igitur ſiquidem Hiſpani Abbates eô privilegiô videantur probabiliter gaudere, non erit pariter improbabile

illô gravi

illô gaviſuros Abbates cæteros. Hæc *Hilgerus* pro Domo ſua tam rationabiliter, quàm liberaliter. At verò quanquam doctrina præſens probabilitate ſuâ noſtris placere debeat, hactenùs tamen intra ſpeculationis ac probabilitatis limites hæſit, ægrè inde egreſſura in praxim, niſi altiori, quàm Scholaſticorum arbitriô & adminiculô extrahatur. Illud tamen alterum, quod tradit illuſtriſſimus *Caramuel præcit. locô*, probabilius, ſimúlque practicabilius mihi videtur, quatuor nempe primos poſt Generalem Ordinis Abbates, de *Firmitate*, *Pontigniaco*, *Clara-Valle*, & *Morimundo*, non Monachis duntaxat ſuorum Monaſteriorum, verùm etiam omnibus ſuarum Filiationum ſeu linearum Religioſis majores illos poſſe conferre Ordines, ratio Caramuelis hæc eſt; quoniam videlicèt in Bulla *Innocentij*, ubi Pontifex loquitur de primis illis quatuor Abbatibus, eorundémque Monaſterijs, *nomine Monaſteriorum ſuorum omnes filiationes veniunt intelligendæ*; *ſunt enim Coabbatum Monaſteria, quibus præſunt authoritate extraordinariâ.* Atque ex hac doctrina poſſent Ciſtercienſes Profeſſi de Oſſeco, ſicuti & cæterorum Cœnobiorum in Regno Bohemiæ, Subdiaconatum & Diaconatum ſuſcipere ab Abbate de *Mori-mundo*, quia ſcilicèt ij omnes ſunt de filiatione & linea *Mori-mundi.* Hæc *Burghoff* & *Caramuel* quoad probabilem favoris extenſionem. Quod autem potiſſimùm commendat privilegij radicem atque vigorem in Generali & quatuor primis Abbatibus, eſt *Rituale Ciſtercienſe*, nuper iterum Annô 1689. authoritate & juſſu felicis memoriæ illuſtriſſimi Patris Generalis *Joannis Petit*, Pariſijs typis publicis donatum, ubi *Librô VIII.* qui inſcribitur de *Ritibus proprijs Abbatum*, inter alias ſacras cæremonias etiam *cap.* 17. *&* 18. præſcribitur ritus & modus ordinandi Subdiaconos atque Diaconos, per Ciſtercij primóſque quatuor Abbates, ſubſtitutô ſemper in *Epiſcopi* locum *Abbatis* nomine, quod foret haud dubiè valdè ridiculum, in Ciſtercio tradere ritus ad privilegij munerîſque alicujus exercitium, quod Privilegium aut noſtri nunquam obtinuerint, aut poſtquam obtinuerint, rursùs per contrariam ſeu legem ſeu conſuetudinem amiſerint. Inanis eſt rituum ſolicitudo de eo, quod facere omninò non valeas. Atque meâ quidem opinione, hoc unum *Rituale*, ſi præſentia, & velutì hodierna deſideremus & ſpectemus, in

quo puncto potiſsima eſt controverſia, adverſa omnia aliorum judicia enervat, atque evacuat; non enim poſſent Ciſtercienſes noſtri tam celebre in Eccleſia munus exercere, niſi olim per Innocentij Decretum ijs datum eſſet, ut poſſent: neque hodie exercerent, niſi id Pontificum voluntate ac gratiâ ſinerentur: Utrobique pro Ciſtercio ſtat Summorum Præſulum conſenſus, olim expreſſus per Bullam, hodie tacitus per conniventiam: per illum ſtat Privilegij primum robur, ac facultas, per hanc privilegij praxis atque exercitium. Præter allegatos ſupra Authores ſunt adhuc nonnulli apud Burghoff *loc: cit:* privilegij hucuſque tam commendati clariſsimi aſſertores ac vindices: *Forerus theſ.* 145. *Vaſquez*, *Tom.* 1. *diſp.* 243. *n.* 4. *Henriq. Lib.* 10. *c.* 23. *n.* 1. *Ugolinus de Poteſt. Epiſcop. c.* 29. §. 8. *n.* 2. *Suarez. Tom:* 4. *de Religione Lib.* 2. *c.* 29. *n.* 24. aliique complures apud *præcit: Forerum.*

Cùm in materia ſacrorum Ordinum verſamur, gemini adhuc à Nobis recitandi favores ad præſens argumentum ſpectantes. Primum Congregationi noſtræ apud Hiſpanos conceſsit *Leo Papa* X Annô 1514. in Bulla, quæ incipit: *Sacræ Religionis jugo*, vi cujus Monachis de Obſervantia Hiſpanica data facultas, ut nimirùm, tametſi vigeſimum ſecundum ætatis annum primò attigerint, quartâ & ſextâ feriâ, ac Sabbatho hebdomadæ *quorumlibet quatuor Temporum* ad omnes, etiam ſacros Presbyteratûs Ordines promoveri valeant. Unâ hâc conceſsione duas inſignes gratias concluſit Pontifex optimus; primò quidem ſupplendo notorium ætatis defectum in ordine ad ſuſcipiendum Sacerdotium, ſecundò, diſpenſando in interſtitijs, ordinúmque ſtatis temporibus. Diſpenſantur quidem hodie pariter eædem à Pontificibus gratiæ, minori tamen extenſione, ac numerô, neque enim toti aliquando Congregationi, & perenniter, quemadmodum olim apud Ciſtercienſes Hiſpanos, hodie, quod ſciam, illæ facultates collectivè conceſſæ fuêre, verùm ordinariè definitæ perſonis, & limitatæ duratione. Favoris ſubindè ejuſmodi fragmentum impetravit etiam à *Paulo III. Anno* 1534. pro Alcobacienſi Cœnobio apud Luſitanos Alphonſus Emmanuelis Regis filius, S. R. E. Cardinalis, Domûs illius Abbas Commendatarius, ut videlicèt non obſtantibus

obſtantibus decretis in contrarium, Monachi de Alcobacia, qui 22. annum ætatis attigiſſent, capaces eſſent ad omnium ordinum, atque etiam ipſiusmet Sacerdotij ſuſcipienda ſacra munia.

Favorum alter eſt, quem lego in Privilegiorum noſtrorum Volumine, *privil.* 21. conceſſum ab *Innocentio IV.* Annô 1246. Bullâ, quæ incipit: *Meritis Veſtræ Religionis:* ubi Pontifex ad Abbatum noſtrorum preces innovavit antiquam conſuetudinem, *perpetuis* deinceps *temporibus obſervandam*, quâ *Monachi Ordinis noſtri ab inſtitutione ipſius ſoliti ſint à Prælatis Eccleſiarum ſinè aliqua examinatione ad Ordines promoveri.* Ita Bulla in terminis. Nulli omninò ex univerſo Ciſtercio Pontificij decreti indulgentiâ à communi favoris participio rejecti, nisì ſoli illi, quos ſeu *notorium crimen*, *ſeu enorme corporis vitium* indignos reddiderint aut inidoneos. Quòd ſi Pontificum Romanorum annutu poſt Tridentinum idem favor in alia quædam Religioſa inſtituta diſpenſatus ſit, habet id gloriæ Melliflua Familia, quòd præceſſerit, fixerítque ante quatuor & amplius jam ſæcula gratioſa illa veſtigia, per quæ Succeſſores Ordines in eundem favorem faciliùs, præoſtensâ apertáque jam ſemel viâ, progredi valuerint.

Spectandum nunc eſt Ciſtercium Romæ, id eſt, in gloriæ amphitheatro cum novi ſplendoris fauſta acceſſione. Labebatur Annus milleſimus, ducenteſimus primus, noſtris fatalis, ſi penſanda ſint initia; at verò glorioſus in progreſſu & fine. Repetenda eſt paulò altiùs cum ſumma noſtrorum voluptate pulcherrimæ rei gratiſſima ſeries, (cujus nos jam alibi etiam meminimus) quæ vel una Ciſtercienſium omnium pectora in DEiparæ perennes dulcéſque amores captiva rapiat. Exigebat *Innocentius Papa III.* pro Terræ Sanctæ ſubſidio ab univerſa Eccleſia opem opéſque. Singuli per ſolicitum Pontificem aliquid contribuere ſeu juſſi, ſeu moniti: ab alijs quidem annuorum reddituum pars decima, ab alijs quadrageſima, à noſtris verò, ſicut & à Præmonſtratenſibus ac Carthuſienſibus ingentium privilegiorum intuitu, quinquageſima duntaxat portio poſtulata eſt. Mirum eſt in communi neceſſitate ſolos Ciſtercienſes hæſiſſe cunctabundos, ipſâ morâ & cunctatione confeſſos, minùs ſibi probari, quod Innocentius juſſerat. At

Ssssss verò

verò nolit, quæſo ſtatim Lector benevolus, cùm hæc leget, accuſare noſtros, damnaréque de crimine peſsimo, quaſi imperijs Pontificijs refractarios, ſuarúmque rerum cum Orbis Chriſtiani diſpendio malè tenaces. Expunget rigidam hanc cenſuram ferulámque ipſa Cœlitum Imperatrix, cùm ſuſceptâ clientum ſuorum cauſâ, mitiùs & glorioſiùs paulò infra pronunciabit pro Ciſtercio. Et quidem ſi pro illa ætate examinanda ſit Ciſtercienſium tenacitas, deprehendet Lector longè alia, quæ Ciſtercium commendent potiùs, quàm commaculent. Scilicèt qui majora & ampliora in pauperum uſus per dies ſingulos etiam de labore manuum ſuarum erogare conſueverant, exiſtimandi ſint modica illa ſinè judicio & miſericordia negaviſſe, quæ Pontifex pro Eccleſiæ emolumentis tantâ æquitate ac diſcretione poſtulaverat? Soli immunitati, quæ per centum jam annos à condito Ciſtercio, nullis unquam exactionibus tentata fuiſſet aut concuſſa, à noſtris timebatur. Per modica ſcilicèt hæc ſterni viam ad majora: & qui quinquageſimam prompti jam fortè ſolviſſent, aliquando invitos eſſe cogendos, ut quadrageſimam, imò & decimam penderent. In minimis etiam vitiari privilegia. Non defuturos utique ſe Eccleſiæ, qui tanta jam pro Eccleſia egiſſent. Mitiora ſi jubeantur, & quæ ſinè diſpendio immunitatum poſſent, parituros facilè, imò ultrò pro more occurſuros ad Pontificis nutus. In uno hoc durum ſibi eſſe, peccare in primos Ciſtercij Patres, qui pulcherrimum immunitatis nomen tantis curis ad felices poſteros intaminatum transmiſerint. Scilicèt ad ſucceſſores Fratres tranſituram hanc per ſe maculam, quòd primi in privilegia, atque inſuper *Innocentij* imperiô peccaverint: Subſidium, quod cæteri fideles, Ordinéſque unâ vice abſolverent, Ciſtercienſes quotidie repetere in egenorum ſolatia, quibus ſemper obſequioſa ſtaret Ciſtercij hoſpitalitas. Irent reliqui, ſuccurreréntque Palæſtinæ, ſe domi ſuæ pro more curaturos pauperes. Per diviſa eô pactô utrinque miniſteria atque ſubſidia, ſapienter proviſum fore Palæſtinis, egeniſque, quibus utriſque Divinâ humanáque lege debitor eſſet Orbis Chriſtianus. Verbô, ſinerentur Ciſtercienſes Innocentij indulgentiâ gaudere privilegiô, per cujus exercitium egenis tam bene eſſet. Hæc ferè Ciſtercienſes pro ſe apud

Pontificem; verùm cùm ille aliorum ductu ac conſilio à propoſito dimoveri haud poſſet, atque inſuper, ſi rogare, ſi cunctari perſiſterent, majora ſeſe fulminaturum minaretur in literis, noſtri ab offenſo Patre ad Matrem Virginem confugêre, per quam mitigandus haud dubiè Innocentius. Indicta per univerſum Ordinem ea generalis lex, ut per omnes quadrageſimæ dies in ſingulis clauſtris proceſſio inſtitueretur, in qua omnes nudis pedibus ſupplicantium mæſtiſſimô ritu inter preces & gemitus è Capitulo egredientes, pſalmóſque pœnitentiales voce lugubri recitantes, ad Eccleſiam procederent, ibíque ante Virginis aram proſtrati implorarent magnis votis fidæ Dominæ adjutorium: adeſſet nunc ſingulorum gemitu advocata in opem: filiorum eos eſſe clamores, qui olim in Bernardo, Patribúſque per prodigia favoréſque ab ipſa adoptati, deſeri ſanè jam non poſſent. Hæ communes preces ignium inſtar è tot millenis clientum labijs egreſſæ, indies evolabant ad ſuperna, penetratíſque nubibus cadebant ante Virginis auguſtum ſolium: quæ non diu paſſa eſt Filios hærere in ſqualore & luctu; verùm feſtinatis ſuppetijs, fauſtiſſimè oſtenſura ſe Matrem, è Cœlo in Ciſtercium, atque è Ciſtercio Romam properavit, ibíque *Rainerum*, Virum Sanctum, Monachum Ciſtercienſem Heiſterbacenſem ex Germania, olim Innocentij in Galliam & Angliam futurum Legatum, tunc verò ejuſdem Innocentij Confeſſarium, viſibiliter allocuta, nunciare eidem Pontifici juſſit: Deſineret perſequi Ciſtercium; ad ſe enim, tanquam ejuſdem Familiæ Advocatam pertingere, quidquid moleſtis decretis in Mellifluos alumnos attentatum ſit. Si in ſententia perſiſteret, daturum illum pœnas celeri fatô. Lubet audire ſuiſmet Innocentio loquentem verbis DEiparam *Lib. 1. c. 6.* apud *Cæſarium Heiſterbacenſem: Tu Ordinem Ciſtercienſem, cujus Advocata ſum ego, deſtruere conaris, ſed non prævalebis: & niſi citiùs de tuo malo propoſito reſipiſcas, ego te, & omnem poteſtatem tuam conteram.* Non offendatur his Cæſarij, imò Virginis verbis Lector Theologus, quaſi DEipara infauſti quidpiam moliri voluerit in Cathedram Petri, ejúſque urgere ruinam. Senſus namque verborum is eſſe debet, quem inſinuat Manriqueus, qui ex Cæſarij Dialogis, ſuis Annalibus ad *Annum* 1201. *cap.* 1. præſentem hiſtoriam inſeruit: *Afflictorum Conſolatrix*, ſcribit ille,

ſed præ alijs Advocata Ciſtercij, Virgo pijſſima per Rainerum -- Pontificem admonuit, Ciſtercio parere, ſibíque conſulere, nî faceret, non diu ſupervicturum. Itaque pro Ciſtercij conſervatione in ea comminationis ſeveritate vitæ Innocentij, eorúmque qui cum Innocentio Ciſtercienſibus adverſabantur, decreta clades; nîl tamen ſtatutum de excidio Pontificiæ poteſtatis, quæ etiam, extinctô per Virginem Innocentiô, ſalva omninò conſtitiſſet. A Rainero DEiparæ internuncio perculſus Pontifex, noluit expectare oraculi infauſtos eventus, an fortè Rainerus vera nuntiâſſet; at quoniam Viri Sanctitas Innocentio, Romanæque Curiæ ſatìs ſupérque eſſet perſpecta, probatáque, prævertit in tempore Virginis minas iráſque ſententiæ mutatione, atque immunitatum Ordinis egregius per Mariana auſpicia Patronus, eas novô diplomate (utì refert ex *Cæſario Angelus* locô citatô) illicò confirmavit, plaudente interim Ciſterciô quòd ſub Virginis præſidio tam fauſtè triumphaſſet. Et quaſi non ſatìs eſſet, ſtabilire duntaxat gratias veteres ſinè novi favoris impertitione, per quem velutì corrigeret ea Innocentius, quæ antea egiſſet, ſuperaddidit Ciſtercienſium privilegiorum cumulo clariſsimam gratiam, Ordinis Melliflui exiſtimationem ſuper cætera inſtituta glorioſè provehentem, quatenùs videlicèt in communi negotiorum concurſu, quæ ex Orbe Chriſtiano ad Curiæ Romanæ ſacerrimum Tribunal tractanda decidendáque devolverentur, una illa primô omnium locô deciderentur, quæ è Ciſtercio fuiſſent allata. Hoc ſcilicèt datum reverentiæ honoríque Virginis, & per Virginem Ciſtercienſibus, ut in Curia primi eſſent, pro quibus Roma non tam ſententias ferret, quàm gratias, nè fortaſsis novis rursùm quærimonijs Divina Parens Romanis indignari poſſet, quòd in fovendis Mellifluis alumnis eſſent tardiores. Addit *Cæſarius*, Innocentium, cùm mutatô jam conſiliô hunc ipſum favorem Bullâ authenticâ, ſuæque manûs, atque omnium Cardinalium ſubſcriptione firmare vellet, tantô zelô exarſiſſe in quendam Cardinalem contraria ſuadentem, ut purpurâ ac dignitate eum illicò eſſet exuturus, niſi ea ſenſiſſet, & ſcripſiſſet, quæ ipſe, Cardinaléſque omnes; indignum purpurâ ratus, qui non erubeſceret offendi Ciſtercio, pro quo Virgo, atque cum Virgine DEUS ſtaret, pugnarétque. Inſuper ut cum dulciori efficacia, gloriæque incremen-

incremento præſentiori ſentirent Ciſtercienſes eam Innocentij metamorphoſim, *Guido* Ordinis Generalis ejuſdem Pontificis gratioſô imperiô Romam evocatus, Collegióque Cardinalium adlectus eſt, cum inclyto charactere ac titulo *Epiſcopi Prænestini.* Tam ſcilicèt multari meruit, qui pro Ciſtercio contra Innocentium ſtetit. Supereſſe hodiedum videntur (quemadmodum traditione hucuſque accepi) glorioſæ hujus Scenæ, ſacræ quædam reliquiæ, apud Ciſtercienſes poſteros, qui ſingulis ferijs ſextis per quadrageſimam Pſalmos pœnitentiales è Capitulo egreſſi, proceſſionaliter recitantes, in Eccleſia tandem ante majus altare (quod ordinariè antiquâ Patrum ſeu lege ſeu conſuetudine Virgini in Cœlos Aſſumptæ ſacrum eſt) devotiſſimè ſeſe proſternunt, perſolvúntque ità coràm Diva Advocata provoluti Litanias de Omnibus Sanctis, ſive pro veteri beneficio non ingrati clientes, ſive pro futuro ſupplices filij. An verò Indultus ille favor de promovendis abſolvendíſque primô locô Ciſtercienſium negotijs in Romana Curia, ſive ex parte ſive ex integro antiquatus ſit, aut fortaſſe feliciùs in primo robore ſubſiſtat, in alterutram partem affirmare hìc nîl auſim, quouſque ultra Alpes plenior ad nos notitia pervolaverit. Et quanquam privilegium in uſu fortè ampliùs non eſſet, id tamen Mellifluæ Gentis gloriæ derogare in nullo poteſt, cui ſufficiat, olim illud meruiſſe, habuiſſéque, licèt interim per temporum injurias, quibus pleraque, & præcipuè hæc ſunt obnoxia, minùs jam fortaſſe in flore ſit atque vigore. Hæc DEipara, Innocentius, Purpuratíque Patres pro Ciſtercio: alia rursùs non minùs eximia pro eodem *Bonifacius VIII.* Convocaverat *Philippus* Franciæ Rex Pontifici perquam offenſus Annô 1303. (quemadmodum ex *Bzovio* tradit *Manriquens*) Pariſijs Conventum quendam Epiſcoporum Prælatorúmque, qui ex Regio arbitrio ac beneplacito ea ſentirent ſtatueréntque, quæ, velutì Eccleſiaſticæ immunitati præjudicioſa, Pontifex jam ante rejecerat. Regias partes, ùt habet *Bzovius*, univerſis amplectentibus, ſolus, pulchrum dictu! pro Bonifacio adversùs Philippum ſtetit, zelôque Apoſtolicô diſſeruit *Joannes de Pontiſara*, Ciſtercij Generalis 30. qui licèt quàm plurima ab irritato iratóque Rege timere potuerit Ciſtercio, maluit tamen in ea rerum convulſione deeſſe ſibi, ſuíſque, quàm Romæ, quæ utique ſi ſalva

Bzov. Tom. 3. Conciliorum.

Tttttt in Gallijs

in Gallijs perſiſteret, tum certè Ciſtercio tam malè eſſe non poſſe. Alia mox ſenſa in Pontificis favorem in illo conſeſſu placuêre Prælatis; ſolutùſque Conventus eventu longè diverſô, quàm Philippus pro ſe expectaverat. Quod cùm Bonifacius per nuntios lætus accepiſſet, ſtare, teneríque Romam in Gallijs per Ciſtercium, gemina inſignia beneficia *Joanni*, atque per eum Succeſſoribus in perpetuum conceſſit: Primò quidem ut Ciſtercij Generales deinceps valerent uti cerâ candidâ in obſignandis epiſtolis, inſtrumentíſque publicis. Beneficium alterum à Bonifacio impreſſum *Joannis* ſigillo, effigies videlicèt Præſulis induti Pontificalibus, atque ſedentis in Cathedra. Utuntur hodiedum eâ ſigilli gratiâ Pontificâ felices Ciſtercij Generales Succeſſores, prout exhibet *Liber Uſuum. L.* 8. *c.* 20. Vidíque ego in publicis Commiſſionum inſtrumentis à moderno Illuſtriſſimo Patre Generali ad Reverendiſſimum ſuum Vicarium Generalem, Abbatem noſtrum de Oſſeco nuperrimè perſcriptis, illius privilegij & ſigilli fauſtam perennitatem. Super quô favore gemino cùm diploma Generali extraderet Pontifex, vivæ vocis oraculô pulcherrimum præconium adjecit Orator Sanctiſſimus, maximúſque: *Mecum ſtetiſti, mecum ſedebis!* Alijs pro elogio pro laude ſit, olim ſtetiſſe, hodiéque ſtare pro Pontifice, pro Roma, at verò Ciſtercij gloria eſt, olim pro Pontifice ſtetiſſe, hodie cum Pontifice ſedere. Permiſſi relictíque ſtare omnes, ſoli in ſuo Capite Generali juſſi ſedere Ciſtercienſes; non quia fortè alij non bene pro Roma ſteterint, ſed quia non ſoli. Geminô haud dubiè beneficiô coronari meruit Ciſtercium, quòd ſcilicèt in Joanne Generali pro Apoſtolica Sede & bene, & ſolum ſteterit.

Spectavimus *Bonifacium* cum Ciſtercio ſedentem, nunc mutatâ Scenâ *Gregorium IX.* pro Ciſtercio ſtantem intueamur. In compendio res hôc locô repetenda eſt ex Manriqueo ad *annum* 1231. *cap.* 5. ubi memorat, Cives de Beligniaco, quod eſt oppidum Ciſtercio vicinum, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus cum Ciſtercienſibus litigâſſe, cauſámque multô litigiô protelatam ad Summi tandem Pontificis Tribunale devolutam eſſe. Recitatis ibi partis utriuſque argumentis, Gregorius IX.

qui tunc

qui tunc in apice Romani Pontificatûs ſedebat, litem diremit in favorem Ciſtercij: Cúmque Procurator Ordinis mandatum à Generali non haberet pro ultima cauſæ terminatione, & ex adverſo Beligniacenſes, litigij pertæſi, per ſuum Procuratorem Sententiam urgerent, ipſe Pontifex exhibiturus Ciſtercio poteſtatis ſuæ affectûſque plenitudinem, defectum officiúmque Procuratoris ſupplevit, utì patet ex fragmento literarum Apoſtolicarum, quod producit Angelus locô cit: -- *Nos tamen*, ſcribit Gregorius, *partem veſtram aſſumentes, ejus procurationis in hac parte defectum ſupplevimus de noſtra plenitudine poteſtatis.* His Pontificis verbis ſua ſubjungit Angelus; *atque hanc clauſulam notatu dignam cenſui, ut quantæ curæ Ciſtercium Gregorio eſſet, vel ex ipſa conjectari poſſet, quicunque leget.* Pro magno ſanè habere debent alumni melliflui, quòd ſenſerint Pontifices ſuis cauſis rebúſque faventes ſupremos Iudices; at verò cùm Romana illa faſtigia inclinari vident in ſua propemodum obſequia, officióque Procuratoris fungi, tunc tandem credere meritò incipiunt, Summos Præſules præcipuâ profectò ſolicitudine, amoréque curare Ciſtercij res & ſpes.

Paria & fortè majora quàm *Gregorius* in Ciſtercio vidiſſe atque ſuſpexiſſe credendi ſunt alij duo Pontifices Maximi, *Innocentius III.* atque *Honorius III.* quorum prior ille *Arnoldo*, hic *Gualtero*, qui ambo fuêre Ciſtercij Generales, ſermones ſuos, quos jam Tiarâ conſpicui ſanctiſſimô calamô conſcripſerant, ſimulatâ Pontificij honoris prærogativâ dedicavêre, quomodo ferè hodie ſolent clientes Mecænatibus ſuis: quaſi eæ ingenij lucubrationes â tantis Viris profectæ quidpiam ſeu pretij, ſeu tutelæ obtinere debeant à Ciſtercio. Vix hæc capient, credéntve poſteri, ij ſcilicèt, qui non eô animô oculôque Ciſtercium introſpicient, quô olim Innocentius, atque Honorius. Verùm Ciſtercienſibus pro minimo eſt ea exiſtimationis parvitas, dummodò in oculis illorum magni fiant, qui in Eccleſia ſunt ſummi.

Pro inſigni porrò commendatione Ordinis Melliflui recitanda hôc locô eſt prærogativa ex Bulla *Clementis IV.* quæ incipit: *Parvus Fons:* ubi Pontifex decernit, Abbatem Ciſtercij votorum concordiâ legitimè vocatum ad Familiæ ejus guber-

nacula, adhuc ante Confirmationis Apoſtolicæ beneficium, munere ſuô licitè validéque fungi poſſe, ſtante ſolâ electione Canonicâ. Audiendus Pontifex ipſe Bullâ citatâ: *Statuimus, ut in Monaſterio Ciſtercienſi celebratâ electione concordi ſecundùm morem hactenùs ſervatum, Electus prædictô modô concorditer, eô ipsô verus ſit Abbas Ciſtercij, & adminiſtrandi licentiam curámque animarum habeat; ac in omnibus pro vero Abbate perinde habeatur, acſi à Sede Apoſtolica confirmationis beneficium habuiſſet, à qua ipſum volumus & ſtatuimus confirmatum.* Hæc Clemens. At verò ego ex Clementis verbis, & indulto favore hæc: Epiſcoporum, atque Archi-Præſulum ea eſt ad Sedem Apoſtolicam neceſſaria relatio, ut antecedenter ad electionis ſeu præſentationis impenſam confirmationem Pontificiam, in Præſulatûs miniſterijs tentare quidpiam vix audeant. Igitur Præcipuæ Ordinis Melliflui commendationi id datum eſt per Romanos Antiſtites, qui ratum gratúmque habuerint, quidquid inclyta Ciſtercij Congregatio ſuô adſenſu probaverit.

Neque in Ciſtercij laudibus tacendum hìc illud, quod in favorem Mellifluæ Familiæ pronunciavit *Urbanus III.* in Bulla, quæ incipit: *Cùm Ordo veſter:* ubi noſtris data facultas, *in cauſis proprijs*, ſive quæſtionem civilem, ſive criminalem concernentibus, adhibendi teſtimonia Fratrum de gremio, quos ad hoc idoneos eſſe conſtiterit. Et quidem ratio, per quam inductus Pontifex ad eam conceſſionem, illicò ſubjungitur: *Nè* videlicèt *ex defectu teſtium jus noſtrum valeat deperire.* Cauſas proprias aut judiciô definire, aut firmare teſtimoniô, præter uſus & leges Tribunalium. Ab alieno ore tam laus petenda eſt, quàm abſolutio, & quæ abſolutionem urgeat, teſtimonij ferendi authoritas. Suſpecta ſuimet commendatio, ſeu id facias quà Judex, ſeu quà teſtis. Ad alios, non ad te ipſum pertinent hæc munera. In Ciſtercio tamen Pontificum privilegiô id peculiare, in proprijs audiri cauſis. Et fortè id datum probitati Societatis Mellifluæ, quæ Viros habeat exceptione majores, in quos vix cadere poſſit ſuſpicio falſi.

Producendi pariter hôc titulô favores per Romanos Pontifices conceſſi Ciſtercienſium Famulis, coloníſque. Recitanda in primis Bulla *Alexandri III.* ex integro, prolixior quidem, quàm

fortè

fortè hæ paginæ paterentur, digna tamen, quæ omninò tota pro noſtræ Familiæ acceſſoria velutì commendatione hìc ſpectectur. Sic igitur Pontifex: *Alexander Epiſcopus, Servus Servorum DEi, dilectis Filijs, Abbati Ciſtercij &c. Ex parte Veſtra fuit propoſitum coràm nobis, quòd nonnulli Eccleſiarum Prælati veſtris Libertatibus invidentes, cùm eis non liceat ex Apoſtolicæ Sedis indulto in vos excommunicationis, vel interdicti Sententias promulgare; in tenentes, ſeu firmarios ad annuum redditum terrarum veſtrarum extraneos, & eas propriô nomine excolentes, vel aliàs vobis communicantes, ſententias proferunt memoratas. Nos verò ſupplicationibus veſtris inclinati, nè quis Prælatorum hujusmodi Sententias in fraudem privilegiorum Apoſtolicæ Sedis de cætero promulgare præſumat, authoritate præſentium decernimus, eas non tenere. Inſuper Vobis, & Ordini veſtro concedimus, quòd firmarij, tenentes, ſeu ſervientes veſtri, in terris veſtris ſituati, à jurisdictione cujuscunque Judicis Ordinarii Eccleſiaſtici ſint quieti: & liceat vobis de cætero, & Capitulo veſtro de adulteriis, & aliis fornicationibus coràm vobis, ſeu aliis Commiſſarijs veſtris eos corrigere; atque etiam Divina audire in capellis veſtris, & Eccleſiaſtica Sacramenta recipere; ac ijſdem firmariis, tenentibus, ſeu ſervientibus in capellis veſtris Sacramenta miniſtrare, tam intra, quàm extra Monaſteriorum veſtrorum ſituationem. &c. Sanè ſi quis Archi-Epiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, Diaconus, aut aliquis eorundem officiorum, propter hoc in vos, vel in Monaſteria, Eccleſias, ſeu Capellas veſtras, tenentes, firmarios, aut ſervientes veſtros ſituatos, vel in Sacerdotes veſtros nomine veſtrô in Eccleſiis veſtris, ſeu capellis miniſtrantes, aut Eccleſiarum Miniſtros aliquos aliquam ſententiam protulerit, illam omninò non valere cenſemus. &c. Idibus Novembris, Pontificatûs noſtri Annô tertiô.* Hæc Alexander profeſſione, affectúque Ciſtercienſis. Obſervat eleganter locô præcitatô *Manriqueus*, conceſſionem hanc fuiſſe ex eo novam & inuſitatam, quòd licèt eouſque una alteráve Eccleſia unà cum Famulitij atque colonorum numeroſa appendice taliter legeretur exempta; integram tamen Religionem ijs cumulatam prærogativis ante Ciſtercium fuiſſe nunquam, verùm Mellifluam Familiam in ea re primam facem prætuliſſe Ordinibus cæteris, ad quos ſubinde noſtrorum exemplô eadem exemptionis amplitudo extenſa ſit, ut non modò Religioſos, verùm inſuper & Servitores, Colonóſque haberent exemptos.

Simile quidpiam conceſſit *Innocentius IV.* Bullâ, quæ incipit: *Cùm â Nobis petitur*, ubi pro acceſſoria rursùs Ciſtercij immunitate, authoritate Pontificiâ prohibentur Eccleſiarum Præſules ac Prælati promulgare excommunicationis ſeu interdicti ſententias in noſtros *Familiares*, nobis *ſervientes*, ac illos, *qui molunt in molendinis*, vel *coquunt in furnis* noſtris, quíque *vendendo*, ſeu *emendo*, *vel aliàs nobis communicant.* Quòd ſi verò adversùs Sanctionem hanc Apoſtolicam præſumptione peccatum fuerit, prolatas ſententias irritas eſſe atque inanes.

Eximia præterea ſunt, quæ *Sixtus IV.* Annô 1478. Ciſtercienſium *Servitoribus*, *continuis Commensalibus*, *Procuratoribus*, *Nuncijs* conceſſit, relata in *privileg:* 106. ut nimirùm omnes illi præcitati quotieſcunque Capitulo Generali interfuerint, ab omni prorsùs cenſurarum genere, ſeu alia quacunque demum pœna Eccleſiaſtica à jure, vel ab homine lata, inſuper ab omnibus delictis & exceſſibus quantumcunque enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolvi, atque pleniſſimæ diſpenſationis beneficium in quacunque irregularitate quôcunque modô, & qualitercunque contracta, itémque plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem, ſanctúmque Jubilæum obtinere valeant. Ijſdem quoque privilegijs unâ eâdémque conceſſione donati Ordinis univerſi *Abbates*, *Priores*, *Monachi*, *Novitij*, *Converſi*, *Donati.* Quæ gratiarum plenitudo ex eo penſanda magìs, quòd pro Capitulorum Generalium recurſu iterum iterúmque reſumi poſſit.

De *Exemptione* à præſtandis *decimis* illud iterum peculiare eſt in Ciſtercio, quòd is ipſe exemptionis favor indulgentiâ Pontificiâ primò omnium noſtris collatus, in alias ſacras Familias *ſeu æmulatione*, *ſeu exemplô*, ùt aſſerit Manriqueus ad *annum* 1179. *cap.* 3. *num.* 3. deinceps propagatus ſit. Exemptionis primitiæ procuratæ Stephani Parentis Sancti induſtriâ ab *Innocentio II.* Annô 1132. Conceſsionis literas recitat *Angelus* ad eundem annum, *cap.* 1. *num.* 5. in quibus hæc lego: -- *Statuimus, ut de laboribus, quos vos, & totius veſtræ Congregationis Fratres proprijs manibus, ſeu ſumptibus colitis, & de animalibus veſtris decimas expetere, vel recipere nemo præſumat.* Fulminatæ ſimul in eodem diplomate ab Innocentio diræ in illos, qui Conſtitutioni ejusmodi auſi fortaſſe contrave-

contravenire. Rationes, quæ Pontificem permoverant ad favoris impertitionem, egregiô fervore ſapientiſsimè exaggerat more ſuô *Angelus* cit: *ad annum* 1132. *c.* 1. *n.* 2. *Æquum*, ſcribit ille, & *Juſtitiæ ſatìs conſònum, ſi is favor Ciſtercio concederetur, quòd ſe ab initio decimarum jure, cunctis aliàs Ecclaſiaſticis permiſsô, ob ſolum Chriſti amorem abdicâſſet, quin & cæteris bonis renuntiâſſet, de quibus nihil foret redditurum. Nam cur ſoli, inter omnes Eccleſiaſticos, decimas à nemine exigerent, omnibus redderent? Cur qui ſe ob Chriſtum tot bonis ſpoliaſſent, non aliquam à Chriſti Vicario recipere deberent compenſationem?* Igitur is favor ſub illa tempora adhuc novitius, ob æquitatis exigentiam indultus noſtris in remunerationem, quòd ſcilicèt omninò digni abſolvi à decimarum onere, qui eô debitô merè liberaliter cæteros jam priùs abſolviſſent: & digni ampliùs, qui primi gauderent eô privilegiô, qui favori decimandi alios, primi renunciâſſent. Ità quidem gratia primitùs ſurrexit, tolerata, quanquam nova & inſueta, à Clericis, quoniam rationabilis, aucta etiam lapſu temporis ex parte per leges Pontificias, ut jam noſtris alij decimas penderent, quod initiô diſsimulatum erat; à ſolis tamen Cluniacenſibus accepta graviter, quòd noſtri ſubtraherentur à decimis eidem Domui perſolvendis. Creſcente porrò poſſeſsionum noſtrarum culturâ, numerô, ac redditu, oppugnari privilegium cœpit ab Eccleſiarum Prælatis in Concilio Generali ſub *Alexandro III.* Romæ celebrato. Perſtitit nihilominùs diſpenſatus ſemel favor, & querimoniæ Præſulum compoſitæ viâ *conventionis amicabilis*, noſtríque permiſsi in privilegij favore gemino, non ſolvendi decimas alijs, & eas inſuper ab alijs percipiendi. Conſtabilivêre eandem gratiam pro Ciſtercio in ſpecie *Honorius III.* Conſtitut: *Cùm Abbates*, *Martinus V.* Conſt: *Militantis Eccleſiæ*, *Sixtus IV.* Conſtit: *Diſpoſitione Divinâ*, & præſertim *Gregorius* X. Conſtit: *Inveſtitu deaurato*, in qua de Conſilio tredecim Cardinalium Perſonas Ordinis, loca, ac bona omnia à decimis, aliíſque quibuslibet exactionibus eximit, ſententiáſque, quæ fortaſſe adversùs noſtros ob decimas non ſolutas pronunciatæ ſint, pleniſsime evacuat. Sunt hodie Ciſtercienſes in gratiæ indultæ fortunata poſſeſsione, quæ ex eo fit glorioſior, quòd ea ſit *prima exemptionis radix*, quemadmodum aſſerit *Richardus* Archi-Epiſcopus Cantuarienſis citatus à Manriqueo ad

annum 1179. *c.* 3. *n.* 5. quæ ſeſe multâ fronde in aliena inſtituta explicuerit, ex quo potiſsimùm capite præſens favor, quoniam Ciſtercio peculiaris, recitandus hìc fuit.

Occaſione commendatæ jam exemptionis nova in Ciſtercij decus emerſit gratia, conceſſa ab *Alexandro III.* qui, cùm intellexiſſet, noſtros vexari à nonnullis è Clero, reſcripta Pontificia adversùs eoſdem in decimarum materia impetrantibus, ſuppreſsô Ciſtercienſium nomine,quô faciliùs elicerent Romani Præſulis adſenſum, inſigni decretô ſaluberrimè cavit, nè eâ viâ, modôque deinceps ullatenùs noſtris immunitatibus illuderetur, editô ſuper hoc reſcriptô: *Cùm Ordinem Ciſtercienſem*, quod in Corpore Juris Canonici clauſum circumfertur. Cautum eâ lege eſt, nè Reſcripta Pontificia, quantumcunque ea ſint generalia, latéque patentia ullâ ratione noſtros tangere præſumerentur, nisì eorundem *expreſſa in illis & ſpecialis fieret mentio.* Hæc *Alexandri* pro Ciſtercio ſolicitudo commendavit impendiò univerſum Mellifluum Sodalitium Orbi orthodoxo, dignum ſanè aliorum etiam amoribus, cui Pontifex tantis, & tam præcipuis curis proſpexerit. Id ipſum privilegium annorum ſeptuaginta duratione aliquatenùs à primo vigore uſúque langvidum,novô robore bis innovavit *Gregorius* IX. alter & ipſe Ciſtercienſium Alexander. In eundem pariter ſenſum locutus eſt *Joannes* XXII. Bullâ, quæ incipit: *Religionis veſtra*; in qua Papa declaravit, non teneri noſtros ad præſtandas ullas exactiones quôcunque nomine à Sede Apoſtolica, ſive Ejuſdem Sedis Legatis imponendas, nisì literæ, per quas ea ſubſidia collectæque poſtularentur, *plenam & expreſſam de Ordine Ciſtercienſi fecerint mentionem*, *etiamſi contineatur*, (notet Lector Pontificis cautelam) *in eisdem literis*, *quod id*, *quod per eas mandatur*, *fiat aliquâ indulgentiâ non obſtante*: Caſſatis præterea ſententijs omnibus, quæcunque fortè adversùs noſtros occaſione prædictorum prolatæ fuiſſent. Ejuſdem rursùs prærogativæ fauſtam memoriam lego in Bulla *Innocentij VIII.* quæ incipit: *Ad Romani Pontificis*, in qua cùm multa præclara pro Ciſtercienſium exemptione ſanciviſſet Innocentius, tandem favores favore concludit, accumulátque in hæc verba: *Nec ipſi ſic exempti* (Ciſtercienſes) *coràm illis* (Ordinarijs) *aut ipſius Sedis Delegatis vel Subdelegatis*,

legatis, niſi in literis eis pro tempore directis de præſentibus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio fiat. Qui favor ex Manriquei ſententia ad *annum* 1169. *c.* 3. *n.* 1. ſub illud tempus *ſingularis* fuit, *atque eatenùs non viſus, quanquam* pòſt etiam *ab alijs æmulatus.*

Recitandæ nunc Pontificiæ gratiæ conceſſæ noſtris in materia *Appellationis*; Atque in primis privilegium *Alexandri III.* quod in ſuis Annalibus refert *Angelus annô* & *cap.* mox *cit: num.* 4. ornátque clarô & rarô elogiô, cùm illud compellat *indultum ingens, &, ſi cuncta perpendas, ſinè exemplo*, vi cujus Abbatibus per ſententiam Ordinis è loco ac dignitate movendis omnis penitùs Facultas adempta eſt appellandi ab ejusmodi ſententijs ad Tribunal quodcunque extraneum, nè quidem, quod mireris ampliùs, ad Sedem Apoſtolicam; quaſi Ciſtercienſium ſententiæ tam æquæ forent, rectíque tenaces, à quibus omninò appellari non debeat. Adducit fusè & eleganter cit: *Angelus* argumenta in utramque partem, per quæ favor aut diſsuaderi, aut ſuaderi, impetraríque à Pontifice potuerit; priora quidem pro reis Prælatis: *appellationis* ſcilicèt *remedium tributum ijs eſſe à natura, à Chriſto: illâ admittente propriam defenſionem per qualibet remedia; hôc ſubſtituente pro ſe Summum Pontificem, qui cauſas omnium audiat, perpendat, judicet, & liberet oppreſſos à potentioribus --- An ſoli Ciſtercienſes in toto Orbe ſinè timore iudicent, quaſi qui à nullo veniant corrigendi? Sinè ſpe judicentur, qui à nemine veniant vindicandi? An Eccleſia Romana, quæ cunctis patet, ipſis ſolis claudatur; nec correctura injuſtos, neque injuſtitiam patientes liberatura?* Hæc & plura in reorum favorem diſsuadebant, haud rectè præcidi appellationis remedia. At verò alia ſtabant ex adverſo, quorum aliqua ejuſdem *Angeli* verbis hìc recenſenda: *Judicia nimirùm Patrum propenſa ſemper eſſe in Filios: neque abſolvi ab exteris debere, quem ipſi, qui genuiſſent, condemnâſſent. Neminem hactenùs depoſitum injuſtè; & proviſurum DEUM, ut neque quis deinceps deponeretur. Sed eſto ſinè cauſa ſufficienti; at non ideò injuſtè, nullô in Monacho jure reſidente, quod lædi poſſit. An qui nihil, ùt proprium poteſt acquirere, Prælatiam acquirat? Aut jus in illam vendicare poterit, qui neque in veſtem poteſt aut quidpiam aliud? Addictus tali miniſterio fuit, quia ità videbatur; removendus, non deponendus, quando & quoties vi-*

Xxxxxxx *ties vi-*

ties videbitur; non quia meretur, ſed quia præcipitur: nec ipſi aliud incumbit, quàm obedire. Religioſo opinionem conſtare integram, non ex adepta aut amiſſa dignitate, ſed ex ſervata, aut violata profeſſione. Reſignationem propriæ voluntatis, ſummam illius laudem, in hoc conſiſtere, quòd in nullo, Prælato contradicat. Prævalebant in mente *Alexandri* poſteriora hæc, ut ſubſcriberet adversùs appellationes Ciſtercio præjudicioſas, editis Annô 1169. ſuper hoc Pontificijs literis, quarum initium: *Attendentes, quomodo vos.* Atque hæc quidem appellandi cohibitio ſolos, ſi ſtemus Decreti literæ, ſpectare videtur Abbates. Latiùs progreſſus eſt *Innocentius VIII.* in bulla, quæ incipit: *Etſi pro cunctorum*, ubi pro Ciſterciæ Familiæ præcipua commendatione generaliſſimè ſtatutum eſt, ut nulli deinceps perpetuis futuris temporibus de Univerſo Mellifluo gremio, ſive Abbati, ſive Monacho, ſive alteri cuivis perſonæ de Ordine, imò & Commendatarijs quibuſcunque liceat ab Abbate Ciſtercij, aut Viſitatoribus extra Ordinem quôvis modô, neque etiam ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, niſi *pro notoria ac manifeſta injuria*, ac in eventu *denegatæ Juſtitiæ*: appellationibus, ſi quæ factæ fuerint, declaratis frivolis, irritis, ac inanibus: pœniſque pro perſonarum conditione ſeu ſuſpenſionis ſeu excommunicationis adversùs transgreſſores pronunciatis: ídque Decretum ab *Innocentio* emanavit motu propriô, de mera liberalitate, ac ex certa Scientia, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine. Eadem ferè contra appellantes à ſententijs Ordinis *Alexander IV.* Conſtit: *Virtutum meritis. Bonifacius VIII.* Conſtit: *Ad augmentum. Pius II.* Conſtit: *In ſuperna dignitatis.* E quibus perſpicuum fit, quanta de Ciſtercij æquitate ac Sanctimonia apud Summos Eccleſiæ Præſules ſteterit exiſtimatio, qui per ea Privilegia Patrum Ciſtercij ſenſa antevertentes, eadem de eximia rectitudine Orbi Chriſtiano luculentiſſimè commendaverint.

Sequitur modò favor ampliſſimus, quem præcipuô emolumentô ſensêre Sacræ Religionum Familiæ in ſua commoda atque incrementa è Ciſtercio profluxiſſe. Recitat eundem Manriqueus ad *annum* 1119. *cap.* 6. & rursùs ad *annum* 1215. *cap.* 5 ubi multus eſt in extollendo clariſſimo charactere, quô ornati noſtri per Concilij *Lateranenſis* ſub *Innocentio III.* celebrati decreta,

decreta, ut nimirùm Ciſtercienſium Abbatum ductu ac authenticâ præſidentiâ aliæ Religiones ſua deinceps celebrarent Capitula, legéſque amplecterentur, quas in ijs Generalibus conſeſſibus Præſides è Ciſtercio ſanciviſſent. Superſtat hodiedum Privilegium in Corpore Juris Pontificij, *cap. in ſingulis: de Statu Monachorum:* cujus nonnulla fragmenta, quæ ad rem noſtram, hìc dabimus. Ait itaque citata Sancta Synodus *cap.* 12. *In ſingulis Regnis ſive Provincijs fiat de triennio (ſalvô jure Diæceſanorum Pontificum) commune Capitulum Abbatum atque Priorum Abbates proprios non habentium, qui non conſueverunt tale Capitulum celebrare. Et poſt pauca. Advocent autem charitativè in hujus novitatis primordiis duos Ciſtercienſis Ordinis Abbates vicinos, ad præſtandum ſibi Conſilium, & auxilium opportunum, cùm ſint in hujuſmodi Capitulis celebrandis ex longa conſuetudine pleniùs informati. Qui abſque contradictione duos ſibi de ipſis aſſocient, quos viderint expedire: ac ipſi quatuor præſint Capitulo Univerſo.* Et iterum: *Huiusmodi verò Capitulum aliquot certis diebus continuè iuxta morem Ciſtercienſis Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obſervantia regulari, & quod ſtatutum fuerit illis quatuor approbantibus, ab omnibus inviolabiliter obſervetur, omni excuſatione & contradictione, ac appellatione remotis.* Et infrà: *Hoc ipſum Regulares Canonicos ſecundùm Ordinem ſuum volumus, & præcipimus obſervare.* Et tandem: *Perſonis, quæ præerunt Capitulis celebrandis, diſtrictè præcipimus, ut per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, compeſcant Advocatos, Patronos, Vice-dominos, Rectores, & Conſules, Magnates, & Milites, ſeu quoslibet alios, nè Monaſteria præſumant offendere in perſonis, ac rebus. Et ſi forſitan offenderint, eos ad ſatisfactionem compellere non omittant, ut liberiùs & quietiùs valeant Omnipotenti DEO famulari.* Subjungit *Angelus cit:* ampliſſimæ ejuſmodi conceſſioni erudita ſua ſenſa in hæc verba: *Ergo quà Præſides, quà Conſervatores, latores legum, & cauſarum Judices, & ſi quæ alia munia habent Capitula, nec Monachorum tantùm, ſed & Canonicorum Regularium, omnia per Ciſtercienſes, in ejus novitatis primordijs mandata exequi, non ſinè ingenti proventu Religionum.* Notat porrò hìc laudatus *Angelus*, tenore decreti eos ſolos Ordines comprehendi, in quibus Capitula necdum in uſu fuerant: adeóque Præmonſtratenſes, tametſi in decreti contextu veniant nomine Canonicorum Regularium, verba Concilij

non tangere aut ſtringere, cùm apud eos Capitulorum uſus jam ante Concilium viguerit. At verò aliâ lineâ magnus Doctor Præmonſtratenſes ad Ciſtercium pertrahit, quòd ſcilicèt, quanquam ij è Ciſtercio non obtinuerint Capitulorum ſuorum Duces ac Magiſtros *lege Concilij*, acceperint tamen è Mellifluo Ordine eorundem Capitulorum primam normam jam dudum ante Concilium, quod clariſsimè inſinuat per ea verba: *qui* (nimirùm Præmonſtratenſes) *Capitula dudum à noſtris accepiſſent.* Itaque omnis ille ſacerrimus fulgor, qui hodie in Ordinum Religioſorum Capitulis eſt quàm plurimus, primitias celeberrimæ lucis antiquitùs hauſit è Ciſtercio. Tam autem olim erat feſtiva ac celebris Capitulorum Ciſtercienſium Sanctitas ac reverentia, *ut Reges*, *Principes*, (verba ſunt Manriquei ad *annum* 1119. *cap.* 6. *n.* 5.) *Epiſcopi*, *Prælati*, *atque ipſa etiam totius Eccleſiæ Capita* (*Romani Pontifices*) *ad eorum celebrationem convenirent*, *atque Ciſtercium tempore Capituli*, *velutì loca Sacra viſitarent*, *admiraturi Viros*, *Seſſionéſque*, *atque Orationes ab eis impetraturi.*

Tanti in Capitulis Ciſtercienſes: neque minores in *Viſitationibus*; ſæpè numerô enim noſtris olim per Romanos Pontifices impoſita Eccleſiarum, Monaſteriorúmque viſitatio, nunquam tamen per aurea illa Ciſtercij ſæcula noſtri viſitati ab exteris: quod luculentis verbis in Mellifluo Sodalitio laudat *Alexander IV.* in Bulla, cujus initium: *Virtutum meritis*, ex qua interim modica hæc, ſed glorioſa vocabula ſufficiat tranſumpſiſſe: *Ordinem* ſcilicèt *Ciſtercienſem nunquam viſitationis*, *vel correctionis alienæ officiô indiguiſſe.* Avitam hanc prærogativam non admittendi Viſitatores, niſì ex gremio, pro Ciſtercio rursùs innovavêre, *Innocentius VIII.* Conſtit: *Fide dignorum*, *Gregorius XIII.* Conſtit: *ſupernâ diſpoſitione*, & *Innocentius* X. Conſtit: *Exponi nobis*: aliíque. Lego favoris glorioſi fauſtum ſpecimen apud Manriqueum *ad annum* 1227. *cap.* 8. referentem ex *Bzovio*, *Gregorium* IX. prælibatô annô quibusdam de Ordine Prædicatorum demandantem viſitationes Monaſteriorum Sanctimonalium Ordinis cujuſcunque, per Patavinam, Veronenſem, & Terviſinam in Italia diæceſes, excepiſſe expreſsè Virgines *Ciſtercienſes*, & *Damianitas*, ſeu *Clariſſas*, quæ poſteriores tunc adhuc per

leges

leges Ciſtercij à Venerabili Viro *Ambroſio* Monacho Ciſtercienſi authoritate Apoſtolica regebantur, prouti infra *Tit*:27. memorabimus. Ex præſenti favore nova lux Ciſtercienſibus acceſſit, per cujus radios ampliùs in eorundem gloriam proſpicere valeam, ubi id præcipuè obſervo, Pontifices Romanos in generalibus non raró decretis peculiari affectu atque cautelâ conſuluiſſe Mellifluis clientibus, eorundémque exemptioni ac indemnitati ſtabiliter conſervandæ. Quod pariter notari poteſt in *Hadriano IV.* qui dum Annô reparatæ ſalutis 1158. quæcunque aliorum Ordinum privilegia revocaret, ſolos ab ea revocatione exemit *Ciſtercienſes* atque *Templarios*, *parentes & filios*, quemadmodum notat Manriqueus, ut proinde feliciſſima illâ Mellifluæ Familiæ ætate Summi Præſules privilegiorum Ciſtercienſium quàm ſtudioſiſſimi fuiſſe dignoſcantur.

Privilegiorum nomine atque occaſione inducor ad recitandum favorem, quem pro Ciſtercij indemnitate ſtatuêre *Urbanus IV.* & *Pius.II.* Prior ille quìdem Conſtitut: *Dilecti Filij*, Univerſos Eccleſiarum Prælatos præcepti ſeveritate ſtringendo, ut *Privilegia*, *Indulgentias*, *libertates*, *conſuetudines rationabiles ac antiquas* Ciſtercienſis Ordinis pro Apoſtolicæ Sedis reverentia firma & illibata conſervarent; Poſterior verò, Conſtit: *Etſi quibuslibet*, præter Eccleſiarum Prælatos, inſuper omnes Chriſtiani Orbis Principes ac Rectores quoſcunq; *rogando*, *monendo*, *hortando*, eíſque in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna præcipiendo, ut Ciſtercienſes *Privilegijs ſuis*, *immunitatibus*, *exemptionibus*, *libertatibus*, *gratijs*, *Conſervatoriis*, *& indultis* gaudere permittant pacificè & quietè. Ingens hæc Pontificum Romanorum pro uno Ciſtercio ſolicitudo commendat Sacerrimi ejusdem inſtituti plurimam felicitatem, in cujus conſervationem Antiſtites Maximi tantô verborum apparatu jubeant conſpirare Orbis Principes & Præſules. Neque privilegiorum ille Ciſtercienſium quantus quantus ſplendor per Tridentini Decreta adeò emunctus eſt, ùt quorundam fert opinio meticuloſa, verùm in multis probabiliter erronea. Stat adhuc potiſsimus, plurimôque clarus radiô, Pontificum inſuper roboratus recentibus Bullis. Quam quidem theſim methodô Scholaſticâ ferventer & eruditè propugnat ſupra cit: Burghoff

Yyyyyyy in ſua

in ſua Dilucid: Exempt: Ciſt: *part.* 1. per integra quatuor capita, ſeptimum ſcilicèt 8. 9. & decimum: ubi oppoſita in contrarium ſolidè diluit, præcipuúſque in illo eſt, ut evincat, adjectas clauſulas in Bulla privilegiorum confirmatoria Innocentij X. quas nonnulli exiſtimant fatales, nimirùm, *in quantum in uſu ſunt, Sacríſque Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adverſantur*, nîl officere eorundem privilegiorum integritati. Satìs ſit hôc locô Virum & fontem inſinuâſſe, unde veritas hæc comprobari valeat: qui ſi ad manum eſt, plura Lectori ſuggeret pro aſſertionis noſtræ ſtabilimento.

Memorandæ quidem etiam forent hôc Titulô Legationes, aliáque negotia publica, quæ Pontificum auſpiciô imperiôque injuncta noſtris per univerſam Rempublicam Chriſtianam; at verò eorundem ſolam memoriam interim hìc obiter dediſſe ſufficiat, quoniam ire per ſingula ob rerum prolixitatem non poſſum: ſparſa eſt pulcherrima hæc Hiſtoria per Romanos, Regnorúmque Faſtos, quam in ſuis etiam Annalibus quàm plurimam exhibet Manriqueus, docétque, complures è Summis Pontificibus ad Eccleſiæ ardua negotia Fauſtos per Orbem orthodoxum Nuntios, arbitróſque præcipuè evocaviſſe è Ciſtercio: quod vel maximè videre eſt in *Alexandro III. Innocentio III. Honorio III. Gregorio IX.* qui pro Eccleſiæ ſive ampliùs provehenda, ſive denuò reſtauranda felicitate vix alijs tam uſi Legatis, quàm alumnis Mellifluis, per quos toties inter Reges Principéſque pax & fædera fauſtiſsimè coaluerint.

Id tamen pro Ciſtercio rursùs glorioſum, quòd Viri illi Melliflui atque digniſsimi, nullâ omninò ambitione, in publicas illas illuſtréſque functiones ſeſe ingeſſerint, verùm ſolô Pontificum arbitriô electi, iréque juſsi, contemplationis monaſticæ dulcedini antehabentes Sponſæ Chriſti, Eccleſiæ, proſperitatem, imò, quod ampliùs, adversùs eosdem honores per Privilegia ſeſe munientes. Ea res non ſinè admiratione ſpectanda in Abbate & Priore *Bonæ-Vallis*, qui cùm ſub Commiſſionum ſibi impoſitarum frequentia gemerent, Monachos ſe, qui mundum de induſtria fugerint, nunc iterum in medio ſæculi, Tribunalium, Curiarúmque negotijs hærere implicitos, ab *Honorio III.* Pontifice Maximo privilegium impetrârunt, quô ſeſe deinceps

inceps tuerentur, ſi fortè pro more ad Legationum honores evocarentur. Recitat hoc ipſum Privilegium Manriqueus ad *annum* 1222. *cap.* 8. ſimúlque aſſerit, id ipſum ante *Laudenſes* Monachos, alióſque feciſſe. Gloriosum ſanè facinus, & contra communem mortalium ſtylum, ſubducere ſe functionibus, quæ illuſtriſſimos titulos, plauſus, amplioréſque ſpes veluti in muneris bene geſti ſtipendium ſecum veherent.

Producendus etiam hic favor conceſſus *Obſervantiæ Hiſpaniarum* à *Julio II.* in Bulla, quæ incipit: *Sacræ Religionis*, *& regularis inſtitutionis*, & à *Leone* X. in Bulla, quæ incipit: *Sacræ Religionis pietas*: In quarum prima Julius Papa omnibus ejusdem obſervantiæ Abbatibus, Abbatiſſis, Monachis, Monialibus, Converſis, Novitijs, Oblatis, Commiſſis, Officialibus, & Donatis ampliſſimam Facultatem impertitur, conſequendi omnes & ſingulas Stationum Indulgentias Almæ Urbis ſive per quadrageſimam, ſive per reliquum anni decurſum conceſſas, ſi nimirùm in proprijs Cœnobiorum Eccleſijs, aut etiam extra, duo vel tria altaria eligenda per ipſosmet, ex Pontificum præſcripto viſitaverint, quas conſequerentur, ſi perſonaliter Romam adeuntes Urbis Eccleſias viſitarent. In Bullarum altera *Leo* Papa eam conceſſionem extendit extra Monaſteria inſuper ad Ordinis Grangias, (hodierni Villas dicunt ſeu Domos œconomicas Sacellô quòpiam ornatas) ut videlicèt quæcunque perſonæ in memoratis Ciſtercienſium grangijs & domibus, ſive etiam alibi pro negotijs Ordinis commorantes, conſequi valeant omnes Urbis indulgentias, ſi duo vel tria altaria, ùt præfatum eſt, in quibuscunque Ordinis Eccleſijs viſitaverint, eáque ritè perſolverint, quæ alioquin Pontifices Maximi ab ejuſmodi viſitatoribus exigere conſvevêre. Quæ gratiæ etiam per communicationis lineam in reliquum Ciſtercium profluxêre. *Burghoff in Elucid: Exempt: Ciſt: part:* 3. *cap.* 15. ex *Rodriquei* generali theſi probabilem ſententiam, praxímque pro Ciſtercio affert, videlicèt non Religioſos modò, verùm & eorundem Parentes, Fratres, Sorores, Eccleſias Ordinis, juxta præordinatas leges viſitantes, lucrari omnes indulgentias Stationum Urbis. Obſervandum illud ampliùs de Ciſtercienſium *Grangiis*, quòd eas *Eugenius III.* in Conſtit: *Sacro-Sancta Romana*

immuues ab omni violentia declaraverit, non ſecùs, ac atria Eccleſiarum: ſubindéque etiam *Urbanus III.* in Bulla, quæ incipit *Cùm Ordo veſter*, declaraverit, arcendos illos excommunicatione, qui infra unum milliare ab Abbatijs vel grangijs noſtris auſi extruere ædificia vel manſiones, ut nempe eâ ædium ac mortalium elongatione Sanctiſsimæ Ciſtercienſium ſolitudini, pacíque quàm ſaluberrimè conſuleretur.

De Interdicto Eccleſiaſtico memorandum indultum *Urbani IV.* in Bulla, quæ incipit: *Devotionis augmentum*, in qua conceſſum noſtris, tempore generalis interdicti celebrare Divina, non quemadmodum hactenùs, januis clauſis, & ſubmiſsâ voce, quod indulſerat *Eugenius III.* in cit: Bulla: *Sacro-Sancta Romana*, verùm ſolemniter, januis apertis, & altâ voce, excluſis tamen à Divinorum atque privilegij participio excommunicatis & interdictis: qui favor illâ Eccleſiæ ætate rarus fuit ac ſingularis.

Peculiare porrò eſt illud in laudibus Ciſtercij, quòd trium Romanorum Pontificum *Clementis VIII. Leonis XI. & Pauli V.* gratioſâ conceſsione *Fulienses* noſtri Cœnobiorum *S. Pudentianæ* & *S. Bernardi* de Urbe inſtituti ſint ad ſignandos cereos *Agnos DEi*, quos Summi Pontifices quotannis fauſtâ ſolemníque precatione benedicunt. *Paulus V.* in Bulla: *Romanum decet Pontificem*, id ſacrum munus per memoratos Fulienſes *perpetuis temporibus* obeundum decrevit: quare ſacræ illæ ceræ, & candidæ ſphæræ, quæ per Orbem Univerſum hodie cum tanta reverentia circumferuntur, opus manuum noſtrarum ſunt, per manus nimirùm Fulienſium formatæ & ſignatæ, eorundem ſimul cum gloria fauſtam circumportantes memoriam, quòd ſcilicèt præcipuè illi electi, qui mellei Bernardi dulciſsimô fatô, veluti ſacerrimæ apes, cereos illos Orbes in Orbis accendendam pietatem, ac ſubſidium conveherent, ac conflarent.

Claudo Titulum, & ad alia propero; Nam licèt complura adhuc ſint, quæ præſentem materiam ornare poſſent, ùt eſt, *Jubilæum* duplex, unum in vita, & alterum in mortis articulo conceſſum omnibus Ordinis perſonis à *Sixto IV.* quod etiam quoad ſecundum conceſsionis membrum, pro mortis ſcilicèt articulo

articulo Pontifex ipſe extendit ad Ordinis Commenſales, Familiares, œconomos, Procuratores. Facultates Abbatum Ciſtercienſium benedicendi Eccleſias, cæmiteria, oratoria, corporalia; conſecrandi calices, Patenas, campanas, altaria portatilia & fixa, per *Innocentium VIII.* reconciliandi Ecceleſias ſanguinis vel ſeminis effuſione pollutas, per *Pium II.* elargiendi populo ſolemnem benedictionem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſolemnia, per cit: *Innocentium VIII.* aliáque, quæ quidem in ſe ſpectata verè ſunt eximia; quia tamen hodie ſolis Ciſtercienſibus non competunt, cùm etiam ſeu exemplô, ſeu communicatione in alias Sacras Familias Summorum Pontificum indultis pertranſierint, nolui his quia jam communibus, & per Theologorum volumina hactenus abundè explicitis diutiùs immorari, ſola ea hìc memoraviſſe contentus, quæ noſtro inſtituto præ cæteris ſunt, vel fuêre magìs peculiaria.

VITIS!

Ad tabulam tuam *appello Apelles*,
Non aliô hìc dabis colore *Ciſtercij ideam*,
Quàm eô, qui dicitur:
Vinum de Vite.
Subrideant ad novam hanc artem & *Lector*, & *Pictor*:
Imò ſibi ipſi optent novam hanc artem & Lector, & Pictor.
Lectiſſimus ſanè atque *lætiſſimus* iſte *humor* eſt,
Et optabiliùs utique pingi *vino*,
Quàm *aquâ*, quàm *oleô*;
Quoniam liquor ille prior
Hilari dexterâ in *tabula* profuſus, propinatúſque
Non ſolas pupillas delectat, ſed & *corda lætificat.* *Pſalm: 103.*
Color aqueus, non aliô vitiô, quàm quia aqueus
Sinè pretio, ſinè ulteriori illicio
Plerumque in ſolis oculis abſorbetur,
Corda non tangit.

Et color ille *olearis* jejunantium color eſt,
& *proinde* non *perinde* ex eo nomine gratus omnibus,
Pſalm. 108. *Carníque* ex Regij Pſaltis oraculo fatalis:
Et quídni *oleum* ſæpè cum *opera*,
Operámque cum *oleo* infeliciter *perdimus*?
Igitur *Vinum de Vite*, color optimus!
Illô pinxit Ciſtercium *Alexander IV.*
Bullâ: inter innumeras. Cùm illud dixit:
Vitem Fructiferam!
Exod. 24. c. Hebræo Populo ſcriptæ olim *Leges* in *Tabula*,
Charta Charitatis dicta prima Statuta Ciſtercienſium. Ciſtercio Collegio ſcriptæ in *Charta*:
Illæ inter *tonitrûs*, *buccinaque clangores*
Fuêre *Leges Timoris*:
Exod. 19. c. Hæ inter Patrum primorum affectus, curas, vota,
Leges Charitatis:
Et hinc à *ſubjecto*, *objecto*, Scopo
Tam *charum* quàm *rarum* inditum ipſis nomen,
Charta Charitatis.
Charta hæc non alia fuit, quàm *Bibula*,
Quoniam *Charitas* ipſa *Bibula* eſt,
Et à Sponſo pocillatore
Cantici 2. In *cella vinaria* primus hauſtus honorarius oblatus Sponſæ
Hauſtus *Charitatis.*
Cant. 5. Soli porrò ab eodem pocillatore juſſi *bibere & inebriari*
Chariſſimi!
Germanorum propè geniô,
Quorum *charitas poculis* ſolet quàm feliciſsimè innatare.
Igitur Mellifluí Ordinis primitiæ,
Charta, & *Charitas*,
Utraque *Bibula*,
In qua pro baſi poſita *Vitis*,
Unde vina hauriant *Bibula Charta*, & *Bibula Charitas.*
Probavit per Bullam eas *Chartæ* & *Charitatis* Leges
Conſtit. Ad hoc. *Calixtus II.*
Et quis, amabò, è Pontificibus alius aptior,
Quàm qui ſuô penè *Nomine Calices* propinat
Vitis, Viníque è Ciſtercio,

Chartæque

Chartæque & Charitatis ex ijs *Fontibus Bibulæ*
Fauſtiſſimus auſpex ?
Continuavit cœpta Bibula Fata
Eugenius III. *Conſtit. Sacro-Sancta.*
Chartæ, Legúmque noſtrarum Firmator alter,
Qui ad *Vitis* Ciſterciæ felices liquores,
(Pro quibus *Calixtus* ſuô nomine *Calices* dederat,)
Nominis ſui anagrammate
Veni, *Suge*,
Bona omina ampliùs invitavit,
Quibus *Vitis* cum Ciſtercio *metaphora* fortiùs conſtabiliretur.
Fœcunda & Fauſta Vitis !
Benedicti XII. oraculô *Conſtit. Fulgens ſicut Stella.*
à mari uſque ad mare dilatans palmites tuos,
Aſcendiſti in altum adminiculô Pontificij *Baculi*,
Tot *obligata* vinculis, quot *ligata* favoribus.
Dictum Petro :
Surge, *quia ceciderunt catenæ de manibus tuis* ; *Act. 12.*
At verò tu fortunatâ antitheſi *ſurgere* aliter non poteris
Niſì *vincta* :
Ligata ſurges, *ſoluta cades* :
Et cades *cadentiâ* muſicâ
Sol-Ut a, de *Sol* in *Ut*.
Aſcendit Sponſa de *deſerto innixa ſuper dilectum*, *Cant. 8.*
Ciſtercij *Vitem invitans* ad ſequelam,
Ut aſcenderet, non virtute ſuâ,
Sed *Apoſtolicis innixa fulcris*, humeríſque,
In quorum auxiliatrice Societate
Quanquam medias inter *ſolitudines* ac *deſerta*,
Nunquam tamen futura eſſet de *deſerto*.
Subſiſtentia
Apud Philoſophos *ſupremum* naturæ complementum
Lineas ſubſtantiales claudit, terminátque.
Subſiſtentia
Apud Mellifluos item *ſumma rerum* eſt,
Atque in *linea* gloriæ *punctum* ingens
Scilicèt
per fulcimenta Pontificia

 Surrexiſſe

Surrexiſſe olim,
Stetiſſe deinceps,
Subſiſteréque hodie.
Nonnullorum brevis felicitas, & laudis modica portio
Verbis Divini Codicis pronunciata:
Marci 16. *Surrexiſſe* quidem, ſed ampliùs *non eſſe hìc.*
Ciſtercia *Vitis*
Per privilegia mille, ceu vincula mille
Romanis colligata *Scipionibus*
Surrexit fortiter,
Aſcendit feliciter,
Perſtat perenniter,
Nacta ſcilicèt naturam fauſtitatémque *fulcri*,
Cujus nunquam caſura ſtabilitas
Matth. 16. Per Divina in *Petro* Decreta jam olim ſit prædefinita.
Vites aliæ per annos ſingulos
Surgunt, *cadúntque*,
Per vices *fortunatæ*, & *infelices.*
Ciſtercia *Vitis*
Ab ea viciſsitudine immunis
Surrexit ſemel,
Cecidit nunquam,
Stat ſemper:
Circumvolvens ſe pro vitium *more* ſeu *amore*
Plurimô amplexu circa Papalia fulcra uſque ad ſummum,
Perenni eâ *circulatione*
Durationis ſuæ *æternitatem* pulcherrimè explicat.
Scilicèt fauſtâ reciprocatione id factum eſt:
Data Viti Ciſterciæ à Pontificio *Baculo perennitas*,
Et data Baculo à *Vite fœcunditas*,
Paganiſmô, hæreſi, ſchismate,
Per Melleos alumnos feliciſsimè exciſis,
Germinéque Sanctæ Fidei latiſsimè per Orbem propagatô.
Jungere porrò *æternis amplexibus*
Romanis *fulcris*
Ciſtercia *Vitis*,
Et *robur*, quod te *portat*, *levátque*,
Tu *ubertate* de *Cœlo plenâ* ampliùs fæcunda!

Vina

Vina de *COS*, Vina optima:
Mutatâ literâ, Vina de *COS* erunt Vina de *CIS*.
Tu jam mi Lector *humaniſſime Divina*,
An non Vina de *CIS*-tertio
Erunt vina optima, quia *Vina Divina*?
DEUS & Virgo
In *Bernardi labia*, velutì in *vini cellaria*
Sanguinem & Lac
Pulcherrimâ confuſione
Diſpenſavêre.
Si *Euchariſtica* ſint penſanda *arcana*,
Vinum & Sanguis
Succedunt ſub ijſdem *accidentibus*,
Per quæ utrobique eadem, ad ſe invicem *accedunt*
Ad communia fædera.
Si Hebræi Legislatoris canendus ſit jubilus,
Vinum Sanguis eſt, & *Sanguis uvæ*. *Deuter* 32.
Si *Jſaiæ* conſulenda oracula,
In eundem textum velutì ſcijphum confluxêre
Vinum & Lac.
Si teneris ſtandum epithalamij amoribus, *Jſaiæ.* 55. c.
Sponſæ *ubera meliora vinô*: *Cant.* 1.
Itaque *Sanguis*, *& Lac*,
Illud Divini *Filij*
Hoc Divinæ *Parentis*
In ore Bernardi *clientis*
In ſuaviſsimam *vini metaphoram* ſeſe unà ſimul collegerunt.
Tu proinde mi Lector *Divina*,
An non hæc ipſa *vina*,
Per hæc omina *trina*
Sint verè *Divina*?
Nuptiarum in *Cana* felicitas *ſuprema*, ferè *prima*, *Joan.* 1.
Aquarum in vinum metamorphoſis.
Haurio ego ex *hydriarum numero bis-tertio*
Pro meo *Ciſtercio*
Eventus ter *fauſtos*, id eſt, *bis tertios.*
Hydriæ ſex, *ſæcula ſex!*
Et hæc, & illas
A a a a a a a a Vinô

Vinô *implevit* Divinæ *manûs plenitudo*
Almæ Parentis *manuductione*,
Cujus una & potiſſima eſt ſolicitudo,
Nè *Vinum non habeant*
Hoſpites, clientes, Filij.
Cant. 1 Scilicèt & Ipſa Vitis eſt, *Botrô Cypri* fæcunda,
Nata dare Ciſterciæ Viti vinum,
Si vinum fortè illa non habeat;
Quoniam optima gratiæ *Servatrix*
Servavit certè *bonum vinum uſque adhuc*,
Ut non deficiat Vitis tua
Mi Ciſtercium!
Luc. 22. Et tu eidèm tuam *avitam* ſerva *Vitem*,
Ut non deficiat Fides tua,
Tot ei promiſſa votis, tot probata factis:
Quoniam ſervabit *illa te Vitem*.
Si ſervaveris *tu illi fidem*:
Et verò tot jam *ſæculorum præſcriptione* felix
Servabis Ciſtercia proles
Servabis *fida* Matri *fidem* uſque *in finem*.
Genes. 40. Claudo *vota* in Pincernæ Ægyptij *vite*:
Eius de Vite bona ſomnia,
Sunt mihi fauſta omina,
Perire haud dubiè non debuiſſe,
Cui vel ipsâ nominis fortunatâ ſimilitudine
Vitis vitam vaticinata ſit.
Melliflua Progenies!
Sit tibi nunc *Vitis* pro florido *ſymbolo*,
Vita immortalis olim præ *præmio*,
Pontificius nunc *Baculus* pro *ſuſtentaculo*,
Papalia *privilegia* pro *vinculo*;
Et hæc quidem tuæ *libertatis* immunitatíſque prærogativa potiſ(ſima)
Quòd ad *Baculum* Apoſtolicum
Ligata ſis!
Stabis ſemper *immobilis* ad Sanctiſſima hæc *fulcra*.
Quæ pro baſi *Petrum* habent, & *Petram*.
Optima *Bohemorum* Vitis, & vina
à *Petra*, à *rupe*
Incolis dicta *PODSKAL*.

PODSKALSKYANA. (eſt)

Petra nimirùm ſolares radios reflexione intendentis beneficium
Ea *Vitis* & *Vini* bonitas.
Ciſtercia *Vitis*,
Fundata es & tu ſupra firmam, quia Romanam, *Petram*,
In quam tot *Soles* Pontificij
Gratiſſima *favorum* ſuorum *lumina reflexêre* :
Dabis igitur vina non alia,
Quàm *Podskalskyana*, id eſt optima!
Atque *ita* meâ *vitâ*
Pro mea hac *Vite*
Hæc fundam *vota* :
Ut pro hedera & teſſera interminabilis *vitæ*
Sit nobis hæc immarceſcibilis

VITIS!

Ad Auſtam Civitatem Regiam tribus millia ibus diſtantem Oſſecâ, ſunt illæ Vineæ celebres Podskalskyanæ, ſic dictæ, per id [illegible] eminenti pod [illegible] / id eſt ſub Rupe. Joann. 7.



TITULUS XXIII.
CISTERCIENSIUM FAVORES CONCESSI PER REGES ET PRINCIPES.



M*Elleus & lacteus* ille Vir *Bernardus*, non contentus, unas ſuxiſſe Reginæ Cælitum mammillas, *mammillis* quoque *Regum* (quæ felicitas inter mortales eſt clariſſima, commendata olim *Iſaiæ* oraculô) in ſe ſuíſque per ſex jam ſæcula lactatus, adhuc hodie plurimô Principum ſeu lacte, ſeu beneficiô madentia

Iſaiæ cap. 60.

tia Orbi exhibet ſeu labia, ſeu Cœnobia, in quibus illuſtriſſima Regum, Principúmque poſteritas Majorum ſuorum lactea legit in Ciſtercio veſtigia, digniſſima planè, quæ lacteô etiam colore calamus iſte, præſénſque prælum huic chartæ imprimerent. At verò noverint Principes Optimi, & Principum Fundatorum Filij inclyti, Ciſtercienſes noſtros ex *Legislatoris ſui* mente & genio *minùs cauſari de colore*: potior eorundem cura eſt de affectu, qui totus haud dubiè in ipſis lacteus eſt, atque in lacteos rivulos, totidem veluti grati animi indices diffuſus earundem Familiarum pedes quàm reverentiſſimè alluit, lambítque, quæ olim Ciſtercio dedêre Fundatores, Cœnobia, gratias. Theatrum ſanè magnificum, & ſi ſinguli Principum favores Ciſtercienſibus aliquando conceſſi, in eo exhiberi debeant, mole ſuâ ingens; at ego pro inſtituti mei ratione parvâ ſcenâ ampliſſimum theatrum abſolvam.

Primô itaque locô memorandus *Odo*, ſive *Otto* Burgundiæ Dux, primus naſcentis Ciſtercij Patronus, atque ſi curæ, affectúſque pro merito penſandi ſint, aliquid Patronô digniùs, Ciſtercienſium Pater: cui non ſatìs, erexiſſe Ordini Archi-Cœnobium, primámque ac illuſtrem Baſilicam; inſuper ut amicis (eô locô apud Ducem erant noſtri) foret conjunctior, ac propè domeſticus, qui mos eſt amantium, aulam ſibi conſtruxit Ciſtercio contiguam, cujus rudera atque reliquiæ hodiedum ſub palatij nuncupatione viſuntur: ad quam ille quidem per annum ſæpiùs, præcipuè verò cùm in majoribus Eccleſiæ ſolemnijs id ſuaderet Chriſtiana pietas, cum Procerum illuſtri comitatu ſolitus divertere, animi ſui potiſſimas delicias non alibi ſe habere & experiri eâ viſitationum frequentiâ profeſſus eſt, quàm in pulcherrima illa ſolitudine Servorum DEI ſacerrimô incolatu præ urbibus felici, tunc demùm ſuâ exiſtimatione & gratulatione fortunatiſſimus, cùm propè, ſeu, quod dulciùs, inter ſuos Ciſtercienſes alumnos. Manriqueus noſter, Ottonis actiones, quales illæ fuerint in Ciſtercio, inſinuat ad *Annum* 1101. *c.* 4. Eum nempe ex præſcriptis, aſſumptíſque ſibi ultrò legibus conſueviſſe, *ipſum Cœnobium ſtudioſiùs venerari*, *religioſiùs colere*, *fratribus affectuoſiùs convivere*, *colloqui*, *&* *ſolicitiùs neceſſaria providere.* Igitur non Fundatoris modò, ſed & Patris & Fra-

tris, atque etiam œconomi functus officiô Otto, Ciſtercij primordia velutì felici auguriô auſpicatus eſt, futuris nimirùm ætatibus Ciſtercienſibus alumnis amores Principum vix aliquando defuturos.

Eadem, atque etiam majora fortè in *Tarouca*, noſtrorum apud Luſitanos Cœnobio *Alphonſus* illius Gentis Rex primus, qui tanti fecit optimos domûs illius incolas, ut diſſimulatô perſonæ ſuæ ſplendore, ac reverentiâ integram quadrageſimam apud eoſdem tranſegerit. Atque nè ſuâ præſentiâ vel in minimo turbaretur rigor clauſtralis, noluit per id tempus Principem ſe haberi, ſed Monachum, ſolô habitu ac tonſurâ à Monachis differentem, non actione; eadem enim, quæ cæteri, in Eccleſia, in Choro, in refectorio abſque differentia exercebat Alphonſus: Socius orantium ac pſallentium in choro, jejunantium in Triclinio, atque quod mirabiliùs, laborantium in agro, eaſdem manus, quæ olim *Bernardi* interventu eſſent geſtaturæ ſceptrum, priùs inter Bernardi filios docuit tractare ligonem. Diſſceſſurus exactô Paſchate à noſtris, rursúſque inter Provinciæ negotia acturus Principem, non ſinè lachrymis avulſus eſt, quaſi jam prælibatâ quietis monaſticæ voluptate tæderet Alphonſum, miſcere ſe denuò Orbis motibus, liberétque deinceps poſitis gubernaculis, magis Monachum agere in humili Tarouca, quàm Ducem in inclyta Luſitania. At verò publica Gentis proſperitas Alphonſum retraxit, nè privatam felicitatem inter Ciſtercienſes aſſequeretur, neglectô fidiſſimi Populi communi emolumentô. Quod Ciſtercium *Ottoni*, atque *Alphonſo* Tarouca, id fuit *Wenceslao Pio*, Bohemorum Regi *Aula-Regia*, celebris Ciſtercij Domus apud Bohemos, ex eo præter Fundationis Regiæ titulum ſortita nomen, quòd memoratum pientiſſimum Principem perſæpè gratiſſimum hoſpitem obſequioſa ſalutaverit, qui Regias curas, atque ex curis nata tædia non alibi meliùs diluebat, quàm ſuaviſſimô Aula-Regienſium ſuorum contuberniô. *Horta* quoque apud Hiſpanos memoranda, quæ inclytos *Caſtiliæ*, *Aragoniæque* Reges velutì ex utriuſque Gentis fortunato fato digniſſimos ſæpè nacta hoſpites, non caſu fortuitô, verùm ex induſtria atque ex condictô eò congreſſos, ubi non ſecùs ac domi ſuæ, pro Domo ſua Regnorúmque

que ſalute ac emolumento, conſilia promerent, quæ à Virorum pietate, locíque ſanctimonia eventuum fauſtitatem quàm plurimam auſpicarentur.

Trappa pariter apud Gallos hâc potiſſimum ætate celebris, quòd Reges Principéſque veluti ad ſanctiores animæ curas à publicis eò recedentes, commendatam tantopere per Orbem Trappenſium rigidiſſimam ſanctimoniam, laudatam jam à nobis alibi, illuſtri ſuo contuberniô per repetitas vices ampliùs reddant venerabilem, noſtrorum inſuper ductu ac magiſteriô rerum cæleſtium contemplationi ſaluberrimè intenti. Plura omninò poſſent pro argumento præſenti recitari ex Annalibus, per quæ Cœnobiorum Ciſtercienſium claritudo fulgeret auguſtiùs à Principum hoſpitum Sereniſſima præſentia; verùm hôc locô ſatìs ſit, paucis Lectorem docuiſſe, digniùs longè eſſe, à Regibus quæri viſitaríque noſtros in Cœnobijs, quàm ſi noſtri aulas ſecuti, Reges quærerent extra Cœnobia.

Spectandi tamen etiam noſtri in Curijs Principum, non ſuâ ambitione, ſed Regum dignatione aſſumpti ad Tribunalium clariſſimos conſeſſus *Conſiliarij Regij.* Prærogativæ hujus glorioſus ſplendor à condito ſtatim Ciſtercio radios ſuos ac incrementa in pleriſque Chriſtiani Orbis plagis habuit, atque etiam pro Regionum diverſitate, præcipuè quas, eheu! infauſta hæreſis turbavit, ſua etiam decrementa. In Terris Auſtriacis de clementiſſimo Auguſtiſſimorum Cæſarum noſtrorum annutu Ciſtercij Abbates, quoniam in quibuſvis rerum convulſionibus Regibus ſuis ſemper fidi, inter Status Regni connumerati, primam cum reliquo Eccleſiaſtico Corpore claſſem conſtituunt. Præterea ad Provinciæ Commiſſiones nonnunquam aſſumpti, conſiliô ſuô atque induſtriâ operam navant bono publico. Inſuper per Auſtriæ Archiducatum per vices ſunt Statuum Deputati. Abbas de *Wellebradio* apud Moravos inter Marchionatûs Prælatos primatum obtinet: quemadmodum etiam Abbas de *Ebraco* in Imperio Romano *Primas Franconiæ* ſalutatur. Abbates *Waldſaſſenſes* Imperij Principibus olim adnumeratos, patriôque idiomate nuncupatos fuiſſe Gefürſtete Abbten / lego in *Not: Abbat: Jongelini Lib.* 3. *pag.* 5. Abbates de Riddagshuſio apud Brunſvvicenſes inter Eccleſiaſtici Ordinis Illuſtriſſimos Proce-

res locum aliquando tenuiſſe ſummo proximum, perhibet idem *Jongelinus cit: Lib: pag:* 26. Porrò Abbates de Walkenreda apud Thuringos accenſeri *Imperialibus* Abbatibus refert *eôdem Lib. pag.* 55. *citatus Author. Suecia Eccleſiaſtica*, quod opus recentiſſimè typis evulgavit *Franciſcus Petrus*, *Wettenhuſanus Regul: Canon:* ſequentes è Ciſtercio recenſet Abbates *Liberis atque Immediatis S. R. I. Statibus* perenniter, ac gloriosè intermixtos: Abbates nimirùm *Bebenhuſanos*, de *Fonte Regio*, *Mulbrunenſes*, *Cæſareenſes*, atque *Salemitanos*: quorum poſteriores duò ampliſſimi Antiſtites, Elias de *Cæſarea*, & *Emmanuel* de *Salem* unà cum Imperij inclytis Principibus *Annô* 1690. 26. Januarij Auguſtæ Vindelicorum præſentiâ ſuâ auxêre Coronationis ſolemnia Auguſti ac Sereniſſimi Romanorum Regis JOSEPHI. Recitandi etiam hôc locô clariſſimi tituli ac prærogativæ, quibus gaudet apud Italos *Abbas S. Ambroſij Majoris* in ipſa Urbe Mediolanenſi. Ejus ampliſſimam in utroque foro poteſtatem memorat idem *Jongel. Lib.* 7. *pag.* 73. Eſſe nimirùm Abbatem illius Cœnobij pro tempore exiſtentem *Comitem* Limontæ, Civennæ, & Campionis, atque eorundem locorum Ordinarium: Comitem Imperialem, ſalutaríque à ſubditis utrôque prædicatô Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Comitis, ac Abbatis: habere jus cudendæ monetæ cum proprijs formis & inſcriptionibus: inſuper ex conceſsione ſingularis privilegij in Miſſarum ſolemnijs uſurpare ſceptrum Regium. Quæ ſanè pulcherrima titulorum congeries veluti novi ſplendoris cumulatâ acceſsione quàm plurimùm illuſtrat Ciſtercium Orbem. Atque etiam memorandus præcipuè Illuſtriſsimi Patris noſtri Generalis celebris ac perennis character; ſalutatur enim is in ſupremo Burgundiæ Senatu Chriſtianiſsimi Regis Primus Conſiliarius Natus. Hæ prærogativæ ſtabiles ſunt, junctæque infularum dignitati; Aliæ illuſtres pariter, at quoniam datæ perſonis minùs fuêre perennes. Atque in primis nominandus Illuſtriſsimus Princeps ANTONIUS, alumnus è ſanctæ Crucis Cœnobio, S. Theologiæ Doctor, Epiſcopus Viennenſis, Ferdinandi II. Cæſaris Conſiliarius Intimus, Vir ſapientiæ virtutíſque laude celeberrimus, cui Jongelinus in *Notit: Abbat: Lib.* 4. *pag.* 16. purpuræ ſpes magnas fecit, niſi mors digniſsimum Principem immatura abſtuliſſet. Memorandi præterea: IGNATIUS, Abbas

Obijt Annô 1639.

Floruit circa Annum 1630.

bas de *Campo-Liliorum*, præſtantiſſimus Præſul, Archi-Ducum
Auſtriæ Cameræ Præſes. THEODORICUS *Kagelmind*, Fun- *Claruit circa Annum*
dator Cœnobij Skalicenſis, Epiſcopus Mindenſis, ſubinde Mag- *1350.*
deburgenſium Archi-Præſul, Caroli IV. Cæſaris Cineas, & Re-
gni *Bohemiæ Gubernator.* THEODORICUS Abbas XIII. de *Floruit circa Annum*
Waldſaſſio, aſſumptus ex Oſſeco, *præcipuus Conſiliarius*, & Com- *1290.*
pater Wenceslai II. Bohemorum Regis. JOANNES de *Cu-* *Floruit circa Annum*
bito, Abbas XVII. Waldſaſſenſis in conſpectu Regum, ac præ- *1315.*
ſertim Henrici VII. Cæſaris de Domo Lutzenburgica, conſilio-
rum gravitate admirabilis. JOANNES *Wendelinus* XXVIII. *Obijt Annô 1461.*
Abbas ejuſdem Cœnobij Waldſaſſenſis, Sigiſmundo Imperato-
ri percharus, qui eum in publicis literis *Principem ac devotum ſuum*
appellat. OTTO X. & LEONARDUS XVIII. Abbates de *Otto Obijt Anno 1420.*
Campo-Principum, Ducum Bavariæ *Conſiliarij.* B. ADAM, pri- *Leonardus*
mus-Abbas *Ebracenſis* in Franconia, apud Conradum Cæſarem, *Annô 1496.* *Obijt Annô*
Germaniæque inclytos Principes ſpectatiſsimæ authoritatis. *1161.*
FRIDERICUS XVI. Adbas *Sedlecenſis*, Joanni Lutzenburgico *Obijt Annô*
Bohemorum Regi in amoribus. *Divus* AMADEUS, Lauſan- *1330.*
nenſium Epiſcopus, Friderici Cæſaris *Cancellarius.* NICO- *Obiit Annô*
LAUS *Amberg* XXVII. Abbas *Lucellenſis*, ejuſdem Cæſaris *Vice-* *1158.* *Obijt Annô*
Cancellarius. HENRICUS VII. Abbas Villarij in Diæceſi Me- *1467* *Obijt Annô*
tenſi, Epiſcopus Tridentinus, & Sacræ Aulæ Imperialis *Archi-* *1338.*
Cancellarius. ALPHONSUS *D'elbene*, Epiſcopus *Albienſis* *Deceſſit Annô 1605.*
apud Gallos, Henrico IV. Franciæ Regi à ſecretiore conſilio.
NICOLAUS I. *Boucheratius*, Generalis Ciſtercij LI, Regius *Par-* *Obijt Annô*
lamenti Conſiliarius. PETRUS *Alvalata*, Archi-Epiſcopus Tar- *1568.* *Claruit An*
raconenſis, citerioris Hiſpaniæ Primas, Jacobo I. Aragoniæ *nô 1232.*
Regi in tantum pretioſus, ut *vix aliquid ſinè ipſo ageret*, *perageret*
nihil: præcipuus author expugnatæ Urbis Valentiæ. LUDO- *Floruit An-*
VICUS *de Armundarez*, Monachus de *Valle-Paradiſi*, Navarræus, *nô 1618. & deinceps.*
Frater Marchionis de *Chadreite*, Cataloniæ Pro-Rex, Primas
Hiſpaniæ Citerioris, Tarraconenſium Archi-Epiſcopus. FER- *Floruit circa Annum*
DINANDUS, Monachus Populetanus, Jacobi Aragonum Re- *1206.*
gis Patruus, Nepotis tutor, atque totius Regni *Procurator.* GU- *Claruit circa Annum*
ILLELMUS de *Cervera*, priùs Petri Aragoniæ Regis ſupremus *1232.*
belli & feliciſsimus Dux, ſubinde Monachus de Populeto, at-
que è Monacho Regis Alphonſi unà cum alijs tribus è prima
Nobilitate deſignatus Tutor. JOANNES PAYUS, cogno- *Obijt Annô 1499.*

mentô COELLUS, XL. Abbas *Populetanus*, Barchionenſis Provinciæ inſignis adminiſter, prudentiæ commendatione præcipuus, Regíque Catholico ob id tam charus, ut Regio ſæpè oraculô Virum eximiè inter Aulicos in hæc verba laudârit: *E publicis Comitijs nullam ad ſe querelam aliquando delatam eſſe de factis, cùm Populeti Abbas aſſiſteret: Si fortè abeſſet, vix decerni quicquam,*
Floruit Annô 1216. & deinceps. *quod non per eum veniat emendandum.* ROBERTUS IX. Abbas Valcellenſis apud Belgas, Ludovici *Francorum Regis, & Blanchæ Reginæ Conſiliarius*, Præſul auctoritatis eximiæ, à Magnatibus paſſim cum reverentia dictus ſalutatúſque, *Regis Reginæque*, ac communis omnium, *Pater*: Bellum, quod inter Conradum Cæſarem, & Ludovicum præfatum magnis cæteroquin incen-
Obijt Annô 1483. dijs illicò erat exarſurum, ſapientiſsimè conſopivit. JOANNES GIRELIN, quintus Abbas Molinenſis in Belgio, *Philippi*
Obijt Annô 1354. *Caſtellæ Regis* à ſacris Confeſsionibus, atque etiam *Conſilijs*. LAMBERTUS. XXI. Abbas Dunenſis apud Brugenſes, *Ludovici Flandriæ Comitis*, quem è Sacro Fonte ſuſceperat, *Conſiliarius præci-*
Devixit Annô 1545. *puus.* DIONYSIUS ZEVERDONK, XLIV. Abbas Villarienſis *Carolo V. Cæſari*, Principibúſque ob inſignes animi dotes præ-
Obijt Annô 1308. primis charus. NICOLAUS de GEST, XXII. Abbas de Villario, *Ducis Brabantiæ* Conſanguineus, Confeſſarius, & *Summus*
Floruit circa Annum 1550. *Conſiliarius.* JOANNES HIERONYMUS ROSSUS, Comitis Sancti Secundi Filius, Abbas Clara-Vallenſis in Ducatu Mediolanenſi, ſubinde Epiſcopus Papienſis, & *Romanæ Urbis Gubernator.* Nimius ſim ſi ſingulos in hanc Scenam producam, qui Regum Gentiúmque favore & plauſu publicis muneribus functi fuêre; Una tamen *Polonia* omittenda minimè, ubi Domini Abbates perenni privilegiô ſunt *Secretarij Regij*, qui eò ipsò quòd ad munus Abbatiale aſſumantur, authenticô veluti charactere inveſtiuntur ad obeundas, è Regis atque Reipublicæ vuluntate Publicas Legationes, ad aulas Regum ac Principum, habéntque non raró acceſſorias illuſtres in Regno Functiones: quô pactô ſub noſtram hanc ætatem Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus D. D. Joannes Chryſoſtomus Gninsky Abbas de *Vangroveco*, Jurium Doctor, Poloniarum Viſitator ac Commiſſarius Generalis, atque etiam ante annos 20. & quod excurrit, Poloniarum ſolemnis Orator ad Summum Pontificem, Curiámque Romanam, *Supremi Referendarij Regij* munere, diu & eouſ-

que

que functus eſt, donec tandem Epiſcopali Sedi Camenecenſi nuperrimè à Porta Ottomanica inter Pacis articulos Polonis reſtitutæ, datus eſſet in digniſsimum Præſulem, quæ Epiſcopalis Dignitas per ampliſsimum illud Regnum plerumque eſt Senatoria. Præterea Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Dominus D. Abbas de *Paradiſo*, ex inclyta Familia de *Sapieha*, Magni Ducatûs Lithuaniæ, ſi rectè memini eſt Supremus & Magnus Secretarius.

Glorioſa etiam recenſet *Manriqueus* ad *annum* 1147. *c.* 17. de Abbatibus Alcobacienſibus apud Luſitanos: Datum nimirùm illis eſſe per inſignes favores, primò quidem, ut eſſent *perpetui* Regum *Eleemoſinarij* & *Conſiliarij*: Secundò, ut in conſignandis ſubſcribendíſque diplomatibus Regijs prælibati Abbates nomina ſua immediatè poſt Epiſcopos ſcriberent, ante alios quoscunque, & quantumcunque ſeu nobilitate ſeu munere præfulgentes. Tertiò ut in Eccleſijs ad ſe pertinentibus Clericos ponerent, qui plenô jure ſibi ſubeſſent. Quartò denique, ut prætactis Abbatibus facultas & jus competeret nominandi, inſtituendíque Duces pro portibus, arcibúſque marinis, qui fideles adversùm Barbaros tuerentur. Non parva hæc ſunt, ſi ſingula ſingulis, at multò majora, ſi quæque ſimul uni collata ſpectentur; at verò Regibus nîl aliquando nimium videri potuit, quod Ciſtercio contulerint.

Neque contenti principes ſolis benefeciſſe Ciſtercienſibus, eorundem etiam ſubditos præclaris cumulavêre indultis. Narrat Manriqueus ad Annum 1171. *cap.* 7. Taroucæ, Alcobaciæ, ac Salcedæ, Cœnobiorum Ciſtercienſium in Luſitania ſubditos, per Alfonſum Regem non modò à tributis & vectigalibus exemptos fuiſſe, verùm etiam per eundem Regem eô donatos privilegiô, ut neque cogi, neque impelli à quopiam potuerint ad ſumenda arma, propulſandóſque Saracenos, à quibus tamen Luſitania eâ ætate plurimùm vexabatur, niſi Rex ipſe in caſtris adeſſet; tunc enim velle ſe juvari defendíque per Ciſtercium non minùs in ſubditis, qui pro Rege & Regno pugnarent, quàm in Monachis, qui pro armorum Regiorum ſucceſſu proſpero domi orarent. Occaſione inſignis hujus, aliorúmque favorum vacuata aliena oppida incolis, convolantibus

tibus undique ad Ciſtercienſium terras, ubi poſſent eſſe tutò felices, atque ubi (quod aliàs per Regnum vix) arma in nulla neceſſitate, ſed ſola libertate, & quod ferè perinde, voluptate eſſent. Quæ ſanè res haud levem noſtris exiſtimationem, atque opes non modicas attulit.

Gratiam propè ſimilem recitat Manriqueus ad *annum* 1159. *cap.* 7. de Vaſallis Cœnobij de *Bouro* apud eoſdem Luſitanos, qui avitæ conſuetudinis privilegiíque beneficiô hodiedum id obtinent, ut nulli omninò ſerviant, niſi ſoli Regi: inde eſt, quòd ſi Bourenſes terminos egredi eos contingat, nullatenùs in reliquam ſe conferant Luſitaniam, ſtipendia fortè apud alienos, & Rege inferiores heros merituri; ſed in Africam potiùs inter Oceani diſcrimina atque incommoda traijciant, ſub Regijs inibi ſignis militaturi, nè ſcilicèt aliô quôcunque obſequiô pulcherrimo favori vitium qualecunque affricarent. Tentati, vexatíque per Succeſſores Reges ſemel iterúmque, quibus tanta Bourenſium immunitas minùs placuerat; Verùm Abbatum induſtriâ ſervatum Vaſallis privilegium, impetratúmque Annô 1317. per preces & nummos à Rege Dionyſio diploma, quô in futuras ætates confirmatus Bourenſibus glorioſus favor: qui novô deinceps cultu, amoréque Abbates ſuos Bourenſes proſequi debuerint, per quos vetuſta illa prærogativa tam diu ſubſtitiſſet. Et hoc quidem per Principes Luſitanos datum Bourenſium *Vaſallis*; at verò *Abbati ipſi* de Bouro non minùs conceſſus inſignis favor, ut nimirùm, quoniam ipſe aliquando Gallæcos in vicinam Luſitaniam hoſtiliter irrumpentes, collectâ Vaſallorum ſuorum validâ manu ſtrenuè repreſſerit, diſpersóſque fugaverit, valuerit deinceps, Luſitanornm Regum indultô, in Scuto Gentilitio præferre inſignia bellica, ſuíſque cùm in pace, tum in bello præeſſe atque moderari tanquam Belli Dux, qui illuſtris militaris character hodiedum ex citati *Angeli* aſſertione, Abbatibus Bourenſibus eſt hæreditarius. Unde Reges ad Bella ſeſe accincturi, cùm per Proceres, & rerum militarium adminiſtros jubent inſtitui copiarum bellicarum delectus, per ſpeciales Regias literas, Abbates de Bouro invitant ad belli armorúmque ſocietatem atque conjunctionem. Tantum quidem inter arma valent Bourenſes noſtri. Porrò ſi eorundem

jura

jura civilia atque Eccleſiaſtica penitiùs introſpiciamus, ſæpè laudati Abbates de Bouro æquè ſunt eximij; illa enim quinque ultramarina, ut illi vocant, oppida, ſub ditione Cœnobij ſita, *Comba* ſcilicèt, *Vall-Bona*, *Macedo*, *Veuche-vajum*, & *Villarium*, non alias ab ullo leges ſeu in Politicis, ſeu Eccleſiaſticis ſuſtinent, quàm quas Abbas de Bouro dictaverit, cui plenô omninò jure in utroque foro etiam uſque in præſens ſubjecta ſunt, non modicâ utique Cœnobij Bourenſis, imò Ciſtercij univerſi prærogativâ, quòd nempe honores cæteroquin diſparatos, & qui inter Regum & Regni iteratas metamorphoſes tot caſibus obnoxij fuerint, ab aliquot retrò ſæculis ad hæc uſque tempora integros tenuerit.

Aliquid his favoribus amplius amantiſsimæ ſuæ apud Campanos Claræ-Valli conceſsit Alphonſus I. Luſitanorum ex Principe Rex, memor ſcilicèt beneficij, quòd *Bernardus* atque *Eugenius*, Clara-Vallenſes ambo, Regij honoris ſceptrum, coronámque ſibi Domuíque ſuæ primi ſeu procuraverint, ſeu dederint. Igitur Alphonſus pro perenni beneficio aliquid rursùs in animi gratiſſimi titulum redditurus, Bernardo, & per Bernardum Ciſtercio omni, diplomate Regiô, ſuâ, Procerúmque ſubſcriptionibus firmatô Luſitaniæ Regnum Eccleſiæ Sanctæ MARIÆ de Clara-Valle in perpetuum fecit feudatarium; quod utique Ciſtercio perquam glorioſum, atque ſi Annales conſulas, Manriquei judiciô fortè ſinè exemplo. Quantum autem qualéve fuerit illud ipſum tributum aureum, quod Rex Claræ-Valli quotannis ſolvendum ſanciverat, expreſsit in citato diplomate in hæc verba: --- *Conſtituo, ut ſingulis annis eidem Sanctæ Eccleſiæ S. Mariæ de Clara-Valle, quæ eſt Ciſtercienſis Ordinis, poſita in Regno Franciæ, in diæceſi Lingonienſi, tribuant in modum Feudi & Vaſſallitij, quinquaginta Marabitinos auri probati, boni & digni, quod recipiatur.* Juvat audire Alphonſum pro ſua in Virginem, & Bernardum, totúmque Ciſtercium illuſtriſſima pietate loquentem ulteriùs, fulminantémque diras in eos, qui aureos illos Marabitinos, vaſſallitij ſui teſtes, Clara-Vallenſibus pendere aliquando neglexerit: *Fratribus verò*, inquit Rex, *in dicto Monaſterio de Clara-Valle, & in alijs ſui Ordinis Domino Famulantibus, cura erit, ſtatum Regni noſtri DEO devotè commendare, & animam meam, & Pa-*

rentum meorum Miſſis & Vigilijs adjuvare, & de feudo ſeu Vaſſallitio altare B. Mariæ reparabunt. Abbas verò Dominus Bernardus, & Ejus Succeſſores in perpetuum huiusmodi feudum annuatim habebunt in die Annuntiatiois B. Mariæ Virginis. Et ideò Virgo Mater Domini mei JESU Chriſti, in cuius laudem hic Ordo conſtitutus micat, ego humilis ſervus tuus Aldefonſus Rex Portugalliæ peto, quatenùs Regnum meum defendas à Mauris, inimicis Crucis filii tui, & Coronam hanc ab omni externo dominio liberam conſerves, & de prole mea fideles ſervos, & feudi largitores in Regni Sede corrobores! Si quis verò contra hoc Vaſſallitium, & feudi teſtimonium aliquid attentaverit, ſi Vaſſallus fuerit, à Regno noſtro expellatur; Si verò (quod Dominus non conſentiat) Rex fuerit, ſit à Nobis maledictus, & in ſtirpe noſtra non numeretur, & à Domino DEO, qui nobis Regnum dedit, omni dignitate ſpoliatus, & à ſuis inimicis victus, & cum Juda Traditore in inferno ſepultus. Hæc Alfonſus pietate igneus, pro Virgine & Clara-Valle in poſteros & Nepotes comminans, torquénſque fulmina, ſi ſcilicèt ij Patriæ legis, promiſsíque obliti, ſacerrimis pactis aliquando fortè minùs auſi ſtare; pluris haud dubiè in eo diplomate viſus exiſtimare Clara-Vallenſes, quàm Nepotes; Siquidem illi per Bernardum, non iſti ſibi diadema dederint: & quoniam inſimul ſapientiſſimé proſpiceret, ijſdem omninò fulcris, quibus Regna ſanctè ſurrexerint, deinceps pariter roborari, ſtaréque debere: eapropter noluit Princeps optimus, Ciſtercienſibus quidpiam per Succeſſores ſuos detrahi, metuens ſcilicèt hæredibus, nè Regno exciderent, ſi ſe fortè Ciſtercio, atque exinde per infauſtam avulſionem, Ciſtercium Luſitaniæ ſubtraxerint. Ita quidem Alfonſus Regno ſolióque ſuo non alias fixerat columnas, quàm è Clara-Valle, quæ Virginis ope, ac Bernardi ſubſidiô, futuræ eſſent Herculeis longè firmiores. Neque ſolum illud in citato diplomate aureum tributum Claræ-Valli annuè pendi juſſum eſt, verùm inſuper in Ciſtercij favorem per omne Luſitanorum regnum ordinata etiam alia non minùs illuſtria. Audiendus iterum verbis ſuis Alphonſus: *Si verò contigerit*, decernit Rex, *per noſtrum dominium aliquem Ejusdem* (Clara-Vallenſis) *Monaſterii, & Ordinis præfati intrare, vel tranſire, vel Monaſterium ibi conſtruxerit, perſonæ & res talis Monaſterii ſub tutela & patrocinio Regis erunt, taliter, quòd à nullo poſſint moleſtari, inquietari, perturbari, vel à ſuis Bonis defraudari: quod ſi contingat,*

contingat, in priſtinam libertatem reſtituantur quâcunque horâ temporis, vel momenti, in quo majori commoditate id fieri quiverit: quapropter bona talium Monaſteriorum & perſonarum erunt tanquam Regalia, & de illis erit Regi eadem cura, quam de ſuis debet habere. Quid ultra expectare à Rege velint Monachi, qui penè ab Alphonſo amabantur ùt filij, & quorum res & ſpes, pares cum Regijs Dominijs curas, quàm fauſtiſſimè ſortiebantur?

Similis ferè rerum immunitas Politica & civilis, (quam ſolam hôc Titulô commendare cupio) olim conceſſa noſtris à diverſis Principibus, cùm illi ad eorundem Principum territoria res ſuas deferrent, ibíque divenderent: quod breviter ob affinitatem materiæ hujus cum prærogativa antecedente hìc adnotare volui. Ac in primis quidem *Hugo* Burgundiæ Dux Annô 1170 abſolvit Ciſtercienſes à pendendo pedagio, minagia, & venta. *Raynaldus* & *Otho* Burgundiæ Comites à publicis vectigalibus, & à quibuslibet exactionibus, quæ cæteroquin à vendentibus & ementibus exigi ſolent. *Gingo* Comes Lugdunenſis & Florentinus Annô 1325. à pedagio & leida. *Ganfredus* Vice-Comes Maſsilienſis ab omni exactione. *Philippus* Comes Flandriæ & Viromenſis ab omni traverſo & pedagio. *Girardus* Comes Matiſconenſis Annô 1173. à pedagio & omni alia exactione, vel coſtuma. *Oelardus* Dominus Montis-Beleti ab omni pedagio, exactione, & ſæculari conſvetudine. *Guido* Dominus Virduni, Annô 1174. ab omni pedagio, venta, & quacunque exactione. *Almaricus* Dominus de Impovvaldo, & *Henricus* Dominus Caſtri Jurenſis ſimiliter à pedagio, & qualicunque exactione. Hæc privilegia integrè recitat *Henriquens* in collectione privilegiorum Ciſtercienſium, tandémque *paginâ* 238. in hæc ferè verba concludit: Non eſſe hos tantùm ex univerſa Chriſtianorum Principum corona, qui in Mellifluæ Familiæ ſolatia egregios favores contulerint, ſed penè innumerabiles adhuc reſtare, tam Aragonum, Caſtellæ, Navarræ, Portugalliæ, quàm reliqui Orbis Reges, Duces, Comites, Principes, Barones, Milites, Potentes, Communitates, atque etiam Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Præſules, Romanóſque Pontifices, qui ampliſſimos favores, privilegia, libertates, gratias, Commoditates Melleo Sodalitio

Ddddddd2 intuitu

intuitu Sanctimoniæ, devotioníſque alumnorum in eo degentium quàm liberaliſsimè conceſſerint. Ita quidem in ornando Ciſtercio multâ æmulatione ardebant Principes optimi, rati, ſibi ſuíſque malè eſſe non poſſe, cùm noſtris per indultas prærogativas facerent bene.

Spectandum nunc Ciſtercium apud *Navarraos*, non inferiori ſanè gradu, quàm apud Luſitanos. Recitat Manriqueus ad *Annùm* 1157. *cap.* 4. privilegium ingens, & quemadmodum ille exiſtimat, *cui vix aliquid ſimile*, quod per Navarræ Regem conceſſum noſtris, ut ſcilicèt per omnia Regni Tribunalia in Ciſtercienſium controverſijs ſtaretur ad verba unius Monachi de Ciſtercij gremio, etiam ſinè juramento quidpiam atteſtantis. Non abs re erit ipſummet privilegij tenorem huc tranſcribere: - - *Ut ſi quis homo*, ſtatuit Rex, *pro aliqua re vel calumnia, Vos* (*Fiterienſes, ſeu Caſtellionenſes*) *inquietaverit, & ad judicium traxerit pro magna vel parva quantitate; mando, ut in toto Regno meo pro ſola veritate unius Monachi vel Fratris Ordinis abſque alio juramento, & ſinè ullis aliis teſtibus veſtræ cauſæ, & veſtrum judicium diffiniantur.* Gloſſam privilegio pro more ſubjungit Angelus: *Aurum & opes & rura frequentes donant, qui ſolo teſtimonio partium deferat, eóque non iurato, rarus erit.* Sanè de Viris è Ciſtercio exiſtimatio ingens & Sancta, qui regijs ſuffragijs tam ſinceri eſſent, ut fallere quempiam non præſumerentur.

Memorari etiam hôc locô debet inter Hiſpaniæ decora *Populetum*, inclyta apud Catalonienſes Ciſtercij domus, Alcobaciæ æmula, cui, tum in Comitatu Barchionenſi, tum in Regno Valentiæ, ſubſunt oppida ſexaginta duo, & Prioratus ſex: quâ dominij magnificentiâ (ſi ſolos Cardonæ Duces excipias) Marchiones, Comites, Barones, Epiſcopos, communi omnium calculô antecellit. Aluit olim hæc domus, uti ex *Claudio Roberto* aſſerit Manriqueus, Monachos ferè quingentos. Abbas loci in utriuſque Provinciæ Comitijs gaudet ſuffragiô; éſtque in temporalibus in tota Catalonia Princeps ſecundus, atque pro more gentis gerit per vices, quoties Procerum conſenſu ad id vocatur, Magiſtratus etiam ſummos. Hiſpaniarum inſuper Reges præter favores alios, Populetanis Abbatibus addidêre prærogativam novam, ut nimirùm eſſent Majeſtatis Regiæ

Ad annum 1153. cap. 18. num. 9.

Sacellani

Sacellani & Eleemoſynarii Maiores: quô alterutrô munere ſi fortè per ſe fungi uon poſſent, data eſt eis per eoſdem Reges facultas peculiaris, adminiſtrandi illas functiones per duos Monachos Vicarios.

Et laudanda hìc Anglia, præcipuè *Richardus* Rex, qui Annô 1189. mortuô Henricô ad gubernacula Regni aſſumptus, imperij primitias ſacravit pietate in Ciſtercij Patres, ſub id tempus in Generali Capitulo congregatos, quibus centum marchas argenti transmiſit inſumendas communibus Patrum negotijs: eô velutì pretiô mercaturus ſibi, Gentíque ſuæ à Viris Sanctis haud dubiam felicitatem. Annô poſteriore cùm idem Richardus cum Franciæ Rege, Burgundiæ Duce, & Elſatiæ Comite adversùs Crucis adverſarios validiſſimâ claſſe iturus eſſet in Syriam, Guidonem Ciſtercij Abbatem ad ſe priùs evocavit, commendatáque ei gloriosæ ſanctiſſimæque expeditionis causâ, preces noſtrorum atque jejunia per Guidonem ab omni Ciſtercio enixè efflagitavit: Magis, haud dubiè, proſperè Chriſtianos Duces, Militéſque præliaturos, ſi in Ciſtercienſium Eccleſijs quot Monachi, tot penè Moyſes puras manus ad Cœlum levantes, fidelium armis bene fuerint precati. Ea nimirùm de uno Ciſtercio apud Reges erat exiſtimatio, ut in rebus momenti potioris, vix aliquid auſi moliri, ſinè petitis à Mellifluo Sodalitio auſpicijs, penè ſecuri de victorijs, ſi Ciſtercienſes oraverint, qui aliorum precibus jam fatô quôdam toties cælitùs firmatô fauſtiſſimam adderent efficaciam. Atque nè Rex eâ poſtulatione noſtris quôquô modô videretur eſſe oneroſus, ſi ſcilicèt ab ijsdem preces exigeret abſque Regiæ retributionis ſtipulatione: potiorem utique longè eſſe conditionem orantium, quàm præliantium: quòd ſi his ſtipendia pendantur, ſanè non poſſe illos ab omni Regiæ recompenſationis ſpe citra injuriam excludi: eapropter Richardus de Procerum aſſenſu opulentam Eccleſiam de Scardeburg cum omnibus Capellis ac pertinentijs ſuis in perpetuum ceſſit Abbati Ciſtercij, è cujus Eccleſiæ proventibus alerentur deinceps Abbates in Generali Capitulo congregati; reliquiæ verò ex illa triduana Patrum ſuſtentatione cederent in uſus Eccleſiæ ac Fratrum de Ciſtercio. Ita quidem munificentiſſimè per Richardum proviſum

Sanctiſſimo illi Ciſtercienſium Cætui, ut nimirùm perennes pro Anglia funderet preces, qui perenne ſentiret Angliæ beneficium: quod utique ex eo magís æſtimandum, quoniam Rex Proceréſque in homines exteros, atque in Gallia degentes, Regni ſui proventus aſportari non paſſi ſint modò, verùm etiam, quod ampliùs, imperaverint. Memorandus iterum, atque jam tertiò in Ciſtercij favoribus Richardus Rex, quòd *Eliam* Abbatem Dunenſem Flandrum, Virum inter Ciſtercienſes magnum, cujus interventu è captivitate Henrici Cæſaris dimiſſus, atque in libertatem aſſertus Fuiſſet, eximijs favoribus ornaverit; evocatum namque è Flandria ad ſe in Angliam, præter morem Gentis Conſiliarium Regium conſtituit: quô conſpicuus charactere homo exter, & clauſtro magìs aſſvetus, quàm Curiæ, non tam tulit Procerum odia & æmulationes, quàm omnium plauſus & amores, ab Optimatibus inſuper & Epiſcopis frequentibus donatus muneribus, atque, velutì Regni non minùs quàm Regis aſſertor & vindex, eximiè cultus à ſingulis. Conſtituit præterea Rex munificentiam ſuam Regiam amorémque non in ſola Eliæ perſona abſolvere, verùm ſimul transmittere ad poſteros, eapropter beneficium redempturus beneficiô, inſignem Eccleſiam de *Eſchirſob*, quæ eſt in inſula *Stapeya*, unà cum opulentis decimis per manum Humberti Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Abbatiæ de Dunis in perpetuum conceſſit; ut ſcilicèt ſera poſteritas etiam apud exteros loqui laudaréque poſſet, amatos aliquando fuiſſe Ciſtercienſes ab Anglia, cujus amoris ſignacula atque veſtigia perennibus beneficijs liberaliſſimè conſignavit.

Viſâ Angliâ petenda Francia eſt, ubi ex *Manriqueo* gemini explicandi favores per Franciæ Reges impenſi Ciſtercio. Primum recitat *Angelus* ad *Annum* 1227. *cap.* 10. de *Ludovico* Rege inter quatuordecim Ludovicos *Sancto*, qui Regni primordia auſpicatus eſt à munificentia in alumnos mellifluos, extructô in Epiſcopatu Belluacenſi propè Belli-Montem ampliſſimô pro ijſdem Cœnobiô, quod à loci ſitu, & Fundatore nomen hauſit, nuncupatum, *Mons-Regalis*: eâ quidem ſumptuosâ ſtructurâ ſe Regem, at verò in eo, quod mox ex *Roberto Claudio* dicam, ſe Sanctum profeſſus. Decumbebat in Monte-Regali Monachus

chus quidam fædâ horridus leprâ, quem Ludovicus, cùm locum pro more inviſeret, Regiô dignatus obſequiô, ei genuflexus cibum potúmque miniſtravit. Adſtabat lateri Regio Abbas Domûs, qui visâ tantâ Majeſtatis ſubmiſſione, in uberes lachrymas reſolutus, pulcherrimo facinori ad poſteros perſcribendo liquorem vel ex oculis deſtillabat. Mecænates alij habeant in Franciæ Regibus, glorioſius longè eſt Ciſtercio, eosdem experiri vel de genu miniſtros, quod obſequij genus in Rege prorsùs eſt admirabile. Alter Galliarum Rex in Ciſtercium pius atque gratioſus fuit *Philippus II.* Ludovici memorati avus, qui collectis ingentibus copijs cùm Expeditionem cruciatam adversùs Saracenos pro recuperanda Palæſtina adornaret, belli nervum, ſubſidia pecuniaria per omne Regnum indixit, & id quidem de aſſenſu Pontificio. Nullum omninò incolarum genus ſeu laicum, ſeu Eccleſiaſticum, immune à contributione, quam noſtrâ hâc ætate compellavimus Turcicam, nisì *Ciſtercienſes* & *Carthuſienſes*, quos ſolos & unicos Rex in decreto à communi onere exemerat: contentus eorundem orationibus, per quas ampliùs illi valerent, quàm alij per aurum & arma. Quod etiam poſt Philippum, apud Hiſpanos fecit *Alphonſus* Caſtellæ Rex Annô 1203. qui infeſtos Mauros exturbaturus è Patriæ confinijs, penſiones generales indixit univerſis Regni Statibus, nullô, nè quidem Eccleſiaſticô, exemptô â tributi Sancti præſtatione, quod rursùs indulgentiâ Pontificiâ conceſſum Regi. Soli iterum immunes à communi lege *Ciſtercienſes*, Alphonſi favore eximiô, qui de hac ipſa immunitate ad Capitulum Generale literas dedit, compellatas ab *Angelo* ad *Annum* 1203. *cap.* 6. *num.* 6. *plenas amoris*, *reverentiæque*, quarum ſolam illam partem, quæ ad rem noſtram in præſenti facit, hìc referemus. Itaque Rex inter alia, etiam hæc: -- *Tamen pro reverentia & ſpeciali dilectione, quam erga univerſum Ciſtercienſem Ordinem eâ devotione, quâ poſſumus, in Domino gerimus priorem, omnes præſtationes Regias, & exactiones pro Salute noſtra, & Filij noſtri, nec non & Parentum noſtrorum de cætero in perpetuum duximus remittendas, ut alijs Principibus exemplum præbeamus, & Succeſſoribus noſtris neceſſitatem imponamus, ab Ordine veſtro nihil ampliùs exigendi: affectuoſiùs rogantes, & humilitate, & devotione, quâ poſſumus, ſupplicantes, quatenùs Nos, Filium noſtrum, & Regnum apud DEUM ve-*

ſtris precibus commendetis, ut per Orationes veſtras Sanctiſſimas, de quibus plurimùm confidimus, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam apud DEUM promereri valeamus. Perpendit induſtriè totum literarum contextum Manriqueus *locô citatô*, ſubjungítque: *Vix ullum verbum eſt in tota epiſtola, ſeu privilegium appellare mavis, quod non eximiam præſeferat*, Regis erga Ciſtercium, *venerationem.* Ubi præterea notandum illud, noſtros non duntaxat ab una alteráve exactione, ſed ab omnibus omninò abſolutos fuiſſe, quod inſinuant illa verba: *omnes præſtationes Regias & exactiones duximus remittendas.* Quæ exemptionis plenitudo aliunde ſanè profluere non potuit, niſi ex amoris Regij plenitudine.

In Germania etiam noſtra nìl minus datum Ciſtercio, quàm apud Gentes reliquas: id hodiedum loquuntur Cœnobiorum, Baſilicarúmque ſtructuræ perquam magnificæ, ac ſumptuoſæ, quæ Veterum Cæſarum, Principúmque munificentiâ ſurgentes, Succeſſorum gratijs ſubſiſtunt, ut utriſque ſe ſuáque debere omnia, non ingrati fateantur Ciſtercienſes noſtri; illis quidem, id eſt, veteribus, quòd beneficia primi dederint, his verò quia data ſecundò dare, id eſt, conſervare velint. Silebo hìc ſtructuras omnes, quoniam eæ ſunt præter inſtituti mei rationem: Unum duntaxat producam favorem, conceſſum noſtris in Germania, quô utique neſcio quid præclarius pro Ciſtercio cogitari queat. Recitat eundem ex *Bruſchio*, Authore Germano Manriqueus noſter ad *Annum* 1133. *cap.* 5. fuiſſe nimirùm in *Fonte-Salutis*, Cœnobio noſtro apud Francones percelebri, Fratres, quos *Converſos* appellamus, nuncupatos etiam vulgò idiomate patriô à barbis, *Bartlingos*, quibus Principum in Ciſtercium reverentiâ atque affectu data ampliſſima Facultas, liberandi quoties vellent, maleficos, Tribunalium ſententiâ adjudicatos ſuſpendio: quaſi irreligioſum foret, ſævire in eos, quos noſtrorum pietas ac miſericordia abſolviſſet ab internecione. Et hoc quidem eâ ætate datum Ciſtercienſium digniſſimæ æxiſtimationi, ut eorundem arbitriô Judicum poteſtas fatales mutaret ſententias, caſſarétque, ſi ita lubuiſſet Ciſtercio. An verò ejuſmodi rei eâ lege à ſupplicijs per noſtros fuerint erepti, ut deinceps Aſſertorum ſuorum eſſent in Ciſtercio Socij, daturi promeritas pœnas longis vigilijs, jeju-

lijs, jejunijs, aliíſque corporeis cruciatibus, citatô locô dubitat Manriqueus, quia nimirùm *Bruſchius* id minùs aſſeruerat; quod tamen idem *Angelus* aliô locô, ad *Annum* 1221. *cap.* 6. cum majori latitudine affirmat, ubi indefinitè non ſolùm de Converſis Fontis-Salutis, verùm de univerſo Ciſtercio ampliſſimè pronunciat, fuiſſe tunc temporis non infrequens, ut condemnati ad furcas, & enſes, aliáque ſupplicia abſolverentur, ſi ſponderent Ciſtercium ingredi, ubi per rigorem Sanctitatémque Ordinis haud dubiè eſſent expuncturi patrata flagitia; de utroque enim, rigore ſcilicèt & Sanctimonia, illô ævo apud Principes, Ciſtercij exiſtimatio & fama ubique maxima. Et credo id ſumptum ex facto *Bernardi* Parentis, *Conſtantinum*, inſignem illum in Campania latronem, eôdem fune, quô tractus per lictores ad ſuſpendium, trahentis poſt ſe ad Clara-Vallenſe ſuum Cœnobium, prout ſuperiùs *Titulô VI.* jam meminimus.

Illud, quod jam ſequitur, commune quidem eſt alijs etiam extra Germaniam Principibus, qui olim magnô ambitu, magnô numerô, & quod in Regibus pretioſius eſt atque rarius, magnâ animi dimiſſione petiêre ſuſcipi in Fratres Ordinis; memorandum tamen præcipuè, laudandúmque in *Friderico Barbaroſſa Cæſare*, qui licèt affectu variô Orbem Chriſtianum afflixerit, Ciſtercio nihilominùs, quanquam ex eo ſibi perquam adverſo, quòd partes Romanas mordicùs tueretur, adeò offendi non potuit, ut non aliquando, & potiſſimùm Annô 1155. atque ſub finem vitæ ingentia de ſe dederit ſpecimina, quantum ipſe amaverit coluerítque Ciſtercium, nunquam haud dubiè ab illo divellendus, ſi illud non offendiſſet in Romano Pontifice, cujus æquiſſimam cauſam noſtri velutì propriam conſtantiſſimè propugnabant. Extat prolixa quidem, ſed Ciſtercio admodum glorioſa epiſtola, quam Fridericus ex Italia, á coronatione ſua, facta per Hadrianum Papam, reverſus, ſcripſit ad Abbates in Capitulo Generali Ciſtercij congregatos, in qua unicè petit à Patribus recipi in Fratrem Ordinis, ſpondétque, ſe viciſſim futurum Ordinis Sanctiſſimi perpetuum Defenſorem. Dabo literarum ſeriem ex integro, nè aut de Cæſaris affectibus, aut de Ciſtercij elogijs vel verbulum taceatur, quoniam pulchrum eſt, commendari à Cæſare. Itaque

Fridericus per Legatos ſuos ad congregatos in Ciſtercio Abbates ſequentem dedit ſeu epiſtolam, ſeu panegyrim:

Venerabilibus in Chriſto Patribus & amicis dilectiſſimis, omnibus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis, Fridericus DEI gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, ſalutem in Domino, & ad omne beneplacitum, ipſorum paratum, & expoſitum.

Si, juxta Veritatis vocem, ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ipſe in medio eorum eſt: quid credendum eſt, ubi non ſolummodo duo vel tres, ſed tot nobiles athletæ Chriſti, tot excelſæ columnæ Elcleſiæ ſuæ in nomine ſuo, imò ad honorem nominis ſui, de diverſis mundi partibus coadunati ſunt, & congregati: niſi quod ipſe in medio veſtrum habitat, & Spiritus ſuus: quem in vos ipſe transfudit, & Sanctiſſima pectora veſtra ſeipsô inflammavit? De qua igitur re, ſuccenſi flammâ charitatis conſenſeritis, certiſſimè obtinebitis, & fiet vobis, & quidquid poſtulaveritis Patrem in nomine dilectiſſimi Filij ſui Domini JESU, dabit vobis afluenter, & non improberabit.

Credimus enim, immò verè ſcimus, quòd tanta eſt Sanctitas hujus reverendi Ordinis, támque eſt placens, támque ſuave, & acceptabile holocauſtum orationum veſtrarum, quod ei quotidie offertis ſub carnis veſtræ maceratione, & mortificatione: quod omne id, quod à Creatore noſtro duxeritis petendum, cùm pius ipſe ſit, & promptus ad benefaciendum, obtinebitis à multitudine miſerationum ſuarum. Eſt etiam fides noſtra non utique parva, quòd hic Mundus, qui lubricus, & immundus eſt, & in maligno poſitus, orationibus veſtris ſuſtentatur, & à facie furoris illius tremendi Judicis, cujus iram peccatis noſtris accendimus, defenſatur, avertendo ſuam, quam meremur, indignationem.

Cùm igitur hoc firmiſſimè credamus, quod ab ipſo Patre miſericordiarum pijs orationibus veſtris impetretis, quidquid ab ipſo in nomine Unigeniti Filij ſui humiliter poſtulaveritis: Nos, qui peccati pondere recognoſcimus oppreſſos nos eſſe, omni humilitate, omni devotione ab univerſis vobis & ſingulis, qui in nomine Chriſti hìc conveniſtis; petimus & obſecramus omnium precum inſtantiâ, quatenùs in Fraternitatem veſtnam nos recipientes, & in conſortium Sanctiſſimum Orationum veſtrarum nos colligentes, ſpeciales Creatori noſtro preces effundere dignemini, ut gratia ſua miſericorditer in nobis deleat, & emendet, quidquid hactenùs commiſimus humanæ carnis infirmitate; & in his, quæ ſibi placita

ſunt,

ſunt, nos conformare dignetur : & licèt peccatores ſimus, cùm tamen per ineffabilem miſericordiam, Romani imperij gubernacula ſuſceperimus, det ipſe nobis, veſtrô piô interventu, Spiritum judicij & veritatis, ut ſic ſub nobis regatur imperium & diſponatur, ut ad laudem & gloriam nominis ſui Sancta ſua Eccleſia, quam in ara Crucis ſanguine ſuô redemit, pacis gaudeat optatâ tranquillitate; & nos poſt decurſum temporalis hujus Imperij, unà vobiſcum ad Imperium ſinè manſurum pervenire poſſimus, & ipſum videre in decore gloriæ ſuæ, qui pro nobis humilis & deſpectus fieri non deſpexit. Et quia hoc, timore meritorum noſtrorum obtinere formidamus, pijs Orationibus veſtris hoc conſequi poſſe ſperamus, & optamus.

Cæterum, quia ſignum vivificæ Crucis die noſtræ Coronationis accepimus, ut labore & ſtudiô noſtrô terra Sancta, terra, quam calcaverunt pedes Domini; terra illa, in qua Dominus ſalutem omnium noſtrorum operatus eſt: à manibus inimicorum Crucis Chriſti, qui eam violenter detinent, capiatur, ſuppliciter petimus, ut veſtris Sanctiſſimis Orationibus deſiderium noſtrum compleatur. Adhuc quia recognoſcimus, quia omninò ea, quæ Divina clementia circa nos, & in nobis miſericorditer, & miſerabiliter operata eſt, per Dominum & Patrem noſtrum Summum Pontificem, ſicut per Vicarium & Miniſtrum ſuum dignata eſt operari: petimus humiliter, & devotè, ut quia ad perſolvendas debitas gratiarum actiones, pro tantis beneficijs nos ipſos judicamus inſufficientes, Vos vice, & loco noſtro hoc apud ipſum velitis pijſſimis Orationibus veſtris promereri: Ultimò Orationibus veſtris nos recommendantes, ſcire vos volumus, quòd omnibus diebus noſtris hujus Sanctiſſimi Ordinis defenſores eſſe volumus, & per omnia, facta ſua, tanquam noſtra propria promovere. Datum apud S. Noborem XII. Kalend: Sept: Jndict: III.

Epiſtolæ recitatæ gloſſas ſuas, ceu totidem gemmas ſubjungit Manriqueus ad *Annum* 1155. *cap.* 1. *num.* 9. quas digniſſimas exiſtimavi quæ hìc inſererentur, ut à Magni Cæſaris, & Magni *Angeli* ſenſis exiles hæ pagellæ majus obtinerent pretium valorémque. Itaque hæc *Angelus* : *Quibus planè videas fragrantem Sanctitatis odorem Familiæ Sacræ, in quem ultrò ſe Principes offerrent, nec ſolùm boni & modeſti, ſed etiam diſcoli. Qui nuper Adriani* IV. *terror extiterat: qui mox rebellis Alexandro III. Urbem & Orbem erat diviſurus, turbaturus Eccleſiam, unitatem & pacem fugaturus, Ciſtercium quærit, etiam non quæſitus: atque ultrò ſibi ipſi frænum imponit (fraternitatem hominum Sanctorum) quô ſolô poſtmodum foret coërcendus. Videas ſecundò, fixam omnium ſententiam de Sacro Ordine, cujus meritis Mundus permaneret, & cui nihil à DEO denegandum, non ſolùm homines ſe credere putarent, verùm & ſcire. Sed quod magìs mireris, Videas ejus Ordinis conſtantiam pro Eccleſia: quam non dignatio, non favor tanti Principis, non Nomen Fratris, non amor, non ſpes, non metus labefactare, aut evertere potuerint: quin ſe eidem viriliter opponeret. Videas ultimò, quòd notavit Baronius hôc ipsô annô, ſub his initijs felicitatem hominis proſpera omnia & fauſta diu experti: ut non immeritò liceat conjectari, impetratam à DEO Ciſtercij precibus: nec fortaſſe evacuandam,*

cuandam, quamdiu vixit, niſi in Ciſtercium etiam debacchatus, prior ipſe evacuáſſet fraterna vincula. At hæc poſtrema Manriquei verba eouſque vera fuerunt, quouſque Fridericus Venetijs reſipuit: à quo deinceps tempore alium ſe pro Alexandri Pontificis, Ciſterciíque genio atque arbitrio geſſit, quàm hactenùs. Annô ſubinde 1189. ingenti exercitu mare traijciens, Saracenos atque ipſum Saladinum prælió profligavit. In medio tamen Victoriarum curſu, maximáſque inter ſpes, inſcrutabili Numinis ordinatione, poſteaquam annum non ampliùs unum in Oriente cum Chriſtiani Orbis plauſu Victor exegiſſet, in tranſitu amnis Sareptis in Armenia inferiori aquis hauſtus ijſque adhuc vivus ereptus, non diu pòſt & vivere & vincere deſijt, tandem iterum in fine Ciſtercienſis, & quidem multò magis, quàm unquam antea, uti refert Author *Anni Ciſt: ad* 21. *Septembris*; Agoni enim proximus ſepoſitô Imperatoriô cultu pro ultima illa lucta, non aliâ loricâ pectus animúmque ſuum obarmavit, quàm candidâ Ciſtercienſium cuculla: quâ indutus mortem ſeu fefellit, ſeu terruit, quæ minùs auſa laceſſere Cæſarem, beneficiô religioſæ veſtis jam felicem, atque invincibilem. Itaque Fridericus in vitæ ſuæ confinio apertè ſatìs ſe prodidit, quid ſenſerit de Ciſtercio. Et quanquam adversùs noſtros ſæpiùs acerrimè indignari viſus ſit, id tamen factum eſſe exiſtimo, præcipuè ex doloris prædominantis acerbitate, quòd ſcilicèt iniquè ferret, Ciſtercienſes, quos ſuæ Salutis elegerat apud DEUM vades & aſſertores, potiſſimóſque in humanis amicos, atque quod dulcius, Fratres, experiri, ſibi unà cum Roma, tam adverſarios. Utut ſit, favor Friderici, ſaltem cùm bonus eſſet, in Ciſtercium omninò præcipuus.

Claudendus nunc præſens Titulus eo ipſo in loco, ubi humana hæc clauduntur omnia, ſepulchris ſcilicèt Regum ac Principum, quorum apud Ciſtercienſes tanta frequentia, ut Man- *Ad Annum 1102. cap. 1.* riquei oraculô, *eorundem Eccleſiæ penè à DEO prælectæ viderentur in Principum & Regum ſepulturam*: Et licèt ſub Ordinis initia, *Annô* videlicèt 1101: Primi Patres Eorundem non modò Curias, ſeu aulas, verum & ſepulturas à clauſtris & Eccleſijs ſuis ſeverâ lege arcuerint. Divinâ tamen diſpenſatione factum eſt, ut rigorem latæ legis illicò mitigaverint, ob Principum humiles & importu-

importunas preces, nidulos ſuos poſt fata inter mellifluos alumnos unicè optantium. Indè ex multis pauca, nè omnia ſilere videamur: *Aula-Regia* apud Bohemos, *Barbellum* apud Gallos, *Gradefium*, itémque Cœnobium *SS. Crucium* apud Hiſpanos, *S. Salvatoris* apud Navarræos Regia exhibent Mauſolæa, *Populetum* præſertim apud Catalonienſes, ubi penè omnes Aragoniæ Reges in magnificis tumulis conquieſcunt. Memorandæ etiam Domus aliæ Principum ſepulturis glorioſæ. Atque in primis Cœnobium *Sanctæ Crucis* apud Auſtriacos, nonnullorum Auſtriæ Ducum monumentis inſigne. *Leninum* in Marchia Brandeburgica ordinarium ſepulchretum Marchionum Brandeburgenſium. *Alto-vadum* apud Bohemos, ubi Principes Roſenſes, Domûs illius Fundatores, numeroſô tumulô quieſcunt. *Fons-Salutis* in Franconia, ubi Burggraviorum Noribergenſium, ac Marchionum Brandeburgenſium magnifica ſpectantur Mauſolæa. *Ebracum* apud eoſdem Francones, quò omnium Epiſcoporum Herbipolenſium corda conſepelienda olim avehebantur. *Lucella* apud Alſatas, in qua præter reliquam Nobilitatem, ultra triginta Comitum, atque eôdem numerô Baronum tumuli viſuntur. *Luba* apud Sileſios, paſſim nuncupata, *Principum & Nobilium Mauſolæum*, ubi contumulati ſunt nonnulli Sileſiorum Duces, & diverſarum Sedium Epiſcopi, è quibus quinque fuêre Wratislavienſes. *Clara-Vallis* apud Longobardos, *Ducum Mediolanenſium*, atque *Alta-Cumba* apud Sabaudos, *Sabaudiæ Comitum* ſepulchris illuſtria Cœnobia. Non ibo per ſingulas Ordinis Domos, quoniam Principum ſeries in infinitum propè excreſceret, ſi quorumque oſſa & pulveres gratâ reminiſcentiâ excuterem, quos non ingrati è Ciſtercio clientes in clauſtris & Eccleſijs ſuis tumulatos ſervant, eâ quidem ſpe inibi pauſantes, ut felicem aliquando cum noſtris reſurrectionem ſortiantur, quos utique non duntaxat in ſocios ſepulchri, ſed imò, & vel maximè in ſocios judicij, atque perennis præmij ſibi non fruſtrà elegerint.

Dedi in præſens theatrum Principum favores conceſſos Ciſtercio: Scenam aperui, ſed non abſolvi, contentus præfixam ſynopſim conſtabilijſſe paucorum nominibus, in quibus Lector ſatìs interim ſpectare potuerit Regum Principúmque ſtudia in

 provehen-

provehendo per inſignes gratias Mellifluo Sodalitio. Scenam hanc alij producant, augeántque in immenſum: ego vela contraho, & ſub *Navis*, *Ventorúmque* imagine, ad Symboli in Tituli capite poſiti explanationem, metaphoricum luſum exhibeo.

NAVIS!

Pelagi perpetuâ *mobilitate ſtabilis* hoſpes,
Sinè relicto veſtigio viatrix,
Semper *vaga* Neptuni *domeſtica*,
Supportata à *fluxis*, & portans *fluxa*,
Merces, opes, mortales,
Quæ ſpes, quæ res
Quaſi aqua dilabuntur, & fluunt.
2, Reg. 14. Navis!
Gentium *nexus* & *vinculum*,
Quas natura per aquas *diviſit*:
Populorum *lingua*,
Qui *ſolô* & *ſalô*, à ſe diſtant,
Idiomatum, rerúmque omnium, *communicatio*,
Quâ mortalibus cis, & trans maria, *omnia fiunt communia.*
Navis!
Ventorum meta, ſcopus, centrum, punctum,
Ubi illi per diverſas lineas coincidunt.
Ciſtercij iconiſmus, ac ſymbolum:
Quoniam ſi Orbis eſt *mare*,
Si Regij Favores, *Favonij*,
Ciſtercium, *Navis* eſt,
Híſce Favonijs educta in altum,
Pérque tot jam ſæcula ſinè naufragio
Circumvecta feliciter.
Compreſſit *Cæſar* olim *imperiô* atque ſolatiô navitæ metum,
Imperans ſimul, & conſolans:
Nè timeas! Cæſarem vehis, & fortunam ejus!

Ipſum

Ipſum *Cæſareum* nomen, *Fortunæ* eſt omen!
Et *Majeſtatis* vocabulo inſcripta *Fortuna* eſt.
Ciſtercia *Navis!*
Tuis *velis*, tuis *ventis*
Inſcriptus *Cæſar* eſt,
Et Cæſaris *Favores*, & Cæſaris *Favonij*
Cæſar te vehit, & Fortuna ejus, & gratia ejus.
Scyllæ nec mille te mergent, te ſorbebunt.
Jobi *vita*, *ventus*, *Job. cap. 7.*
Ciſtercij *venti Favonij*,
Cæſarei, *Regij*, *Principales*!
Et Davidis, & Ciſtercij
Cor unum, & *votum* unum,
Ut *confirmentur ſpiritu Principali!* *Pſal. 50.*
Prima Ciſtercij geneſis & filia
Firmitas,
Primus *Filiæ*, imò & *Matris* Spiritus
Spiritus Principalis,
Spiritus Principum, Regum, Cæſarum,
Qui ſuis Favonijs, ſuis favoribus,
Inſpiraverunt in Ciſtercij naſcentis, creſcentis, vigentis
Virgineam, quia Marianam *faciem*
Spiraculum vitæ.
Vita animæ, & vita *Ciſtercij*, una & eadem,
Gratia!
Illis divina, hìc Regia Cæſarea:
Hâc aſpiratum primò, ſpiratum deinceps, reſpiratum ſemper.
Venti
Divinorum Theſaurorum *portio potior*,
Quidni enim divina dextera producit *ventos de Theſauris ſuis?* *Pſalm. 134.*
Ciſtercij *venti*, *Favonij*,
è *Theſauris*, ac gazophilacijs *Regijs* producti,
Pérque mille impendia, ſumptúſque
Melliſluum Navigium in tot conditis Cœnobijs
Semper altiùs provehentes.
Multi multa ſciunt,
Sed ventorum *uterum*, *originémque*, *utrùm* ſciant, neſcio.
Sentiunt à ventis refrigeria, reſpiria, beneficia,

Primum Cœnobium natum poſt conditum Ciſtercium, fuit, Firmitas.

Ggggggg 2 Et

Et non vident ſpiraculi fontem, ac incunabula.
Ciſtercium Navigium,
Quod quia ventorum *potuit cognoſcere cauſas*,
Felix, fauſtum, fortunatúmque!
Pſalm. 146. Scilicèt, *omnibus eis Nomina vocat*,
Sic Ciſtercienſes Auſtriaci *Leopoldos*, ſic Hiſpani *Alfonſos*,
Sic Galli *Ludovicos*, ſic Angli *Henricos*,
Sic Hungari *Andreas*, ſic Bohemi *Wenceslaos*,
Sic Poloni *Caſimiros*, ſic Sueci *Canutos*,
Favonios ſuos vocant, & ſalutant,
Et *bene dicunt* , *ſunt etenim.*
Non bona plenitudo à *ſpiritu privato*,
Non mala plenitudo à *Spiritu Principali.*
Plenum Ciſtercium DEô,
Et quia plenum *DEô*, plenum *Spiritu*,
Quia DEUS Spiritus eſt.
Plenum Ciſtercium Spiritu Principum,
Pſalm. 75. Quia *DEus* & aufert & affert *Spiritum Principum.*
Ciſtercium Mare
Plenum Favonijs, plenum favoribus Principum, Regúmque,
Qui ſuper aquas oceani Melliflui
Seſe cum mille gratijs circumferentes
Replentéſque ſui majeſtate omnia,
Vix admittunt è vulgo, è plebe
Privatos ſpiritus, privatos Favonios, Fundatoréſque:
Quanquam Ciſtercium utrorumque *capax* & *amans*
Tam cupiat reſpiria à *privato*, quàm *Principali Spiritu.*
Utut autem ſit in Ciſtercio *Spiritus privatus*,
Non eſt tamen in eo *Spiritûs privatio*;
Quoniam utì *Auſtria* nisì *ventoſa*, *venenoſa*,
Sic & Ciſtercium ſinè *ventis*, ſinè Favonijs *ægrè* ſubſiſtit.
Auſtriam nominavi:
Nunc per vota ſponſi in Canticis *Ventum Auſtrum* voco, & advoco,
Cant. 4. *Surge Aquilo*, ſurge Aquila, & *veni* veni *Auſter!*
Quia boni ominis eſt *venti* iſtius *adventus.*
Perfla Ciſtercij *hortum*, atque in horto Ciſtercij *Ciſternas*,
Et fluent aquæ,
Háncque aquarnm Congregationem vocabimus *Mare*

Non

Non *glaciale*, ſed *gratiale.*
Tu in primis Ventorum omnium Supreme *Imperator*
Ac *Pater Spirituum*
DEUS!
Impera rursùs *Ventis!* *Matth. 8.*
Non tam ut ſtent, quàm ut flent,
Vehántque *CiſterciamNavim* per mare hoc magnum & ſpatioſum
Sinè turbine!
Pulvis, cinis, folia,
Fumus, vapor, lolia,
Fænum, gramen, ſtipula,
Venti ſunt ludibria.
Nihil horum Ciſtercium,
Sed *Navis eſt*,
Per Principes olim erecta, per Reges hucuſque provecta,
Sinè ludibrio, ſinè naufragio,
Promota ſemper, emota nunquam,
Quoniam in auſpicium fauſti vehiculi
Favonij è theſauris Regijs adſpirabant.
Itaque mea Tu NAVIS!
Regijs Favonijs, ceu pennis, feliciter vola, ùt AVIS!
Neque te lædat ulla turbinum VIS,
Sed ſicut nunc & ſemper per *pennas ventorum* proſperè IS,
Ità fiant tibi deinceps omnia, ſicut tu VIS,
Quod opto tibi non tantùm BIS
Sed *bis ter*, & *ter* BIS
Ciſtercia Bis tertia
NAVIS!

TITULUS XXIV.

CISTERCIENSIUM MERITA IN ECCLESIAM.



PUlchrum eſt, favores obtinuiſſe; at longè pulchriùs, favores meruiſſe. Contulêre Pontifices, Regéſque Ciſtercio ingentia, quoniam Viri è Ciſtercio ingentia meruerint. Sunt in universa privilegiorum noſtrorum Papalium collectione, quemadmodum apud Ordines cæteros, privilegia *gratuita*, ſunt *remune-*

remuneratoria: poſteriora hæc eſſe numerô non modicô, conſtat ex ipſa Pontificum Summorum confeſſione, quorum nonnulla teſtimonia in aſſertionis firmitatem hic produco, ubi conceſſi noſtris favores, in noſtris *Meritis*, veluti in baſi conquieſcunt. Atque in primis Innocentius IV. in *Privileg.* XXI. ante gratiæ impertitionem hæc præfatur: *Meritis Veſtræ Religionis inducimur, ut favoris benigni gratiâ vos jugiter proſequamur.* Eadem Alexander IV. *privil:* XXXIV. *Virtutum Meritis rutilans, & ſanctitatis odore fragrans in Eccleſiæ corpore membrum nobiliſſimum, Ordo veſter.* Atque iterum *privil:* XXXV. *Meritis Sacræ Veſtræ Religionis inducimur, ut Vos favore benevolô Jugiter proſequamur, & ſuper his, quæ dignè depoſcitis, habeamus providentiæ ſtudium efficacis.* Similia Urbanus IV. *privileg:* XXXVII: *Sacræ veſtræ Religionis inducti Meritis, votis veſtris libenter annuimus.* Et rursùs *privil:* XXXVIII: *Meritis Sacræ Veſtræ Religionis inducimur, ut favoris benigni gratiâ vos proſequentes, &c.* Atque paria Pontifices reliqui. Joannes XXIII. *privileg:* 69: *Sacræ Religionis, ſub qua, mundanis calcatis illecebris, devotum & ſedulum in humilitatis ſpiritu exhibetis Altiſſimo Famulatum, Merita promerentur, ut ea, quæ veſtræ Religionis & Ordinis commoditatem reſpiciunt, favore vobis benevolô concedamus.* Concilium Baſileenſe, *privileg: LXXIV. Sinceræ devotionis affectus, quem ad univerſalem Eccleſiam in vinea Domini etiam nobiſcum laborantes geritis, non indignè meretur, ut petitionibus veſtris, in his præſertim, per quæ Jura & libertates veſtræ utiliùs conſerventur, favorabiliter annuimus.* Calixtus III. *privileg: LXXXIV: Ad fructus uberes, quos Ciſtercienſis Ordo in agro militantis Eccleſiæ plantatus dexterâ Domini, velut arbor bona produxit hactenùs, & producit, conſiderationis noſtræ oculos extendentes, Apoſtolici favoris præſidium ſibi libenter impartimur.* Sixtus IV. *privileg. CXI. Diſpoſitione divinâ Gregi Dominico (quamvis immeriti) præſidentes, dum præclara dilectorum in Chriſto Filiorum Abbatis Ciſtercienſis, ejusque Coabbatum & Priorum, ac dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſarum, & aliarum perſonarum Ciſtercienſis Ordinis honeſtatem & Merita DEO grata & hominibus accepta intra mentis noſtræ arcana recenſemus, & ad commendabiles fructus, quibus operoſis eorum miniſterijs erga ipſum DEUM & homines hujusmodi indeſinenter exuberant, noſtros diffundimus cogitatus, vota illa ad exauditionis gratiam favorabiliter admittimus, per quæ ipſorum ſtatui & indemnitatibus conſulitur, & quæ in illorum profectum emanâſſe comperimus,*

In Serie Privileg. Ciſt. apud rien. 13.

perimus, præſidiô muniminis Apoſtolici libenter ſolidamus. Innocentius VIII *privileg: CXII. - - Nos igitur, qui in ſingulorum ſub regulari obſervantia piæ vitæ ſtudio vacantium quiete reficimur, cupientes, ut Religioſi dicti Ordinis (Ciſtercienſis) quos præ cæteris propter uberes fructus, quos in militante Eccleſia continuè bonis eorum operibus afferunt, in viſceribus gerimus charitatis, eò liberiùs divinis beneplacitis inſiſtere poſſint, quò à Sede prædicta majori liberalitatis privilegiô noverint ſe communitos. &c.* Idem Innocentius *privileg: CXIII. Etſi pro cunctorum ſub regulari obſervantia Domino militantium ſtatu proſperè conſervando, ex injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio paternis teneamur curis intendere, ad Religioſos tamen Ciſtercienſis Ordinis, quos ob eorum bonos & exemplares mores, ac uberes fructus, quos in agro militantis Eccleſiæ afferunt, in viſceribus gerimus charitatis, dirigimus oculos noſtræ mentis.* Idem Papa *privileg: CXVIII. Dum ad fructus uberes, quos Sacer Ordo Ciſtercienſis in agro militantis Eccleſiæ divinâ ordinatione plantatus, producere non ceſſat, noſtræ conſiderationis intuitum dirigimus, & intra noſtri pectoris arcana revolvimus, quòd per illius fructuoſos palmites Sacro-Sancta Eccleſia non mediocriter decoratur, & Catholica Fides continuè exaltatur; dignum, imò debitum reputamus, ut Ordo ipſe, illiúſque perſonæ, ſtudijs virtutum, & Sacris literis inſiſtentes, per noſtræ proviſionis auxilium in ſuis opportunitatibus competens ſuſcipiant relevamen.* Idem *privileg: CXXIII: - - ſanè licèt dudum per diverſa privilegia à diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris Sacro Ciſtercienſi Ordini, qui à ſui primæva inſtitutione plurimùm inter cæteros Ordines obſervantiâ regulari floruit, ac ſuos palmites in agro militantis Eccleſiæ per diverſas mundi nationes, ob Religioſorum dicti Ordinis doctrinam, Vitæ ſanctimoniam, ac bonos & exemplares mores longè latéque diſſeminavit, conceſſa, pro ipſius Ordinis conſervatione, & obſervantiæ regularis in illo incremento, providè ſtatutum & ordinatum fuerit, &c.* Idem Pontifex *privileg. CXXIV. Etſi pro cunctorum ſub regulari obſervantia aſſiduè ſtudiô piæ vitæ Domino famulantium ſtatu proſperè & ſalubriter dirigendo, ex commiſſo Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio paternis teneamur curis intendere, ad Religioſos tamen Ciſtercienſis Ordinis, quos præ cæteris ob eorum bonos & exemplares mores, ac uberes fructus, quos in agro militantis Eccleſiæ hactenùs afferre non ceſsârunt, prout indies non ceſſant, in viſceribus gerimus charitatis, dirigimus oculos noſtræ mentis, &c.* Recitat præterea Manriqueus ad Annum 1170. c. 5. n. 7. epiſtolam

lam *Alexandri III.* Papæ, quam perſcripſit ad Patres in Capitulo Generali Ciſtercij congregatos, plenam magnis laudibus, quas Apoſtolicus Præco in Ciſtercij commendationem, ob Ordinis ejuſdem Sanctiſſimi glorioſa merita ingenti tubâ perſonuit: dignam proinde, quam totam hic ſpectemus. Itaque Papa: *Alexander Epiſcopus Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus, Archi Epiſcopis, Epiſcopis, & dilectis Filijs, univerſis Abbatibus in Ciſtercienſi Capitulo congregatis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter innumeras mundani turbinis tempeſtates, quas contra Eccleſiam DEI, & Nos ipſos ferventis perſecutionis procella commovit, magnum Nobis eſt præſtitum, Deô providente, remedium, cùm univerſitatis veſtræ ferventiſſima charitas nec pericula timuit, nec adminicula denegavit: ex his videlicèt retributionis cumulum, ex illis, auctore Dominô, patientiâ conſecutura triumphos: Meminimus planè, & cum omnium gratiarum actione recolimus, quàm inviolabili firmitate fluctuantem Petri naviculam fidei veſtræ anchora ſervavit in turbine, qualiter etiam frequens orationum inſtantia, quaſi iterum dormientem in eadem navicula Salvatorem, ingruente ſuſcitaverit tempeſtate: itâ ut ſæpenumerò magnitudine ſtupefacti miraculi, & ipſum glorificemus, quô mari & fluctibus imperante, optata capit arridere tranquillitas; & Vos penitùs venerabiles habeamus, quorum Nobis ſuffragantibus meritis cæleſtis creditur placata Majeſtas. Accedit ad hæc omnia dilectorum filiorum noſtrorum, Ciſtercienſis & Clara-Vallenſis Abbatum ſolicitudo laudabilis & devota, qui non humanô inſtinctu, ſed ſuperni conſilij ſpiritu provocati, pro pace univerſalis Eccleſiæ labores maximos & pericula ſubierunt, quod tantò Nobis & fratribus noſtris gratum eſt ampliùs & acceptum, quantò eorum ſtudium & laborem univerſæ DEI Eccleſiæ magìs confidimus profuturum, maximéque ſperamus, quòd pia eorum inſtantia, veſtris orationibus inceſſanter adjuta, ad Ordinis honorem & commodum, & ad optatæ pacis profectura ſit incrementum. Debitores ergo Vobis pro tam multiplici charitatis veſtræ munere conſtituti, vos & Sacrum Ordinem, quem ſervatis, omni, quâ poſſumus, affectione diligimus, & ejuſdem Ordinis profectibus & augmentis ampliſſimô ſtudiô promptæ ſollicitudinis adſpiramus: quandoquidem inutiliter videremur ſuperni Agricolæ viciſſitudinem gerere, ſi plantationem, quam plantavit dextra ejus, opportunis ceſſaremus imbribus irrigare. Eapropter univerſitatem veſtram per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenùs recolentes, qualiter*

hæc plantatio ſancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth ſub primis Ordinis patribus pullulavit, & palmites ſuos longè latéque producens, ad mortifera circumquaque venena pellenda flores protulit, & odores effudit, prævigili cuſtodiâ ſtudeatis eorum in omnibus inhærere veſtigijs, per quos, cooperante Dominô, in deſerto mundi hujus flos hujuſcemodi plantatus eſt honeſtatis: hi quoniam Monaſticæ frugalitatis continentiſſimi Profeſſores, optimum ponentes in paupertate principium, totius ſufficientiæ aſſecuti ſunt complementum; Eccleſiæ chari, Epiſcopis & Prælatis accepti, atque in conſpectu Regum & Principum famâ & meritô glorioſi. De cætero Nos & totum Eccleſiæ Sanctæ negotium veſtris devotis orationibus commendamus, orantes & ipſi, ut omnipotens Pater, in cujus eſtis nomine congregati, ordinationes & opera veſtra in beneplacito ſuo diſponat, & vos pariter ac ſubditos fratres ad ſpiritualia jugiter incrementa promoveat. Adhuc, quia prædictumClara-Vallenſem Abbatem pro inevitabili neceſſitate promovendæ pacis, ab adventu Capituli duximus retinendum, eum à vobis petimus haberi excuſatum, ſicut & de ipſo Ciſtercienſi in patientia vos ſuſtinere rogamus, ſi fortè contigerit, & cum pro tanta neceſſitate celebrato Capitulo revocemus. Datum Benevento XIV. Kal: Auguſti. Videat Lector Ciſtercij magnitudinem ex arduis ſurgentem laboribus, quos pro Sanctæ Eccleſiæ exaltatione tam fortiter ſuſcepit, quàm conſtanter, felicitérque geſſit, ut propulſatos turbines, diſſipatas tempeſtates, reductámque Orbis Romani tranquillitatem inter Ciſtercienſium *Merita* ſcripſerit Pontifex ipſe, præſtita eorundem miniſteria magnificè exaggerans, futura, ſeu præſtanda paternè & alacriter provocans, atque in utrorumque condigna ſtipendia offerens Sanctæ Sedis perennes amores, favoréſque. Igitur, quod ſub Tituli initium inſinuaveram, per inſignia prœconia à Summis Præſulibus pronuntiata, meritorum noſtrorum prærogativa iterum iterúmque tam cumulatè commendata, gratulatione præcipuâ apud gratos poſteros celebranda venit.

Poſt Pontificia oracula, memoranda Pontificum Merita, eorum ſcilicèt, qui è Ciſtercij gremio ad Sanctam Sedem ſubvecti, pro Eccleſiæ ſeu ornamento ſeu incremento, egregijs inclaruêre laboribus. Atque in prims comendandus EUGENIUS III, cujus induſtriâ *Conradus* Cæſar, & *Ludovicus* VII

Gallia-

Galliarum Rex, aliíque Principes, juncti ſacerrimô fædere, terrâ maríque Palæſtinam oppugnavêre, eventu qvamvis minùs felici, qui tamen clariſſimi Pontificis gloriæ nîl detraxit, penès quem ſcilicèt minùs ſteterat eventuum, armorúmque ſors ac felicitas. Eſt etiam *Eugenij* opus, Eccleſiæ *Armenorum* nova unio cum *Romana*, Gentis illius Epiſcopô, ob poteſtatis amplitudinem dictô, Catholicô, accurrente in Italias, atque Eccleſiæ utriusque unionem ac fœdus fauſtiſſimè cum Pontifice componente. Porrò Norvvegiæ, Sueciæque in religione firmiùs ſervandis, Viros Apoſtolicos ſubmiſit *Eugenius*. Author *Anni Ciſtercienſis* 8 *Julij*, ad Pontificis hujus laudes id præterea accumulat, *Eugenij* induſtriâ, authoritatéque reſtituta poſtliminiò eſſe Romanæ Sedi ablata jura, arces, urbéſque: ut non impar profectò beneficium dediſſe cenſendus ſit, qui aliquando habita, poſtquam ſubrepta fuiſſent, rursùs reſtituit, quàm qui nunquam habita primus contulit, diviſâ inter utroſque beneficij tam memoriâ, quàm gloriâ. Recenſet Manriqueus ad *Annum* 1152. *cap*: 1. favorem novum, quem hodie non abſque voluptate, atque inſuper utilitate memorare nobiſcum poſſint Pontifices Maximi, *Palatium* nimirum *apud S. Petrum* Eugenij auſpitijs ab ipſis fundamentis ſurrexiſſe, monimentum inclytum, ac perenne, quod â ſeris poſteris ſpectari, habitaríque haud valeat ſinè Ciſtercij reminiſcentia, per cujus ſanctiſſima rudimenta Eugenius ad Papalia faſtigia formatus ſit. *Chaconius*, Scriptor hiſtoricus, citatus ab *Angelo* locô mox inſinuatô, præter Palatij Divi Petri fabricam etiam de Eugenio noſtro addit: *ſignum prætorium condidit; Porticum ante Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris refecit, & picturis opere vermiculatô, quod Moſaicum vocant, exornavit, ùt inſcriptio capitalibus literis adhuc oſtendit.* Quibus, aliíſque totô illô *cit: cap:* 1. atque etiam alibi per Annalium ſuorum decurſum magnificè in Eugenio commendatis, tandem *num.* 12. ſubjungit *Angelus*: *ſic nihil fuit, quod non Eugenio Roma ſemper debuerit.* Sed neque illud hìc tacendum, quod ad eundem Annum 1151. *cap* 6. refert præcitatns *Manriqeus*, *decretum* nimirum *Gratiani* (felices illas Corporis Juris Canonici primitias) hodie in ſcholis & Præſulum Curijs notum ac celebre, compilatum eſſe *Bernardi* hortatu, *Eugenij* auſpicijs, ut planè duplici titulô ad Ciſtercium ſpectare videatur, & quia Bernardi conſiliô, & quia

Eugenij authoritate in lucẽ publicã primitùs à Gratiano profusũ ſit. ADRIANUS IV, alter è Ciſtercio Pontifex, laudati Eugenij imperiô olim ante Pontificatum, Norvvegorum ac Suecorum glorioſus Apoſtolus, ſtabilivit auxítque in diſſitis illis plagis ovile Chriſti, felix tanti Viri Paſtorali munere. Evectus ad Eccleſiæ ſuprema gubernacula, Orientem ſolicitavit ſolemni legatione, vocavítque in communia cum Roma, religionis fœdera. ALEXANDER III. è mellifluo ſodalitio Papa tertius, invictiſſimi animi Præſul, per adverſa glorioſior, tenuit afflictam Eccleſiæ Rempublicam adversùs Fridericum Barbaroſſam Cæſarem fortiſſimé, pacavítque tandem tempeſtatem, Cæſare Venetijs reductô ad concordiam. Apud eoſdem Venetos à Rege Abiſſinorum, vulgò nuncupato, *ſacerdote Ivanne*, Legatos ſuſcepit, petentes Viros ab Alexandro, qui Romana dogmata, ritúſque perferrent in africam, iíſque imbuerent Regem, ac ſubditos populos, cupientes aggregari Catholicis agminibus. Pontifice commorante in Gallijs, inter aliorum Legatorum obſequia ſeſe gratiſſimâ novitate etiam immiſcuit Mahometani Regis Orator, Alexandri pedes more catholicô ſubmiſſiſſimô oſculô, nomine Regis ſui publicè deveneratus. Alia rursùs Legatio *Soldani Iconienſis* Annô 1169. Alexandrum noſtrum ſalutavit, petiítque ac obtinuit Viros in lege Chriſti eruditos, per quorum miniſterium memoratus Saladinus rudimenta fidei edoctus, ſacris undis clàm eſt ablutus. GREGORIUS VIII. è Ciſtercio Apoſtolici apicis hæres quartus, convocavit ingenti zelô Chriſtiana arma ad Hieroſolymas tunc infeliciter amiſſas, rursùs Expeditionis Cruciatæ præſidiô fortiter diripiendas. URBANUS IV. è Ciſtercio Pontifex quintus, glorioſiſſimæ Solemnitatis *Corporis Chriſti* fortunatus auſpex ac inſtitutor. BENEDICTUS XII. ſextus è Ciſtercio ſupremus Paſtor, gliſcentem ſuâ ætate noxiam flammam, quæ inter Ludovicum Cæſarem, ac Sedem Apoſtolicam paulò antè exarſerat, tantâ, quoad vixit, compreſſit ſapientiâ, nè ulteriùs ſerperet, manſuetudine compeſcens infeſtos æmulorum motus. Hæc obiter de Pontificibus è mellifluo cætu aſſumptis: quorum merita ſi ſub unum intuitum colligantur, ſanè ſunt clariſſima; per *Eugenium* námque Eccleſiæ Romanæ firmata Armenia, recuperatæ urbes, reſtituta jura: per *Adrianum* vocatus

tus Oriens in ſanctæ fidei unionem: per *Alexandrum* illuſtrati Abiſſinorum animi Chriſtianis Sacris: Per *Gregorium* armatus Catholicus Orbis adversùs Paganos: Per *Urbanum* promota pietas Euchariſtica: per *Benedictum* ſervatus Cæſar à præcipitio & caſu.

Poſt ſummos Præſules, pro hac ſcena adducendus *Bernardus* Parens, omnis propè meriti principium, cujus præcipuè induſtriâ ac authoritate ſeu ſervatus, ſeu redditus Romæ Pontifex in *Innocentio II.* ſchiſmate Petri Leonis, Mellei Parentis aculeô feliciter tandem expunctô. Audiatur hac in re ex Cathedra *Alexander III.* in Bulla Canonizationis, ùt vocant, Bernardi labores, atque ingentia, pro Romana Sede, ſtudia publicis elogijs gratiſſimè memorans: *Specialiter autem*, ſcribit Papa, *Sacro-Sanctam Romanam Eccleſiam, ità quondam ſub gravis perſecutionis turbine laborantem, tam vita meritô, quàm data ſibi cœlitùs ſapientia ſtudiô ſuſtentavit: ut dignè quidem omnibus Ejuſdem Eccleſiæ filiis in memoria habendus ſit, & devotione perpetuâ venerandus.* Hæc de Bernardo Alexander. Ubi videas, Pontificem exigere pro Bernardo honores publicos atque perennes ab univerſa Eccleſia, quia ſcilicèt Atlantem in eo, vindicémque aliquando habuerit. Quæ quidem gloria per Bernardum in totum redundat Melleum Sodalitium, defenſam nempe olim per Ciſtercium, ſervatámque ab ulteriori turbine Romanam ſedem.

Bernardô meritorum glorioſô vehiculô ad Cœlites transpoſitô, nova tempeſtas Petri Naviculã concuſſerat, ſub *Friderico OEnobarba* Romanorum Imperatore, qui *Auguſti* titulum fædâ aſperſit maculâ, quòd ſchiſma adversùs Pontifices foveret, eſſétque Eccleſiæ perſecutor, qui eò ipsò quòd Cæſar foret, Eccleſiæ Advocatus eſſe debuerat; ſummos honores ſummô deturpans vitiô. Multos annos ea calamitas Orbem Romanum afflixerat, graſſante Fridericô iterum iterúmque per Italiam, eámque hoſtilibus copijs indignè devaſtante. Turbarum præcipui patroni, *Victor*, *Paſchalis*, *Calixtus*, tres ſucceſſivè Pſeudo-Pontifices, per eos ipſos motus Tiaræ immeritos honores ſibi per ſcelus firmantes. Verùm unum turbavit Fridericum, victorijs cæteroquin elatum atque inſolentem, quòd nempe Ciſtercienſes noſtros, nuper ſuâ dignatione, atque af-

fectu, Capitulíque Generalis adſenſu, Fratres, jam adverſarios haberet: qui ſcilicèt aſſumptâ Pontificum Romanorum causâ, atque tutelâ, etiam per carceres, compedes, exilia, &, ſi ità offenſo Cæſari liberet, per mille pulcherrimas, cælóque dignas mortes aſſerturi eſſent beatiſſimis Chiſti Vicarijs convulſos à Friderico honores, emovendi nequaquam per tormenta à genio ac propoſito, Viri ſaxei, pro Romana Petra fortiſſimè conſiſtentes. Præcipuè magnus ille *Tarantaſiæ* Archi-Præſul PETRUS, è Ciſtercio ad illud faſtigium aſſumptus, murum ſe ventis turbiníque oppoſuit inexpugnabilem, quem *Baronius* in Annalibus nunquam ſatìs laudare potuit, quin nova ſemper volumina, & elogia mereretur Vir undequaque maximus, atque ſuæ ætatis *Alter Bernardus.* Eô duce atque auctore Ciſtercienſes noſtri fregêre tandem Cæſaris impetum, ut, quoniam ille Ciſtercium dividere non poſſet à Roma, jam ſeſe effecturum id minùs ſperaret, pro quo hactenùs tantâ contentione pugnaverat. Itaque cùm jam ſatìs ſeu pugnâſſet, ſeu peccâſſet, Alexandro III Papæ ſupplex factus Venetijs, diſturbia omnia damnavit, ejuravítque. Aſſeruit hos exciſi ſchiſmatis honores Ciſtercio Manriqueus in Annalibus, & cum Manriqueo Scriptores etiam alij. Id ſanè dignum admiratione, Cæſarem Principéſque in illis afflictæ Eccleſiæ convulſionibus per nullos alios tam voluiſſe ac optaviſſe vinci, quàm per Viros Mellifluos, decorum exiſtimantes, triumphari per Ciſtercium. Igitur Romani Antiſtites hos ipſos ſacerrimos, fortunatiſſimóſque triumphos memorare hodie in poſteris ætatibus vix poſſunt, quin novis amoribus, ac gratijs ſtabiliant glorioſam eam Familiam, cujus robore ac meritô invicti aliquando perſtiterint.

Porrò in illa tempeſtate, quâ ſub *Friderico II.* Cæſare Eccleſia rursùs concuſſa eſt, emicuit etiam clariſſimè Ciſtercienſium zelus ac induſtria pro Sancta Sede Apoſtolica; cùm namque Annô 1244. (quemadmodum refert *Julianus Paris* Doctor Theologus, Abbas Fulcardi-Montis, in *Nomaſt*: Ciſt: *Part:* 2. *annotat*: ad *Breve Apoſtolicum Urbani IV pag*: 387.) *Ludovicus IX.* Sanctiſſimus Galliarum Rex unà cum Matre, uxore, & liberis, quæ erat reverentia tantorum Principum erga mellifluam Familiam,

miliam, ad Generale Capitulum Ciſtercij celebratum veniſſet, Patres congregati, animô amariſſimô dolentes cauſam Summi Paſtoris Innocentij IV. non ſecùs ac ſuam, Regi, omnes genuflexi, humillimis precibus ſupplicârunt, quatenùs Majorum exemplò Gallias ſuas offerret in aſylum communi Eccleſiæ Parenti, deſertâ Româ exuli, quærentíque nunc incolatũ in Francia: ſuſciperet, tueretúrque Innocentium; id enim quàm maximè addecere Ludovicum, & quia pium, & quia Regem: id poſtulare impendiò Ciſtercij alumnos, quibus Regiæ Celſitudinis præſentia foret pro ſtimulo, & auſpicio, ut peterent, & obtinerent. Laudandum aliquando magnificè id facinus à poſteris, Patrem in filij primogeniti ſinu tutò conquieviſſe. Hæc Patres ante Regem genuflexi. Cùm ecce Ludovicus coram univerſa Virorum illorum Congregatione pariter (admirabile dictu!) in genua procumbens, genuflexus ſanctiſſimè ſpopondit, præſtiturum ſe prorsùs quàm promptiſſimè omne id, quod à Venerabili illo Cætu in Innocentij atque Eccleſiæ favorem fuiſſet poſtulatum. Legi præſentem ſcenam inter animi tenerrimos jubilos, intuitus Galliarum Majeſtatem Sereniſſimam pro Patrum Ciſtercij reverentia in genua humiliatam, Situ Regis ante ſupplices, quod ſciam, vix auditô.

Aliud præterea commendat præcitatus *Julianus* in eadem *annotatione*, quod præſentem Titulum veluti clariſſima fax illuſtret: nempe ſub auream Mellifluæ Societatis ætatem nihil propè egiſſe Pontifices Romanos, nisì per Ciſtercienſes, numeratóſque ſub uno duntaxat *Honorio* Papa III. ultra *centum & quadraginta* cùm Abbates, tum Monachos è Ciſtercio ad Eccleſiæ procuranda negotia in publicum theatrum evocatos. Quòd ſi ſingulos Pontifices percurramus, creſcet negotiorum, ac proinde pariter meritorum noſtrorum ſeries numerô omninò ingenti.

Nil propinquius *ſchismati* quàm *hæreſis*, ùt luctuosô nuper argumentô probavit Anglia. In illud prolabi, eſt in hanc nutare. Non ſatìs erat noſtris, diſſipaviſſe ſchiſmata: etiam hæreſibus offendi debuerant, ut per novos adverſarios, & aucta prælia creſceret victoriarum ſeries, atque meritorum pondus. ALBIGENSES contumax hæreticorum genus, &

Manichæorum infauſtas reliquias, ante quinque ferè ſæcula in Gallijs ſurgentes, ac ſubinde ferrô & igne exciſos, non aliundè ferè novimus, quàm ex hiſtorijs, tam ſcilicèt de potentiſſima hac ſecta nîl ampliùs, quod ſciam, nunc reliquum eſt, quàm modicæ literæ, quibus hæreſeos iſtius fatale vocabulum, ac memoria ad nos perſcripta ſunt. Atque etiam (quod quidem cum ampliſſimo ſolatio hìc pronuncio) hi ipſi Albigenſes numerandi in Ciſtercij triumphis; eorundem namque initia illicò oppugnata per noſtros, & tandem tandem nocentiſſima illa hydra, quæ toties in nova bella & capita repullulavit, plenè atque integrè per Ciſtercium extincta eſt, quod audacter aſſero ex *Manriqueo* noſtro, qui in annalibus ſuis præſentem materiam de Albigenſium ortu, progreſſu, & interitu prolixè non minùs, quàm nervosè proſequitur, appellátque iterum atque iterum Familiam Ciſtercienſem, primam ſupremámque Albigenſium expugnatricem. Litigent, qui volent, cum Viro Magno, & per annos triginta Publico apud Salmanticenſes Profeſſore, & ſi qui *Angelum* noſtrum in veritatibus cùm ſcholaſticis tum hiſtoricis alioquin accuratiſſimum, atque, ùt vulgò dicimus, ſcrupuloſiſſimum, errâſſe aut offendiſſe convicerint, tum & ego manus libenter dabo. Interim, quoad illi hoc præſtiterint, conſtanter ſentiam, aſſerámque, quod *Angelus*. Habuêre quidem Ciſtercienſes noſtri, muneris Apoſtolici Socios etiam extraneos, præcipuè de illuſtri gremio Divi Dominici; at ſumma rerum apud noſtros ùt plurimùm ſemper fuit, quibus per Summos Eccleſiæ Præſules conceſſa eſt ſuprema contra Albigenſes procedendi poteſtas, aſſumendíque ad id opus, quos idoneos exiſtimarent, etiam extra Ciſtercium, Viros Apoſtolicos, cooperaturos Albigenſium tum converſioni, tum extinctioni. Atque ſub id tempus, hæreſeos per noſtros extirpandæ occaſione natum eſt apud Ciſtercienſes Sanctiſsimæ INQUISITIONIS TRIBUNAL: inſtituti per *Innocentium III.* primi adversùs hæreticam pravitatem Inquiſitores duo è Ciſtercio Viri Magni, *S. Petrus de Caſtro novo*, ex Archidiacono Magalonenſi, Ciſtercienſis in *Frigido-Monte* Monachus, atque *B. Arnaldus* Ciſtercij Abbas Generalis. Scio quidem, rem me ſcribere celeberrimæ Prædicatorum Familiæ minùs gratam, quæ Primum inquiſitorem propugnat Sanctiſsimum Patriarcham ſuum

ſuum *Dominicum*. At verò præſentem ego veritatem hauſi ex Manriqueo noſtro ad Annum 1204. *cap.* 3. ubi per totum illud caput ex induſtria hanc materiam eruditè & modeſtè diſcutit, pronunciátque expreſsè pro Ciſtercio, ad quod præfati Tribunalis primordia abſque hæſitatione referenda ſint, temporum computu ſumptô in argumentum, quòd ſcilicèt Illuſtriſſimus Parens Dominicus Annô 1204. adhuc intra cathedralis ſuæ Eccleſiæ Oxomenſis gremium contineretur, cum Canonici Regularis charactere, cùm jam noſtri, Innocentij juſſu, in Gallijs ferverent in excidendis Albigenſium Zizanijs. Alterum eſt, quod obſervat idem *Angelus*, omnes illos Authores, qui Dominico Parenti hanc gloriam aſſerunt, domeſticos eſſe, & quod ille urget quàm maximè, recentes, unicô demptô *Haimericô*, qui reſpectivè ad cæteros aliquantò antiquior eſt, poſterior tamen ducentis & ampliùs annis Divô Dominicô, ut fortè nullum Scriptorem ſancto Patriarchæ coævum videre liceat, qui primitias Inquiſitionis ad Prædicatorum Familiam, ejúſque Parentem referat. *Bzovius* ipſe, Scriptor è Dominicanorum Inſtituto illuſtris, *cui in conſcribendis Eccleſiæ Annalibus* (uti aſſerit *Angelus* cit: locô, *num*: 9) *Regeſta omnia patuerunt*, literas omninò nullas producere potuit à Pontificibus Romanis in cauſa Albigenſium ſub Tribunalis primordia ſcriptas ad Dominicum Parentem, aut glorioſi Parentis alumnos; cùm tamen ex adverſo è propria ejuſdem Bzovij confeſſione palàm ſit in *Præfat. tom.* 13. *num.* 11. in ijſdem Vaticani Regeſtis noſtras pro hoc argumento fuiſſe repertas. Stant porrò pro Ciſtercio, præter ſcriptores domeſticos, etiam Exteri, authoritatis non modicæ, ex eo minùs de falſo ſuſpecti, quòd, dum noſtra laudant, non ſua, ſed aliena laudent. Ex ijs *Aubertus Miræus*, Bruxellenſis, Vir in Statu Eccleſiaſtico, pietate atque doctrinâ præſtans, de Ordinibus Religioſis quàm optimè in hiſtoria meritus; qui *Lib*: 5. *Originum*, *cap*: 16. quod eſt, *de Beato Petro de Caſtro Novo Martyre*, *Primóque Inquiſitore hæreticæ pravitatis*, ſub *capitis cit*: finem ſic ſcribit: *Hoc viſum fuit*, *paulò latiùs deducere*, *ut contra vulgi opinionem oſtenderemus*, *non Dominicanis*, *ſed Ciſtercienſibus primum inſtitutæ adversùs hæreſes Inquiſitionis officium deberi acceptum.* Eadem tradunt *Hugo Menardus*, Author Benedictinus, *L.* 2. *ſuarum obſervat. ad Martyr. Monaſt. ad diem* 5. *Martij.* *Robertus*

bertus Claudius, in ſua *Gallia Chriſtiana*, ſub Titulo: *Archi-Epiſcopi Narbonenſes. fol.* 92. Illuſtriſſimus Apamiarum Epiſcopus *Henricus Spondanus* ad annum 1208. *n*: 4. & *Paulus Sherlogus*, *S. J. Tom.* 3. *in Cantic. veſtigat.* 34. *num.* 31. Et præter hos citatos, teſte Manriqueô, etiam alij: ità ut ſi Authorum exterorum numerô, ſi gravitate, ſi ipsâ temporis ratione pugnandum ſit, Ciſtercienſes haud dubiè vincere debeant, vel per aliena ſuffragia, ſi fortaſſe domeſticis ſcriptoribus credere minùs vellent amiciſſimi Dominicani Patres. Porrò citatus *Angelus* hac in re omninò eſt ſincerus & induſtrius, producit namque Apoſtolicas Innocentij literas, non unas duntaxat alterásve, ſed repetitas ac multiplices, noſtris ſuper Inquiſitionis negotio perſcriptas; atque noſtrorum viciſſim ad eundem Papam reſponſorias, quas per Annalium decurſum Authenticas recitat, communicatas ex Archivo Romano; cùm tamen ex eodem nè unas quidem obtinere potuerit, quas Innocentius Dominico perſcripſerit in cauſa Inquiſitionis adversùs hæreſes. *Angeli* verba hæc ſunt: *quas tamen* (ſcilicèt Innocentij ad Dominicum literas) *in Regeſtis Vaticanis exquiri, ſi fortè invenirentur, multô labore & ſumptu, non ſecùs, atque noſtras procuravimus.* Videas Virum magnum neque labori neque ſumptibus peperciſſe unquam, ut veritatem à nonnullis controverſam ex fonte erueret, conceſſurus alijs haud gravatè hanc gloriam, quam etiam proprijs impendijs voluerit extra Ciſtercium transferre, ſi ità Roma docuiſſet: conteſtatus opere, quod in *cit. cap. num.* 6. verbis ingenuè profeſſus eſt; non agere ſe ſcilicet in ijs Ciſtercij Annalibus *laudatorem, ſed hiſtoricum, qui vera, quàm placentia, aut illuſtrantia ſemper anteferat.* Una *Sixti* V. epiſtola adverſæ ſententiæ pro baſi eſt; ſed quæ annis 370. poſt Inquiſitionis initia primò emanaverit, atque inſuper in materia purè hiſtorica, in qua *Succeſſores Petri* (ùt loquitur *Angelus cit. loc. num.* 13.) *nunquam aſſerere, nedum diffinire, ſed præcisè ad communem, & plerumque ad petentium mentem loqui in uſu habeant; velut, qui ſenſum illis permittant, non adſtruentes, ſed condeſcendentes ſibi propoſitis.* Non eſt muneris Pontificij, callere hiſtorias, & res, quæ extra Corpus Juris circumferuntur, habere in ſcrinio pectoris: atque eapropter licèt in Archivis Vaticanis (ùt mox perhibuit Manriqueus) etiam Sixti Papæ tempore, latuerit hæc veritas in vetuſtis inſtrumentis, è quibus pro

pro Ciſtercij favore pronunciari potûerit; quoniam tamen citra culpam ignorante hæc monimenta Pontifice, partéque adversâ ſua potiſſimum commendante, noſtri, utpote pars, vocati, auditíque non ſint, quidquid ea in cauſa actum eſt intra puræ meræque hiſtoriæ limites ſtetit, Pontificiæ authoritatis prærogativâ nequaquam miſcente ſeſe rebus hiſtoricis. Hæc ferè ad Mentem *Angeli* locô citatô: & rectè, ſi rigore ſcholaſticô procedendum ſit. At verò ſi benigniori geniô expendenda ſit Sixti Pontificis hiſtorica Authoritas, uti poterimus interpretatione: Pontificem aſſeruiſſe Divo Dominico honorem *primi inquiſitoris*, in ſuo videlicèt Ordine, non in univerſa Eccleſia, quod nos abſque controverſia cum reverentia admittimus. Atque hic conciliationis modus ex ipſo epiſtolæ contextu, & Dominicana hiſtoria apertè promicat. Aſſerit pari ſtylô Sixtus, *Divum Petrum Veronenſem*, glorioſum Martyrem ex eodem Prædicatorum Ordine, *primum Martyrem*, ob munus Inquiſitionis, quod exercuerat ab hæreticis fuiſſe occiſum: & Dominicana *Hiſt*: *Lib*: 1 *cap*: 3 affirmat, laudatum *Petrum* Sacerrimam pro religione Victimam, *primum ſuô ſangvine Sacro-Sanctum Officium Inquiſitionis conſecravi ſſe.* Intellige primum ex ſacra Prædicatorum Familia, non verò primum ſimpliciter; cæteroquin verba Pontificis, & hiſtoria Ordinis non cohærerent antiquitati, & veritati, cùm annis 44 ante *Petrum* Martyrem *Veronenſem*, ab hæreticis in odium fidei, atque ob exercitium Sanctiſſimæ Inquiſitionis crudeliter interemptus ſit *S. Petrus de Caſtro-Novo*, glorioſiſſimus ille Chriſti è Ciſtercio Martyr, quod vel ipſi ſcriptores Dominicani non diffitentur. Non præſumendus eſt Pontifex, atque Sacer Prædicatorum Ordo correxiſſe hiſtoriam, quæ jam per annos trecentos, & ampliùs, vera fuit; ſed accipienda ſunt verba utriusque in ſenſu accommodo, in quantum ſcilicèt non præjudicant tertio (Ciſtercio) cui neque Sixtus neque Dominicani cenſendi ſunt, voluiſſe in aliquo derogare. Aſſumendum eſt hôc locô, velutíque collocandum pro idea, Juris-Conſultorum illud dogma: *Si actus non valet, ùt agitur, valeat quantum valere poteſt.* Aſſeruit Sixtus Papa in allegata epiſtola, Dominicum Parentem Primum Inquiſitorem, & quia primus non potuit eſſe ſimpliciter, cùm eundem anteceſſerint Ciſtercienſes noſtri, *Petrus*, *Arnal-*

dus, Radulphus; intelligendus eſt fuiſſe primus ex ſuo, quem inſtituit Ordine. Et ità quidem ſimiliter ducenda eſt paritatis ratio & linea à *Divo Dominico* Primo Inquiſitore, ſenſu jam explanatô, ad *Divum Petrum* Veronenſem, primum Inquiſitionis Martyrem, utroſque primos; at duntaxat in ſua Prædicatorum Familia. Illud deinde, quod adſtruit Pars adverſa ex *Franciſco de Arauxo*, Dominicano, S. Theologiæ Profeſſore Salmantino, *in Coment: ſuper ſecundam ſecundæ D. Thomæ, quæſt:* 12. *artic:* 1. *&* 2. *dub:* 4. : Alios nimirum eſſe *Legatos Apoſtolicos*, alios hæreticæ pravitatis *Inqviſitores.* Illos Pontificis vices exercere per totam terram Legationis ſuæ, velutì Vice-Pontifices: hos unius fidei procurandis negotijs præfici. Illos injuncti muneris amplitudinem per alios etiam poſſe implere: hos exercere poteſtatem Judiciariam, quâ per cenſuras, pœnáſque temporales ſtudeant, ſeu ad frugem reducere, ſeu excindere penitùs peſſima hæreſum ſemina. Itaque, conficiunt illi, Petrum quidem de Caſtro-novo, Arnaldum, Radulphum, alióſque è Ciſtercio Viros, præcedens illud munus obtinuiſſe à Pontificibus, Summis, fuiſſéque Legatos Apoſtolicos Stylô Curiæ ordinariô; at verò Dominicum, Parentem glorioſum, Inquiſitoris officiô primum functum eſſe ſtylô Curiæ novô, atque hactenùs, inuſitatô. Hanc reſpondendi viam, *evaſionem* appellat *Angelus* ſupra cit: *num:* 4. atque ex eo ſolidè refellit *num:* 6. *&* 7. quòd nominatis noſtris Viris Inquiſitoribus per literas Apoſtolicas una duntaxat cauſa injuncta fuerit, procedendi adversùs hæreticos. Profitetur quidem candidè, adhæſurum ſe lubenter opinioni alteri, *ſi Radulphum, ſi Petrum abſolutè inſtitutos Legatos legeret, qui vices Innocentij Summi Pontificis, ſive omnes, ſive aliquas exercerent*; *verùm viſis*, prout ait, *Pontificijs literis ſibi penitùs perſuaſiſſe, aut nullum unquam inſtitutum Inquiſitorem in cauſis fidei, aut Arnaldum cateróſque ijs literis tales creatos fuiſſe ab Innocentio.* Aſſertionis hujus ratio: quoniam commiſſa noſtris poteſtas in literis Apoſtolicis haud latiùs pateret, præterquam ad cauſas fidei. Et quanquam nonnullis ex noſtris Inquiſitoribus per Pontifices ſubinde ſint injuncta alia etiam negotia, id tamen factum eſt ſpeciali ſemper delegatione per novas nováſque epiſtolas, inquiſitionis munere feliciter interim perſiſtente tantùm adversùs heterodoxos: quæ iterum res Manriqueo pro nova luce eſt,

ce eſt, Viros illos noſtros veros fuiſſe Inquiſitores ſtylô hodie receptô & vigente, qui cùm ad novas, præter hæreſim, cauſas, per Pontifices deſtinarentur, ſemper novis eguerint literis; quod tamen haud dubiè fuiſſet ſuperfluum, ſi illos Romani Præſules cum poteſtatis plenitudine ſemel pro ſemper Nuncios Apoſtolicos inauguraviſſent. Itaque Lector videat, adverſæ ſententiæ hypotheſim ac ſubſumptum falli ſeu convelli ex ipſis Pontificijs epiſtolis; licèt namque extra quæſtionem ſit, munia Legatorum Sedis Apoſtolicæ, & hæreticæ pravitatis Inquiſitorum, eadem vix eſſe; nequaquam tamen per æmulæ partis patronos probatum eſt, prælaudatos Arnaldum, Petrum, cæteróſque Viros ejuſmodi Legatos duntaxat fuiſſe, & non Inquiſitores, cùm contrarium liqueat ex Apoſtolicis literis Innocentij, Tribunalis celeberrimi primi auſpicis, authenticos adversùs hæreticos proceſſus expreſsè noſtris demandantis. Nolit tamen Lector benevolus exiſtimare, me eô animô hæc produxiſſe, quòd nempe Sacerrimæ Dominicanorum Familiæ, Divóque illius Patriarchæ pulcherrimum hunc honorem invideam; Verùm quia citra Ciſtercij offenſam, & quod amplius, injuriam, hæc tacere in re magna non potui. Excuſandus proinde animi calamíque fervor à cauſæ pietate & æquitate, quæ ſi penès alios ſtarent, eadem ſanè, quæ nos, & auderent, & deberent. Diſpenſandus nihilominùs, & quidem per nos quàm lubentiſſimè, clariſſimi Tribunalis ſplendor inter utroſque, *Bernardi* & *Dominici* alumnos. Cedant illi, aut quod rectiùs, relinquant (cùm exiſtimem per eos ablata necdum eſſe) relinquant illi, Ciſtercio tot vinculis colligati (quod infra *Titulô* 27 demonſtrabimus) Mellifluis alumnis Sanctiſſimæ Inquiſitionis primordia, & nos profectò magnis plauſibus, abſque invidia & pœnitentia publicam dabimus confeſſionem, Sacerrimum Tribunal aliquando per Ciſtercienſes cœptum, per Dominicanos præcipuè, inſigniter illuſtratum deinceps creviſſe, per utroſque hodie felix ac glorioſum. Habent igitur univerſæ Religioſæ Familiæ, è quibus hodie Viri eximij & magni ad Sanctæ Inquiſitionis gubernacula & miniſteria adſumi ſolent: habent Purpurati Patres, atque ipſi Pontifices Maximi, quod ament in Ciſtercio, cujus beneficiô ſacer ac divinus ille ſurrexerit Inquiſitorum Senatus, per

quem hactenùs Romana ac Sancta Eccleſia, & purgata toties à Zizanijs, & fæcundata hucuſque per Orbem Chriſtianum in vigore ſervata ſit.

Ad ampliſsimæ hujus prærogativæ complementum addendum & illud, quod de Diva *Lutgarde*, Ciſtercij Virgine Sanctiſsima (laudata à nobis *Tit:* 7.) tradit Manriqueus ad annum 1233. *cap.* 2. ejus nimirùm lamentis ac jejunijs (in quibus bis juſſa à DEIpara, ob hæreticorum flagitia, per geminum ſeptennium perſtitit) Albigenſium ſupremam ruinam tandem eſſe feſtinatam; cùm eô ipsô annô, quô contumaciſſimæ hæreſeos fatales reliquiæ in Gallijs penitùs contritæ ſunt, Salvator Chriſtus Lutgardi factus ſpectabilis, mæſtiſsimas lachrymas è plorantis vultu manu blandiſsimâ abſterſerit, novâ lege planctus deinceps cohibens, quoniam ſcilicèt Numinis offenſæ & iræ, proſtratis feliciter Albigenſibus, jam potiſsima ex parte conquieviſſent. Igitur, quod auſim in compendio ad ſolatiorum noſtrorum accumulationem dulciſsimè repetere, Ciſtercienſium precibus, jejunijs, gemitibus, inquiſitionibus, armis, prædicationibus, conſiliô, Zelóque præparatum tandem eſt Albigenſium hæreſi potentiſsimæ ac ſæviſsimæ, & cui omnis ferè ſalus & jus in armis poſita fuerant, ſupremum exterminium. In quam nos gloriæ jubilíque Societatem Sacerrimas illas Religiones advocamus, quæ pari cum Ciſtercio felicitate, pro Sanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, integras quandóque hæreſes integrè & radicitùs exciderint.

Porrò quoniam vix ſatìs erit curioſo Lectori ſolô ferè nomine didiciſſe, noſſéque *Albigenſes*, nisì illi etiam per errores ſuos atque dogmata innoteſcant ampliùs, obiter notare hìc volui, eoſdem nuncupationem ſuam traxiſſe ab *Albiga* Galliarum urbe, ubi primitùs ſeu nati, ſeu deinceps per Judices è Ciſtercio aſſumptos condemnati. Eorum errores ijdem ferè, qui olim Manichæorum, nisì quòd poſteriores hos dogmatum numerô exuperaverint Albigenſes. Terrerem Lectorem optimum, ſi ſingulas eorundem ineptias hìc recenſerem, è pauculis, iíſque velutì univerſalibus, è quarum colluvie infinitæ propemodum ſordes profluxerint, animadvertet Lector cæterarum

rum fœditatem. Itaque Albigenſes noſtri (nolit, quicunque hæc leget, ſcandalizari hôc vocabulô; quaſi aliquâ peſtiferi dogmatis communicatione juncti forent hæreticis Ciſtercij alumni, noſtros compellavi, quoniam in noſtris ſcripti triumphis) Itaque Albigenſes noſtri duce, malim dicere, Seductore *Oliverô* prima Sectæ lineamenta ad arbitratûs humani fallibilem amuſſim præfixerant, veriùs, confinxerant. Repudiatum eſt inter errorum præliminaria integrum Teſtamentum Vetus, & novum truncatum ex parte, admiſſis duntaxat Epiſtolis Divi Pauli, aliorúmque Apoſtolorum epiſtolis ſeptem, quas vocamus Canonicas, Actibus item Apoſtolorum, & Divi Joannis Apocalypſi: & hæc quidem poſterior recepta fortè ideò, ut in ejuſdem arcanis ſenſis, myſteriiſque majori libertate valerent Novatores opinarij, rectiùs, delirare. Neque ſaniora erant dogmata reliqua, quæ quidem, nè nimiùm per aliorum ineptias divagemur, ad hæc ferè capita reducuntur. 1. *Quòd fides nunquam obliget ad externam confeſſionem.* 2. *Quòd baptiſmus ante uſum rationis decedentibus nequaquam proſit, aut ſufficiat ad Salutem.* 3. *Quòd Corpus Chriſti non conſecretur per malum Sacerdotem.* 4. *Quòd licitè conſecrari poſſet extra Eccleſiam.* 5. *Quòd Conjuges ſi carnaliter miſceantur, peccent: &, quòd omnes debeant ſervare Virginitatem in cælibatu permanentes, ùt Apoſtolus.* 6. *Quòd infirmis ſufficiat confiteri, cuicunque velint, juxta illud Apoſtoli: Confitemini alterutrum peccata veſtra. De Militibus verò, qui in bello occumbunt, nihil certi haberi; quia Jacobus non loquitur nisì de infirmis.* 7. *Quòd non eſt neceſſaria ſatisfactio, quandoquidem nec idem Apoſtolus eam requirit, neque ipſi velint meliores eſſe eô, ut aliquid de ſuo adderent, ſicut Epiſcopi faciunt.* 8. *Demum, quòd non eſſet parendum malis Epiſcopis: & quòd nihil unquam jurare licitum eſſet.* Neque his duntaxat ineptijs ſtetit errandi libido, prolapſa deinceps in plures, in illam præcipuè, quam olim ſomniaverant Manichæi, de *Bono & malo DEO.* Hos omnes errores verbô, ferrô, flammâ aggreſſi Ciſtercij Vi-ri, feliciter tandem triumphavêre.

Ante Albigenſes, ſub Bernardi tempora geminæ *hæreſes* ortæ in partibus Galliæ HENRICIANA, & APOSTOLICA oppugnatæ, debellatæque fuêre per eundem Mellifluum Parentem, ùt refert *Aubertus Miræus Chron: Ciſt: fol:* 132. ex Annalibus

Baronij ad *annum* 1147. Priores Sectarij dicti *Henriciani* ab hæreſeos authore *Henrico*: poſteriores nuncupati *Apoſtolici*, quoniam Apoſtolorum Succeſſores ſeſe jactitabant. Pugnavit adversùs utroſque Bernardus ſpiritu vehementi, & gladiô linguæ, atque etiam contra Henricianos in partibus Toloſanis per illuſtria miracula. Depingit Manriqueus *Apoſtolicos* ad annum 1147. *cap*: 14. *n*: 1. Fuiſſe illos quidem *ruſticum genus, agreſtéque, & ſinè præceptore, aut duce, quem ſequerentur: ſed eò difficiliùs diſſuadendum; quippe ſingulis ſeorſim adeundis, & quibuscum nec ſcripturâ utendum, nec ratione.* At Bernardus in ijs prælijs dexter ac felix (quem Baronius ad *annum præcit*: §: 21: *ſcientiâ divinitùs illuſtratum, in virtute miraculorum multiplicium à DEO miſſum, & probatum, atque egregiâ vitæ Sanctitate imbutum, DEIque amicum*, magnificè commendat) utrorumque errores quàm acerrimè confutavit. Quæ etiam Victoriæ inter Ciſtercij Merita digniſſimè ſcribi debeant, ſociaríque prioribus triumphis, quos noſtri de Albigenſibus debellatis reportavêre. Et CATARELLI in Gallijs hæretici, inter gloriæ Ciſterciæ trophæa hìc collocandi, quos B. *Henricus* Bituricenſis Archi-Præſul, dictus de Soliaco, Princeps Borbonius, Ciſtercienſium alumnus, cùm manſuetioribus conſilijs ad frugem reducere non prævaleret, immiſsô exercitu ità contrivit, ut trucidatis eorundem ſeptem millibus, reliqui, qui evaſerant, aliquantùm ſerò, poſt acceptam nimirùm Sociorum cladem, ſapere didicerint. Ità quidem etiam hìc Divi *Hieronymi* verbis, quanquam in aliud argumentum, uti liceat: optimum ſcilicèt pietatis genus eſſe, in hac re eſſe crudelem, nè longâ nimiùm indulgentiâ nocentiſſimus iſthic morbus ſupra remedium invaleſcat.

Obijt Vir Beatus Annô 1200.

Perluſtrandæ nunc ſunt Orbis Chriſtianæ Provinciæ, noſtrorum laboribus Apoſtolicis ſeu primitùs aggregatæ ad Romanum ovile, ſeu auctæ fidelium numerô, ſeu rigatæ ſangvine Martyrum, pro orthodoxis legibus fortiter cadentium. LUBAVIA in primis atque LIVONIA hìc memorandæ (in qua poſteriore gente nunc cœpit eſſe Sedes belli, *Auguſtô*, Poloniarum Rege *Rigam*, Provinciæ caput, obſidente) Itaque ad utroſque illos Populos *Innocentij III.* Papæ juſſu, noſtri è Ciſtercio Viri, ſanctô ardentes zelô, profecti, primitias Chriſtianæ Reli-

Circa Annum 1200. & deinceps.

Religionis ijs terris importaverunt, primi Lubavienſium, Livonúmque Apoſtoli. In PRUSSIA pariter ejuſdem Innocentij auſpicijs *Chriſtianus*, Apoſtolus è Ciſtercio, primus Culmenſium Epiſcopus, geminos Provinciæ Principes *Berniſum* atque *Beruſium*, eouſque gentiles, Sacrô fonte abluit, mutatis utriuſque paganis nominibus in Chriſtiana & Apoſtolica *Pauli & Philippi.* Principum exemplô gens Boruſſica magnâ illicò æmulatione ad Chriſtiana ſacra convolavit. In literis quoque Pontificijs laudati Innocentij Papæ, impoſitum noſtris eſt munus inter Apoſtolicos labores peragrandi POLONIAM, Chriſtianam quidem, ſed quæ indigeret à Viris ſanctiſſimis confirmari. Apud WANDALOS pariter idolorum cultu adhuc occupatos ſub Annum 1133. fidei Chriſti dogmata latiſſimè diſſeminavit præſtantiſſimus è Ciſtercio alumnus, *Benno*, Meklenburgenſium Archi-Præſul, qui quantumvis ſub prædicationis initia, non alia à gente illa referret ſtipendia, quàm quæ Viris Apoſtolicis cæteroquin pendi ſolent, contumelias ſcilicèt plagáſque, attamen nullatenùs elanguit ab eo zelo, quô divinitùs pro infidelium converſione incaluerat, verùm plagis malíſque omnibus ſuperior, adversùs idola, atque latentia in idolis dæmonia cum ingenti tandem fructu prævaluit, præcipuus ejus gentis, cum ſocijs è Ciſtercio, Apoſtolus, ab *Alberto Krantzio*, Scriptore Germano inſigniter commendatus. SUECIA etiam ſortita eſt Ciſtercienſes in fide orthodoxa præcones & Magiſtros, non Primos quidem, ſed qui primis nîl fortè minus præſtiterint, gente adhuc magnô numerô ſub *annum* 1162 ad idola ſua, eorundémque inveteratum cultum confluente. Deorum numerus olim apud Suecos, quantus hodie apud nos Perſonarum in Divinis, trinus ſcilicèt, quorum unus per eorum deliria dicebatur præſidere naturæ, alter violentiæ, tertius denique delitijs, ac voluptatibus. His dogmatibus cum lacte imbuti, minùs erant tractabiles ad unius DEI cultum, quô ſemel per fidem Chriſti admiſsô, reliquos Deaſtros ſuos, rectiùs dæmonia, illicò ejurare compellerentur. Pervicit hæc gentis obſtacula Vir Apoſtolicus *Stephanus*, Monachus in Albaſtra, qui à pientiſſimo Suecorum Rege *Erico Stenchilo* propagandæ ſanctæ religionis perquam ſtudioſo, primus Upſalenſium Epiſcopus inauguratus, ſuâ, ſociorúmque induſtriâ in brevi fidem

orthodoxam, plagas inter & verbera, ſed non minùs inter glorioſa miracula longè latéque ampliavit, ut populus, qui antehac pro Dijs ſuis propemodum inſaniebat, deinceps ultrò paſſus ſit, in omnium conſpectu eorundem ſimulachra publicè ignibus concremari. Non multò poſt, Stephano in Præſulatûs dignitate ſucceſſit *Joannes*, pariter è Ciſtercio aſſumptus, qui paſtorali munere, Prædeceſſoris ſui glorioſô exemplô, egregiè perfunctus, tandem Chriſti Martyr ſanguine ſuô Apoſtolicos labores ſanctiſſimè conſignavit. Apud BRITANNOS commendandæ felices illæ victimæ, quæ in ea rerum ſacrarum convulſione, atque deinceps, cùm Anglia primùm quidem per ſchiſma, ac ſubinde inſuper per hæreſim ſub Henrico VIII. ab avita Majorum ſuorum fide diſcederet, pro Roma, Romaníque Pontificis ſupremo in Eccleſia primatu per cataſtas, enſes, furcas, atque id genus, ſupplicia, fortiſſimè occumbentes, invictiſſimas animas inter tormenta ad immortales laureas transmiſerunt. Numerat Anglicanos è Ciſtercio Martyres Henriqueus ducentos & ampliùs: è quorum ſerie nonnullos jam alibi, & præcipuè *Tit.* 10. & 11. laudavimus, rursùs hôc locô, ſi ità viſum fuerit, à Lectore reſumendos. In GRÆCIA pariter delati Apoſtolici honores Ciſtercio à *Balduino* Conſtantinopoleos Imperatore, qui datâ ad *Innocentium III.* Papam ſupplici epiſtolâ Viros religione præſtantes poſtulavit, à quibus Græci inſtruerentur Romanis ritibus, quorum ſimilitudine ſeu identitate minùs deinceps auderent à Roma in fide diſſidere. Deſiderati autem in ſpecie Ciſtercienſes noſtri, quaſi ij præcipuè eſſent pro re maxima idonei, qui Orientem jungerent Occidenti. Et hæc quidem erat Ciſtercienſium tunc magnificentia atque felicitas, ut Innocentij atque Balduini, id eſt, Orbis Capita, fauſtis ſuffragijs eos deſignarent ad rerum magnarum fortunatam efficaciã. Lubet nunc per Manriquei verba noſtrorum zelum atque apoſtolatum admirari ſimul ac laudare: *Interim adnoto*, ſcribit ille ad *annum* 1162. *cap.* 3. *diſperſos per Orbem Ciſtercij Monachos, nulla prorsùs obſequia detrectantes, veros Bernardi filios, quibus poſſent Eccleſiam promovere: Nunc in Schiſmaticos, nunc in Saracenos, nunc in Gentiles: atque in hos omnes exerentes utrumque gladium: Nunc per Militias, rebelles occidendo: Nunc per Apoſtolatum & miracula, animas dudum mortuas vivificando.*

vificando. Nec minùs ideò Monaſteria plena Viris Sanctiſſimis, qui per quietem & otium contemplationis DEUM concilient: & dum ſinguli inſiſtunt ſuis muneribus, alij prælientur, prædicent, convertant; alij victoriam, efficaciâmque, & virtutem, dum puras manus in oratione levant, cæteris impetrent. Videat Lector Ciſtercienſes noſtros jam olim *Mariæ* & *Marthæ* officia in ſe collecta, ſaluberrimâ diviſione diſpenſaviſſe, contemplativam Mariam exhibentes ſibi, operoſam Martham Eccleſiæ, utramque DEO, qui eam munerum conjunctionem in uno eodémque Inſtituto ſanè haberet gratiſſimam. Aliô rursùs locô idem *Manriquens* Ciſtercienſium noſtrorum per Eccleſiam merita latiſſimè extollit, cùm ad Annum 1210. *cap.* 6. laudatos prolixè Apoſtolicos labores, glorioſô hôc tandem in *fine cit: capitis* claudit coronátque epiphonemate: *Neque ulla ferè Provincia Chriſtum noverat, in qua non Ciſtercienſes alicui uſui in Eccleſiæ obſequium deputarentur.*

Sub HUSSIJ tempora, qui Wiklephi hæreſim invexit in Bohemiam, noſtrorum zelus illis ipſis ignibus, quibus Viri Ciſtercij velutì ſacerrima holocauſta pro Romanis aris & legibus arsêre, fuit omninò clariſſimus. Utar hac in re teſtimoniô *Georgij Crugerij*, è Societate JESU Scriptoris rerum Bohemicarum inſignis, qui in *Sacris Pulveribus* ad 20. *diem Menſis Auguſti* pro noſtrorum commendatione magnifica, ſequentes ſcripſit laudes: *Ex nulla Religione*, ait ille, *ac Sacro Ordine, credite perito (& quid veritatem corrumpat?) tot, Wiclephiſtæ ferrô ac flammis abſumpſerunt, quot è Ciſtercienſibus, non in ſola Bohemia, ſed & locis aliquot in Sileſia, & Luſatia. Nullius ſacræ Familiæ tot ædificia, & in Cælum minantes tot Eccleſias (habuerunt plerumque Ciſtercienſes, ùt videre eſt Sedlicij, & Aulæ-Regiæ, auguſtiſſimas) ità corruperunt, ſic omninò ſunt demoliti, quot iterum Ciſtercienſium. Cur, quæſo tantopere furores ſuos exaggeraverunt? cur tyrannidem adeò crudelem toties exeruerunt, ac exercuerunt? Nimirùm Ciſtercienſes, hæreſi ipſorum utpote Viri zeloſiſſimi ac Doctiſſimi maximè obſtiterunt. - - Ignes ergo præ multis alijs Religioſis, hominibus nefarijs promeriti videbantur, quia Huſſum hæreſis Anteſignanum, ejuſdémque dogmata averſabantur ubi? ac ubi? polemicis ſuis acriter proſequebantur, imò Conſtantiæ in Sacro Conſilio hi ipſi Ciſtercienſes (ùt liquet ex actis) flammis proximè admoverunt, & denique aboleverunt.* Hæc *Crugerius*. Sciebam quidem,

dem, priu quam in has ipſas lineas incidiſſem, ſub bella Huſſitica Cœnobiorum atque alumnorum noſtrorum in Bohemia excidia ac interneciones; at verò confiteor, me id primùm ex citato ſcriptore didiciſſe, ſcilicèt ex nullo alio ſacro Inſtituto hæreticorum armis, ac furore occubuiſſe tot pro religione victimas, ac è Ciſtercio. Gratulor igitur, hanc prærogativam calamô exterô fuiſſe prolatam, typíſque commendatam: atque id ſimul è verbis Crugerij obſervo, ideò noſtros cæſos præ alijs, quoniam generosè obſtitiſſent nefarijs dogmatibus; atque ideò obſtitiſſe, quoniam eſſent *Viri zeloſiſſimi & doctiſſimi.* Zelus ac doctrina gemini ſunt mallei, quibus heterodoxorum contumacia plurimùm contunditur. Utrumque per noſtros vibratum in ſectarios, multóque verbere conſauciaviſſe eorundem capita, quantâ hic audio voluptate! Quoniam per ejuſmodi ictus ac vulnera, novis plauſibus commendantur Ciſtercienſium in Eccleſia merita. Ad 20. *diem Septembris* in ijsdem Sacris Cineribus eadem ferè pronunciat *Crugerius*, Ciſtercienſium nimirùm præcipuè operâ in Conſtantienſi Synodo effectum eſſe, *ut denique Author illaudabilium dogmatum* (Huſſius) *ad exuſtionem publicam condemnaretur.* Adjungit tamen noſtris ea in re ſocios Patres *Carthuſienſes*, qui ſimul *Huſſij* atque *Hieronymi* Hæreſiarcharum ſuprema ſupplicia apud Concilij Patres Zelô apoſtolicô magnopere urſerint: quos quidem nos ob familiæ utriuſque arcta & antiqua vincula, in participium gloriæ lubenter ſuſcipimus. Ommittendus non eſt hôc locô inter fidei avitæ claros zelotes *Auguſtinus* Sedlecij Profeſſus pietate, doctrinâ, zelóque commendabilis, in Civitate Cutnenſi ſeu Kuttenbergenſi ab argenti fodinis celebri, animarum Curatus, qui *Annô* 1419, cùm Thaboritæ per Legatos invitarent Cutnenſes ad novi dogmatis ſocietatem, amarô animô vehementiſſimè indignatus ſacrilegis poſtulatis, Cives paſtoralis ſuæ curæ alumnos: foſſores præſertim metallicos, è cathedra efficaciſſimis hortamentis in tantum accendit, ut Legatos, novarum turbarum incentores in deſolatas foſſas argentarias, zelô impetum augente, illicò præcipites egerint. Neque vice unâ ſacer ille ardor intepuit, continuatus deinceps per ſeptimanas aliquot, adeò ut è novis ſectarijs facilè ſexcenti & ampliùs, pretiô etiam, quod mirabile, à Cutnenſibus

bus empti, & conquiſiti, præcipitiô in foſſis illis fuerint extincti. Addit *Crugerius* ad 13. *diem Septembris* huic facinori votum ſuum, ſerum quidem, ſed ſolenne: *Si in alijs Bohemiæ Civitatibus*, (ſcribit ille) *pari ſeveritate in Novatores fuiſſet animadverſum, brevì hos Wiclephiſticos Sectatores Catholici deleviſſent.* Quô votô factum *Auguſtini* noſtri probat Crugerius, ad heterodoxorum excidia plures optans & *Auguſtinos & Cuttnas.* Ulti ſunt tamen ſubinde exulcerati hoſtes ea ſubterranea Sociorum ſupplicia per cruentas Cœnobitarum interneciones. Dabo in compendio non modò hos ipſos Sedlecij Martyres, verùm & Viros alios è Cœnobijs reliquis, ſub *Huſſitis*, *Thaboritis*, *Orebitis*, *Orphanis*, ob confeſſionem ſanctæ fidei numeroſâ clade trucidatos, ut Lector aliquatenùs videat, verum eſſe, quod ſuperiùs ex Crugerio adduximus, è nullo videlicèt alio Ordine, aut Religione tot coronatos martyriô per Wiclephiſtas, & Wiclephiſtarum ſequaces, quot è Ciſtercio. Pandam hanc tragædiam præcipuè ex *Balbini Bohemia Sancta.* Itaque *Sedlecenſes* paſſi ſunt Annô Domini 1421. authore cædis *Ziskâ* ipsô præſente. Quantô numerô ij occubuerint, adeò compertum non eſt, quanquam de aliquot Martyrum centurijs dubitari omninò non debeat, quoniam olim *quingentos* fuiſſe conſtat Domûs illius Sanctiſſimos incolas, è quibus *trecenti Monachi* in Choro diu noctúque alternatim in divinis laudibus perennabant: Reliqui *Ducenti Converſi* fuère. Pauciſſimos è tanto numero evaſiſſe lego in monimentis Sedlecenſibus mihi communicatis: è quibus Abbas loci *Jacobus*, cædis bajulus ad Cæſarem Sigiſmundum pervenit. Sævitum eſt in Viros Sanctos variô mortis genere, ferrô, igne, ſuſpendiô. *Tilia*, hodiedum in cæmeterio ſuperſtes, quâ nefarij latrones uſi pro furca, in præſens uſque tempus martyrij memoriam per annos ſingulos perenniter explicat, *folia* nimirùm in *modum caputiorum* procreſcentia. *Carthuſienſes*, quos Pragâ & Podiebradiô diſperſos noſtri ad Cœnobium ſuſceperant, eadem martyrij ſors & laurea ad cœlos transvexit. Eôdem ferè ſtylô & geniô in cæteris Ciſterciensium Cœnobijs proceſsère hæretici, diverſi quidem ſectâ & nuncupatione, ijdem tamen odiô in Romanos & perſecutione. Atque in primis Martyres *Gradicenſes* Annô 1420, magnô numerô, qui ferrum evaſerant, arsère, unà cum ampliſ-

Ooooooo ſimo

ſimo Cœnobio per *Orebitas* incensô. Annô eôdem geminum *Nepomucenſe* Monaſterium, *in Viridi-& ſub Viridi-Monte*, illud Virginum, hoc Virorum, per Huſſitas devaſtata fuêre, in utroque Religioſis pro fide cadentibus victimis centum quinquaginta. Annô 1429. *Oſſecenſes* noſtri hæreticorum ferrô immolati, ſacerrimi ſanguinis profuſione purpuravêre felicium poſterorum veſtigia. *Plaſſenſes* Victimæ per Ziskam trucidatæ Annô 1421. unà cum Nicolao Abbate evolavêre ad Cælites. Annô 1419. Ejuſdem Coenobij *Præpoſitura Pragenſis* in Urbe Minore ad Portam *Augezdenſem* diruta eſt, atque incenſa cum incolarum internecione. Annô 1420. Martyres de *Sancto-Campo* in Patria Regino-Hradecenſi per Orebitarum clientes, ſpoliatô priùs, ac ſubinde ſuccensô Cænobiô, inter flammas exhalaverunt orthodoxas animas. Martyres de *Sacra-Corona*, & de *Aula-Regia*, unô eodémque Annô 1420. priores 14. Maij, poſteriores 10. Auguſti inter Cœnobiorum ruinas, partim ferrô flammáque periêre, partim ſuſpenſi in tilijs, quemadmodum Sedlecij miraculô transformavêre arborum folia in cappas Monachales. Memoratô etiam Annô 1420. 12. Junij, *quatuor* Cænobitæ *Aula-Regienſes* clari zelô & conſtantiâ, protracti in forum Vetero-Pragenſe, tentati priùs blandè & aſperè, cùm perſiſterent fortiſſimè, lætô vultu ſpes æternas præſeferentes, conjecti in rogum, exuſtíque, ad claritatem immenſi luminis transpoſiti fuêre. Cœnobium *Skalicenſe*, *Zlebenſis* & *Chotuſſicenſis* Præpoſituræ geminæ, Annô 1421. Ciſtercios Martyres Taboritarum tyrannide proſtratos, extulêre ad immortalem palmam. *Sezemicenſes* Virgines eôdem Annô Ziſkæ quidem imperiô jam erant hauriendæ præterfluente; at quoniam executio demandata quibuſdam, qui inter hæreticos paulò erant cæteris humaniores, ij miſerti ſuper lamentantem fæmineam turbam, innoxias animulas ſervavêre vivas, incensô tamen clauſtrô, exules. Annô 1424. *Gilemnicenſis* Partheno & Præpoſitura *Langenavienſis* Ziskæ inſaniâ in flammas abiêre, utriuſque Domûs incolis martyriô coronatis. Sub idem tempus *Frauntbalenſe* & *Rzeporegenſe* Virginum Cœnobia hæreticorum tyrannide vaſtata ſunt. Simili clade deleta fuêre *Zarenſe*, *Biſtricenſe*, & *Cameneeenſe*, Annô tamen apud Balbinum incertô. *Kaurzimenſes* quinque noſtri Sacerdotes è Præ-

poſitura

poſitura *S. Martini* Anno 1421. 21. Aprilis, captâ urbe foràs educti, compactíque in vaſa picea, atque incenſa, horridô tormentô flammâ abſumpti interiêre. *Wellebradenſes* ſeptem Cœnobitas cum *Stephano* Abbate, Viro Sancto, inſanientes etiam in Moravia hæretici in conſtructa ante Cœnobium ingenti pyra, ignibus ſingulos ex ordine concremaverunt, honore datô Præſuli, ut priùs arderet. *Oslovanenſes* Virgines apud eoſdem Moravos Annô 1430. Ziskæ juſſu undis abſorptæ, emersêre cum florida martyrij laurea ad portum gloriæ. *Daleſſicenſis* Partheno in eadem Provincia per Taboritas exuſtus eſt præfatô Annô 1430. cæſas aut merſas innoxias Virgines, probabile exiſtimat Balbinus. Apud *Sileſios* quoque per Taboritas & Orphanos ſæviſſimè tumultuatum eſt Annô 1428. atque in communi Religioſorum excidio *Griſſovienſe*, *Camenecenſe*, & *Henrichovienſe* Virorum Cœnobia, flammâ & ferrô vaſtata, repetitâ ſæpè clade, præcipuè in Camencio, & Henrichovio, ad quorum poſterius per ſeptem vices regreſsi Huſsitæ, veteres ruinas ſemper novis calamitatibus accumulavêre. *Wartam* pariter, Thaumaturgæ DEIparæ Sanctiſsimam Sedem, florentem olim hodiéque ſub noſtrorum directione Annô 1427. concuſsit hæreticus turbo, geminis Eccleſijs incendiô conſumptis. Atque ex his ſingulis locis promiſcuè Ciſtercienſes Aſcetæ pro Huſsitarum genio protracti fuêre ad ſupplicia & funera. Neque mitiùs actum apud *Luſatas*: in quam Provinciam Huſsitæ ſpe prædæ, cædíſque libidine penetrantes, Annô 1427. in *Neo-Cellenſe* Cœnobium involârunt, ubi cùm Cœnobitas, divinas in Choro laudes pſallentes deprehendiſſent, eâ re, quaſi inſigni piaculô atrociùs offenſi, per exquiſita ſupplicia Sacros Concentores unà omnes contrucidârunt. *Grunheimenſes* etiam in Diæceſi Miſnenſi Annô 1429. per eadem fata & ſacra funera Huſsitis adminiſtris aſportati ſunt ad vitæ interminabilis refrigerium. His è Ciſtercio victimis, cervices, animáſque ipſas avulſit, evulsítque hæreticorum tyrannis, numerô ſanè ingenti, ſed qui certus dari haud poſsit. Tradit *Balbinus in cit: Bohem: Sanct: part.* 1 §.57. è Crugerio, ſeriem Martyrum per bella Huſsitica ex ſolo Clero & ſtatu Religioſo facilè excurrere ad *centum millia*: & quoniam ex eodem Crugerio ſuperiùs docui, Ciſtercienſes numerô occiſorum exuperare ſingulos cæteros

Ordines, ineat nunc computum Lector, quot alumnorum millia ex uno Bernardi ſodalitio Romanis dogmatibus ſanguine ſuô ſubſcripſerint, quámque ea ipſa merita Romæ grata eſſe debeant, quæ nempe tormentis & morte firmata ſint. Scilicèt & adhuc verum eſt: *Sangvinem Martyrum eſſe ſemen Chriſtianorum.*

Sub LUTHERI ætatem ex cumulata Sacrorum, doctorúmque pugilum ſerie memorandi hìc præcipuè *Paulus Annicola*, & *Wolffgangus Marius*, Abbates ambo, prior ille *Veteris-Cellæ* apud Miſnienſes, poſterior *Aldersbacenſium* apud Bavaros: qui ſumptô eruditô calamô, ceû gladiô Lutheri dogmata acerrimè confodientes, ſcripsêre Tractatus doctiſſimos (vindicias ſcilicèt ſanctæ fidei, & religioſæ vitæ) quos Novatoris ſenſis novitijs opponentes, conſauciaverunt deſertoris infelicis animum, ut viſâ votorum Monaſticorum ſanctitate ac vetuſtate erubeſcere omninò debuerit, eorundem notorius transgreſſor. *Eiſengrinius* Author Germanus in Cathalogo Scriptorum Paulum Annicolam compellat, *Virum omni literaturâ doctiſſimum, Sacris præſertim ſcripturis abſolutiſſimum, pro Chriſti fide contra hæreticos Athletam invictiſſimum.* Ejus lucubrationes ſunt ſequentes: *De Votis Monaſticis, de Jejunio, de una ſpecie Sacramenti, de authoritate Papæ, de operum merito, de Conjugio Sacerdotum, de Miſſa, de Invocatione Sanctorum*: per quorum Operum publicam lucem è multorum animis excuſſit novæ ſectæ caliginem. Virorum alter *Wolffgangus* Bavarus cùm animadverteret, ad Lutheri genium & ſententiam, quâ evacuare contendebat vota Monaſtica, nutare è Religioſis non paucos, noxium aſſertum confutaturus, nutantésque ſervaturus à caſu, egregiô Opere Statum Monaſticum, Vitámque religioſam, quâ valuit ingenij zelíque efficaciâ, quàm fortiſſimè tutatus eſt, quô authore multi perſtitêre in officio. Conſtat, Lutherum, quò caſtra ſua augeret magìs, ſolicitaviſſe ſæpè per epiſtolas Religioſorum Collegia, ac Communitates, ut nimirùm excuſsô arduô jugô, conſilia ſequerentur mitiora. Id etiam egiſſe *Martinum* in vicino Miſniæ *Oſſecenſi noſtro Cænobio*, invitâſſéque per literas ad defectionem optimos noſtros in Oſſeca anteceſſores, in comperto habeo. At nemo ex invitatis ad ſuſpecta ſigna accur-

rit,

rit, tenentibus ſingulis ſanctiſſimi Inſtituti ſtationem, in qua eos divina olim vocatio collocaviſſet, quámque tot Patrum glorioſa & ſancta veſtigia illuſtraviſſent: quod utique pro Oſſecenſium noſtrorum ſolatio ac commendatione, de amicorum conſilio, notare hìc debui. Acceſſiſſe porrò noſtrorum ductu hactenùs è Lutheri ſequacibus non paucos ad Eccleſiæ Romanæ maternum gremium, monui jam ſuprà *Tit:II.* quod hìc repeto, producóque Viros duos clariſſimos, quos ibi de nomine non dederam, *Bernardum Roſam* Abbatem de Griſſovio, & *Joannem III.* ejus nominis Abbatem de Luba apud *Sileſios*, qui optimi Præſules quoniam præ cæteris haberent in ditionibus Cœnobiorum ſuorum heterodoxos numeroſiores, amariſſimè condolentes aberranti gregi, arduum aggreſsi opus, tentavêre reductionem ad Romanum ovile, effectu ſecutô quàm deſideratiſsimô. Quanquam interim id actum ſit, cum gravi vicinorum Procerum acatholicorum offenſa, atque inſuper conamine, quô fauſtos noſtrorum progreſſus turbaverant. *Henrichovium* & *Camencium* aliquantò faciliùs converſionis negotium abſolverunt, eò quòd in ditionibus foret minor numerus reducendorum. Fervent nunc Patres optimi per ſingula Sileſiæ Cœnobia in explananda catecheſi, quâ novitijs agminibus Paſtoralis induſtriæ munus ſolertes exhibeant, proponántque cæleſtes eiſdem ſemitas, quas percurrant, & divina paſcua ad quæ accurrant. Et ardore quidem ingenti felices illos Neophytos frequentare hodie catholica myſteria, recenſuêre mihi, qui cum ſolatio rem præſentes adſpexerant. Illud hìc etiam commendandum præcipuè, quòd Ciſtercienſium noſtrorum zelus aliorum Ordinum Prælatis in Sileſia pro ſtimulo fuerit, ut paria auderent, perficeréntque, prærogativâ relictâ noſtris, quòd ea in re & primi fuiſſent, & felices. Atque hæc quidem, apud Sileſios. Nolim longiùs abire in hanc meſſem, in qua etiam alibi à noſtris ſtrenuè ſudatur. Oſſecum tamen noſtrum tacere hìc non poſſum, ubi ipſe vidi accurrentes ex Miſnia & Saxonia non paucos, Oſſecenſium noſtrorum, atque etiam, quod glorier in Domino, miniſteriô meô, miſsô ſolemniter Lutherô, orthodoxis ſacris initiatos.

Verùm alia nunc videamus, atque præ alijs Ciſtercienſium

Scriptores eximios, qui ſuis ingenijs calamíſque Eccleſiæ novam lucem ediderint. *Bertrandus de Thiſſier*, *Chryſoſtomus Henriquez*, & *Carolus de Viſch*, daturi etiam in ſe Ciſtercio, id eſt, Matri domeſticos Baronios, per inſignes lucubrationes publicavêre Scriptores *Ciſtercienſes*, qui fortè haud diſpari argumentô dici poterunt *Eccleſiaſtici*, quô Manriqueus *Annales* ſuos *Ciſtercienſes* veriùs cenſuit eſſe inſcribendos, *Eccleſiaſticos*; quia ſcilicèt utriuſque cauſa indiſtincta ſit, dividíque Ciſtercium ab Eccleſia non debeat. Igitur hi tres *Ciſtercienſium Baronij* toti in eo ſunt, ut è vetuſtate eruant illuſtres Familiæ noſtræ Viros, qui eruditis voluminibus per Orbem inclaruerint. Campus ingens, & meſſis plurima; ſed quam in híſce anguſtijs tranſire non poſſumus per ſingulas ſpicas, quoniam id jam aliqua ex parte egimus ſuperiùs *Tit*: 20. ubi Viros dedimus per ſcholarum claſſes, eximios: adducentes præterea ſub Tituli initium *Theophili Raynaudi* è Societate JESU glorioſum aſſertum, quò magnificè pronunciavit in Ciſtercij laudes: integras nimirùm Bibliothecas impleri poſſe per Scriptores Mellifluos, deberéque accuſari de negligentia *Seguinum*, *Zamoram*, *Manriqueum*, quòd quantumvis ad mille Ciſtercios Viros ſcriptis ſuis illuſtres per volumina ſua ſparſerint, ultra millenarium tamen & ampliùs non ſint progreſſi. Qui præterea egregij noſtri Scriptores ex eo fortè majori tubâ plauſúque ſint decantandi, quoniam inter Chori diurnos nocturnóſque clamores, atque, quod olim in uſu vel maximè, rurales inter labores tanta illi auſi ſint, non minùs idonei calamo, quàm ſarculo. Sanè non duntaxat unius *Tullij*, verùm etiam univerſi Ciſtercij effatum eſt, *ruſticari* ſcilicèt cum utroque *literas*. Videtur tamen non idem utrobique eſſe verborum ſenſus, quod namque Tullio excuſatio, Ciſtercio honor eſt. Profectò nihil in ſcholis ac peripatis novum ac ſingulare, florere ibidem literas; at verò ſtante ſimul manuum labore minùs negligi muſæa, poſitóque vix ſarculô calamum rursùs alacriter adſumi, id quidem ampliùs dignum admiratione. Credo id didiciſſe noſtros à Bernardo Parente, *quercus inter & fagos* hauriente cælitùs Scripturarum, ſcientiarúmque arcana ſenſa. Et quoniam tam grata rursùs in has lineas influit Sancti Doctoris *dulcis memoria*, pauculis expediendum venit, quantum Bernardi mellifluis lucubratio-

brationibus eruditi Sanctíque in Eccleſia Viri ſemper detulerint. Illud memorandum in primis, quod refert Manriqueus ad *Annum* 1153. *cap: IV. Virginis DEIparæ* juſſu conquiſita collectáque eſſe Melliflui Doctoris Opera antè annos propè ducentos, ſubindéque authoritate Doctorum ex inclyta Univerſitate *Pariſienſi* publici Juris facta: ut nempe ſub tantis auſpicijs amplior reverentia Bernardi lucubrationibus haberetur, quibus *Virgo* & *Sorbona*, id eſt ſapientiæ ſedes, & ſapientum domicilium patrocinarentur. Id fortè ſoli uni è Scriptoribus Eccleſiaſticis datum Parenti Mellifluo, ut Auguſta cœlitum Domina ſuô præveniret imperiô operum adventitiam humanitùs cenſuram, damnarétque authoritate maternâ cenſorias ferulas, quas vix ſancta alioquin ingenia, calamíque divini ſubterfugiunt. Id etiam cum DEIpara & Sorbona de Bernardi Scriptis ſensêre Eccleſiæ Doctores, *Seraphicus Bonaventura*, atque *Angelicus Thomas*, haud minori reverentiâ atque exiſtimatione Mellei Parentis verba authoritatémque citare ſoliti, quàm antiquorum Eccleſiæ Patrum. Inſuper ſanctiſſimus Aquinas in *Foſſa-Nova* apud Ciſtercienſes per afflictam valetudinem lectulo affixus, cùm à noſtris rogaretur, quatenùs divinum illud Doctoris Theodidacti opus in *Cantica Canticorum* continuaret, vix ſanè alium unquam adæquaturum magìs Melliflui ſtylum, quàm Doctorem Angelicum, atque id certè optare Bernardum per filios, in modica hæc verba, ſeu quod verius, elogia, Angelicam linguam reſolvit: *Date mihi*, inquit, *ſpiritum Bernardi*, & *ego perficiam opera Bernardi*. Jungendus Doctori Seraphico atque Angelico *Hugo Victorinus*, Mellifluo Parenti coævus, atque in paucis charus & pretioſus, qui viventis adhucdum Bernardi ſenſa, textúſque non aliter citabat, ac Magni Aurelij Auguſtini. Idem, qui Veterum de Bernardi ſcriptis, etiam hodie eſt ſenſus poſterorum, mella Doctoris Sancti ſemper allegantium cum reverentia, adeò ut Eccleſiaſtes ſacris è pulpitis vix unquam perorent, quin è Bernardi favis quidpiam dulcoris eloquijs ſuis inſerant, veriſſimum quippe eſt illud, quod paſſim circumfertur: *Concionem ſinè Auguſtino & Bernardo nullam eſſe.* Et quidem Doctoris mellei ſtylus, quod præcipuè obſervo, tam eſt notus apud eruditos, ut in numeroſa Authorum, ſermonúmque congerie illicò indigitent Bernardi

favos. Quâ ratione factum eſt, ut Viri illi clariſſimi, *Merlo Horſtius*, & *Joannes Mabillon*, qui noſtrâ hâc ætate Melliflui Parentis opera induſtriè compilârunt, certa à dubijs & ſuppoſititijs mirabili ſagacitate ſapientiſſimè diſcreverint, & id quidem præprimis ob ſtyli diverſitatem, quòd eloquium utrobique non eſſet dulce, igneum, & quodammodò pungens; is enim Bernardi erat triplex velutì genius, quòd ſcilicèt in ſermone funderet mella, quòd divinis arderet incendijs, pungeretque ac velutì laceſſeret tepidos atque inertes animos. Evenit autem piâ Veterum fraude, quòd non pauca opuſcula ſub Bernardi nomine circumtulerit poſteritas, quæ tamen omninò Bernardi non erant; quoniam ea erat olim erga S. Doctorem religio, ut quidquid vel ſolô nomine Bernardum ſaperet, illicò placeret, eſſétque in reverentia. Eapropter multi Bernardo alicui fætus ſuppoſiti ſunt, ſcribentium potiùs devotione, quàm dolô, quòd ſub Magni Authoris nomine cuperent pietati ſervire. Obiter hìc noto, ſacros illos rhytmos ac hymnos: *Ave Maris ſtella: Dies iræ, dies illa:* Et, *Cur Mundus militat*: Bernardi noſtri eſſe, & poſteriorem de rerum vanitate, ideò duntaxat vulgò adſcribi *B. Jacopono*, quòd eoſdem verſus frequenter ſoleret decantare, cæteríſque impensè commendare. Imò *aureum illum libellum* (quod aſſerit *Manriqueus ad annum* 1153. *cap.* 10. *num.* 13.) *vulgarêmque, qui de contemptu mundi nuncupatur, nullus non linguis è latinò redditum, nedum ſatìs laudatum, etſi tot ferè lectores, quot Chriſtianos, tot laudatores habeat, quot Lectores, Bernardi opus à multis reputari, quòd eidem ipſi libello in aliquibus editionibus præfixum viderit* cit: Manriqueus, *quamvis in alijs, alijs adſcribatur.* Itaque ubi ubi accendenda in DEUM fidelium pietas, orbis perituri pingenda vanitas, Bernardus ſeu reverà, ſeu opinione communi creditus plerumque eſt author ac auſpex: quòd ſcilicèt per Sancti Doctoris verba & mella ea pietatis adminicula quàm aptiſſimè traderentur. Quis proinde non videat, per tot jam retroactas Orbis ætates, quanta ſanè commoda è Bernardi penna in Eccleſiæ militantis ſanctiſſima obſequia quàm cumulatiſſimè profluxerint? Commendare hìc lubet Parentem dulciſſimum verbis *Hyppoliti Maraccij* Viri doctiſſimi, in *Bibliotb: Mariana pag.* 227. & *ſequent:* Ubi ille hæc: *Orthodoxorum Melliflum Doctor, Eccleſiæ Catholicæ ornamentum*

Carol: de Viſch: in Biblioth: Script: Ciſt: Lit: B. pag. 45. & 48.

mentum ſimul & fulcimentum, totius decoris & ſanctitatis lucidiſſimus Sol: Sedis Apoſtolicæ contra Schiſmaticos & hæreticos firmiſſima columna, potens opere & ſermone, à DEO miſſus Apoſtolus. Ordinis ſui ſummum decus, ſumma gloria, ſumma felicitas: à vindicata Sedis Apoſtolicæ libertate, aſſertâ unitate Eccleſiæ, Galliâ ſanctitate repletâ, Orbe Chriſtiano ſignis admirabilibus, ſcriptíſque piiſſimis, eruditiſſimis, imò planè cœleſtibus ac divinis, illuſtratô, fundatis centum ſexaginta Ordinis ſui Monaſterijs, alíiſque incredibilibus diviné prorsùs patratis, æternùm prædicandis, in laudem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus fuit cytbariſta, Sacellanus, Alumnus, Actuarius, Cultor, Encomiaſtéſque præcipuus, Melliſluos Tractatus plures nobiliſſimô ac devotiſſimô ſtylô compoſuit, dignóſque omninò ut ab omni poſteritate legantur, amentur, adorentur. Porrò ſi *Conciliorum* ſacros inſpiciamus conſeſſus, videbimus rursùs Bernardi graviſſima merita, authoritatémque Viri Sancti cultam inſigniter ab Eccleſiæ Patribus. Id præcipuè factum in *Concilio Piſano*, Præſidente *Innocentio II.* in quo omnia propè pendebant ab unius Bernardi arbitrio, cùm Pontifex ipſe vix meliores cuperet Eccleſiæ præſcribere Canones, quàm Bernardi conſilia & definitiones. Limina, ſeu conclave Patris ſancti non cohors militum, ſed pro reverentia Viri DEI corona circumſederat Sacerdotum: cauſam addit *Bernardus Bonæ Vall: Abb: in vita S. Bern: Lib: 2. cap. 2.: Non quòd faſtus, ſed multitudo communem prohiberet acceſſum, & alijs egredientibus alij introibant: ità ut videretur Vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſolicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis.* Videas Eccleſiæ Rectores ambire Doctoris ſancti oracula, atque è Ciſtercio per Bernardum ea trahere beneficia, pro quibus deinceps in Bernardi filios ingrati eſſe haud valerent.

In *Scripturis divinis* etiam laboratum per noſtros. Et primò quidem de *Stephano Langtono*, Anglo, Ciſtercienſium olim alumno, & ſubinde ad Thronum Archi-Epiſcopalem Cantuarienſem, & ad Purpuram Cardinalitiam per Innocentium III. evecto tradit Henriqueus in *ſuo Phœnice*, & Author *Anni Ciſtercienſis, ad* 28. *Aprilis*, primùm per eum *Scripturas ſacras* in *Capita diviſas eſſe*, cùm ante Stephanum ſola librorum diſtinctio haberetur, ut proinde ea facilitas ac felicitas, quam in perlegendis, citandíſque Sacris Biblijs hodie experimur omnes, nulli

alteri tam debeatur, quàm Ciſtercienſi Familiæ, quæ Orbi Virum dedit, per quem id beneficium primitùs profluxerit.

Aliud pro eodem Divinarum Scripturarum argumento narrat Manriqueus ad annum 1199. *cap.* 3. ubi recitat Innocentij III. Pontificis literas, quarum tenore tribus de gremio noſtro Abbatibus, *Ciſtercienſi* videlicèt, de *Morimundo*, & de *Criſta* memoratus Papa munus authoritatémque impoſuit, cognoſcendi de *translatione Sacrorum Bibliorum* in idioma Gallicum, quæ translatio privatô arbitratu, ſpiritúque facta malè diffamata erat apud Innocentium, quòd immodicis ſcateret mendis atque erroribus, multíque ex plebe, patrij idiomatis ſeducti affectu ac dulcedine, longè jam ſentirent alia, quàm quæ deberent. Itaque quod nuper per eundem Pontificem injunctum *Metenſi* Epiſcopo, ſed per contumaciam vulgi effectum minùs, novis rursùm imperijs demandatum Ciſtercienſibus, quaſi penès eos omninò ſtaret decreti Apoſtolici deſiderata efficacia. Ubi videas, quanti fecerit noſtros Innocentius, qui eô ſenſu voluit in Gallijs intelligi Divinum Codicem, quô vellent Ciſtercienſes, per quos Sanctiſſimos Interpretes vix aliquid falſum in fidei & Spiritûs S. oracula irrepere potuerit. *B. Hugonis* Bonæ-Vallis Abbatis apud Gallos ea eſt inſignis prærogativa & commendatio, quòd *Concordantiarum Sacræ Scripturæ primus* fuerit ille compilator, & author. Extat hodiedum Præſulis egregij in Archi-Cœnobij Ciſtercienſis Bibliotheca ejuſmodi *Concordantiarum* primum exemplar: quod relatione Virorum didici, qui nuper in Capitulo Generali hanc ipſam veritatem oculis ſuis perluſtrârunt. Non ignoro, Bellarminum in *Lib: de ſcript: Eccleſiaſt: pag:* 247. *Hugoni de S. Caro Cardinali* è Prædicatorum Familia hunc honorem tribui: quod ille quidem hauſit è Divo Antonino. 3. *part: ſuæ hiſtorialis, Tit:* 19. *cap.* 5. §. 2. Obijt *Hugo* noſter *Annô* 1183. & *Hugo* Dominicanus Annô 1264. Videat nunc Lector, ex ea temporis anterioreitate Ciſtercienſem Hugonem ideò priùs ſcripſiſſe, quia priùs vixiſſet, & rursùs verum eſſe, quòd prior tempore, ſit potior jure. Demus *Hugoni Abbati* prima Concordantiarum initia, & *Hugoni Cardinali* earundem incrementa, id eſt, utrique honores ſuos, quos in Eccleſia meruêre, quâ conciliationis viâ utriusque

hiſtoriæ

hiſtoriæ ſtabit veritas. Et certè potuit *Antoninum*, & potuit *Bellarminum* latere Hugo noſter, atque Hugonis opus, quomodo ferè reliquæ in Ciſtercio res, noſtrorum humilitate Scriptoribus publicis non adeò notæ.

Cùm hæc ſcribo, *vacat Sedes Apoſtolica* per mortem *Innocentij XII.* Pontificis Maximi, atque ideò occaſione inſtantis Electionis produco decantatiſſima *vaticinia* Divi noſtri *Malachiæ*, Hibernorum Archi-Præſulis, quibus divinitùs inſpiratus, per ſex propè jam ſæcula Pontifices Romanos deſignavit in ænigmatibus, quæ ſeu ipſi Antiſtites ſummi rerum præclarè à ſe geſtarum eventibus, ſeu eruditi, ſagacitate ingenij hactenùs evolverint, evolvéntque feliciter deinceps. Ea vaticiniorum celebritas Ciſtercij opus eſt, de cujus gremio extitit *Malachias* Præſul glorioſiſſimus. Opto porrò devotiſſimis magníſque affectibus, ut mox è Romano & Sanctiſſimo Conclavi egrediatur Eccleſiæ univerſalis Paſtor, qui è Malachiæ mente & ſymbolo floridam ſecum ætatem advehat in *Floribus Circumdatus*, queîs Orbem Chriſtianum bellorum ſpinis nuper compunctum acerrimè, ad univerſorum vota lætiſſimè circumdet, ac circumambiat! Alterum, quod in circumſtantia electionis Pontificiæ commendare præcipuè hîc debeo, eſt *Alexandri III. Papa*, atque rursùs Ciſtercij beneficium: Ordinem nimirùm, leges, ritúſque *Conclavis*, in quo de Sanctiſſimo Orbis Chriſtiani deſignando Capite agitur, primitùs à laudatiſſimo noſtro Alexandro emanaviſſe. Secundùm quam ſacerrimam methodum cùm hodiedum Purpurati Patres diviniſſimi Spiritûs oracula in Conclavi implorent, rituúmque eorundem felicitatis pars tam ſit primæva eorum inſtitutio, quàm per ſæcula producta perennitas, illáque priôr per Pontificem è Ciſtercio olim cœperit, quídni & hodie idem Ciſtercium in partem gloriæ per nos vocari debeat? *Alexandri III.* etiam opus eſt illa *canonizandi methodus*, quâ hodie per Pontificum oracula Divorum Cathalogo ſolemniter adnumerantur, qui ſanctitate vitæ inter mortales præfulſiſſe dignoſcuntur. Olim namque ante Alexandrum *ſolâ populi acclamatione*, & *Pontificum conhibentiâ*, quemadmodum aſſerit Manriqueus ad Annum 1109. *cap.* 1. *num.* 10. abſque ſpecialibus Bullis Sancti in Cælitum Canonem

Chriſtoph. Ott. S.J. in ſt. a Roma G.o:ioſa ſæcul. 12. pag. 328.

aſſerebantur. A tempore autem laudati Alexandri Papæ præter populi acclamationem, cæteróſque ritus ac ſolitam Pontificum conhibentiam, inſuper Bullæ Apoſtolicæ deſiderabantur, quibus novis Sanctis publici honores authenticè decernerentur; ídque ſancivit memoratus Pontifex in *cap.* 1. *de reliq & venerat: SS.* futuris ætatibus ſtabiliter obſervandum. Atque per ſimiles *ſpeciales Bullas Pontificias* (aſſertum eſt Illuſtriſſimi Manriquei noſtri *loc:* cit: *num:* 11.) *primus omnium Ciſtercienſium Bernardus fuit, cui hunc honorem Alexander Tertius detulit, & vix ante ipſum ex univerſa Eccleſia unus aut alter, certè pauci reperiuntur per Romanos Pontifices recepti.* Idem de Parente Mellifluo obſervat Bellarminus *Lib.* 1. *de SS. cap.* 8. Et quanquam, utì mox perpenderat cit: *Angelus*, adhuc ante Alexandrum per Bullas nonnulli, iíque pauci Divis ſint adſcripti, id tamen non tam factum eſt rigore legis alícujus jam receptæ ac vigentis, quàm ſingularitate favoris Pontificij, habentis ſe ad uſitatam tunc canonizationis formam velutì per accidens: ac proinde ea prærogativa, quâ hodie Sanctorum cætui accenſentur mortales, ſpecialiter ac primitùs ad Alexandrum ſpectat & Bernardum, Ciſtercienſem utrumque: ad illum quidem, qui primus canonizandi methodô, per legem jam firmatâ, uſus ſit; ad alterum verò, qui primus per eos ſolemnes ritus fuerit in Divorum canonem repoſitus: quod præcipuè hic inſinuare volui pro Sodalitij Mellifluí commendatione, in cujusvis ſancti apotheoſi hodiè meritò plaudentis, quòd ea ſolemnitatis celebritas incrementa ſua clariſsima à Ciſtercio aliquando traxerit.

Sed nunc aliquid proferendum in medium eſt, quod inter prima Ciſtercij ornamenta omninò haberi debeat, prima videlicèt Inſtitutio celeberrimæ in univerſa Eccleſia Solemnitatis CORPORIS CHRISTI, quæ non alijs ſurrexit initijs ac fulcris, quàm per *Divam Julianam Montis Cornelij* in Patria Leodienſi Ciſtercienſem Virginem; quod quidem linguâ & calamô non meô aſſero, ſed *Manriquei, Henriquei, Auberti Miræi*, aliorúmque; *Henriquei* præcipuè, qui ex induſtria hanc aſſertionem ac Theſim in ſuis *Lilijs Ciſtercij* fusè ſolidéque propugnavit. Nos hìc præſentis rei & veritatis ſuccinctam epitomen dabimus. Igitur *Juliana*, quam jam ſuperiùs *Tit:* 7. inter Ciſtercij Sanctas lauda-

Obijt S. Juliana Annô 1247.

laudavimus, à teneris ad promovendum cultum Euchariſticum divinitùs veluti præordinata, in revelationum viſionúmque cæleſtium numero ac magnitudine, nullas unquam frequentiores aut celebriores habuit, ac de DEO Sponſo Euchariſtico; quas quidem Authores in Virginis Sanctæ vita recenſent fuſiùs, at nobis non vacat ijs hôc locô immorari. Solam illam admirabilem ſcenam producturi ſumus, quæ ad præſentem facit veritatem. Itaque *Julianæ* per annos aliquot quotidie imago Lunæ objecta eſt, ſplendidiſſima quidem, ſed cujus ſphæricum orbem fractio intermedia non modicè vitiaverat. Non penetravit illicò Virgo Sancta in myſterij latentis arcana ſenſa; quin imò trepidare cæpit ad ſcenæ toties repetitæ ſpectaculum, nè fortaſſe quid ſubeſſet infeſtum, tentationem interpretata, quod erat cæleſtis viſio, non vitiô quidem ſuô aut temeritate; verùm quia in re magna ante Cœli oracula diffinire certum aliquid vix potuit; quin imò, quæ eſt conditio humilium, ſibi ominari ac timere minùs fauſta ac felicia; unde etiam aliorum precibus ſeſe pavida commendabat, id potiſſimùm urgens, ut ſcilicèt ab importuna quadam tentatione, Divinâ miſeratione tandem liberaretur. At verò perſtitit viſio etiam poſt preces: aliorum proinde hortatu in ea animi fluctuatione ad Salvatorem Sponſum totâ mentis fiduciâ confugit, petiitque, ut quoniam is ipſe procul dubio id theatrum aperuiſſet, nemóque foret inter mortales, qui humanis obtutibus perſpicere valeret in ſcenæ tam portentoſæ ſcopum ac finem, daret is ipſe etiam perplexæ Sponſæ ſuæ luminis & interpretationis adminicula, quibus in admirabilis illius quotidianæ apocalypſeos divinas intentiones poſſet penetrare. Adfuit illicò ad Virginis anxia vota ſpectabilis Salvator, viſionis deſideratiſſimus atque unicus interpres, qui in hæc verba affatus Julianam: *In Luna* ſcilicèt *præſentem Eccleſiam, in luna autem fractione, defectum unius Solemnitatis ſignificari: quam adhuc volebat à cunctis fidelibus celebrari. Hanc autem eſſe ſuam voluntatem, ut ad augmentum fidei in fine ſæculi debilitandæ, nec non ad profectum & gratiam electorum, Inſtitutio Sanctiſſimi Corporis & Sanguinis ſui quôlibet annô ſemel ſolemniùs & ſpecialiùs recoleretur, quàm in Cœna, quoniam tunc circa lotionem pedum, & memoriam paſſionis ſuæ Eccleſia generaliter occuparetur. Ipſam autem Solemnitatem, de*

Henriq: in vita S. Julianæ cap: 43.

memoria ipſius Sacramenti ſuppleri diligentiùs oportere, quod alijs quotidianis diebus in minori devotione, ſeu negligentiùs fuiſſet prætermiſſum. Hæc Virgini Chriſtus, cum adjunĉto imperio, velle ſe omninò atque jubere, ut ea feſtivitas per Julianam ſuam in Eccleſia procuraretur. Dici non poteſt, quantùm Virginis mentem ea juſſio turbaverit, quæ planĉtibus atque lachrymis ſublime miniſterium munúſque ſibi impoſitum per integros viginti annos & ampliùs conſtantiſſimè deprecata eſt, indigniſſimam ſe prorsùs proclamans, planéque impotentem mulierculam, cui ſexus, profeſſio, imperitia, atque etiam ipſa peccata obſtarent, quò minùs ad rem tantam, Eccleſiæ Atlantibus magìs dignam, aſſumi ipſa poſſet. Atque cùm videret, ſe lachrymis prævalere minùs, ſangvineas tandem guttas ex oculis deſtillavit, quemadmodum perhibet præcit: Henriqueus, *in vit: cap:*44. At verò ſtetit ad omnia Virginis lamenta immutabile DEI decretum, toties apparente Julianæ Salvatore, & ad imperij executionem adhortante, quoties illa in preces effuſa, ab impoſita funĉtione miſſionem poſtularet. Igitur cùm redeunte frequentiùs eâ viſione tandem animadverteret, ſe ordinationi divinæ reluĉtari ampliùs nec poſſe, nec audere, communicatô priùs cum Viris eruditione, dignitatéque Eccleſiaſticâ præcellentibus, arduô negotiô, qui eam pietatem tametſi novam, unô ore probaverant, animis planè ingentibus opus divinum aggreſſa eſt: & quanquam acerbos etiam haberet æmulos, qui piæ intentioni, quoniam novitiæ, & commendatæ à fæmina, non modicè adverſabantur; illa tamen in uno DEO, cujus auſpicijs noverat rem totam agi, collocatâ ſpe, per diverſa Tribunalia ſuperior & viĉtrix, contradiĉtionum procellas maſculâ conſtantiâ egregiè triumphavit. Itaque memorata Euchariſtica feſtivitas *Hugonis Cardinalis*, qui cum charaĉtere Pontificij à Latere Legati ad Alemanniæ partes tum fuerat deſtinatus, authoritate atque favore primùm celebrari cœpit *Leodij*, & id quidem vivente adhuc Julianâ, quæ etiam proprium Feſti officium, ſive publicas Eccleſiæ preces, per *B. Joannem ſuum è Ciſtercio Confeſſarium* conſcribi fecerat, tam diu *Urbani IV.* approbatione futuras in uſu, quoaduſque Angelicus Aquinas alias tradidiſſet. Sub hæc pulcherrima Feſti apud Leodienſes recepti initia, Juliana non diu pòſt, ad aliud Feſtum, ad Sponſi

ſcilicèt

ſcilicèt perennes amplexus è carne abijt, commendatô negotiô *B. Eva*, in religione filiæ, in laboribus, & præcipuè in promovenda ſæpè memorata celebritate individuæ atque indefeſſæ ſociæ, ut proinde indubitatum ſit apud omnes, Inſtitutionem Feſti *Corporis Chriſti* fuiſſe, eſſéque profectò opus dexteræ Excelſi, qui maxima operaturus, minima elegiſſet, ſexu fragili aſſumptô in inſtrumentum rerum magnarum. A Julianæ obitu non diu laborare *Eva* debuit apud *Urbanum IV.* Pontificem Maximum, qui olim cùm eſſet Leodienſis Archidiaconus, mirabili Numinis providentiâ à Juliana in conſilia & auxilia adſcitus, tum primùm utraque potiſſimùm præſtitit, cùm creatus Pontifex maximè valuit. Per Urbanum proinde Papam Corporis Chriſti celeberrima feſtivitas univerſo Orbi orthodoxo data eſt in legem, quotannis devotione ſummâ, plausúque recolenda editâ deſuper Bullâ Pontificiâ, Annô 1262. quæ incipit: *Tranſiturus &c.* Cúmque Ille Julianæ ſuæ per epiſtolam gratulari ampliùs non poſſet, eximiâ prorsùs dignatione gratulatus eſt Julianæ in ſocia, datis ad *Evam* noſtram literis, in quibus Papa hæc: *Magnificet anima tua Dominum, & exultet ſpiritus tuus in DEO ſalutari tuo, quia viderunt oculi ſalutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum, &c.* Et fortè ideò divinô conſiliô dilata eſt ad tempus Feſti univerſalis inſtitutio, ut non modò Ciſtercienſes eſſent, quæ feſtum inſtitui peterent, ſed & qui inſtitueret; Urbanus namque ex Archidiacono Leodienſi effectus Ciſtercienſis, & inde Epiſcopus Virdunenſis, atque Patriarcha Hieroſolymitanus, tandem ſummus Pontifex renunciatus, à DEO per ea munia præparabatur, qui pro immortali Ciſtercij gloria ſupremam tanto operi manum imponeret. Itaque cùm hodie vident Ciſtercienſes noſtri quotannis in prælaudata *Corporis Chriſti* auguſtiſſima ſolemnitate, orthodoxum Orbem, pulcherrimâ Populorum omnium æmulatione, totum fervere in adorando DEO Euchariſtico, Cæſaréſque, Regéſque in publicis Urbium compitis quàm ſubmiſſiſſimô cultu latreuticô in genua ſeſe demittere, & Coronas unà cum cordibus ſuis quàm profundiſſimè ſubſternere, ad diviniſſimas plantas abſconditi Numinis, in dulciſſima ſolatia, amabiléſque lachrymas totos & ſingulos diffluere neceſſe eſt, cùm ea ſuaviſſima, celeberrimáque pietas Ciſtercium pro fonte habeat.

Eſt præterea in Eccleſia celebre magni nominis *feſtum Auguſtæ Cælitum Reginæ, aſſumptæ ſuper ſidera*, quod licèt non prima initia, magnam tamen lucem obtinuit per Ciſtercium. Doctorum hodie in ſcholis communis ſenſus & plauſus eſt, DEIparam in utraque ſubſtantia, animæ ſcilicèt & corporis, evectam eſſe ad gloriam; at verò de Virginis è tumulo aſſumptione corporea, in circumſtantia temporis variant moderni & veteres, quanquam interim communi populorum pietate, unâ, eâdemque die, 15. *Auguſti*, utriuſque ſubſtantiæ glorioſa in Cælos aſſumptio recolatur. Non illicò, cùm Auguſta Mater exhalaviſſet puriſſimam animam, intaminatum Virginis corpus tranſpoſitum ſimul cum anima ſuper orbes æthereos, verùm aliquantô pòſt tempore, eâ primùm felicitate donatam, collocatámque eſſe in gloria DEIparæ portionem corpoream, tradunt probabiliter Scholaſtici, non explicantes tamen hactenùs illam durationis intercapedinem. At hac in re felicior Familia Ciſtercia, & per Ciſtercium felicior Orbis reliquus, qui noſtrorum beneficiô diem didicerit, quô in Corpore ſuper ſidera exaltata ſit glorioſa Virgo: idipſum namque alma Ciſtercij Parens revelavit fido, charóque ſibi alumno, *B. Bertramo*, Monacho *B. Mariæ de Carixto* in Lombardia, cui in admirabili quodam raptu, qui à nobis relatus eſt ſuprà *Tit:* 9. corporalem ſuam aſſumptionem, hactenùs, quod ſciam, indefinitam, in hæc verba expoſuit: *Noveris pro certo, me in utraque ſubſtantia, id eſt, corpore & anima, glorificatam, & die quadrageſimâ à mortuis reſuſcitatam.* Hæc Virgo clienti, & toti ſuo Ciſtercio, imò per Ciſtercium Eccleſiæ. Materiæ ſanctiſſimæ analogia præſentem calamum invitat, trahítque, ad pandenda nova Virginis ſuper Cælos glorioſæ oracula, è vita *Divi Arnulphi*, Converſi *Villarienſis.* Beatiſſimus iſte Vir Almæ Parenti devotiſſimus, repetebat frequenter inter pietatis exercitia, dulciſsimæ Matris & Advocatæ ſuæ *ſeptenos gaudiorum Fontes*, quibus ipſa in hac mortali vita eſſet perfuſa. Cui Auguſta Domina ſe aliquando ſpectabilem exhibens, gratam quidem eam ſolatiorum terreſtrium reminiſcentiam ſe habere profeſſa eſt; at verò aliquid ampliùs expectare ſe à cliente, ut nimirùm illas pariter gaudiorum ſcaturigines dulci memoriâ percurreret, è quibus ipſa in Cælis nunc uberrimè perfunderetur. Explicuítque ignoranti

Floruit B. Bertramus Annô 1195.

Obijt B. Arnulphus Annô 1228.

ranti Arnulpho commendatos fontes, quos ex *Anno Ciſtercienſi* ad *diem* 30. *Junij*, ſtylô, quô Author ibidem eos recitat, hìc produco. Itaque Virgo alumno ſuo hæc fari cæpit: *Primum*, ajebat, meum in Cœlis gaudium, *eſt Triumphus, quem Curia cœleſtis mihi adornavit ad ſedem, DEO proximam, cum anima, & corpore aſſumptæ. II. Luminis immenſitas, quâ totum à me Cœlum illuſtratur. III. Tituli honoris, poſt DEUM, ſummi. IV. Unio arctiſſima voluntatis meæ cum Divina. V. Securitas obtinendi à DEO, quidquid petîero. VI. Infinitus animarum numerus per auxilia mea choris Angelorum junctus. VII. Quia certa ſum, gloriam meam, non ſolùm non minuendam, ſed per omnes temporis revolutiones augendam fore.* Ità quidem Parentis optimæ magiſteriô per Arnulphum edocti clientes Mariophili, etiam extra Ciſtercium, Virgini applausêre deinceps de illis gaudijs, ob quæ Illa ipſa primos è Ciſtercio cupijſſet ſibi plauſus exhiberi. Et *Immaculatæ Parentis* puriſsima Conceptio culta jam olim per Ciſtercium, Virgine ipsâ procurante ſibi ſub eo titulo honores à chariſsimis alumnis. Apparuit namque ante quinque jam ſæcula *B. Petro* Converſò apud *Villarienſes* in Belgio, juſsítque Conceptionis ſuæ ſolemnia agere devotione præcipuâ, quaſi per Petrum monitura cæteros, è Ciſtercio clientes, ut puriſsimis animi jubilis ſibi Matri & Patronæ abſque labe conceptæ dignos plauſus darent, eò ſanè gratiores, quòd à Bernardi filijs exhiberentur, tantíque Parentis nomine Auguſtæ Dominæ placere haud dubiè deberent. Neque enim, ùt *Tit* 4. vidimus, Doctor Mellifluus, in *epiſtola* 174. pupugit ſuô ſtylô Divæ illibatam Conceptionem, verùm Divæ cultores, non ſatìs utique circumſpectos in Feſti tunc exorti novis honoribus Immaculatæ DEIparæ pendendis, quos ſcilicèt feſtinatâ nimiùm pietate detulerint non Conceptioni ſecundæ, ſeu animationi, prout debuerant, verùm primæ, quæ ejuſmodi cultûs omninò fuerat incapax. Reſumat huc, obſecro, Lector benevolus, quæ *cit*: *Tit*: 4. pro Bernardo, atque etiam pro ipſa Parentis almæ intaminata Conceptione pronunciavimus. Subinde ut Cælitum Reginæ honores ſub eo Titulo & advocatione per Ciſtercij auſpicia ampliùs proveherentur, ante tria ferè ſæcula *B. Beatrix* apud Hiſpanos illuſtriſſima Virago, & Ciſtercienſium ſancta alumna, Congregationis novæ incrementô, ſub nuncupatione *Immacu-*

Floruit B. Petrus circa Annum 1200.

Sſſſſſſ *latæ*

latæ Conceptionis erectæ, Feſti celebritatem, Divæque gratiſſimum cultum egregiè promovit.

Virginem nominavi: feliciſſimâ vi hæreo in auſpicato hoc nomine, neque poſſum illicò abire à Virgine, filius à Matre; dandum quippe eſt aliquid ampliùs, non minùs pro Ciſtercij, quàm magnæ Ciſtercienſium Parentis gloria, quòd ſcilicèt per diverſa Orbis Chriſtiani climata, apud clientes Mellifluos, non paucæ Virginis *Thaumaturgæ* paſſim ſpectentur ſeu *Icones*, ſeu *Statuæ*, quas quidem noſtri ità colere velint, ut ſimul ille cultus ſit exteris extra Ciſtercium clientibus pro ſtimulo ac incitamento, eóſque non tam invitet, quàm pertrahat ad ſimiles honores Divæ cumulatâ pietate pendendos, maximô ſanè Eccleſiæ bonô, quæ dum ingenti numerô per millia iterúmque millia videt confluere Urbes, oppida, vicóſque, pagóſque ad promendam Auguſtæ ſoſpitatrici hyperduliam, non poteſt non impendiò affici Mariophilis è Ciſtercio Viris, quorum zelô atque exemplô pietas illa ſuaviſſima tot in locis hodiedum vigeat. Eundum quidem foret per Ciſtercium omne, producendæque ſingulæ Marianæ Icones, prodigijs, cultúque publicô celebres; at verò id Lector à me expectare hôc locô non velit; quoniam non pauca me latent, quibus præſens materia cumulari valeat. Dabo illas, quas ſeu ſcriptorum, ſeu relationis beneficiô nôſſe potui. *Bernardus* mellifluus hanc ſcenam auſpicetur, Almæ Parentis illæ cultor inclytus, cui SPIRENSEM, AFFLIGEMIENSEM, & CASTELLIONENSEM Thaumaturgas Divæ Virginis Statuas hodiedum ſuperſtites debet Orbis Chriſtianus, quæ licèt nunc colantur extra Ciſtercium, non tamen ſinè Ciſtercio, cujus auſpicijs per Bernardum coli cœperint. Priores illæ duæ, *Spirenſis* & *Affligemienſis*, à quibus melleus Parens inter ſalutationis Marianæ Officia in Auditorum frequentia celebri, per verba cedrô digna reſalutatus eſt: *Salve Bernarde!* ſuos adhuc in præſens habent Bernardos, qui Matrem in ſimulachris ſuis crebrò dulciſſimè ſalvere jubeant. Dubitaveram ſuperiùs *Tit:* 9. an *Spirenſis* Diva è belli nuperi ruinis ac buſtis ſalvata ſit; Verùm gratiſſimâ deinceps relatione didici, ereptam diſcrimini in tempore alibi, atque quod ſciam, Francofurti per Mavortia diſturbia ſubſtitiſſe, repor-

ſe, reportandam haud dubiè ſub pacis reparatæ auſpicia ad ſedes priſtinas, ubi rurſùs à ſpirenſibus alumnis tandem à bello reſpirantibus ſalutari cupiat. De *Affligemienſi* aqud Belgas Thaumaturga refert Henriqueus in *Menologio ad* 18. *Octobris*, fauſtâ olim nuncupatione illam dictam fuiſſe *Imaginem B. Mariæ de Pace*, ob pacis prodigiosè obtentæ beneficium quod perenni in Divam, Bernardúmque gratitudine, hodiedum Belgarum populi per publica loquuntur monumenta. Sacrilegus quiſpiam iconoclaſtes vetuſtum ac venerandum id Virginis ſimulachrum in Belgij generali convulſione è baſi dejecit, fregítque: è cujus fragmentis duplex ſubinde ſtatua formata eſt: quarum unam ſervavêre *Affligemienſes*, alteram *Bruxellenſes è Societate JEſu Patres* obtinuêre. Ità quidem eâ hominis impietate præter operantis intentionem aucti ſunt Divæ honores, inſigni Numinis artificiô, malis utentis quàm optimè, præſertim in Matris ſuæ reverentiam. Affligemij Præpoſitus, *Benedictus Haftenus*, ingeniô præterea commendavit Marianam pietatem ampliùs, cùm è Statuæ utroque latere geminum collocavit Angelum, *Gabrielem*, *Bernardúmque*, terreſtrem hunc, cæleſtem illum, fungentes ambos ſalutationis obſequijs, ſubſcriptâ utriſque doctâ Poëſi; Archangelo quidem Nuntio hâc:

Ad Gabrielis *Ave*, reſpondes optima, *Fiat*,
Redde tuum *Fiat*, cùm repetemus, *Ave*!

Mellifluo verò Parenti hâc:

Dat Bernardus *Ave*, fert *Salve*, Virgo precanti,
Redde tuum *Salve*, qui tibi dicit *Ave*!

Et ſub Statuæ Thaumaturgæ plantis:

Virginis hancce piæ Statuam venerare MARIÆ,
Prætérienſque *cave*, nè taceatur, *Ave*!

Quod metrum poſterius cùm videam Auguſtæ DEIparæ veſtigijs, ceû ſalutare viatoribus monitum paſsim ſubſterni, gaudeo Bernardi noſtri opus, votúmque eſſe, ut Virgo crebriùs per humuna labia verbô angelicô adſalutetur, morémque, quô hodie per coronæ precatoriæ ſeu Roſarij penſum indies devotiſsimè eidem plaudimus, jam olim Melliflui Parentis tenerrimâ in Virginem pietate commendatum fuiſſe. *Caſtellionenſis* Divæ Statua illa eſt, quæ Bernardum olim lactavit,

 hodiedum

hodiedum populi cultu, prodigiiſque celebris, atque, quod amplius, nuper non longè à noſtra hac ætate, lactis ſtillicidia rursùs fundens, de qua jam ſuprà *Tit*: 4. *pag*: 90. actum eſt. Hi Auguſtæ Cœlitum Reginæ in Statuis honores per Bernardum cœpti perennant hodie extra Ciſtercium, *Spiræ*, in Eccleſia Cathedrali, *Affligemij* apud PP. Benedictinos, *Bruxellis* apud Patres Societatis, *Caſtellione* in Eccleſia *Divi Beroli*.

Nunc ad intra figamus obtutus, ſcrutaturi *Thaumaturga Divæ ſimulachra*, quorum cura cultúſque per noſtros propagatus, intra Ciſtercij gremium hodiedum perſiſtit, Marianis interim favoribus etiam ad extra ſeſe numeroſô rivô in clientes effundentibus. Atque in primis apud *Hiſpanos* claret Divina Puerpera in ſequentibus Thaumaturgis ſeu ſtatuis ſeu Imaginibus; quarum *prima* eſt MONTIS SALUTIS, vetuſtiſsimâ ſuâ duratione duodecim propè jam implens ſæcula. GRADEFIENSIS altera. *Tertia* de OVILA. *Quarta*, SALMANTICENSIS in Lauretana Collegij noſtri Domò, reperta prodigioſè in maris ſcopulo. *Quinta* S. MARIA de MONTESINOS. *Sexta*, S. MARIA, vulgò nuncupata LA SERRANA, in Cœnobio B. M. Regalis de *Renunzo*. *Septima* S. MARIA LA BLANCA apud Navarræos in Cœnobio *Marcillenſi*. *Octava* Benefica Parens in MONTE YERGA, cujus cultus olim per noſtros inchoatus, jam annis propè ſexcentis concurſu univerſariô perſeverat. Apud *Luſitanos* idem DEIparæ in ſacerrimis ſimulachris ſuis cultus viget. Primò, in Cœnobio de BOURO. Secundò, in Monaſterio de AQUILIS. Tertiò in Eccleſia de STELLA. Quartò, penès Ulyſsiponem, Sedem Regiam, in imagine VIRGINIS EXULIS, ſeu fugientis in Ægyptum, vulgò *del deſtierro*. Quintò, in Cœnobio de ZEIZA, in venerando ſimulacro extante jam per annos nongentos & quinquaginta: Cujus primi honores per inſigne, pérque omnes retrò ætates divulgandum prodigium ſurrexêre, quanquam non per Ciſtercium, quoniam ante annos, ùt dixi, propè mille, quia tamen nunc illud ipſum Virginis Simulachrum intra Ciſtercium colitur, eapropter miraculi admirabilis ſcena hôc locô venit exhibenda. Obſederat Abderramen Sarracenus Cordubenſium Rex Annô reparatæ ſalutis 850. *Montem Regalem* in

Luſi-

Luſitania. Stabat in præſidio Joannes, Ramiri, Legionenſium Regis Patruus, Lorbanenſium Abbas, Vir pietate præſtans, armíſque ſtrenuus. Non deerat Duci, non militi animus, conſtantiſſimâ virtute vel media inter funera propugnandi Chriſtianam Urbem adversùs Barbaros; quouſque ſcilicèt perdurâſſent victualia: quibus tandem propemodum abſumptis, mæſtiſsima mortis imago percellebat egregios heroës. Una libertas, in ijs nempe malis quædam felicitas, ſupererat in eligendo fati genere. Moriendum erat, ſeu fame, ſi ultrà deliteſcerent intra muros, ſeu hoſtili gladiô, ſi foràs erumperent. At ſubitò omnium ſuffragijs conclamatum ad arma eſt, inter quæ celeriùs, ſuaviúſque, & quòd militares animos accenderat potiſsimùm, glorioſiùs forent occubituri. Famis lentô ſuppliciô in momenta mori, in momenta vivere, nîl virtutis, nîl gloriæ in ſe habere. Itaque decreta omnium adſenſu eruptio, quâ adhuc ſupremùm Barbaros laceſſerent, multaréntque, dulciùs ſcilicèt bellatrices animas inter vulnera calentiſsimô cruore pulcherrimè madentia exhalaturi. Verùm una adhuc ſolicitudo tenebat impetum, uxores nempe, & chara pignora, ſpolia illicò futuro hoſti ſpurciſsimo, ſi relinquerentur in Urbe: ſi ſimul egrederentur cum Viris, fortè muliebri metu, atque ejulatu turbatura virilem audaciam. Igitur itum ab omnibus celeriter in ſententiam, ut ſinguli ſingulas conjuges, filiáſque manu propriâ contrucidarent: ſatiùs utique eſſe, ſalvô pudore Chriſtianas fæminas vitam perdere, quàm hâc incolumi ſalaciſsimæ genti ſervire in proſtibula. Feſtinavêre illicò exertis enſibus exequi crudelem pietatem, miſerandô ſpectaculô uxores, proléſque ſuas jugulantes. Tum reſeratis portis, calentes adhuc recenti cæde, atque è mortis ſuæ confinio feroces, in hoſtes irruerunt, tantô terrore barbara agmina, nílque tale à famente & exhauſto præſidio metuentia confundentes, ut turbatis ordinibus fugerent, viámque panderent victrici Chriſtiadum cohorti, numeroſâ clade ſpargenti per campum funera & mortes, triumphúmque per hoſtilia caſtra quaquaverſum circumferenti. Cecidêre è Sarracenis, quis credat? ſeptuaginta omninò millia, parvâ noſtrorum manu trucidata. At verò inter ea victoriæ tam portentoſæ læta auſpicia torquebat victores unicè anteactum ſuo-

 rum

rum pignorum, conjugúmque deplorandum excidium. Omnium vota, omnium vox, viverent, ô! viverent charæ nunc proles, fidæque thori & vitæ ſociæ, quæ dulci acclamatione exciperent remeantes è prælio Viros, Patréſque, mille laureas reportantes ad dilectos lares! Confuſi itaque gaudiô doloréque, Urbem paulò antè deſertam onuſti ſpolijs repetunt, cùm, en monſtrum! en DEI judicia plena portentis! Uxores, filiæ, filij viſi è portis urbis progredi, ingentíque jubilô triumphatores ſalutare. Eos plaudentium choros, falſas rerum imagines primò illi ſuſpicati: cùm ſubinde acceſſiſſent propiùs, ſingulíque ſua pignora, ſuas uxores, atque etiam ipſorum vulnerum, quæ inflixiſſent, purpurea ſignacula, ac relictas cicatrices, inſpicerent, palparéntque, tum mox puerorum, Virorum, mulierúmque promiſcua univerſitas tantis incitata portentis, lætiſſimas inter lachrymas, & victoriam, & ſalutem, & vitam ſibi mutuò gratulata, laudes gratéſque immenſæ DEI bonitati pro præſentiſſimo miraculo cecinit. Joannes glorioſi agminis ſtrenuus Dux, conſtructâ in loco victoriæ modicâ cellulâ, vitæ ſuæ reliquias ibidem Adjutori DEO conſecravit. Et hos quidem de Sarracenis inclytos triumphos auſpicijs Divæ Parentis, quæ nunc colitur in *Zeiza*, partos fuiſſe, conſtanti gentis Luſitanæ traditione divulgatum eſt, ſculptáque legitur hæc veritas in ipſo Joannis, laudati Ducis tumulo per hæc verba: *Eum* (ſcilicèt Joannem) *parvâ Chriſtianorum manu debellaviſſe Abderramen, trucidatis ſeptuaginta millibus Saracenorum, mulieréſque ac parvulos ſuô conſiliô occiſos, Hujus Sacra Virginis interventu ad vitam reſtitutos conſpexiſſe.* Notat præterea Manriqueus ad *annum* 1195. *c.*5. *n.*9. ex *Brito* ibidem *citato manere uſque in hanc diem Iconem Virginis, qua collum cicatrice ſanguineâ notatum teneat, in memoriam miraculi, quod ejus creditur factum interceſſione.*

Ciſtercienſes *Galli* Thaumaturgam Virginem habent in FULLIENSI Cœnobio, quod eſt caput reformatæ Congregationis *Fulienſis.* Alteram in Monaſterio *Jojacenſi*, ſub nuncupatione S. MARIÆ de PIETATE. *Flandri* in prodigioſa Virgineæ Matris Icone Cœnobij LAUDENSIS. *Luxenburgici* in Thaumaturga Parthenonis CLARI-FONTIS. *Brabantini* in benefica DEIparæ ſtatua de MONTE-ACUTO apud Villarienſes:

rienſes: atque etiam, & præcipuè in DIVA CAMBERONENSI, ubi per inſigne prodigium Annô 1322. Almæ Parenti devotiſſimi honores ab univerſo Belgio ſunt acclamati. *Guilielmô* namque perfidô quôpiam Judæô haſtam ſacrilegô vulnere contorquente in Virginis iconem, non ſecùs, ac è vivo corpore purpureus è vulneris hiatu emanavit cruor. Quô portentô moniti è Ghriſtianis clientes, ut impium Hebræi facinus eluerent ferventi cultu, pro quo benigniſſima Parens in hanc uſque ætatem è Camberona noſtra favores largiſſimè eſſet refuſura. *Friſones* etiam olim beneficam habuêre DEIparam in Parthenone de JESSE. *Alſatæ* Thaumaturgas Divæ Matris, & S. Joannis Evangeliſtæ ſtatuas venerantur in Eccleſia Lucellenſi *SS. Felicis & Regulæ* in CHONSHEIM: atque præterea aliam Almæ Parentis prodigioſam imaginem in ENSISHEIM. *Auſtriaci* ſoſpitatricem Matrem implorant in DIVA RAVINGENSI, ubi & vigent *Aurea Sabbatha*, de quibus paulò infrà hôc Tit: ubi de Thaumaturga Cajovienſi: Alteram in S. CRUCE.

Poloni Divas Thaumaturgas colunt 1. WIELENSEM in territorio Cœnobij *Premetenſis*, clarentem prodigijs, annis facilè Trecentis. 2. ZBYSZEVONENSEM in ditione Monaſterij *Coronovienſis*. 3. ZABORVENSEM in Abbatia *Landenſi*. 4. WISTICENSEM apud *Lithuanos*. 5. CUPRIUNICENSEM in noſtro Monaſterio ejuſdem nomenclaturæ. 6. WANGROVECENSEM Doloroſam in ipſa Cœnobij Eccleſia. 7. OLIVENSEM apud *Gedanum*, quas poſteriores tres mihi in litteris ad me gratiosè perſcriptis retulit Reverendiſſimus Ampliſſimus ac Eximius D. D. Michaël Antonius, Abbas de Oliva. 8. ROKITNENSEM in dominio Abbatiæ *Blodzovienſis*, clariſſimis coruſcantem gratijs. Eſt Blödzovia, vicina domus ditioni Brandenburgicæ, unde Thaumaturga Parens in eo Gentis utriuſque, & Lutheranæ & Catholicæ Confinio, velutì ex induſtria profuſior eſt in favoribus, per quos ſimul & clientes remuneretur, & heterodoxos moneat, ut tandem ad Matrem & ipſi poſtliminiò recurrant. Iconis gratioſæ caſtiſsima amabilitas ſpectatoribus pro ſtimulo eſt, ad præſtandos Parenti amabili dulces amores, & petenda ab ea beneficia. Neque Orthodoxorum duntaxat pietas fulget in beneficam Matrem,

 verùm

verùm etiam, quod mireris, inter eos, qui à Roma alieni ſunt, exemplum nuper illuſtre præbuit Sereniſsimus Brandenburgicus Princeps Elector Fridericus Wilhelmus, Sereniſsimi Friderici III. proximè in Boruſſorum Regem coronandi clariſsimus Genitor, qui in decus atque ornamentum Virginei ſimulachri donô obtulit Crucem adamantinam, decem millibus Imperialium æſtimatam, ſimúlque in Divæ Matris, atque ejuſdem Domûs militarem defenſionem ac præſidium ſex bellica; ùt vulgò appellamus, tormenta, adjunctis pro qualibet militari machina centum globis. Id quidem Princeps Sereniſſimus (utinam Eccleſiæ tam amans, quàm Mariæ! quanquam nec illi adeò offendi potuiſſe viſus ſit, quòd DEIparam per munus coluerit, Eccleſiæ Advocatam) donum tranſmiſit Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino D. Joanni Caſimiro Opalenski, Culmenſium Epiſcopo, & Blödzovienſium Abbati Regulari, per Præſulis illuſtris manus, Electoris Sereniſſimi nomine dicandum Divæ. Adamantina illa pretioſa Crux Virgineo diademati inſerta ornat nunc ſparſos inter fulgores majeſtatem Auguſtæ Parentis, continuis corruſcantis prodigijs, quorum illud magìs famoſum ac celebre, quod ſub ſæculi hujus elabentem ſupremum annum Virgo præſtitit R. P. Matthæo Blödzoviæ profeſſo ac Seniori, qui phtiſi, multô tempore, affectus, cùm ſubinde Rokitnæ magìs magíſque deficiens, aliquando inter Fratres verſaretur, cœpit repentè deſtitui viribus, & feſtinatô fatô, ùt videbatur, inter ſociorum manus exhalare animam. Tentabant attoniti, qui aderant, morientem munire Eccleſiæ Sacramentis, & per opportuna medicamina ſpiritum morari aliquamdiu intra corpuſculi terminos, quouſque moribundus exomologeſi ſupremùm ſeſe expiâſſet. At fruſtratæ omnium curæ, Matthæô per tres integras horas habitô pro mortuo, neque vel ſignô prodente vitam. Itaque cùm per humana media prodeſſe ampliùs non poſſent, omnes ingenti fiduciâ ad Eccleſiam dilapſi, ante Thaumaturgæ Virginis aram Lauretana præconia inter calida vota recitârunt. Admirabile dictu! ſub ipſum Litaniarum finem, Matthæus gravi ſopore ſolutus, reſpiciens, P. Albericum, cuſtodiendo emortui corpori relictum, affari cœpit. Accurrerant interea felices Oratores ex ſacra Virginis æde, perculſi novitate rei, ad quam læ-

tô

tô clamore evocabantur, ſacrô horrore ad Matthæum ſuum properabant: qui in præſentia omnium fide ſacerdotali, atque interpoſitô juramentô ſanctiſſimè atteſtatus eſt, omninò exceſſiſſe ſe jamjam ex corpore; at verò Matris almæ patrociniô, redditô ſpiritu repoſitum ſe eſſe inter vivos. Excepi hanc ſcenam dulciſſimâ aviditate ex ipſo ore Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Domini Premislai Walevvski Blödzovienſium Abbatis digniſſimi, à Provincia Poloniæ jam ſemel iterúmque Ciſtercium deputati Commiſſarij, Magnæ Matris cultoris Eximij, qui inſuper id Matris Auxiliatricis beneficium literis manu propriâ conſignatum mihi gratiosè extradidit. Vivit etiamnum Virginis favore Matthæus, tam præſenti prodigiô clientes undique evocans ad Divæ pendenda ampliora vota & cultum.

Sileſijs quoque ſua ſunt Almæ Parentis Sacerrima Palladia. Atque in primis LUBENSES Divæ MATRI DOLOROSÆ in Statua, cultu artéque vetuſta, ſupplices vota fundunt. HENRICHOVIENSES in pago Wiſentdal Divam ſalutant Soſpitatricem. TREBNICENSES noſtræ Veſtales ante mauſolæum Divæ Hedvvigis aræ impoſitam advenerantur Reginæ Cœlitum *iconem*, corruſcantem prodigijs. GRISSOVIENSES intra clauſtralem Eccleſiam DEIparæ effigiem publico cultui expoſuêre, ſub tempora *Joannis Papæ* XXII noctu cælitùs aſportatam ex Italia ad hoc Cœnobium, ubi illicò Diva apud Sileſios Hoſpes in afflictorum ſolatia fulſit miraculis: eapropter ex ea gratiarum numeroſa indulgentia accrevit Monaſterio novi vocabuli decor, quod dictum tunc, & deinceps vulgò *Domus Gratiæ S. Mariæ.* Accumulavit Auguſtæ Diſpenſatricis favores laudatus *Joannes* Papa indulgentiarum peramplâ conceſſione. Sub Huſſitarum maleſana diſturbia, cùm Sacra omnia, cultúſque Divorum proculcarentur, *Gratioſæ* etiam *Dominæ Griſſovienſis* memoria eam temporum calamitatem ſenſit: alumnis Mariophilis Divæ imaginem, veluti locupletiſſimum univerſæ Domûs theſaurum ſub humum, clàm recondentibus, ubi ab hæreticorum ſævitia ſervata eſt uſque ad fata & tempora fauſtiora. Hæſit in eo ſubterraneo latibulo Thaumaturga uſque ad ſæculi, quod nunc claudimus, annum vige-

Uuuuuuuu ſimum

ſimum ſecundum, quô ab *Adamo Wolffgango* Loci Abbate rurſùs reperta, ſubvectáque fuit in aram ad cultus priſtinos: Subinde *Bernardô Roſa* Griſſovienſium nuper Abbate pientiſſimô, Parentis beneficæ honores provehente ampliùs, Thaumaturgâ in ara noviſſima magnis ſumptibus procurata, reverentiſſimè collocatâ, ubi illa inter Ciſtercij Divos, atque etiam aurea inter argenteáque anathemata, media conſiſtens, novis gratijs remunerat accurrentium alumnorum pietatem. Habent & alteram Griſſovienſes Divam in Thermis LANDECENSIBUS, ſeu *Hirſchbergenſibus*, quæ propè ſub hanc noſtram ætatem provocare cœpit clientum vota recenti beneficiô. Cùm namque aliquot abhinc annis in prænuncupatam Landecenſium Præpoſituram è tonante cælo fulmen delapſum eſſet, Venerabilis quidam *P. Joannes* Auguſtæ Dominæ perquàm devotus, ponè cujus cellulam fragor ille deciderat, velutì propinquô diſcrimine defunctus, illicò ad gratias Divæ Servatrici pendendas ad Eccleſiam feſtinavit: Ubi cùm ante Divæ altare, & iconem in vocem laudis ſolveret gratiſſima linguæ officia, atque inter vota totô pectore æſtuaret, vox ad eum delapſa eſt: *Quomodo tibi aliquid triſte fieri permittam, qui mihi grata exhibes obſequia?* Revelavit nuperrimè, ferè abhinc trienniô, hunc DEIparæ in ſe collatum favorem Mariophilus ille ipſe Joannes conſcientiæ ſuæ arbitro, exceſſurus è mortali vita, *eô* ſcilicèt *momentô, quô* (ùt pronunciavit Armandus *Cardinalis de Richelieu* in *ſuo teſtam:*) *nemo mentitur.*

Vocamur nunc ad Thaumaturgam WARTENSEM, Sileſiæ Gentis ſummam ſoſpitatricem & Advocatam, ſitam in Comitatûs Glacenſis, Sileſiorúmque confinio, prodigiorum magnitudine, cultúſque vetuſtate ac frequentiâ longè celeberrimam: de qua licèt fortè ambæ Gentes, Bohemi, atque Sileſij piô litigiô contendant, ad ſuam quique Patriam, Wartam pertrahentes; nos tamen in ijs gentium ſtudijs extra controverſiam ſumus; Nemo ſiquidem hodie aut ignorat, aut negat Divam Wartenſem ad Ciſtercienſes è *Camencio* alumnos pertinere, qui per Præpoſitum, alióſque Mariani cultûs egregios adminiſtros Divam in Warta, & Wartam in Diva teneant, nunquam haud dubiè tam celebre Orbis Auſtriaci Palladium è manibus

-nibus laribúſque ſuis dimiſſuri. Scripſit nuper Hiſtoriam Wartenſem piè & doctè, Bohemiæ Hiſtoriographus, *Bohuslaus Balbinus* è Societ: JESU: in qua DEIparam laudare non potuit ſinè Ciſtercio, per cujus utique obſequia, quædam veluti brachia illa promptior, beneficia hactenùs diſpenſavit, atque diſpenſatura eſt deinceps in pium vulgus, quorum quàmplurimam ſeriem Vir in Mariæ rebus eximius ibidem recitat. Nos è mille facinus unum, Ciſtercio glorioſum hìc producemus, quod Author citatus per aliquem è diſcipulis ſuis Virgilianô carmine eleganter eô locô canit & celebrat, traditione authenticâ, juratíſque teſtibus firmatum. Arſiſſe nimirùm aliquando oppidum Wartenſe, ſparsóque latè per domos incendiô, celeriùs etiam flammis correptam Divæ Baſilicam. Terruerat ea res horrore vehementiſſimô Ciſtercienſes noſtros, præcipuè quòd jam malum foret ſupra remedium, neque jam poſſent, ùt ùt vellent, aut ſalvare Virgini domum, aut ſibi in Statua Virginem. Illachrymati igitur ſuo & communi miſerando fato, quòd nunc ignibus extingvenda eſſet omnis avita in Divam Wartenſem pietas, ſi quô modô illis lachrymis auxiliatrix è Cælo Virgo ſuffocaret, præſtingueréтque incendia, per quæ haud dubiè & Virgo & Ciſtercium è Warta mox eſſent exceſſuri. Verùm quoniam negligi hæc vota à prævalido Vulcano animadverterent, unus è Præpoſiti Patribus, Camenecenſium alumnus, cæteris animoſior, arbitratus, quod res erat, non velle ſcilicèt nunc Divam ſola hæc vota, ſed expectare à Ciſtercienſibus ſuis in eo rerum fatali articulo aliquid amplius, Marianis amoribus præ ipſis flammis acriùs exæſtuans, contemptor vitæ, quam pro Ciſtercij & Camencij ſui dulciſſima Matre mille rogis exurendam devoverat, in media ſeſe incendia injecit ſalvaturus Thaumaturgam Statuam: quâ è Sacrario feliciter ereptâ, cùm reditum præcipitaret, ruptus calore fornix cadénſque feſtinantem obruit, atque extinxit. Comunibus interea lamentis per noctem integram deplorata eſt à Wartenſibus ſua jam miſeranda orbitas, quòd amantiſſimam & Matrem & Hoſpitem amiſiſſent. Cùm manè ſinguli mæſtùm complorantes accurrerent, etiam ipſos cineres deveneraturi, in quos redactum Divæ ſimulachrum ominabantur, en prodigium! comperiunt fauſtâ conclamati-

one Thaumaturgam ſuam inter buſta & favillas penitùs illæſam, brachiúmque Sacerdotis, quô Statuam præhenderat, à flammis intactum ac integrum, reliquô corpore plenè exuſtô, atque in modicum cinerum cumulum coactô. Adhuc digiti emortuæ manûs implexi Simulachro, premebant Divam, quaſi ſupremùm cuperent ſignare illos ſuos amores, qui erga Virginem in viventis pectore caſtiſſimè exarſiſſent, quod modò flammis exuſtum, amorum ſuorum tot haberet teſtes; quot calidos inter incendia cineres. Non habeo ſanè, (quod unà cum cit: Balbino & ego pronuncio:) quid pro magnitudine rei tantæ hôc locô ſcribam. Id unum aſſero, per illos ignes prodidiſſe ſe publicè Virginem, quantum amet Ciſtercium: rursúsque Ciſtercienſes noſtros Wartæ & Orbi pulcherrimum dediſſe ſpecimen, quantum ſcilicèt ipſi audeant pro Virgine. Cæteras Divæ Wartenſis notitias conſultò hìc mitto, quoniam miraculorum claritas, fervórque ac frequentia peregrinantium, loci inclytam celebritatem per Orbem quàm maximè commendant, ut *Wartæ* fauſtum vocabulum etiam aliæ gentes hactenùs nôſſe potuerint. Fleviſſe Divam aliquando, ſuíſque illis lamentis præſignaviſſe Bohemis ac Sileſijs imminentes calamitates, notant Hiſtorici: hodiéque monſtrari locum in monte vicino, ubi optima Parens utriuſque amantiſſimæ Gentis malis prævió luctu illachrymata ſit, lego in *Balbini Diva Wartenſi*, è qua fuſiùs Lector hac in materia docendus erit.

E Sileſia ad vicinam Bohemiam, Provinciáſque, quæ Vicariatui Bohemiæ incorporatæ ſunt, pennam, mentémque nunc advertamus. Luſtrandæ ibi Thaumaturgæ Parentis Statuæ, imaginéſque, cultu, atque prodigijs illuſtres: *Teinicenſis* Plaſſenſium, *Aula-Regienſis* in ipſo Cœnobio *Roſenthalenſis* Mariæ-Stellenſium, *Saroſſicenſis* Mariæ-Salenſium, *Cajovienſis* Coronenſiũ, *Ratſchicenſis* Oſſecenſium. TEINICENSIS Virginis cultus zelô Reverendiſſimi Domini D. Andreæ Abbatis Plaſſenſis, atque Provinciæ Bohemiæ Viſitatoris, ac Vicarij Generalis, nuper Annô 1699 18 Julij in Domino defuncti, hâc noſtrâ ætate renovatus, circumpoſitam quoque viciniam accendit in æmulationem pietatis Marianæ. Donatum Teinicium, imò

Virgo

Virgo ipſa Præpoſiturâ, junctíque Præpoſito ſtatim tres alij Sacerdotes, ut eâ quadrigâ auguſtior cultus, & cum cultu Marianæ gratiæ ampliùs, celeriúſque in Plaſſium, vicinóſque & Plaſſio & Virgini clientes inveherentur. AULA-REGIENSIS Diva, fundationi Cœnobij coæva, domum ſuam, quâ ſemel per clientes olim recepta hoſpitiô, deſeruit nunquam: etiam cùm Religioſi per cædes & funera ab Huſſitis è vita, & Aula-Regia pellerentur, Virgo ſemper inter loci rudera perſtitit, impletura ſuâ præſentiâ filiorum ruinas. Et credibile eſt, Iconis Thaumaturgæ beneficiô ſervatam Ciſtercio Aulam-Regiam, atque Aulam-Regiam ſibi, prodigiô tam antiquô, quàm novô, id eſt, perpetuô, quod hodierni præprimis æſtimant, cùm ſentiunt. Stat venerandum Divæ ſimulachrum in præſentem uſque ætatem publicos inter honores, ſuorúmque Aula Regienſium amores, in altari laterali, non minori majeſtate quàm olim in Regia Aula Wenceslai fundatoris, qui eam fidæ Matris, Patronæque effigiem, quoad vixit, veneratione præcipuâ proſecutus, ab obitu illam Regio ſuo Cœnobio in Protectricem dedit, quæ duplici nomine, titulóque, ſuô ſcilicèt, atque Wenceslai Aulam Regiam ſervaret. ROSENTHALENSIS Thaumaturga nuncupationem ſortita à loco, qui *Vallis-Roſarum* in Luſatia ſuperiori dicitur, circumjacentem patriam ex parte, Lutheri morbis laborantem, ab ulteriori contagio conſervat, per ſanctiorem è Ciſtercio pharmacopolam nuncupanda ſanè, *Conſerva Roſarum.* Spectat floridus ille locus, qui vel à ſola Virgine non deberet aliter compellari, ad vicinum noſtrum Parthenonem *Mariæ-Stellenſem*, ubi Stellæ Virgines plurimùm hactenùs ſunt ſibi gratulatæ, quòd tam propinquam, & penè domeſticam ſibi habeant Reginam Cœli, imò veriùs, Divinitatis incarnatæ Cœlum, in quo illæ mille votis optant eſſe *ſtellæ fixæ.* Reperta eſt hæc Roſenthalenſis Divæ ſtatua olim in Tilia, atque inde in templum, ubi nunc eſt, collocata: quam cùm Virgines præfati Parthenonis, majorem Auguſtæ Dominæ procuraturæ cultum, in Monaſterium aſportarent, redijt illicò ad Roſeam ſuam Vallem Alma Parens; non quòd fortè non cuperet eſſe Virgo inter Virgines, quas inter Diva, præprimis in Ciſtercio, feliciſſimô incolatu, ſanè haud invita optaret commorari; ſed

 quo-

quoniam antiquam ſuam in Tilia Roſenthalenſi ſedem nollet eſſe ſinè cultu, eô reditu clientes evocans ſub arboris fortunatæ ſacerrima umbracula. Quantô tempore porrò Divæ Statua inter illius tiliæ frondes conſederit, incertum eſt. Traditione tamen didici, à *Caroli Magni* temporibus, atque ideò à nongentis facilè annis, Luſatiam eô Marianô ſimulachrô fuiſſe felicem, quanquam per multam ætatem incognitô: & quidem cultam eſſe eam ipſam Beneficæ Parentis ſtatuam in exercitu Caroli Chriſtianiſsimi Cæſaris, ſub id tempus adversùs *Wittikindum* Saxoniæ Ducem, armáque belláque gerentis, à quopiam pientiſsimo milite, relictámque ab eodem in caſtrorum ſeu loco ſeu vicinia; poſteáquam Cæſar inde emigrâſſet, addit traditio: quæ ſi vera eſt, gratulor, Roſenthalenſem Thaumaturgam ſub prima naſcentis in Saxonia Chriſtianitatis auſpicia ad has plagas acceſsiſſe; eô ipsô namque bellô, cujus jam meminimus, Carolus Magnus Wittikindum Ducem, Saxoniæque Gentem ad Chriſtiana ſacra, ſanctus & armatus Saxonum Apoſtolus, primus adduxit: adeò ut Romanæ fidei hodiernas in Luſatia reliquias, poſtquam ſcilicèt potiſsima Provinciæ pars per Lutherum à Roma avulſa eſt, auſpicijs Divæ Roſenthalenſis uſque in præſens ſubſiſtere, pronunciare certè auſim, quæ nimirùm ſub Religionis Sanctæ ad Saxones illata prima lumina olim ingreſſa, non velit alios nunc habere Vallis, Domúſque ſuæ roſeæ indigenas ac poſſeſſores, quàm per quos, primos à Catholico Caroli Cæſaris milite honores obtinuerit. *Guillelmus Gumpenberger* Scriptor è S. J. in ſuo *Atlante Mariano* inter cætera Chriſtiani Orbis Divæ Simulachra Thaumaturgam etiam noſtram Roſenthalenſem commendat. Nuper in Suecico diſturbio cùm milites quidam è frigido ſeptentrione ſacram è Roſenthalio ſuppellectilem, unà cum DEIparæ ſtatua aveherent, aliquantulum viæ facilè emenſi, cùm ſubindè progredi ampliùs non prævalerent, moniti à Catholicis, Virginis Icone eos impediri, illicò vicino Parocho eam extradiderunt, ſeriò obteſtantes, ut illam redderet Valli ſuæ; timere ſe nempè majora ab offenſa Virgine: quam cùm nequirent placare per cultûs exhibitionem, Lutheri dogmate vetitam, nollent ſaltèm ampliùs novô irreverentiæ ſcelere eam irritare ad ſeveriorem vindictam. Sunt ad manum miracula complura, quæ in ſua nuper

per evulgata *Epitome hiſtoriæ Roſenthalenſis* typis conſignavit, *Jacobus Ticinus S. J* Sacerdos; verùm ijs miſsis tria duntaxat hic inſerenda judicavi, quæ tangunt hæreticos, atque utinam ad ſalutem! Primum refertur de quodam Miniſtro verbi; (ſic Paſtores ſuos ſacerdotalis dignitatis charactere minimè præfulgentes, vocant acatholici) qui è Lutheri inofficioſo genio invidens Divinæ puerperæ publicos honores, ut inſigniùs peccaret, è *Cathedra* in Virginem Roſenthalenſem per fæda verba detonuit. Non paſſa eſt Regina Cælitum calumniam abire abſque condigna vindicta: & quoniam in cathedra peſsimus orator deliquiſſet, feſtinatô DEI judiciô in cathedra pœnas luit; mox enim, ùt læſiſſet verbis puriſsimam Virginem, protinùs in terram corruens, & loqui & vivere deſijt. Alterum quendam è Lutheranis ob ſimile lingvæ petulantis facinus, lentiùs quidem, at non mitiùs Virgo torſit in agone, qui miſerandô lamentô atque ejulatu querebatur, ſe torqueri à muliere quæ coleretur in pago Roſenthalenſi: meritus ſcilicèt, atque inſuper expertus pœnas ab optima Matre in eo rerum articulo, quô illa cæteroquin auxiliatrix miſeros à pœnis eximit. Tertius nihil auſus in DEIparam, verùm duntaxat in DEIparæ res, ardentes in Roſenthalio cereos, fortè invidens Virgini illam lucem, temerariè extinxit, extinctóſque ſecum inde abſtulit. Secuta eſt è veſtigio ſacrilegum ſpoliata Virgo; in media namque via miſerandus raptor in rabiem actus, cateníſque implexus, pœnas luit, quoad vixit. Ità ſcilicèt ira Virginis ira gravis: ſi non tam Virgo ipſa, quàm DEUS pro Virginis reverentia ſummâ æquitate iraſcitur. Non capio ſanè temerarios hóſce auſus, quòd mortalium damnabilis præſumptio iniquiſſimô contemptu, ſeu aliô quôvis flagitiô peccet in eam Virginem, quam immenſa Numinis Majeſtas in Matrem elegerit, cujus uterô conciperetur, cujus ubere lactaretur, cujus nutu viveret. Quidni enim Evangeliſta fruſtrà fortaſſe pronunciaverit, JEſum fuiſſe *Mariæ ſubditum*, nisì DEI Filius cum reverentia ſuſcepiſſet Matris imperia? Deplorandæ ſemper magìs illæ hæreſes, quæ peccaverint in Matrem JESU, ægriùs ſanè reducendæ ad Filium, ſinè Matre. Eat Lector per Eccleſiæ ætates, & deprehendet, veram eſſe hanc theſim. *Luc. 2.*

SAROSSICENSIS Diva territorium Regij Parthenonis *Vetero-Brunenſis* apud Moravos nobilitat, pagô Saroſſitʒ / qui Eccleſiæ Almæ Matris vicinus eſt, eam nuncupationem exhibente Auguſtæ Auxiliatrici. Cæterùm popularis pietas aliô vocabulô Divam Saroſsicenſem compellat, & quidem idiomate patriô Starau Matku Boʒj / id eſt, *Antiquam Matrem DEI.* Cùm primùm de eo nomine mihi relatum eſt, legi antiquitatem cultûs in hac ipſa cultûs nomenclatura, quæ ſcilicèt primæ originis memorias, quantùm ad Divæ ſtatuam omninò excedat, quæ ſanè primordiorum ignorantia argumentum commune eſt venerandæ vetuſtatis. Quantùm ad Divæ Eccleſiam, lego in notitijs mihi Brunâ communicatis, ſub prima natæ in terris Chriſtianæ fidei tempora eam referri, utpote erectam trigeſimô annô poſt Salvatoris ſuper cœlos Aſcenſionem: quæ Eccleſiæ vetuſtas antiquitati Thaumaturgæ iconis etiam videtur patrocinari. Elegêre olim communi votô Principes Proceréſque Saroſsicium ſibi in ſepulturam, quòd cuperent, oſſa ſua & cineres ad Divæ plantas etiam poſt fata ſubſterni, in quibus nempè, cùm viverent, tantopere arſiſſet erga Virginem amor ac pietas. Eam tumuli felicitatem etiam Ottomannico cuidam è Turcia militari Duci, (Baſſas vulgò vocamus) inter prodigia obtigiſſe comperio inter loci memorabilia. Is ante annos facilè ducentos cum parte Mahometani exercitûs in Moraviam delatus, geniô paganæ gentis cum ſocijs Ducibus ac militibus multâ clade Chriſtianam patriã devaſtaverat, Eccleſijs omnibus circùm Saroſsicium flamã exuſtis. Soli Divæ Saroſsicenſis ſacræ ædi ob antiquitatis reverentiam pepercerat Barbarus: in quam delapſi tres è ducibus ſeu Baſsis præcipui, curioſè luſtrârunt Chriſtiana Sacra. E quibus unus, ille ipſe nimirùm, de quo nobis hic ſermo eſt, conſpectâ Divæ ſtatuâ, fædam intra animum concepit egeſsítque blaſphemiam adversùs puriſsimam Matrem. Res mira! Illicò viſa uberrimè illachrymari læſa Virgo, blaſphemô interim cæcitate percuſsô: qui pœnam ſentiens, ſimúlque intelligens Divæ planctum, cæteris magnitudine rei attonitis liberè confeſſus eſt ſcelus, ſuper quo jam offenſa Virgo plangeret, adjecítque, expuncturum ſe libenter admiſſum flagitium mutatione Religionis Turcicæ in Chriſtianam, & blaſphemiæ

locô,

locô culturum ſe Divam titulô veræ DEI Matris, modò viſum illa reſtitueret, oculóſque aperiret, quibus deinceps devotiùs adſpiceret Virgineum Simulachrum. Hæc inter Ducis vota, placata Divina Puerpera novo è Mahometanis clienti viſum reddidit, & ille Patronæ laudes ac gratias, expiatus illicò ſacrô fonte, profeſsúſq;, quam voverat Chriſti fidem: qui non multò pòſt Chriſtianô fatô conſumatus, oculos rursùm clauſit, Virginis primùm offensâ, ſubinde beneficiô nuper & multatos, ac denuò felices, tumulatus Saroſſicij in DEIparæ ſacra æde. In nupero bello Turcico Mahometanorum nonnulli, è defuncti progenie deſcendentes curiosè à noſtris inquiſierunt, utrum adhuc extet illa ipſa Eccleſia Saroſſicenſis, & plangentis Virginis ſimulachrum? Utinam & hi Divæ munere oculos tandem aperiant, fidei ſanctæ lumine deſuper irradiandos! Illud præterea de tumulis obſervatum hôc locô, in religionis orthodoxæ per hæreticos convulſione, qui firmi in Catholicis ſacris perſtiterant, aſpiraviſſe unicè, ut in fidei ſervatæ poſthumum teſtimonium ad Divam Saroſſicenſem conſepelirentur. Porrò cùm contagioſa lues eam patriam affligeret, domeſtici Saroſſicenſes, atque etiam è reliqua vicinia clientes ad Virginis ſoſpitatricis opem conceptis votis reſpexêre, felici eventu, in communi ea calamitate, Divæ patrociniô ſalvi, atque incolumes. Propinat Thaumaturga Parens non longè à ſacra æde ſaluberrimum fontem, atque in fonte gratias, quas clientes hauriunt magnô numerô, præſertim qui febribus ſeu algent, ſeu æſtuant. Præterea fontis imò Virginis beneficiô, claudorum greſſus reſolidati in non paucis: quatuor cæcis reſtituta videndi facultas: muto cuidam per annos quatuordecim, linguæ officium redditum, cujus poſterioris ſubinde confeſſionem articulatiſſimè pronuntiatam, mox poſt obtentum cælitùs favorem excepit, loci Adminiſtrator, R. P. Wenceslaus Alauda, ordinem Ciſt: Sedlecij Profeſſus, qui ad me hoc ipſum fidô calamô pertulit. Frequentant hodie Majorum ſuorum veſtigia clientes poſteri, magníſque affectibus Staro Matky / *antiquæ Matris* ſuæ ſubſidium implorant. Pœnitentes hôc labente Annô numerati ſunt *octies & vigeſies mille*, Sacerdotes ſacrificantes *ſeptingenti*. Et ſanè Virgineum ſimulachrum illâ ipsâ ſuâ amabilitate, quam ab artifice obtinuit, vota clientum

plurimùm invitat, & auget numerum. Eſt præterea in Thaumaturga ſtatua, quia lignea, quod mirantur omnes, à tot nimirùm annorum centurijs nullum omninò in ea notari corroſionis vitium ſeu indicium: quod ſanè argumentum eſt præſentis ſemper Virginis, quæ ſe & ſibi, & ſuis conſervet, nunquam defutura aut ſibi in ſimulachro, aut clientibus in Simulachri perenni cultu, qui, quemadmodum ſuperiùs notaveram, utì fuit neſcius principij, ità opto, ut deinceps ſit neſcius finis! CAJOVIA, illuſtris DEIparæ Domus in Bohemia, ſita ad Crumlovium, Sedem Principum de Eggenberg, longè vetuſtior, quàm *Cœnobium S. Coronæ*, cui per donationem *Primislai Ottocari* Bohemiæ Regis Annô 1263. acceſſit. Non potuiſſe hactenùs pertingere noſtros ad cultûs Divæ Cajovienſis primordia, liquet è monumentis, quæ mihi communicavêre Coronenſes: Quæ ſanè res antiquitatis nota eſt; hodierna namque vix ſinè vituperio quiſpiam ignorat: at verò quæ ſeſe in elapſas ætates extendunt, neque ſiſtunt in aliqua differentia temporis, verùm ampliùs ampliúsque Scrutatores protrahunt in emenſa ſæcula, venerandam omninò, ùt vulgò loquimur, ſapiunt antiquitatem. Illud in perantiquis ſchedis, quæ in aris Eccleſiæ majoris repertæ ſunt, notatum intelligo, jam *Annô* 1190. Thaumaturgam Cajovienſem magnô populorum confluxu fuiſſe celebrem, ità quidem, ut antiquæ Eccleſiolæ anguſtijs claudi non potuerit peregrinorum frequentia: unde etiam ſub id tempus nova, eáque major Eccleſia exſtructa fuit. Quare omninò extra controverſiam eſt, Divam Cajovienſem inter vetuſtiores Bohemiæ Thaumaturgas jure optimô poſſe deberéque accenſeri. Annô 1400. *Bonifacius Papa IX.* Cajoviam, jam nuper per Ottocarum Regem Coronenſibus donatam, rursùs auctoritate Pontificia ijſdem incorporavit, cum pleno jure adminiſtrandi ſpiritualia: quô quidem modicô tempore uſi fuêre noſtri, exturbati non multò pòſt per furentes Huſſitas, exutíque bonis, ac interempti ſuſpendiô. Injuriâ itaque temporum frigere cœpit ſinè Ciſtercio Cajovia, & Virgo notoriè deſtitui clientibus, quos tamen olim habuit per numeroſa agmina ad ſe confluentes. Tandem poſteaquam per hæreſes, atque ex hæreſibus enata bella, calamitatéſque tumultuatum eſſet ſatìs, poſtliminiò Diva Cajovienſis ad ſuos Coro-

nenſes

nenſes redijt, Annô currentis ſæculi quinquageſimô ſextô. Reſtitutus illicò cum Ciſtercio avitus Cajoviæ ſplendor, excitante pro tunc cultum penè extinctum modernô Reverendiſſimô Dominô S. Coronæ Abbate digniſſimô, *Matthiâ Alexiô Ungar*, ante inſulam primô recuperatæ Cajoviæ Adminiſtratore. Fervent nunc omnia Cajoviæ, & clientes in muneribus, & Diva in beneficijs; ſed una Virgo munera omnia, atque clientum anathemata ſuis favoribus feliciùs vincit. Pœnitentium per annos ſingulos numerus ingens: proximô trienniô coactus eſt eorundem calculus ad 65652. Sacrificia quotannis ad millenarium accedunt. In *Aureis* præcipuè *Sabbathis*, quorum in Octobri annuè quatuor celebrantur, peregrinantium pietas fervet ampliùs; neque enim per vices ſingulas pauciores confluunt, quàm quinquies mille, è quibus vix eſt, qui ſinè ſolatio, ſinè remedio, quæ Virgo benefica in clientes liberaliſſimè diſpenſat, exinde recedat. Hærebunt fortaſſe nonnulli in peregrina hac nuncupatione, unde nimirùm *Sabbathis* iſtis *aureus ille titulus* accreverit? Fontem aurei iſtius nominis dolent ſe per injurias temporum amiſiſſe Coronenſes, adeóque genuinam venam, unde nimirùm illud vocabulum profluxerit, pro indubitato exhibere vix poterunt; Quorundam tamen conjecturâ doceor, è duplici capite *Sabbatha* illa nuncupari *aurea*: primò quidem ob indulgentiarum ſacerrimos theſauros: ac ſubinde è favorum magnificentia, quos Auguſta Diſpenſatrix præprimis in memoratis gratioſis ſabbathis in fidos ſupplicéſque clientes profundit. Quidquid ſit, res de aureis Sabbathis tam rara eſt, quàm magna, atque ex utroque titulo Ciſtercienſibus noſtris perquàm glorioſa. Cæterùm omnis illa circumpoſita vicinia Divam Cajovienſem veluti pro centro habet, in quo univerſorum vota atque amores confluunt ac coincidunt: *Budvicium* in primis atque *Crumlovium*, Civitates, hæc Ducalis, illa Regia. De poſteriori referunt *Annales Collegij Crumlovienſis S. J.* per integrum hoc ſæculum, nè ſemel quidem fruſtratam ſpe ſuâ, quoties ſupplex ad Virginem confugiſſet. Budvicenſes veluti in fatis habent, docti experientiâ, cauti periculô, omni eô annô, quô Divam Cajovienſem per annuam ſupplicationem non ſalutaviſſent, incendiô multatam eſſe urbem. Eidem quô Budvicenſes ſeu fatô,

ſeu votô Thaumaturgæ Cajovienſi obſtrictæ ſunt, Venerabiles Virgines *Clariſſæ* è Parthenone Crumlovienſi, quæ niſi per ſingula anni ſabbatha ſaltèm per unum è familia ſeu famulitio Cajoviæ fiant ſupplices, illicò per obortum incendium à Virgine ſeu multantur, ſeu monentur. Tu infelices exiſtimas? at ego felices pronuntio, quòd per Virginem, modò velint, haud poſſint unquam eſſe infelices. Prodigia Divæ, quæ numeroſa ſunt, conſultò hic ſileo: unum duntaxat recito, & fortè maximum, relatum à R. P. *Georgio Caſtulo S. J.* in Libro, quem *Tempe Boëmica* inſcripſit, de Sacerdote quodam, qui Thaumaturgam Cajovienſem ſalutaturus, cùm medius eſſet Crumlovium inter & Cajoviam, à latronibus oppreſſus, capitéque minutus nec vitam finijt, nec vota; Moveri namque mox cœpit præciſum Viri caput, volvíque Cajoviam uſque, ubi perſolutâ peccatorum exomologeſi, properantem ad æternitatem animam feliciùs ante aram Divæ, quam inter ſacrilegos homicidas exhalavit. Illud præterea diuturnâ praxi per Confeſſarios obſervatum eſt, maximos quoſque, atque inveteratos peccatores, qui jam maturi inferno, fronte ad flagitia obduratâ, ad ſeram uſque ſenectam, ſcelerum ſuorum confeſſionem diſtulerant, cùm ad Divam Cajovienſem veniſſent, mutatos repentè in viros alios, inter profundos gemitus, calentéſque lachrymas, beneficiô præſentis Virginis, integerrimâ tandem confeſſione ingenti cum animi pænitudine, atque ſolatio ſeſe expiaviſſe. Quorum numerus cùm non ſit modicus, verùm ad millia hactenùs excreverit, inde hæ prodigioſæ converſiones inter præcipua Divæ Cajovienſis ornamenta recenſentur. Invitus omitto alia, nè nimius ſim, atque ad RATSHICENSEM noſtram *Doloroſam Matrem*, Oſſecij gloriam tranſeo. Stat *Ratſchicium* medium inter *Pontum*, Civitatem Regiam, & Oſſecum noſtrum, dimidij miliaris intercapedine ab utroque loco diſsitum. Prima origo Thaumaturgæ Statuæ (in qua amabilitatem præcipuam expreſsit artifex) incognita eſt, quemadmodum ſolent pleraque alia antiquiora: Traditione tamen compertum hactenùs, nequaquam eſſe novitiam devotionem Ratſchicenſem, verùm jam antiquitùs, ad hæc uſque tempora viguiſſe, Divæque cultores, non modò è vicinia, ſed etiam longiùs diſtantes, atque in ſpecie, è Pilſnenſi Patria huc accurriſſe



A. Gahn osseci del: Bal. v. westerhaut Scul:

riſſe ad ſolvenda vota. Vicina è Miſnia hæreſis publicum conſtantémque DEIparæ cultum vehementer preſſit, at non omninò ſuppreſſit: Servati ſemper Virgini clientes, præcipuè domeſtici *Ratſchicenſes*, viciníque *Likevicenſes*, ac *Bruchenſes*, qui factô DEIparæ ſacramentô, per Patronam ſervati ab hæreſi, atque indè in hodiernum diem pulcherrimô encomiô vulgò nuncupati, Marien-Bauern / ſive *Ruſtici Mariophili*. Neque ceſſatum eſt aliquando per Virginem à prodigijs, quod aſſerunt homines grandævi, qui ante annos facilè 80. grallas, ſeu claudicantium fulcra, acceptorum beneficiorum publica ſignacula, ad Divæ Statuam ſuſpenſa conſpexerint. Ità quidem Virgo ipſa per miracula optare viſa eſt ſibi velle reſtitui integros honores, & frequentiam clientum exigere, quibus poſſet ſe ſoſpitatricem Matrem exhibere. Poſteaquam igitur Reverendiſſimus Dominus Benedictus, annis abhinc novem ad clavum Oſſecenſis Aſceterij digniſſimè eſſet aſſumptus, primæ illius curæ, dignæ Ciſtercienſi Præſule fuêre, cultus DEIparæ Ratſchicenſis. Quare cùm ab extra petenda forent Marianæ pietatis adminicula atque augmenta, impetrata eſt à Celſiſſimo Principe *Joanne Friderico*, Comite Waldſteinio, Pragenſium Archi Præſule, & Illuſtriſſimo Litomericenſium Antiſtite *Jaroslao* Comite Sternbergio, pro tota vicinia gratioſa facultas, publicas è civitatibus, oppidis, pagíſque educendi ſupplicationes ad Thaumaturgam noſtram Doloroſam. Extructa eſt ſubinde nova è fundamentis Eccleſia, quam cingit ambitus, Sacellis juxta numerum dolorum Divæ Matris diſtinctus, ùt præſens ſchema exhibet. Feſtum titulare Doloroſæ Parentis eſt Dominica III. poſt Paſcha, quâ die confluxus populi ingens Divam ſalutat. Dominicâ alterâ mox ſubſequente, peregrinorum frequentia propè tam numeroſa, ac nuper. Neque deinceps per anni decurſum clientes à votis & cultu quieſcunt: neque Virgo à beneficijs, præſertim in Divæ feſtivitatibus. Provehendis ampliùs his Mariani cultûs incrementis, quatuor RR. PP. è gremio Oſſecenſi expoſiti, indefeſsô zelô inſiſtunt. Pœnitentium numerus aliquot millium acceſſione per annos ſingulos evadit amplior. Trienniô ſuperiore collecta ſeries *ultra quinquageſies mille* exhibet, qui epulô Euchariſticô hìc refecti ſunt. Cœpit præterea no-

vis igniculis effervere Mariana pietas beneficiô *Sodalitatis Doloroſæ Parentis*, quæ Annô 1697. hôc locô erecta cum participio omnium indulgentiarum *Archi-Fraternitatis* Doloroſæ Matris apud *RR. PP. Servitas*, qui hanc Sanctiſſimi Sodalitij extenſionem perquam gratulabundi admiſerunt, eâ clientum aggregatione honorem Divæ inſigniter accumulantes. A tribus annis, & quod excurrit, relati ſunt in *Album* Auguſtæ Parentis, Dolorum ſocij 4542: creſcítque ferè indies numerus petentium Scapularia. Coluntur etiam ingenti pietate Divæ dolores per Sacrificia, præcipuè *de Doloroſa*, quæ nonnunquam tantô numerô expetunt peregrini Mariophili, ut per multas aliquando hebdomadas evocandi ſint plures è vicino Oſſeco Sacerdotes, qui deſideratas Miſſas feſtinatô erga peregrinos obſequiô unà cum quatuor Expoſitis perſolvant. Eſt autem peculiariter hìc obſervandum, jam pium morem apud optimum vulgus invaluiſſe, ut paſſim plerique in eventu cujuſcunque neceſſitatis, potiſſimùm quæ partûs diſcrimina aut metuunt, aut ſentiunt, per votivam Miſſam Thaumaturgæ Virgini Ratſchicenſi ſeſe devoveant, experti feliciter præſentem Auxiliatricem, emiſsô mox votô, etiam ante voti executionem. Quæ optimæ Matris feſtinatio novum beneficium eſt, urgétque clientes, ut ſimul & illi citò dent, & bis dent Divæ, quod promiſerint. Mariani favores, quos Thaumaturga Domina largiſſimè profundit in clientes, induſtriè notantur à noſtris, cum teſtimonijs fidis atque authenticis, qui fortè aliquando typis excuſi ſpectabunt publicum. Auxit loci reverentiam *Innocentius XII.* Pontifex maximus per conceſſas nuper indulgentias. Et ſanè auxit è cœlo glorioſa Parens ſibi ipſi honores per data clientibus beneficia, per quæ indies ampliùs accenditur ſupplicum pietas. Cæterùm argumentum eſſe præcipuæ felicitatis, id ego quidem exiſtimo, quòd geminô Doloroſæ Matris ſimulachrô, ceu geminô Sole, hæc vicinia clareat, *Grupnenſi* ſcilicet, & *Ratſchicenſi.* Utrobique miraculorum fulgor gratioſè emicat; Grupnenſis quidem Diva, continuatâ provectáque per ſæcula veneratione jam plenum velutì meridiem obtinuit: Ratſchicenſis velutì cultum per tempora alternans, jam rursùs novum auſpicata diem, poſt fauſtam auroram nunc altiùs aſcendit, illuſtratura deinceps inſigniter

Oſſe-

Oſſecij horizontem. Interea Oſſecenſium felicitas eò eſt commendabilior, quòd medij, velutì inter *Grupnam*, & *Ratſchicium*, ad utriuſque Divæ ſubſidia reſpiciant, ſentiántque utrinque imploratam opem. Intelligo porrò, Grupnenſem Divam deſtinatam olim fuiſſe Oſſecenſium noſtrorum adminiſtrationi, qualem modò habent Societatis PP.; at neſcio quô fatô, piæ illæ intentiones abſque effectu hæſerint: ſanè id factum exiſtimo injuriâ temporum, per quam Oſſecenſes hactenùs non ſemel tantùm fuêre infelices. At reſtauravit id diſpendium Virgo ipſa, dum pro Grupna Ratſchicium exhibuit, imò in Ratſchicio Grupnam, ſunt enim, qui Ratſchicium, novam, ſive *alteram Grupnam* appellant. Commendant Grupnenſes ipſi Oſſecenſium noſtrorum inſignem fiduciam, quâ hactenùs ſemper ad illud Divæ ſuæ ſimulachrum, velutì ad aſylum confugerint, inter primos olim, qui per ſupplicationes publicas ad colendam Doloroſam Parentem eò deſcenderint. Quæ pietas haud diminuta eſt per Ratſchicium; ſiquidem quemadmodum nuper,ità & nunc bis per annum proceſſionaliter, utì ſolemniter cum vulgo loquimur, Grupnenſis Diva ab Oſſecenſibus conſtanter ſalutatur. Eant ſanè & deinceps clientes fidi, novóque calore impleant Majorum ſuorum veſtigia, atque illa cordium incendia, quibus Grupnæ erga Divæ dolores exarſerint, reportent Ratſchicium, novis ignibus inibi erga eoſdem Virginis dolores, amoréſque exæſtuatura.

EGo verò ad Te, me, meáque hæc vota
O Diva RATSCHICENSIS!
Sine, ut educam Gladium tuum de corde tuo:
Non enim in Te, *Glorioſa* Parens
Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà! *Apocal: 21.*
Satìs doluiſti, quoad vixiſti.
Doleant nunc, qui Tui ſunt
Clientes, alumni, filij.
Mitte igitur Gladium tuum in vaginam. *Joan: 18.*
Vagina gladij tui, Oſſecum tuum,
Quod in Te amando
Eſt cor unum, & anima una. *Actor: 4.*
Doleat hæc vagina, hæc anima,

Atque ideò *doleat*, quia *amat.*
Parcè admodum amavit, qui ad Virginem oravit,
in planct. B. V. *Pœnas mecum divide!*
3. Reg. 3. Non eſt vox amoris, vox illa muliebris: *dividatur*;
Doloroſa Parens!
Non divide pœnas, non divide dolores,
Jam non tam tuos, quàm noſtros!
Redde *totos!*
Id amoris noſtri erga Te indicium, quòd *totos* nos petimus,
Id dilectionis tuæ erga nos argumentum, ſi *totos* Tu dederis.
Dolores Tui
In Te *modò coronantur, & accipiunt palmam.*
Quídni pignus *coronæ*, ſpes *palmæ*
Sint nobis *dolores* MARIÆ?
Non ampliùs *pateris*, quia non ampliùs *moreris*,
Immortalis ac Impaſſibilis Virgo!
Igitur dolores, quos tuliſti pro DEI Filio,
Tuis nunc redde filijs,
Non imminutos, ſed integros,
Dividendos per filiorum pectora,
Ut ſinguli diviſim ferant,
Quod Tu ſola.
O ſſecum *circulus* eſt,
Fac *punctum indiviſibile* in hoc circulo
Doloroſa Virgo!
Punge doloris tui gladiô amantium corda,
Ut amari à Te, ſe ſentiant:
Quoniam non *diligis*, ſi non *pungis:*
Amoris probatio, eſt doloris exhibitio.
Et quàm tu felix Oſſecum!
En! intra territorij tui intima viſcera
Hæret Divæ gladius!
Quô *Armata Virgo* tutelæ tuæ invigilat.
Venit illa *pacem* tibi *mittere* per *gladium*,
Sub cujus præſidio hoſtilis non tanget te gladius;
Quoniam ſicut *non duplici virgâ DEUS*,
Ità nec *duplici gladiô Diva*
Dolores noſtros patitur exaſperari.

Jam

Jam plenô pectore fers Gladium Virginis,
Alium haud metue.
Igitur doloroſa Parens!
In
Raht-Schieß
Menſuram *nominis* hujus imple!
Ipsô Sedis tuæ vocabulô admonita,
Ut clientibus tuis ſis,
Conſiliô ac *Præſidiô*:
Boni *conſilij* internuncia, boni *auxilij* bajula,
Pérque omnem Offecij circulum
Concludas in Gladio tuo populum tuum. *Pſal: 77.*
Repeto vota, repeto vocabula:
Fortiſſima Auxiliatrix,
Rath/und Schieß!
Sícque tui *conſilij* atque *defenſionis* adminiculô
ſinè fine fortunatum erit
Tuum, noſtrúmque
Ratſchiz!

Claruiſſe præterea olim prodigijs Divæ Statuam Thaumaturgam apud Ciſtercienſes noſtros ſub *Viridi-Monte*, ſeu in Monaſterio *B. M. V. de Nepomuco*, lego in *Balbin: Boh: Sanct: Part.* 1. §. 59. *c.* 1. An è Cœnobij buſtis evaſerit illud Virginis ſimulachrum, expreſſum apud Balbinum locô citatô non invenio. *Crugerius* tamen in *Cin: Sac:* ad 22. *diem Januarij*, *Grünbergana* cujuſdam Statuæ meminit, quæ è Bohemia per *Mariam Maximiliani II. Cæſaris* Auguſtam *Conjugem* in Auſtriam perlata, hodie Viennæ apud *Clariſſas* Virgines inter prodigia colitur. Grünbergianam eſſe, id eſt, noſtram è Cœnobio *Grünbergiano*, ſeu de *Viridi-Monte*, ſvadet ſimilitudo vocabuli, atque etiam quòd à *Ladislao de Sternberg* donata perhibeatur prænuncupatæ Imperatrici; Illuſtriſſima namque Familia Sternbergica Ciſtercio ſucceſſit in Viridis-Montis bona, ac ditiones. Dulce eſt, vel hæc meminiſſe; quanquam interim nîl certi pronunciem, contentus per quoſdam conjecturæ radios exhibuiſſe veſtigia, quibus celeberrima *Grünbergiana* Thaumaturga (cujus auſpicijs *Divus Joannes Nepomucenus* è ſterili

conjugio orbi natus eſt) per Ciſtercij poſteros, tanquam primos Virginei ſimulachri cultores, rursùs ac velutì poſtliminiò ſalutari valeat. Aliquantò fortè longiorem moram fecimus in recenſendis Almæ Parentis Thaumaturgis imaginibus. At ſanè felices morulæ, quæ DEIparæ honoribus inſumptæ ſunt. Et quidem eô animô, finéque hæc fuſiùs adduximus, ut Lector videat, quantùm ſibi noſtri in Eccleſia accumulaverint merita, quandoquidem Magnæ Matris cultum, atque cum cultu Sacramentorum in populo frequentiam per tot jam ſæcula tam egregiè promoverint hactenùs, promovebúntque deinceps.

Matris reverentiæ devoti, quídni etiam latreuticis Diviniſſimi FILII honoribus ſtudeant è Ciſtercio alumni? Dabo nonnulla feliciſſimæ hujuſce pietatis indicia, ea præprimis, quæ de *Paſſionis Dominicæ inſtrumentis* in noſtrorum Eccleſijs ſuperſtant, aliáque quæ ad Salvatoris cultum reduci poterunt. Atque inprimis Sanctiſſimi illius ligni, in quo univerſa Orbis redempti ſalus abſoluta eſt, complura pretioſa fragmenta apud noſtros religioſiſſimè, atque etiam inter miracula adſervantur. In Cœnobio *Montis-Regalis* apud Gallos habetur inſignis *Sanctæ Crucis pars*, quam è Palæſtina eò deferri juſſerat *Ludovicus* IX. Sanctus Franciæ Rex. Tertiâ Maij, quâ die inventæ Crucis ſolemnia agit Eccleſia, populi frequentia ingens per millia Salutare lignum ſummâ religione ſalutat, occurrentibus etiam ad Feſti glorioſum participium Canonicis *Eccleſiæ SS. MM. Coſmæ & Damiani è Luzarchijs*, unà cum Sacris memoratorum Divorum Exuvijs, quas Sanctiſſimæ Cruci ſolemniſſimâ proceſſione obviàm adferunt. In ijſdem Gallijs in Cœnobio *Buſſerienſi* non *modica pars ejuſdem ſacratiſſimi ligni*, in utraque, inventæ ſcilicet & exaltatæ Crucis celebritate à confluente vicino populo habet venerationem. In *Clara-Valle* religione eximiâ adſervatur *inſigne fruſtum Crucis Chriſti*, è Hieroſolymis, præcedente miraculô, quod expendemus Titulô ſubſequente, eò tranſmiſſum: reconditum ſubinde à *Guillelmo*, Duodecimo Claravallenſium Abbate in tabula argentea, aurô gemmíſque diſtincta, appendente marcas argenti 31. auri marcas duas, fulgentéque ſapphiris 31, balagibus 16, lapidibúſ-

búſque alijs. Sacrum Lignum velutì diademate circumambiunt Reliquiæ trecentæ & quadraginta. Apud *Hibernos* in *Sanctæ Crucis* Cœnobio *Dominici ligni pars inſignis* totam illam gentem olim ad vota & cultum collegit, per catervas continuò adeuntibus eum locum Crucis Sanctæ hibernis cultoribus. In Monaſterio *Northberwicenſi* apud *Scotos* pariter olim, cùm Romana Sacra adhuc ſtarent in avito vigore, *fragmentum Crucis Dominicæ* ingenti veneratione adoratum eſt ab amicis Crucis Chriſti clientibus. Cœnobium *Trium-Fontium* extra Romam ſequentes Reliquiæ nobilitant: *Pars Sanctæ Crucis*, *pars Sindonis*, *fragmentum de lapide monumenti*, atque etiam nonnullæ *partes de pannis*, *quibus parvulum Salvatorem Virgo Parens involvit*, item *fragmentum* de *Salvatoris præſepio.* Intrà ipſam *Urbem* in Cœnobio *S. Crucis in Hieruſalem*, celeberrimæ pariter adſervantur Reliquiæ: *Partes tres de pretioſiſſimo Ligno Crucis*, *Titulus Salvatoris appenſus Cruci*, in quo adhuc perſpicui viſuntur characteres latini, græcíque, hebræis aliquantùm vitiatis: de Corona Dominica *ſpinæ undecim*, integer *clavus*, quô Cruci affixus Redemptor, *funis*, quô idem Salvator inter tormenta ligatus, *Terra Montis-Calvariæ*, ex ipſo loco, ubi Crux olim ſteterat, irrigua Sanguine Chriſti defluente: *Sacer digitus D. Thomæ Apoſtoli*, quem miſit in fixuram clavorum. In SS. *Crucium* Cœnobio apud *Hiſpanos*, inter crebra prodigia colitur è *Dominicæ Crucis ligno* formata *Crux minor.* *Pariſienſe* Monaſterium apud *Alſatas* illuſtrat veſtigium *Sanguinis Chriſti*, & *pars ſacerrimi Ligni.* *Heiſterbachum* apud *Germanos* pariter ditant *duo fruſta Crucis Dominicæ.* Apud *Auſtriacos* S. *Crucis* Cœnobio eam nuncupationem dedit *victorioſiſſimi ligni* portio inſignis, aurô gemmíſque incluſa. *Alto-Vadum*, Roſenſium Domum, in noſtra hac provincia ornat *Sacro-Sanctæ Crucis lignum*, in aurea Cruce gemmis pretioſiſſimis undique effulgente reconditum, donum illuſtris *Zaviſi de Falkenſtein*, clarum hodiedum per prodigia, quæ vinô deſuper fusô, ſumptóque ab ægrotis, præſertim partu laborantibus, operatur Omnipotentis dextera. Crucis pes, ingentis omninò pretij, injuriâ temporum perditus, neſcio, ubi ubi nunc hæreat: in cujus locum alium ſubſtituêre Alto-vadenſes, tanti Theſauri digniſſimi cuſtodes, aureum æquè, qui tamen ad prioris valorem non aſcendat. Ipſæ ſacer-

cerrimi ligni partes piô artificiô per tranſverſum coaptatæ, Crucis ſignaculum exhibent, longum quartâ parte ulnæ, latum craſsô pollice. In Crucis ſolemnijs numeroſi cultores triumphali illi vexillo reverentiſſimè ſupplices adgeniculantur. *Mariæ-Stellenſis* Partheno apud Luſatas inſignia pariter fragmenta habet de *ſalutari Ligno*, coordinata in Crucis geminæ figuram, quarum una refert, ùt vulgò vocamus, hiſpanicam, altera ſimplicem. Spectavi labente hôc annô Venerabilis Dominæ Abbatiſſæ gratiosâ indulgentiâ in ipſo Parthenonis Sacrario Reliquias omnes, celebres ſanè, & quæ loci reverentiam commendent, augeántque quarum infrà *hôc Tit:* nonnullas dabimus. Hìc adhuc è Mariæ-Stella memorandum *linteum*, Salvatoris *pretioſô Cruore* purpuratum.

In Monaſterio S*pinæ* apud *Hiſpanos*, quæ Domus ſurrexit præprimis per induſtriam *B Nivardi*, qui fuit Melliflui Bernardi frater natu minimus, habetur integra S*pina è Domini Corona*, unde & Cœnobio nomen, prodigijs quotidianis (uti refert *Carolus de Viſch* in ſua *Biblioth: ſcript: Ciſt: pag:* 300.) celeberrima. Apud eoſdem *Hiſpanos* Arandæ in *Abbatia* S. *Bernardi* ſimiliter *una de Spinis* Salvatoris fulget miraculorum frequentia. Romæ in Baſilica & Monaſterio S. S*ebaſtiani ad Catacumbas* exhibetur item cum reverentia S*pina* de Corona Dominica. Regium præterea Cœnobium S. *Coronæ* apud *Bohemos* de cruento Criſti ſerto, *ſpinâ unâ* decoratur. Et Brunenſes Virgines cuſpidem de Chriſti corona ſpinea exhibent, donô oblatam ab Eliſabetha Regina fundatrice. Monaſterium *Haylenſe* apud *Anglos*, ante quadringentos & ampliùs annos ingenti theſaurô nobilitavit inclytus Princeps Edmundus, Richardi Cornubiæ Comitis, Electi Romanorum Imperatoris filius, *vaſculô nimirùm aureô, continente Chriſti* S*anguinem*, quod ille divinum donum ex Germania ſecum aſportaverat in terras patrias. In Parthenone *Clari-Fontis* apud *Luxenburgicos* Veſtales noſtræ ſervant S*anguinem Chriſti miraculoſum.* Apud *Gallos* in Cœnobio de *Caduino* jam propè per ſex ſæcula conſtanti religione colitur S*anctiſſimum* S*alvatoris* S*udarium*, cui ille cruentam vultûs ſui impreſſit effigiem: clariſſimum præſentibus etiam prodigijs, celebre annuô officiô Eccleſiaſticô, feriâ Dominicam ſecundam

poſt

poſt Paſcha mox ſubſequente: Papalibus, Regiíſque favoribus inclytum, ubi etiamnum viget noſtrorum præſidiô ac ductu ſub *ſancti Sudarij* nuncupatione inſignis *Fraternitas.* Apud *Flandros*, artis beneficiô haud diſſimilis Thaumaturga *imago Patientis Chriſti*, qualem videlicèt in D*ivæ Veronicæ Sudario* depinxerat olim Salvator, in D*unenſi Cœnobio* publicos cultus, populíque vota hodiedum habet. Obiter etiam hìc adnoto, in *Portu-Regio*, Virginum noſtrarum apud *Gallos* Cœnobio ſervari *unam è ſex hydrijs*, in quibus celeberrima illa aquæ in vinum metamorphoſis in nuptijs Canæ Galilææ divinô interveniente prodigiô facta ſit: quod ideò huc adduco, quoniam Orbis Salvator miraculorum ſuorum primitias in eo etiam vaſculo voluerit auſpicari. In Poloniæ Majoris Ciſtercienſium Virginum Parthenone *Ovenecenſi* duabus horis diſtante Poſnaniâ, *Prodigioſus Crucifixus* proceſſionum publicô adfluxu, atque anathematum argenteorum quàm plurimâ religione colitur. Artis, in Thaumaturga ſtatua ex induſtria neglectæ antiquitas, cruórque per omne Simulachrum ad animi tormentum penicillô expreſſus, ſacrô horrore ſpectatores concutiunt. Celebravi ad illud ipſum altare, in quo ſuſpenſus pendet Thaumaturgus Salvator, Annô labente, 28. Maij, cùm in comitatu eſſem Reverendiſſimi Domini mei Abbatis, Viſitatoris, ac Vicarij Generalis, pro tunc Commiſſarij in cauſa Monaſterij Premetenſis. Apud eoſdem *Polonos* in *Claræ-Tumbæ* Cœnobio Diæceſis Cracovienſis, alia pariter *Crucifixi* imago prodigijs ingentibus Orbe Sarmaticô notiſſima, votis publicis colitur. Accurrit ſeu gratias petitura, ſeu redditura vicina gens, proceſſionum vetuſtô ritu diſtincta velutì in militares cohortes: atque ipſa Regia urbs Cracovia, Crucifixi Salvatoris dolores, amoréſque adveneratura, tota velutì eò feſtinat, confluítque. Regale Cœnobium B. MARIÆ de *Kenunzo* apud *Hiſpanos* illuſtrat ſimiliter *prodigioſa Chriſti de Cruce pendentis imago.* Cæterùm neque illud hôc locô ſilendum, quod mihi ex Sileſia communicatum eſt de *puſilla ſtatua JEſuli* apud Virgines noſtras *Trebnicenſes*: Puſillam dixi, quoniam non excedentem menſuram digiti. Is parvulus ædibus *Divam Hedwigem* Sileſiorum Sanctiſſimam Principem olim arcana cœleſtia edocuit, præſertim Divinæ Incarnationis tempus. Et ſiquidem dulciſſimus

Salvator præter ſuam Hedvvigem, ab alijs ſciri nollet earundem revelationum ſecreta, puſillos digitos elevans, eos ori ſuo ſuperimpoſuit, eô ſignô ſilentium imperans alumnæ. Unde uſque in præſens amantiſsimus Puſio digitos illô ipsô ſitu elevatos tenet, quo olim ſanctam clientem ſilere juſsit. Habuit Hedvvigis dilectum illum Puſionem per omnem deinceps vitam theſauri locô, tradidítque alumnis poſteris eâ lege, ut pulcherrimum ædipum & ipſæ pariter colerent. Prodigij inſtar eſt, ſtatuam tam puſillam, &, quod mireris, ceream, id eſt, fragilem, ad has uſque ætates illæſam perſeveraviſſe. *Chriſti Euchariſtici* prodigia gemina etiam hìc memoranda. Extat in *Herkenrodenſi* Ciſtercienſium Virginum, in Patria *Leodienſi*, Cœnobio *Hoſtia miraculoſa*, ſub qua Salvator velutì poſt ſiparium abſconditus, theatrum multiplex aperit ſpectatoribus; pro eorundem namque diverſitate & ipſe formas induit diverſas, aut blandus ſcilicèt aut minax, aut naſcens parvulus, aut è Cruce patiens, prout intuentium merita aut demerita id expoſcunt: Peregrinis undique ad tantum, & tam perenne prodigium convolantibus, quorum quiſque alia atque alia in divina Hoſtia velutì in ſpeculo intuetur, quod cujuſvis conſcientiam aut commendet, aut arguat. Prodigium alterum in *Petra*, Hiſpaniæ Cœnobio, ubi ſummâ religione aſſervantur *Species Euchariſticæ* mutatæ olim in carnes, quas Aragonum populi anniverſariâ ſolemnitate venerantur. Hæc Salvatoris naſcentis, patientis, morientis, reſurgentis, atque etiam in Euchariſticis myſterijs latentis immortales, ſacerrimáſque memorias ſervant ſibi ſuis, fideliúmque ſolatijs Ciſtercienſes noſtri, tam pretioſis felices theſauris.

Poſt *Salvatorem & Divam Parentem* tranſeundum ad SANCTOS eſt, quorum non paucæ glorioſæ exuviæ inter noſtros conquieſcunt, eâ ipsâ quietis ſocietate, futura olim in cœlis conſortia beatiſſimè auſpicantes. Prima hac in re veſtigia ſignavit *Bernardus* Parens, qui Innocentiô Papâ poſt ſedatum ſchiſma, in Apoſtolica Sede, collocatô, cùm à gratiſſimo Pontifice, Collegióque Purpuratorum juberetur petere, reportaréque navatæ feliciter operæ merita prœmia, in ea optionis am-

amplitudine ſolas elegit ſacras exuvias, quas ſanctiſſimus Portitor ſuæ Galliæ, ſuæque Clariſſimæ Valli cum plauſu intulit. Moriturus ſubinde ſupremis imperijs filios obſtrinxit, ut unà cum reliquijs glorioſi Apoſtoli *Judæ Thaddæi*, tumbæ tumulóque ſuo inferreretur, utrobique poſteris ipsô opere commendans Divorum in ſacratiſſimis lipſanis ſuis cultum ac reverentiam. Ibo per diverſa Cœnobia & gentes, luſtraturus Beatorum Cœlitum ſacerrimos cineres & oſſa. Atque in primis apud *Gallos* in *Ciſtercienſi Archi-Cœnobio* aſſervantur: *Brachium* S. *Joannis Baptiſtæ*, *Caput* S. *Petronillæ* Virginis, opinione vulgi, filiæ Divi Petri Apoſtoli: *Caput* S. *Eraſmi M. Capita* SS. Virginum *Fidei*, *Spei*, *&* *Charitatis*, atque etiam *Caput* S. *Felicitatis*, Matris ejuſdem Virgineæ Triados: *Brachia* SS. *Guillelmi* Bituricenſis, & *Petri* Tarantaſienſis, celeberrimorum Archi-Præſulum. In *Clara-Valle corpora* SS. *MM. Eutropij*, *Zozimæ*, *&* *Bonosæ*: Item *Caput* S. *Barnabæ* Apoſtoli. In *Monte-Regali*, *Caput* S. *Jacobi Minoris* glorioſi Apoſtoli, & Salvatoris Conſanguinei: *Brachium* S. *Agnetis* V. & M: *Manus* S. *Sulpitij* Bituricenſis Archi-Epiſcopi: *Caput* S. *Thomæ* Archi-Præſulis *Cantuarienſis*, inclyti Anglorum Martyris: *Brachium* S. *Stephani* Papæ & Martyris: *octo Corpora* SS. *MM. Thebeorum*, donô data à Conrado Colonienſium Archi-Epiſcopo. In *Caroli-Loco eorundem* SS. *MM.* è cohorte D. Mauritij *Corpora duo*, quæ cum inſigni reverentia nudis pedibus eò attulit S. Galliarum Rex Ludovicus. In *Urſi-Campo Caput* S. *Sebaſtiani M.* Item ibidem *Caput divæ Annæ*, DEIparæ Sanctiſsimæ Genitricis. In *Valle Dominæ noſtræ Caput* S. *Felicis* Confeſſoris. In Cœnobio *Mariæ Regalis Brachium S. Projecti* Epiſcopi Claromontani. In *Monte Fulcardi* inſignis pars *Capitis* S. *Agathæ V. & M.* In *Loco-DEI Caput S. Apolloniæ V. & M.* In *Brolio Benedicti Scapula* S. *Eutropij* Epiſcopi Xantonenſis, cum populi ad cultum Divi, obtinendáque beneficia accurrentis frequentia. In Cœnobio *D. Jacobi de Vitriaco Reliquiæ* S. *Clotarij* cum ſimili clientum accurſu. In Parthenone nuncupato *B. M. de Theſauro*, *Caput Divæ Clotildis* Reginæ. In *Jojaco de Bria*, *capita* SS. *MM. Marci & Marcelliani.* In Monaſterio *de Gaudio caput* S. *Marthæ Virginis*, Salvatoris digniſſimæ hoſpitæ. In *Vallen-Curia* pars *capitis* S. *Joannis Baptiſtæ.* In Parthenone dicto *de Paraclito*, *Brachium* S. *Matthæi Apoſtoli* &

Bbbbbbbbb 2 Evan-

Evangeliſtæ. In *Longo-Ponte* pars *capitis S. Dionyſij Epiſcopi* & M. Galliarum Apoſtoli. In Monaſterio *de Moris Caput S. Belinæ Virginis*, paſſæ ob caſtimoniæ amorem: & tandem in Pariſienſi S. Bernardi *Collegio Caput Divi Joannis Chryſoſtomi*, *Doctoris aurei*, quod ſapientiæ cœleſtis domicilium in Doctorum meditullio ſapientiſſimè collocavêre melliflui alumni.

Hiſpani Orbis Ciſtercienſium Cœnobia ſequentes illuſtrant Divorum Reliquiæ. Parthenonem *Divæ Catharinæ Corpus S. Chriſtinæ* V. & M. Cœnobium *S. Prudentii*, *Corpus S. Prudentii* Epiſcopi Turiaſonenſis: ubi id incidenter obſervo, conſtructum eſſe hoc Cœnobium eo ipſo in loco, in quo olim Hiſpaniarum inclytus Thaumaturgus, D*ivus Jacobus Apoſtolus* tempore Ramiri Regis viſus eſt pro Chriſtianis cohortibus adversùs Mauros micantia vibrare arma, hoſtéſque propulſare. Monaſterium *Saltûs-Novalis* nobilitat inter non paucas SS. Martyrum exuvias *Caput* D*ivini Jerothæi*, quondam Epiſcopi Segovienſium Sanctiſſimi: Abbatiam *S. Petri* de *Gumiele*, *Caput S. Georgij* Martyris, *pars Scapulæ S. Petri* Apoſtolorum Principis, *Capilli* D*ivæ Magdalenæ*, glorioſiſſimæ pœnitentis, *pars Capitis S. Benedicti*, *Abbatis* & *coſta*, *ſangvíſque coagulatus* S. *Liberti M. Populetanam Domum* apud Catalonienſes ditant, præter ſacerrima Divorum minora oſſa & fruſta, integra Beatorum corpora, inter quæ *S. Columbinæ* V. & M. Sociæque alterius clauſa argentô, anniverſaria habent ſolemnia, quâ die, atque etiam aliàs, quoties ſeu pluvias populus optat, ſeu ſerenitatem, ſeu aliud quodvis beneficium, inter vota, inſigni cultorum pietate atque fiduciâ circumferuntur. Eſt & ibi ominoſum ſepulchrum D*ivi Petri Margineti*, illuſtris pœnitentis, laudati à nobis ſuprà *Tit*: 6. qui fidelis monitor toties fragore, ictibúſque mæſtiſſimè in tumba inſonat, quoties calamitas aliqua, ſeu Cœnobio, ſeu vicinæ patriæ fortè imminet. Præterea in Populeto inſignem venerationem habet *Caroli Guienæ Principis* corpus integrum, cujus præciſum dextrum brachium donô ſanitatis, quô in vivis claruit, etiam poſt fata perenniter fulget, unde clientum pietas benefici Principis tumulum obſequijs votíſque hodiedum frequentat. Contumulata ſunt etiam hìc oſſa inclytæ Virginis *Leonoræ*, Petri Urgelitanæ Comitis filiæ, vitæ rigo-

re

re, apud Hiſpanos commendatiſſimæ, quæ moriens Angelorum manibus in cœlum ſublevari viſa eſt. Porrò memoranda pariter in Populeto *corpora duorum Monachorum*, aliáque *duorum Converſorum* poſt annorum aliquot ab obitu centurias reperta *incorrupta*. Monaſterium de *Lavache* apud eoſdem Catalonenſes illuſtrant geminæ inſignes reliquiæ: *Cingulum Divæ Virginis*, *quod* (ùt ait *Manriquems* ad *annum* 1224. *c.* 8.) *Chriſtum in ipſius latentem utero*, *aut ſaltèm uterum*, *in quo Chriſtus latuit*, *circumdedit*: & *craticula ferrea* glorioſiſſimi Martyris *Laurentij*. De Cingulo quidem illud eſt celebre, ejuſdem attactu jam crebra patrata eſſe miracula, præſertim cum parturientibus, quæ conclamatis jam rebus cùm ſinè ſpe remedij in mortis confinio luctarentur, quamprimùm ſacerrimâ illâ zonâ tactæ fuiſſent, feliciſſimè proles enixæ, mox è præſentiſſimo diſcrimine reſpirârint. Tentatum aliquoties ad Principum preces, ut Virgineum illud amuletum per plures Orbis Chriſtiani provincias diſtraheretur, daturum etiam extra Cataloniam beneficia. Admoti gladij, atque forcipes, quibus in pretioſa fragmenta divideretur; at effectum omninò nihil: relicta tantummodò tentatæ ſciſſionis ſignacula, majoris deinceps reverentiæ argumenta: atque, quod ampliùs, ipſi ferro à molli zona impreſſa veſtigia, quaſi peccaviſſet tentando diviſionem. *Laurentij* Athletæ craticula econtra haud difficulter per noſtros diviſa eſt, cujus una pars ſervata in *Lavathe*, altera donô oblata Philippo II. Hiſpaniarum Regi pro magnificentiſſimo illo Divi Laurentij Monaſterio, appellato vulgò *del Eſcurial*, ut nempe etiam Regiæ illius Domûs admirabilis ſplendor traxiſſe aliquid videretur è Ciſterio. Apud eoſdē Hiſpanos in *SS Crucium* Cænobio inter alias ſacras exuvias præterea reverentiſſimè aſſervatur *Lingva S. Mariæ Magdalenæ*, miraculis illuſtris, recens planè ac vivida, quaſi hodie primùm ex ore Divæ pœnitentis extracta fuiſſet.

Apud *Italos*, celebres ſunt Reliquiæ in Cœnobio ad *Aquas Salvias* extra Urbem, ubi in cryptis ſubterraneis hodiedum requieſcunt Corpora SS. Martyrum *Zenonis* Tribuni, *Sociorumque Militum*, numerô 10203, qui omnes eo in loco Diocletiani & Maximiani juſſu ac tyrannide pro Chriſti fide contrucidati, auxêre Cœlitum felicem ac laureatam Societatem. Eximiâ

Ccccccccc

miâ etiam religione in hac domo coluntur Capita inclytorum Chriſti Martyrum *Vincentij* & *Anaſtaſij*. Celebris item habetur *imago Divi Anaſtaſij* mox laudati glorioſi Martyris è Perſide olim ad hoc Cœnobium unà cum Sancti Capite aſportata; *cujus aſpectu* (quemadmodum ex inſcriptione prodigioſæ iſtius iconis argenteis conſignata literis liquet) *fugari dæmones, morbóſque curari*, *Acta* Secundi *Concilii Niceni teſtantur*. Per tot jam ſæcula nullô vitiô affecti Imaginis colores adhuc vivunt, non ſecùs ac nunc primùm è pictoris penicillo profluxiſſent. Adſervatur præterea inibi *Caput* S. *Felicis Papæ* & Martyris: *fragmentúmque columnæ*, ad quam Doctor Gentium, Paulus, alligatus, *ſecuri percuſſus eſt*. Baſilicam Ciſtercienſium noſtrorum intrà *Urbem* ſub nuncupatione *S. Sebaſtiani ad Catacumbas* ſequentes ditant venerandæ reliquiæ: *Brachium* S. *Sebaſtiani* Martyris: *Columna*, ad quam idem Sanctus revinctus fuit, dum ſagittaretur: *Ferrum unius ſagittæ* in eum emiſſæ: *Caput* & *brachium* S. *Fabiani* Papæ & M. *Capita* SS. *Calixti* & *Stephani Pontificum*: *Capita* SS. *Nerei*, *Achillei*, *Achoriſti*, *Valentinæ*, & *Lucinæ* Martyrum. *Digitus*, *dens*, *coſtæ* pars, & alia quædam *S. Petri Apoſtoli*: *Dens* S. *Pauli Apoſtoli*: *Brachii* S. *Andreæ fruſtum*. Commendant quoque celeberrimæ iſtius Baſilicæ religionem, quòd olim, præter innumerabilum Sacerdotum, Martyrúmque ſancta corpora, inibi ambo Apoſtolici Collegij Principes, *Petrus* & *Paulus*, aliquantô poſt paſſionem ſuam tempore in tumulis conquieverint, miraculis glorioſi. Apud *Mediolanenſes* in Cœnobio S. *Ambroſij Majoris pretioſæ exuviæ* inclyti Eccleſiæ Doctoris *Divi Ambroſii*, inter ſacra *Corpora* glorioſorum Chriſti Martyrum; *Gervaſij* & *Prothaſii*, conquieſcunt mediæ: Fatô ſanè dulciſsimô *Mellei Doctoris* (ità *Ambroſium* paſsim nuncupari audio) reliquias devolvente ad *Melliflui Doctoris* alumnos. Extat etiam in Cœnobij laudati hortis Divi Remigij ædicula, quò populus annuè confluit, ad recolenda *Magni Aurelii Auguſtini* prima converſionis admirabilis veſtigia. Eô ipſo namque in loco ſupter ficum aliquando proſtratus, Codicémque Sacrum manu inter gemitus tenens, ſenſit Divini Spiritûs intra animi ſui medullas potentiùs illabentis ſuaviſsimum impetum, audiítque cœlitùs vocem: *Tolle, lege, tolle, lege!* Quod in reverentiam Magni Doctoris, Patroníque ſilere hôc locô vix potui, nominis Auguſtinia-

ſtiniani felix participiô. In *Cœnobio* S. *Salvatoris de Septimo* propè Florentiam adſervantur *Corpora* SS. *M.M. Abdon*, & *Sennen.* Item *Corpus* Divi *Quintini* Martyris, Romani Civis, ordiníſque Senatorij, cultu, prodigiíſque per omnem Hetruriam admodum venerabile. In altero S. *Salvatoris Cœnobio*, vulgò de *Monte Amiato* apud Senenſes colitur *caput* S. *Marci Papæ* thecâ argenteâ reconditum. In Monaſterio S. *Sylveſtri de Nonantula* apud Mutinenſes in ſumma Eccleſiæ ara religioſiſsimè adſervatur *Corpus S. Anſelmi*, Ducis Foro-Julienſis, primi olim loci Abbatis.

In Ducatu *Luxenburgenſi* Virgines noſtræ de *Claro Fonte* pretioſas colunt reliquias: è quibus Manriqueus *ad annum* 1216. *c.* 10. recenſet, *Capillos Divæ Virginis*, *Lapidem S. Stephani* Protho-Martyris rubentem ſanguine, & *Cingulum B. Margaritæ*, illuſtris Virginis & Martyris, medendi beneficiô, præcipuè in illis, quæ partu laborant, perquam celebre. In Agro *Limburgenſi* non longè ab *Aquis-Grano Porzetenſis* Virginum noſtrarum Partheno veneratur perantiquam glorioſi Pontificis *Divi Nicolai imaginem*, eôdem quô DEIparæ, & S. Margaretæ cingula medendi donô clarentem, quam olim ſecum è Græcia advexit Cœnobij Fundator *B. Gregorius*, Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris filius.

Apud *Germanos* celebrrimis memorijs recolendæ ſunt illæ reliquiæ, quas *Martinus* Abbas de Pariſio, inter *Viros Apoſtolicos* à nobis jam ſupra *Tit: II.* laudatus, ſecum ex Oriente poſt expugnatam à noſtris Conſtantinopolim Anno 1205 aſportavit in Germaniam, communi Patriæ plauſu exceptus, honoratúſque paſſim elogiô, *quòd ijs ſacris exuvijs univerſam Germaniam locupletârit.* Recitat Manriqueus ad *annum* 1205. *cap.* 6. *n.* 8 numeroſum earundem catalogum, qui tamen omnes & ſingulas nequaquam contineat: è quibus ſunt: non modica portio è *corpore S. Joannis Præcurſoris Domini*, *Brachium S. Jacobi Apoſtoli*, *Pes S. Coſmæ Martyris*, *de lacte Virgineæ Parentis &c.* Commendat præcipuè *cit: Angelus num:* 11. Tabulam quandam donô oblatam à Pariſienſibus Monachis Philippo Cæſari, Sveviæ Duci, cujus ingens pretium dabo per verba *Guntheri* hiſtorici, quæ *Angelus* eô locô pro ſe adducit: Fuiſſe nimirùm illam

ipſam *Tabulam inæſtimabilis ferè pretij, aurô & gemmis operoſiſſimè exornatam, & plurima Sanctarum Reliquiarum genera, longè aurô & gemmis pretioſiora, continentem. Quam Tabulam Græcorum Imperator in Solennibus Feſtis, velut quoddam certum pignus Imperij geſtare conſveverat, de collo ſuo catenâ aureâ dependentem. Cui tabulæ, præter aurum & alias gemmas quàm plurimas, jaſpis unus miræ magnitudinis infixus eſt, Paſſionem Domini ſibi inſculptam, & B. Virginis, & Joannis Evangeliſtæ imagines hinc inde aſſiſtentes exhibens. Eſt autem Sapphirus ibi admirandæ quantitatis cui Divina Majeſtas, quæ nullâ prorsùs imagine propriè repræſentari valet, artificiosè tamen, quantum fieri potuit, inſculpta eſt.* Hæc de illa Tabula, Conſtantinopolitani olim Imperatoris inſigni, ac quodam veluti charactere *Guntherus* apud *Angelum.* Obſervo hic pro Germaniæ reverentia, viguiſſe in illa olim præprimis Sanctarum Reliquiarum religionem, ingentibúſque ſtudijs arſiſſe Tevtones, quantò numeroſiores Divorum exuvias, atque unà cum exuvijs Sanctorum patrocinia terris patrijs inveherent: neque unam duntaxat *Coloniam* è reliquiarum numero, cultúque meruiſſe nuncupari *Sanctam*; verùm Germaniæ univerſæ veluti fatum fuiſſe, creſcere, ſervaríque per ſacra Cœlitum lipſana. In Cœnobio *Heiſterbacenſi dens molaris* adſervatur *Dominici Præcurſoris Joannis*: ac præterea corpus integrum, aliúdque dimidium *Martyrum Thebæorum. Divæ Agnetis* inclytæ Virginis & Martyris *genua* habentur in *Hemmenrode. Capita SS. MM. Joannis & Pauli* argento incluſa, itémque *cor* & *viſcera Divi Engelberti* Colonienſium Archi-Præſulis, Martyríſque, *Veterem-Montem* illuſtrant. Regia Domus Vetero-Brunenſis, aliàs *Sala Mariæ*, Eliſabethæ Bohemorum quondam Reginæ illuſtre monumentum aliquid ſingulare præ reliquis habet atque eximium, altare nempe majus, cujus meditullium nullæ ſtatuæ occupant, nullæque imagines, ſed meræ Sacræ Reliquiæ, loculis ſuis, Virginum more, veluti cellulis diſtinctæ: Apiarium fortè diceres, ubi Cœlites Patroni per ſacras ſuas exuvias non ſecùs in receptaculis illis conquieſcunt, quàm in cellulis ſuis Melliflui Parentis apiculæ Virgines. Mirum eſt, Fundatricis pientiſſimæ rarum hoc opus, quod frequens alibi non videris, per aliquot jam ſæcula ad hanc uſque noſtram ætatem ſinè injuria, medios etiam inter Divorum, patriæque hoſtes, feliciter perſtitiſ-

ſtitiſſe. Sed quidni optimi Cœlites non nobis duntaxat, ſed & ſibi ipſis Patroni ſint, ſéque non minùs, quàm nos defendant? *Sedlecenſis* etiam Cœnobij apud *Bohemos* ſplendor hodie quàm plurimus eſt à Sacris Reliquijs, quarum numerô ac poſſeſſione felices ſunt illius Domûs alumni dolentes ſanè minùs opum temporalium diſpendia, quæ paſſi fuêre quàm plurima, dummodò cœleſtes illas alteras ſecuri teneant. Servatus eſt theſaurus hic incomparabilis, in expilatione Cœnobij, (quæ accidit anno 1618.) per quendam è fidis ſubditis, qui ſpoliatorem militem prævertens, venerandas exuvias è Sacrario ereptas Malinium detulit, ibíque domi ſuæ in palearum cumulo occuluit. Per micantia ſubinde lumina in loco, quô reliquiæ deliteſcebant, pérque fulgentiſſimam lucem circum totam domum circumfuſam territus, monitúſque eſt fidelis retentor, ut poſt 17. hebdomadarum latibulum Divos educeret è paleis, redderétque priſtinis in Sedlecio honoribus. Celebrant hodiedum per annua ſolemnia Sedlecenſes *Feſtum Omnium Sanctorum, quorum reliquiæ ibidem habentur*, quod alibi per Vicariatum, quod ſciam nullibi. *Oſſecum* ex Matre Waldſaſſio Sedlecij ſoror, Sacerrimô *Divi Joannis Baptiſtæ Indice*, quô Agnum DEI indigitaverat, illuſtratur. Id clariſsimum munus Primislai Ottocari donatione Regiâ Oſſecenſes noſtri obtinuêre, qui Anno 1260. Belâ, Stephanóque Hungariæ Regibus præliô triumphatis, cùm victori militi ſpoliorum genus omne largiſsimè indulſiſſet, nè omninò ſui ipſius, qui ſcilicèt partæ victoriæ pars prima fuiſſet, in ea rerum affluentia obliviſceretur, juſsit ſibi è Theſauris Regijs, quos Bela & Stephanus reliquerant, reſervari hunc ipſum Divi Præcurſoris Dominici venerandum Indicem; aurô tunc circumdatum, quem in Bohemiam ſuam redux ipſe perſonaliter Oſſecum inviſens, in victoriæ, benevolentiæque Regiæ perenne monumentum Bernardi filijs donavit. Ità communiter hiſtoria, traditióque: cujus utriuſque concurſu hæc veritas ſtabilitur. Et notant anatomiæ periti, eſſe verum Indicem: cujus ſubinde extimum, ſeu ſuperiorem articulum *Carolus IV. Cæſar* à noſtris impetravit, qui etiamnum deeſt. Sacrilegô furtô per latrunculos ſemel iterúmque ſubductus pretioſus iſthic theſaurus, divinâ benignitate ſemper Oſſecum reporta-

tus eſt. Auream tamen thecam, quâ fuerat olim reconditus, abſtulit iniquitas temporum: quod diſpendium eô quô potuit meliori modô reparavit Celſiſſimus Princeps pientiſſimæ memoriæ *Joannes Lohelius*, Pragenſiũ Archi-Præſul, argenteô brachiô circumdans ſacrum pignus ante años facilè 80. ſcutô ſuô nominéq; ad brachij pedẽ adfixis. Quæ ſanè res Sanctiſſimo Præcurſori argumento eſt reverentiæ amplioris, quòd nempe per virum ſanctitatis opinione florentiſſimum ſacerrimi ſui Indicis cultus magìs ſtabilitus ſit. Circumfertur qotannis proceſſione publicâ in Decollationis Joannææ ſolemnijs illuſtre id pignus clauſum brachiô Lohelianô, atque aliàs etiam in præcipuis feſtivitatibus ſuper majorem Eccleſiæ aram exponitur devotiſsimè populi venerationi. Lego præterea in *Balbino*, ac *Crugerio*, Oſſecenſium Sacrarium olim nobilitaviſſe venerandum *Caput Divi Ignatij Martyris*, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopi, ac Salvatoris Conſanguinei, quod Eliſabethæ Reginæ, Caroli IV. Imperatoris Matri, Ciſtercienſium præcipuè fautrici, donô dedêre Oſſecenſes. Illa ſubinde delectata ſtudijs Caroli, reliquias ſanctas undique religioſiſsimè conquirentis, pretioſum id pignus filio extradidit: per quem aurô argentóque ornatum ad reliquum Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ ſacrarium perlatum eſt. Inde rursùs Oſſecum veluti fatô quôdam repoſitum, novô deinceps donô ad *Wratislaum de Pernſtein*, ejúſque lectiſsimam Conjugem *Mariam Manrique* pertranſijt. Donec tandem prælaudatæ Manriqueanæ piâ liberalitate Domus Profeſſa Romana Annô 1599. eô theſaurô potita eſt. Supra qua donatione publicas Archi-Epiſcopi Pragenſis literas recitat Bollandus. Per tot ſcilicet locorum viciſsitudines Oſſecenſium auſpicijs ac liberalitate aucti ſunt Magni Præſulis clientes, Eliſabetha Regina, Carolus Cæſar, Pragenſis Eccleſia Metropolitana, Familia Pernſteiniana, ac Manriqueana, tandémque ipſa JESU Societas, quæ novi *Ignatij* acceſsione Fundatori ſuo *Ignatio*, novum, ſanctiſsimúmque conciliaverit Socium. Superſunt & alia Oſſecij *ſacra Oſſa*, quantitatis variæ, numerô haud parvô, quæ inter Calvariæ aliquot, quarum adhuc tres perſeverant integræ, è reliquis fragmenta reſtant. Luſtravi, dum actu has lineas ſcriberem, in Confratrum præſentia venerandas exuvias, inveſtigans diligen-

ligenter ſchediaſmata, ſi quæ adhuc reperiri poſſent: quorum tria, cùm thecæ, faſciæque ſericæ evolverentur, inventa ſunt, ſingula cum inſcriptione: *Martyrum Thebeorum*: unum quidem etiamnum pendulum ex integra ſacra Calvaria. Traditio eſt, ſeu in Eccleſiæ conflagratione, ſeu inter militaris irruptionis diſturbia, cùm hæc ipſa veneranda oſſa, tumultuariâ pietate ex aris, ubi cultui publico habebantur expoſita, properanter colligerentur, eâ feſtinatione avulſos eſſe characteres, ſubindéque amiſſos. Involucra ſerica produnt antiquitatem, quæ ex induſtria pro adſtruenda majori ſacrarum exuviarum fide, ac religione adſervantur. E memoratis tribus ſchediaſmatis patet aliquale conjecturæ veſtigium, totam fortè reliquiarum illarum collectionem, veriſimiliter ſpectare ad Divi *Mauritij* purpuratam cohortem. M*ariæ-Stellenſis* pariter Partheno claret Sanctorum exuvijs, è quibus mihi hæ ſpecificatæ fuêre: *Cranium S. Joannis Baptiſtæ*, aliquid de *ſanguine* ejuſdem, item dem de Sancti *veſte: Cranium S. Jacobi Apoſtoli*: *Coſta S. Matthæi Apoſtoli*: D*igitus S. Andreæ Apoſtoli*, odorem, non ſecùs ac balſamum conſtanter exhalans: è ſingulis præterea Apoſtolis ſacerrima aliqua portio, demptô ſolô Divô Joanne Evangeliſtâ.

Theatrum hoc immenſæ planè eſt amplitudinis, & in quo novis ſemper ſcenis Divorum memoriæ, exuviæque exhiberi valeant. Suppleant alij brevitatẽ hanc meam, addántque, quæ ego ex eo potiſſimùm hìc omiſi, quoniam fuſior è Cænobijs notitia ad me non pervenerit. Feſtino nunc ad glorioſas Divæ *Urſulæ* ſocias, quarum non pauca corpora nobilitant Ciſtercienſium Eccleſias. Atque in primis de Cænobio *Veteris-Montis* propè Coloniam tradit Manriqueus ad annum 1189. *cap* 6. ex *Cæſario*: olim inibi conquieviſſe ad *mille Corpora* de memorata Societate, prodigiô commendante Martyrum venerationem. Cùm namque aliquando non modicus eorundem Sanctorum Corporum numerus ad domum illam adveheretur, venerandæque exuviæ in clauſtri Capitulo ſuper ſedes reverenter pro interim collocarentur, fædiſsimi Cacadæmonis fraude evenit, ut è Capitulo odoris peſtiferi graviſsima mephitis emergens, aërem naréſque moleſtiſsimè corruperit. Subodoratus loci Abbas Goſuinus peſsimum Sathanæ dolum, quô

ſcilicèt venerandas reliquias Monachis cultoribus ob tam ingratum odorem redderet ſuſpectas, ſacris indutus veſtibus, ad oſtium Domûs Capitularis, Eccleſiæ exorciſmos ac fulmina in latentia monſtra contorſit, juſsítque divini nominis virtute fædiſsimum hoſpitem è ſacris ſedibus illicò excedere. Ad hæc Abbatis Eccleſiaſtica imperia, ſubitò media inter oſſa grande, ſordidúmque os equinum ſeſe ad omnium ſpectaculum exerens, velutì urgeretur ab impellente vi, quaſi momentô extra Capitulum excuſſum eſt, ſparsô mox undique odore ſuaviſsimô. Ita vindicati Martyrum Sanctorum honores, calentiora deinceps vota habuêre à clientibus. Spectantur in Sacris Virginum capitibus etiamnum ſagittarum complura fragmenta, quibus Barbari, Martyres confecerunt. Porrò per alia etiam Cœnobia *earundem Sanctarum* exuviæ, ſummâ religione ſparſæ adſervantur, nimirùm, in Archi-Cœnobio Ciſtercienſi *Corpora* Sanctarum VV. *Palladiæ* & *Sauinæ*, in Monte-Regali *S. Bergæ*, aliarúmque duarum, in Argenſolio *S. Odæ*. In Maloduno *S. Olivæ*, in Cœnobio de Aquis *S. Margarethæ*, in Cœnobio de Gaudio *S. Claræ*, in Fonte-Gomeri *S. Romulæ*, in Monte-Penti, & Cœnobio de Paraclito *SS. Cordubæ*, *Marcianæ*, *Flaviæ*, *Honoratæ*, & *Baſiliæ*, in Parthenone nuncupato Franche-Abbatie, *S. Sponſæ*, in Valle-S. Mariæ *SS. Lidæ* & *Gertrudis*, in Cœnobio S. Antonij, *SS. Chriſtinæ* & *Bleſinæ*, in Morimundo *duo* earundem *SS. VV. corpora*, in Aurea-Valle *duodecim* de ijſdem SS. Martyribus *Calvariæ*, in Abbatia S. Petri de Gumiele *quinque Capita* & *corpus integrum* de eadem Societate in Heiſterbach *gemina* item *Corpora* de ijſdem glorioſis Martyribus. Atque ſi domeſtica luſtrare velimus, Venerabiles Virgines hujus noſtri Vicariatûs vix in Eccleſijs, Sacrariíſque ſuis potiores habent reliquias, quàm de illis Sanctiſsimis Sociabus, quæ ſub Regijs Divæ *Urſulæ* vexillis ſangvinem innoxium atque Virgineum pro Chriſto profuderint. Præcipuè Partheno *Mariæ-Stellenſis* cæteris felicior, præter *integrum Corpus B. Paulinæ* in tabula quadam reconditum, à Fundatore ſeptuaginta octo Sanctarum Virginum Capita obtinuit: quem ſacerrimum theſaurum cum reverentia Annô labente inſpexi, docente ipsâ Venerabili Dominâ, Loci Antiſtitâ, exhibentéque unum de Virgineis Capitibus, quod motu adhucdum proderet

deret latentem ſagittam. In Divæ Urſulæ Solemnijs tota illa Capitum glorioſa univerſitas ad aram Chori exponitur tenerrimæ Virginum venerationi, manſura per Octavam reliquam, ardéntque Martyrum cultui per id tempus tot cerea lumina, quot numerantur veneranda Capita: Quæ cùm aliquando pro more in præfata ara collocarentur, unúmque è cæteris aliquantò minùs inferiorem locum occuparet, articulata vox ex illo audita eſt: Mereri ſe utique locum altiorem, quoniam filia Regis fuiſſet. Spectavi, habuíque in manibus Regium hoc atque puſillum capitellum. Et ea quidem res traditione ad poſteras Mariæ-Stellenſes perlata eſt. Cæterùm Sacrarum Exuviarum ille cultus primitùs à Miſnenſium Epiſcopis, *Conrado* atque *Caſparo* eximiè commendatus fuit per conceſſas indulgentias, auctúſque deinceps etiam per prodigia, quibus clientum pietatem ſeu remuneravêre, ſeu ad nova vota provocavêre Thaumaturgæ Patronæ, vigétque eximiè hodie illa cultûs Virginei vetuſta religio in ea vicinia, quâ parte à Lutheri novitio dogmate in Catholicis ſacris ſervata eſt. Fervet eadem pietas in Parthenonibus *Tiſchnovienſi*, *Mariæ-Vallenſi* ac *Brunenſi*, ubi Divæ Urſulæ, Sodaliúmque annua feſtivitas ſolemni Octavâ celebratur.

Sanctorum præterea *Innocentium* exuviæ Ciſtercium pluribus in locis illuſtrant, quemadmodum perhibet *Claudius Chalemot* in *Serie Sanctorum Beatorúmque Ordinis Ciſtercienſis ad diem* 28. *Decembris.*

Ideò prolixiùs hæc adduxi, daturus ſcilicèt Lectori ſpecimina, quàm vividô zelô Viri è Ciſtercio procurent, primô quidem *DEI*, *Divæ*, *Beatorúmque venerationem*; dein verò velutì eâdem lineâ, *Sacramentorum* in populo *frequentiam*, communiáque fidelium emolumenta, quæ è Divorum cultu in cultores abundè profluunt. E quibus nemo non videt, quàm nempe Ciſtercienſes non minùs ſint devoti Eccleſiæ triumphanti, quàm utiles militanti.

Eeeeeeeee CERA,

CERA,

Imago *vera*
Mellei Ciſtercij.
Apis mater
Geminas enixa proles
Mel & *Ceram*,
Utriuſque embryonem format è floribus.
Mellis, ceræque
Semen, uterus, cunæ,
Flores,
Dati Ciſtercio in *colores*,
Quibus pingeretur.
Nunquam Ciſtercium ſinè *melle*, ſinè *cera*
Atque ideò etiam nunquam ſinè *flore*,
Gemellæ utriuſque filiolæ, *Matre*.
Mella Bernardus dedit,
Ciſtercium reliquum, *ceram*:
Utrumque Eccleſiæ,
Cui Bernardus eſt *Melleus*,
Ordo Ciſtercius *Cereus*,
Atque beneficiô utriuſque & melleæ & cereæ prolis
Ordo omninò *floridus*:
Quoniam ſinè *flore*, nec ſua api *mella*, nec *cera*.
Cera
Sacrorum *portio potior*,
Quæ niſì priùs gratiſſimâ flammâ aras illuſtret,
Nec vota, nec thura Myſta adolet:
Quoniam votorum ille cœleſtis *calor* thurium ille ſacer *fumus*
è cereis flammulis
Velutì primis ad ſidera aſcendunt auſpicijs.
Non ardent thura, niſì ardeat cera.
Et frigent & rigent Eccleſiæ ritus,
Pſalm. 67. Niſì *fluat cera à facie ignis*!
Ciſtercij vultus expreſſus in Cera eſt.
Nihil olim in Eccleſia *illuſtre* ſinè his *cereis*:
Non fuit in Domo DEI *candelabrum*,
Non munus, non gradus,
In quo non velutì clariſſimæ faculæ

Con-

Conſederint Ciſtercij *luminaria*, *Gen, 1.*
Ut præeſſent *diei*, præeſſent *nocti*.
Sancta fides, *dies*:
Paganiſmi, hæreſeóſque peſſima vox, *nox*.
Seu ſervanda *hæc dies* à nubilis,
Seu purganda *hæc nox* à tenebris,
Utrobique opus, *cereis* è Ciſtercio *faculis*,
Quibus Orbis Chriſtianus
Et *illuminaretur & accenderetur*.
Fax namque munus *facit* geminum,
Lucet & accendit.
Albigenſium horror
Frigidum illud verbum,
Per plura jam ſerpebat Europæ membra:
Suffocavêre *noxium gelu*
Per *cereum*, flammeúmque *zelum*
Viri Ciſtercij.
Sparsêre ſubinde etiam ſacerrima incendia
Per Germaniam & Hiſpaniam,
Italiam, & Wandaliam,
Livoniam & Poloniam,
Sueciam & Græciam,
Pérque alias Orbis gentes & mentes,
Ut Sanctæ Fidei Romana lumina
Magnis deinceps fulgoribus
Per Ciſtercias Faces exarſerint.
Inter cerea Eccleſiæ lumina nullum majus,
Ac *Cereus Paſchalis*.
Luminare Ciſtercium *Privileg: 1. quod incipit deſiderium.*
Per *Paſchalem* Papam II.
Sub primam ortûs ſui auroram
In horizonte Monaſtico *regularia* inter *aſtra*
Apoſtolicô Brevi, ceu clavô
Fixum, firmatúmque,
Quidni per *Papalia* hæc, *Paſchaliáque* auſpicia
Sit grandis *Cereus Paſchalis*?
Unde nimirùm ex Eccleſiæ ſeu præſcripto, ſeu voto
Minores aliæ faculæ

Eeeeeeeee 2 Lu-

Lumina ſua ſeu prima obtineant, ſeu ſecunda augeant.
Cera candida, cera Virginea.
Almæ *Virginis ſunt*
Ciſtercij *apes* apium *mella*, apium *cella*, apium *cera*:
Inſcripſit ijs Auguſta Parens Virginei nominis ſui
Nuncupationem & jura
Origine, curâ, tutelâ, favore,
Quibus ceû, funiculis ſibi Ciſtercium omne colligavit.
Quídni igitur Ciſtercium, à *Virgine*, *cera* ſit *Virginea*,
Et quia *Virginea*, *candida?*
Quoniam etiam opinione vulgi
Virgo & candor
In *cera*, *revera* ſeſe mutuò reſpiciunt.
Et nunquid etiam *Luci* ſuus ſit *candor*?
Luminum namque *omnium* illud primum *Numen & Lumen*,
Sapient: 7. *Candor eſt lucis æternæ*:
Et incarnati Numinis & Luminis *facies*
In Monte Thaboræo *reſplenduit ſicut Sol*:
En *Lucem!*
Matth: 17. *Et veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix*,
En *candorem!*
r quod Virgineum, candidum: & quod candidum, lucidum,
Per divina oracula in idem punctum coincidunt.
Felix Ciſtercia *Cera*!
Virginea, candida, lucida,
Serva in te *Virginem*,
In *Virgine candorem*, in candore *lucem*, in luce *beatitudinem*,
Quoniam in luce beatitudo,
Cæteroquin vix poſſet *Lux perpetua lucere Sanctis*,
Niſi Sanctorum beatitudo eſſet Lucis perpetuitas.
Et *luceat Lux tua*
Cera Melliflua, *Cera Lucida*
Coram hominibus,
Pſalm: 71. *Donec olim auferatur Luna, & ſtellæ cadent de Cælo!*
Matth. 24. Et ſicut nunquam Eccleſia eſt ſinè *cera & luce*,
Ità nunquam ſit ſinè Ciſtercio,
Mellis, Ceræ, Lucíſque æmulo.
Itaque feliciter *perſevera*,
Per ſæcula *ſera*
Mea Melliflua CERA!

TI-

TITULUS XXV.
CISTERCIENSIUM MERITA IN ORBEM CHRISTIANUM.



DIviſi Titulum præſentem à præcedente : non quòd ea, quæ hoc Titulô producentur, poni non debuerint in ſuperiore ; ſed quòd materiæ rerúmque fæcunditas excreſceret longiùs, minùs utique rectè, commodéque unicô claudenda titulô. Sanè noſtrorum in Eccleſiam merita, ſunt ſimul

merita in Orbem Chriſtianum, & viciſſim; ſiquidem utriuſque, Eccleſiæ ſcilicèt Orbíſque cauſæ & commoda connexa ſint. Sola aliqua diverſitas eſt penès terminos, *directè*, & *indirectè*, quòd nempe Merita in Eccleſiam directè, ſint merita in Orbem indirectè, atque econtrà: quæ quidem diverſitas in hiſtoria non adeò attendenda eſt. Intercurrent nonnulla, quæ reductivè duntaxat huc pertinent, atque ex ſolo loci beneficio in Orbis emolumenta redundant, quemadmodum ſunt thermæ ſalubres, nonnullíque è fontibus, qui ùt plurimùm ex naturæ benignitate ac munere citra perſonale cujuſpiam è Ciſtercio meritum eruperint. At verò, dummodò beneficium Orbis per Ciſtercium ſentiat, parùm intereſt, an loci illud ſit, an perſonæ. Itaque vagabimur per gentes, inſpecturi, quid Reges, quid Regna, quid populi è Ciſtercio habeant.

GALLIA in primis videnda, Ciſtercij domicilium, ubi pro inſigni familiæ noſtræ laude, tres comperio Principes Regios, *Delphinos* vocant, *Philippum II. Ludovicos* XIII. & XIV. qui Ciſtercienſium precibus, meritíſque divinitùs dati Francis in Coronæ fulcra & hæredes. *Philippum* lego in Manriqueo ad *annum* 1165. *cap.* 4. qui pro ſe ibidem citat *Robertum Claudium in ſua Gallia Chriſtiana*, aſſerentem, Ludovico VII. Franciæ Regi poſt diuturnam conjugij infæcunditatem, natum, datúmque eſſe à DEO Filium, precibus Cleri, *ſed præcipuè Ciſtercienſium*, quem etiam ea de cauſa *Adeodatum* agnominavit, non ingratus largitori, cujus munere & olim Rex, &, quod Regiô nomine dulcius, nunc Pater eſſet. Preces omnium bonæ, at Ciſtercienſium efficaces, ſinè quibus fortè Francia neque *Philippum* neque in Philippo *Adeodatum* habuiſſet. Voluit Ludovicus per Ciſtercium felix ac fæcundus genitor, beneficij hujus memoriam eſſe in Gallia ſua perennem, eapropter *Barbellum*, celeberrimum noſtris Cœnobium extruxit, quod etiam aliô nomine *Sacer-Portus* dicitur, nobilitandum deinceps immunitatibus Regijs, atque etiam ipſius Ludovici ſepulchrô. Idem Philippus alterô rursùs beneficiô ſervatus Ludovico Parenti, totíque Regno per Ciſtercium; Cùm namque annos natus fortè ſedecim, ægrotaret graviſſimè, modicâ, aut nè vix modicâ,

dicâ ſpe recuperandæ valetudinis relictâ, Ludovicus Rex de filio ſolicitus, admonitus eſt in ſomnis, ut in Angliam trajiciens, mauſolæum Sanctiſſimi Martyris *Thomæ Cantuarienſis* (quem jam ſuperiùs *Tit*: 14. inter Ciſtercienſes laudavimus) Rex ipſe adiret ſupplex, ſervandum eâ peregrinatione per Martyris merita Philippum Filium, ut ſcilicèt non duntaxat unum hoc Ciſtercio deberet beneficium, quòd natus; inſuper, quòd per *Thomam*, è Ciſtercio glorioſum Martyrem, & vitæ, & Coronæ ſervatus eſſet. Vix Ludovicus viſitatô, & muneribus donatô Sancti ſepulchrô, ex Anglia in Flandriam appulerat, cùm optati nuncij perferuntur, convaluiſſe integrè Philippum, qui eô adhuc annô in Regem unctus, coronatúſque fuit, Franciæ univerſæ, at præcipuè iterum Ciſtercienſium jubilô atque applauſu, ad quos Philippus ſemel iterúmque pertineret. Atque hæc olim ante annos quingentos & ampliùs. At verò ſub initium elabentis ſæculi renovata in Gallijs vetera Ciſtercij in coronam beneficia, datúſque Bernardi noſtri meritis ac interventu *Henrico IV.* & *Mariæ Mediceæ* Regiæ Conjugi *Ludovicus* filius, quem deinde diximus *decimum tertium*, regnantis Ludovici Parentem. Non hæc ego ſeu è capite, ſeu è calamo meo cudo, atque protrudo; Henriqueus in ſuo *Ciſt: Menologio* ad *vigeſimam diem Auguſti*, mihi author & dux eſt, ut hoc aſſeram. Recitat ille citatô locô primordia Cœnobij *Fontanenſis*, quod Annô 1619. Regiâ munificentiâ pro Ciſtercienſibus Congregationis Fulienſis eo ipſo in loco, ubi natus educatúſque olim Doctor Mellifluus, propè Divionem apud Burgundos exſtruere cæpit Galliarum Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIII. Memorat ibidem *cit: Chryſoſtomus*, longô ordine lapides principales, à Rege, Regina, Regina Matre, Regij Sangvinis Principibus, omnibus Franciæ Statibus ac Provincijs in baſim ac fundamentum novæ baſilicæ Melliflui Parentis honori cum votivis inſcriptionibus collocatos: quos inter numerô ordinéque tertium locum obtinet Lapis Reginæ Matris *Mariæ de Medices*, in cujus epigraphe Bernardus Pater, Patronus inſculptus, per cujus merita, Illa fæcunditatem, atque Franciæ Delphinum Ludovicum XIII. impetraverit. Legamus è Saxo verba ipſa: *Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Medices, Matris Chriſtianiſſimi Regis Ludovici* XIII, *in Sanctum Bernardum, eò quòd, cùm ab adventu*

ventu ſuo ad Regium thalamum (utì conjux glorioſæ memoriæ Henrici Magni) ſub voto prolis, meritis dicti Sancti obtinendæ, eidem Pariſijs cum Rege ipſo ſolemnem impendiſſet honorem, conſequenter ſibi fœcunditas, quâ nulla felicior deſiderari potuit, conceſſa fuerit, auguſta & munifica devotio. Igitur inter primas nuptiarum Regiarum curas à Rege & Regina ſolicitatus è Divis unus Bernardus in ſpem prolis, cum eventu longè deſideratiſſimo. Ferè eadem in alijs quoque lapidibus optabant Principes Regij, Bernardo Patri devoti, ut ejus precibus fæcundarentur. Quin imò Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus, Cœnobij Fontanenſis Fundator, non modò per eam fabricam vota pro Henrico Rege Parente DEO exolvit, verùm inſuper exemplô Patris novis votis pro obtinenda prole Bernardi patrocinium, noſtrorúmque preces religioſiſſimè imploravit, quæ vota Ludovici juſſu, Regio lapidi per hæc verba inſculpta ſunt: *Quô fonte (DEô dante benignitatem) ortu melliflui Doctoris, & citharistæ Mariæ, Sancti Bernardi, benedictionum cœleſtium effluxit Orbem inundans conſolatio, eodem meritò refluente totius Orbis gratitudine, maximus juſtitiæ cultor Ludovicus XIII, Francorum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, pietatis ſuæ erga DEUM, & venerationis in Sanctum, tantô fulgore Regnum ejus decorantem, ſolemne & æternum erigere monumentum ſtatuens, ædem Sacram D. O. M. in honorem dicti Sancti, manſionémque religioſam humillimis ac devotis Oratoribus Monachis Fulienſibus, munificentijs Regijs extruxit; fidens (utì ſimplici votô à DEO expoſtulat) patrociniô S. Bernardi, & precibus, electiſſimô hoc ejuſdem Sancti nativitatis locô, inſtitutis, ac fundendis, ſe cum Sereniſſima & chariſſima Conjuge ANNA AUSTRIACA, & ſoſpitate, & prole optandâ donandum, atque ità vigorem Lilijs Gallicis, odorem & venuſtatem additurum, ut lilijs cœleſtibus tandem immiſceri, & ſicut lilium germinare, & florere in æternum valeat ante Dominum.* Videas Chriſtianiſſimum Principem omnia ferè à Bernardo, & Bernardi filijs petere, & ſperare, ſoſpitatem, prolem, ſalutem. Neque Bernardus minùs audijſſe atque exaudijſſe exiſtimandus eſt vota Ludovici, quàm Henrici, præſertim cùm Ludovicus aliquid amplius præter vota, ſacram nimirùm ædem, Domúmque, Mellifluo Parenti offerret: atque ità credendum eſt, modernum ſereniſſimum Galliarum Regem *Ludovicum XIV.* pariter Bernardi patrociniô Franciæ ſuæ eſſe datum, neque aliunde

aliunde dictum *Ludovicum DEOdatum*, quàm olim Philippum II. prout ſuperiùs memoravimus, quia ſcilicèt à DEO Galliarum regno donatus ſit Bernardi meritis, & Ciſtercienſium in commune precantium auſpicijs. Plura adhuc pro hoc argumento adduci poſſunt è faſtis *Hiſpaniæ*, *Portugalliæ*, *Lotharingiæ*, *Angliæ*, *Sabaudiæ*. Et HISPANIA quidem in *Berengaria* Regina diu ſterilis, non aliunde tandem dotata hærede eſt, quàm è cœlo & Ciſtercio, utì refert Manriqueus ad annum 1142. c. 10. Cùm namque Regina de prole plurimùm ſolicita, atque anxia rogaviſſet venerabilem *Petrum* Morerolæ Abbatem, Virum Sanctum, quatenùs pro ea re Dominum deprecaretur, volentem haud dubiè orari per Sanctos, minúſque negaturum aliquid *Petro*, quàm *Berengariæ*. Oravit Præſul venerabilis, & quidem quâ efficaciâ, docuit eventus eô enim adhuc annô natus eſt Hiſpaniæ plauſu *Sanctius*, Princeps optimus, dictus cognomentô *Deſiderius*, à deſiderio ſcilicèt ſui, cùm necdum natus, & poſteaquam jam eſſet denatus. Quod ipſum etiam Vir Sanctus, Berengariæ, tunc, cùm Petri precibus illa ſeſe recommendaviſſet, ſpiritu propheticô prædixerat. PORTUGALLIA quoque *Alfonſum* Principem, primum deinde illius Gentis Regem, per Ciſtercium obtinuit, quemadmodum perhibet *Angelus* noſter ad *annum* 1123. *c.* 1. Dum namque *Henricus* Portugalliæ Princeps è *Taraſia* Conjuge animadverteret, vix ſupereſſe ſpem prolis, è cœlo Familiæ Gentíque ſuæ Nepotes evocare ſtuduit: eapropter *S. Joanni Ciritæ*, Ciſtercienſi in Tarouca, ſanctimoniæ famâ ſub id tempus per omnem Luſitaniam celeberrimo, negotium dedit pro prole maſcula ſolicitandi Numinis. Spopondit Vir Sanctus non fruſtrà ſe oraturum, prædixítque, Taraſiam hucuſque ſterilem, paulò pòſt futuram Matrem. Et natus poſt annum non ampliùs unum *Alfonſus* Princeps, ille Maurorum terror, Luſitanorum amor atque delicium, ſponſionem Sancti quàm deſideratiſſimè implevit. Neque minùs per Ciſtercienſes fortunatus fuit *Henricus II. LOTHARINGIÆ BRABANTIÆQUE Dux*, qui ſe votô Omnipotenti DEO obſtrinxit de extruendo Cœnobio, ſi divinô munere hæredem maſculum obtinuerit. Datus non longè pòſt à DEO quaſi è pacto Duci filius, erectúmque econtrà *Annô* 1212. à Duce Ciſtercienſibus

Virginibus cœnobium, quanquam in voti terminis Ciſtercio in ſpecie nîl promiſſum fuiſſet; Attamen quia electa ab Henrico præ cæteris inſtitutis Bernardi familia, cui ille vota ſua, nuper Numini nuncupata, vellet reddere, creditum ab omnibus eſt, Ciſtercienſes fuiſſe, per quos Lotharingis, atque Brabantinis impetratus, datúſque ſit Princeps hæres. Cœnobio nomen à Duce impoſitum, dictúmque *Vallis-Ducis*, modicô intervallô à Lovanio, ut nempe in ipſo Domûs vocabulo hærerent poſteri, diſceréntque *Henricum* DEO gratias pro beneficio egiſſe per Ciſtercienſes, per quos haud dubiè beneficium acceperit. *Bernardus* ipſe, teſtis omni exceptione major, in hac re, alio quidem in eventu, audiendus eſt, qui quantumvis ſibi penè in omnibus parcus atque modicus, non modò ubi cibare, ſed & ubi laudare ſe potuit, attamen in *epiſtola* 344, perſcripta ad *Mathildem* ANGLORUM REGINAM, propè aliquid audet, ſcribítque, quod ſupra Bernardum eſſe nonnullis videretur: *De cætero*, inquit, *bene ſervate mihi filium*, *quem nunc peperiſtis*, *quia & ego quoque* (*ſi Regi non diſplicet*) *in eo mihi vendico portionem.* Non ſatìs capio, quô pactô filius Reginæ dici poſſit ſimul Bernardi portio, niſì Bernardus ſe Patrem prece ac patrociniô feciſſet. Et ſanè adſcripſiſſet ſibi Doctor Mellifluus rectiùs è filio Mathildis non portionem modò aliquam, verùm Principem integrum, quoniam priùs Bernardus illum totum à DEO impetraverit, quàm Regina ſeu conceperit, ſeu genuerit. SABAUDIA pariter geminô titulô, hôc locô memoranda. Primò quidem, quia *Amadeus II.* Sabaudiæ Comes, natum ſibi filium hæredem gratulatus, votum DEO exolvit per Ciſtercium; Annô namque 1133, in *Divi Sulpitij Cœnobium* Ciſtercienſium colonias è Pontigniaco advocavit, quaſi noſtrorum beneficium eſſet, quòd Sabaudia hæredem obtinuiſſet. Deſideraverat præcipuô affectu eas colonias Amadei conjux optatiſſimæ prolis mater, quæ optimè gnara, quorum ſcilicèt precibus ea fæcunditas ſibi obtigiſſet, inſtanter monuit, redarguítque moroſum aliquamdiu Maritum, trahentem damnoſas moras in voti tam felicis neceſſaria executione, præſertim cùm filiolus jam ægrè valeret. Per ea uxoris monita, filiíque afflictam valetudinem cautus Amadeus, voti reus, Ciſtercienſes noſtros feſtinanter collocavit in præmemo-

memorato Divi Sulpitij Cœnobio, eô pactô exolvens, quod Largitori DEO debuerat. Titulô alterô *Sabaudia* obnoxia eſt Ciſtercio in *B. Humberto*, ejus Provinciæ Comite, laudato à nobis ſuperiùs *Tit*: 17. qui geminô conjugiô infæcundus, divinis deinceps amoribus dulciùs æſtuaturus, orbis perituri fallaces inanéſque illecebras valere juſſit, in *Alta-Cumba* mellifluis alumnis aſſociatus. Precibus tamen ſubditorum orbitatem ſuam amariſſimè deplorantium, Romaníque Pontificis adſenſu, invitus quanquam, ad tertias nuptias tranſijt cum *Petronilla Burgunda*, è qua poſteaquam *Thomam*, *Eleonorámque* procreaviſſet, rursùs ad clauſtrum è thalamo avolavit, beneficij interim memoriâ inſcriptâ Sabaudorum Principum faſtis atque palatijs, quòd Proavum aliquando habuiſſent, jam Ciſtercij votis initiatum. Refricanda hìc etiam eſt *Divi Guillelmi* MONTIS-PESSULANI *Domini*, Ciſtercienſis in *Grandi-Sylva* Monachi, ampliſſima *Genealogia*, producta à nobis ſuperiùs *pag.* 446. in qua Orbis Chriſtiani Principes ſuarum ſtirpium antiquas radices inſpicere hodie valeant, quæ ſcilicet olim magnis incrementis propagatæ ſint per Ciſtercij illuſtriſſimum Sanctiſſimúmque Alumnum. Mitto alia, id unum inſinuo, Europæis Principibus vix ingratas eſſe poſſe háſce memorias, quibus doceantur, Majores ſuos Ciſtercij ſeu auſpicijs, ſeu meritis altiùs aliquando procreviſſe.

Obijt B. Humbertus Annô 1201.

Obijt S. Guillelmus Annô 1157.

Ad alia nunc tranſeo: & in primis quidem repetenda HISPANIA, quam à SARRACENIS, domeſticis, & Gentis & Fidei hoſtibus per multa ſæcula infeſſam, tandem ab immani Barbarorum jugo vindicavêre inclyti Heroës, è Ciſtercio *Milites*, uti apertè aſſerit *Miræus Orig*: *Monaſt*: *L.* 5. *c.* 9. Quæ utique res in familia noſtra pro dignitate nunquam ſatìs laudari poterit, cùm haud dubiè inter prima Monarchiæ Hiſpanicæ decora hodie numeretur, immunem eſſe ac vacuam à Mauris, contra quos tam diu per tot cruenta utrinque prælia pugnatum ſit. Sed fortè eô conſiliô à DEO aliquantò diutiùs ſervati Hiſpaniæ hoſtes, Ciſtercio æmuli, quomodo olim Carthago Romæ, ut nempe per triumphatos ſæpiùs Mauros diu illuſtraretur Ciſtercium. Illud etiam in rebus *Hiſpaniæ* notandum, quòd olim in celeberrimo *Parthenone Huelgenſi. B. M. Re-*

galis propè *Burgos* Hiſpaniarum Reges in CORONATIONIS ſolemnijs diademata ſuſceperint è manibus glorioſi ibidem Simulachri *Divi Jacobi Apoſtoli*, ritu ſolemni, ſed mirabili, & qui per verba Illuſtriſſimi noſtri *Manriquei* doceri hìc debeat, ut ſua ſit illi ritui, cæteroquin inſueto, validior authoritas. Scribit proinde *Angelus in Serie Abbatiſſ: Huelg: Abbatiſsâ III.* Hanc ipſam coronationis cæremoniam olim Compoſtellæ, atque ſubinde etiam ab *Anno* 1221. Hiſpaniarum Regibus *Burgis apud Huelgas pro ſacra atque ſolemni unctione fuiſſe. Quippe utrobique* (pergit *Angelus*) *& erat, & eſt hodie Sancti* (Jacobi Apoſtoli) *imago, brachia utrinque convertens, invertenſque, & manibus flexibilibus, quibus ſemel acceptum Regni diadema, poſt omnes alias ſacras cæremonias, dum Reges ſupplices adorabant ſuum Patronum, ultrò oblatum ab ipſo ſuſcipiebant, totius populi plauſu, atque clamore. Extat imago in altari Eccleſiæ maximo, egregium planè, & grave monumentum venerandæ illius antiquitatis.* Atque non *Reges* duntaxat, verùm etiam *Reginas* eôdem ritu in Huelgenſium Baſilica è manu Apoſtoli ſuſcepiſſe diademata, perhibet idem *Manriqueus in cit: Serie, Abbatiſſ:* X. Regiæ ejuſmodi inaugurationis ſolemnes actus populorum conſuetudine cæteroquin, ùt plurimum, exerceri in Eccleſijs ſeu Metropolitanis, ſeu Cathedralibus, vix eſt, qui neſciat: quàm igitur Ciſtercio glorioſum, in corona noſtrarum Virginum Reges ſumere diadematum fauſta auſpicia, atque ab Inſtituti, locíque ſanctitate optare regiminis felicitatem!

LUSITANIA pariter maximum, quod habet, per Ciſtercienſes, & à Ciſtercio obtinuit, CORONAM videlicèt, REGIUMque TITULUM, utrumque ab Eugenio, Pontifice Ciſtercienſi, ad *Bernardi* preces. Licèt namque jam ante Eugenium *Innocentius*, neque ille ſinè Bernardo, Alfonſum, Regem pronunciaverit; quia tamen novi Regis nominatione offenſi in Hiſpanijs nonnulli, Alfonſum mallent habere Principem, quàm Regem, id eſt, minorem, quàm æqualem, hinc controverſi Luſitanis impeditíque honores Regij, uſque ad Eugenij Papæ III. tempora, haud dubiè, ut totum coronæ obtentæ beneficium deberetur Ciſtercio. Debet porrò Luſitania Bernardo, Bernardíque alumnis clariſſimam illam VICTORIAM,

quâ

quâ *Alphonſus* Rex *annô* 1147. potitus adversùs Sarracenos, *Scalabim* arcem munitiſſimam, hoſtibus eripuit. Latebant in ea Mauri latrocinijs, flammis, cædibúſque fædantes crebrò circumpoſitam viciniam, illatâ clade illicò cum præda recurrentes ad tuta arcis receptacula, naturæ beneficiô munitiſsima. Dolebat Rex amariſsimè vicem afflicti populi: eapropter claſſicum canens, accendit ſuos clangore, verbô, præſentiâ: advocatóque priùs in adjutorium Omnipotentis brachiô, atque id quidem conceptô votô per merita precéſque *Bernardi*: cujus auſpicijs ſi Scalabim tandem tandem expugnaviſſet, totam eam terram, quam è montis vicini faſtigio, ubi votum emiſerat, proſpectabat, conceſſurum ſe ſpopondit in novi Regij Cœnobij ſtructuram, donandam velutì ex pacto in partem ſtipendij alumnis Ciſtercienſibus. Monitus interea divinitùs in Gallijs Bernardus de Alphonſi voto, Regi eâ nocte orationi intento ſpectabilem ſe exhibuit, ſtimulis amplioribus provocans intentiones ſanctas, pollicénſque eventuum optatiſſimam felicitatem. Itaque 15. Martij, præmemoratô Annô 1147, ſub nocturna ſilentia cum ſuorum ſelecta quidem, ſed parva cohorte, arcem aggreſſus, poſteaquam ſparsô per Barbaros terrore, cruentô utrinque Marte aliquamdiu dimicatum eſſet, eam tandem fortiſſimè expugnavit, Bernardô interim in Clara-Valle ſua per totam illam noctem cum univerſa Fratrum congregatione ſanctas agente excubias, atque calentiſſimis precibus implorante præliatoribus Luſitanis robur ac triumphum. Patris Sancti vultus ſub illud orationis tempus varius, atque per vices æſtuans, ſudans, anhelans, ſuſpirans, languénſque, atque etiam nonnunquam placidus, ſubitóque rursùm velutì impellens, ac laborans, prout ſcilicèt oppugnantium ſeu proſperi, ſeu hærentes, ſeu infauſti ſucceſſus eos motus exigerent. Erupit tandem, cùm jam arx in Alphonſi poteſtate eſſet, fauſtiſſimâ acclamatione in Ambroſianum jubilum, *Te DEUM laudamus!* Abbas Sanctus, quod ſubinde Canticum Fratres proſecuti, integrum decantaverunt. Manè perſolutâ Primâ, luculentô ſermone, Regij Pſaltis præfixô martiali themate: *Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, Chriſtianorum inclytam victoriam Fratribus explanavit; nuntijs ſubinde è Luſitania multô pòſt tem-

pore ac… rrentibus, narrantibúſque glorioſos Alphonſi triumphos. Rex voti reus, per *Petrum Alfonſum* fratrem ſuum, quem ad Bernardum cum literis delegaverat, è Clara-Valle alumnos expetijt, qui novi Cœnobij felices incolæ, Luſitanis terris importarent Bernardi nomen, Ciſterciíque fauſta auſpicia. Abbas itaque Sanctus inſigni induſtriâ chordis ſeu funiculis quibuſdam ad architectonicæ regulas dimenſus eſt totam illam ſuam chariſſimam Claram-Vallem, impoſitô filijs imperiô, qui è Gallijs in Luſitaniam migraturi erant, ut nimirum id unicè curarent, quatenùs in condenda nova illa Ciſtercij domo unam Claram-Vallem haberent pro idea, nihílque inibi molirentur, quod eſſet huic difforme. Hæſit ad novam atque inſuetam hanc ſolicitudinem *Gerardus*, Patris Sancti frater germanus, quòd ſcilicèt præter morem Bernardus tam ſolicitis curis provideret ædium uniformitati, quod hactenùs egiſſet nunquam: cui Abbas Sanctus: *Noli mirari, frater mi, ſi tantâ curâ, tantâ animi anxietate hujus Monaſterij felicem fundationem exopto. Nam cæteræ Abbatiæ gratìs mihi, & abſque ulla difficultate oblatæ fuerunt; hanc verò ſummô labore acquiſivi: Hoc unum dico tibi: Plus dum Scalabis obſideretur, Spiritus meus in conſpectu Domini fuit afflictus, quàm militum exercitus, tot inimicorum phalangibus ſeſe opponens; nihil enim petij à* Domino, *quod difficiliùs obtinerem. Et ideò opus, quod in ſudore vultûs, imò ſpiritûs mei acquiſivi, ad perfectionem deducere omni conatu deſidero. Scio enim,* Dominô *revelante, illius loci futuram perpetuam ſanctitatem, perennes laudes Altiſſimi, & quod ibi innumerabiles DEO militaturi convertentur. Et ſi Clara-Vallis eſt unus oculorum meorum, domus hæc, ad cujus fundationem filios hos mitto, erit alter.* Hæc Bernardus Gerardo. Addidit epiſtolam ad Alphonſum Regem, cui miſcuit pro more VATICINIUM celebre, his verbis clauſum: *Illud condentes Monaſterium, in cujus duratione & integritate indelebile habebitis elogium Regni veſtri, & in diviſione redditūum dividetur à vobis corona veſtra.* Itaque hoc erat in Luſitaniæ veluti fatis, ut nimirùm *Alcobacia* (id nomen novi Cœnobij) per quaſcunque rerum revolutiones, temporúmque injurias, quanquam aliæ interim religioſæ Domus premerentur fortè calamitatibus, ſervaretur per Regem indemnis, ſtarétque redituum integritate felix per quatuor & ampliùs ſæcula: donec tandem occumbente in prælio apud Afros inclytô

Rege

Rege *Sebaſtianô*, Henricus Cardinalis ad Regni gubernacula aſſumptus eſt, *quô* (utor verbis *Manriquei ad annum* 1147. *c.* 9. *n.* 7.) *redditus Alcobaciæ dividente, & partem Abbatiæ in Commendam dante, partem aliam Conventui reſervante; vix duo anni, aut nè vix elapſi ſunt, cum morte ejuſdem, ac defectu Succeſſorum, Regnum, cui hactenùs Luſiadæ imperâſſent, Caſtellanis Principibus acceſſit hæreditariô jure poſſidendum*: Steterúntque Portogalliæ ſupremi Faſces penès Hiſpaniarum Monarchas uſque ad annum 1640, quô rursùs ab ijſdem avulſi, collati ſunt *Joanni Duci de Braganza*, priſcorum Luſitaniæ Regum agnato, ad ſceptrum à ſuis evocato. Sanè id eſt inter Ciſtercij decora pulcherrimum, Regum illam ſucceſſionem, perennitatémque per Bernardi oracula, & cœli decreta tam neceſſarijs vinculis colligatam fuiſſe cum Alcobacia, quâ in redditibus ſalvâ, nil infauſtum timere potuerit Regia ſucceſſio. Et credo, eam Ciſtercij, ſceptríque Luſiadum ad invicem cohærentiam ſumptam ex eo, quòd *Bernardi* Parentis, *Eugeniíque* Pontificis beneficiò procurati, firmatíque Luſitanis *Regij tituli*, ſervari omninò deinceps debuerint per ea principia, per quæ primitùs cœperint. Porrò longè glorioſiſſimum, immortalibúſque elogijs digniſſimum eſt illud, Ciſtercij munere atque induſtriâ detectum olim eſſe ORBEM NOVUM. Ea gloria Manriquei illuſtri pennâ cantanda venit, qui in *Serie Abbat: Alcobac: Abbate Domûs illius* XXI. expreſsè pronunciat, per *Milites JESU Chriſti* non modò feliciter detectum, verùm inſuper fortiter ſubactum eſſe in Oriente Novum Orbem, novitatis nuncupatione ex eo deſumptâ, quòd hactenùs Europæis Gentibus illa mundi portio fuerit inacceſſa. Addit *Angelus*, ad inſtantiam inclyti Principis *Henrici*, militaris illius Ordinis Supremi Magiſtri, ſimul etiam ad votum Alphonſi Regis, *Calixtum III.* Romanum Pontificem eidem Militiæ *Annô* 1458. *ſub dato* 4. *Idus Januarij* indulſiſſe, ut in toto illo reperti orbis tractu tantam, talémque haberet poteſtatem, quantam apud Luſitanos in ſuo Illuſtriſſimo Cœnobio de *Thomar*, quod caput eſt bellatricis illius & celeberrimæ cohortis. Nemo ignorat, *Milites de Chriſto* juraviſſe in leges Ciſtercij, adeóque partam eorundem gloriam, famámque in illud redundare, tanquam membri nobiliſſimi in totum ſuum corpus. Eadem ferè in hoc argumentum ſcribit *Aubertus Miraus*

raus in Chronic: Ciſt: pag: 272, ubi præter Milites Chriſti in alia quoque bellica ſacra agmina (è quibus pleraque apud Hiſpanos, Luſitanóſque Ciſtercij legibus olim pugnavêre) eam gloriam ampliſſimè diſpenſat: *Cæterùm*, ait ille, *ùt in Caſtella, ſic & in Luſitania varii Ordines militares numerantur; quorum quidem militum incredibili virtute freti Reges Luſitaniæ, Mauros olim eâ provinciâ expulerunt, avorumque ætate, Africam, Aſiam, atque alio ſub Sole jacentes Indos, ſibi tributarios fecerunt, veraque Religionis lumen in remotiſſimas nationes intulerunt. Hos inter Ordines apud Luſitanos is nobiliſſimus cenſetur, qui Chriſti nomine inſignitur.* Noſtrorum auſpicijs apertas eſſe novas mundi plagas, ibidémque primos fidei Sanctæ radios fulſiſſe per Ciſtercium, Bernardi alumnis perquàm eſt glorioſum. Alia quoque hodie Inſtituta occupari apud eas Gentes Apoſtolicis laboribus, non diffiteor; at viam aperuiſſe Socijs ſequacibus, Ciſtercienſium eſt: quorum veſtigijs alij felices, continuavêre cum primis deinceps fauſta initia. Itaque geminos honores meruêre noſtri: unos quidem, quòd Chriſtianorum Principum ditiones auxerint novarum adjectione: alteros, quòd in terris illis orthodoxæ fidei lumina primi ſparſerint: ex utriſque ſanè, Pontificibus, Regibúſque venerabiles, quorum poteſtas noſtrorum laboribus ampliùs protenſa ſit.

ANGLIA quoque hìc memoranda in RICHARDO REGE, bis per Ciſtercium felici: quia ſcilicèt per noſtros è captivitate aſſertus libertati, atque etiam aliàs è naufragio ereptus, ſervatúſque vitæ. Utrumque dandum ex Manriqueo. Primum quidem ex *Tomo* 3. *ad annum* 1192. *cap:* 2 ubi lego, dimiſſum ab *Henrico* Cæſare, & *Leopoldo* Auſtriaco captivum Richardum interventu *B. Eliæ* Abbatis Cœnobij de *Dunis* in Flandria, cujus etiam jam alibi meminimus, qui à Regina Matre ad filij redemptionem præ alijs omnibus electus, miſſúſque ad Leopoldum Ducem, cujus potiſſimùm voluntate Rex è Syria redux, captus & captivus eſſet, muneri ſuo ſibi impoſito cum omnium plauſu ſatisfecit. Primô viſum aſpectu Eliam Leopoldus mox *Patrem* appellavit, prout etiam aliàs ſemper eum Patris locô habuit, atque hâc ipsâ compellatione ea Abbatem Sanctum fidenter ſperare juſſit, quæ foret petiturus.

Au-

Audiantur Ducis verba ex *Butzio* apud Manriqueum cit: *Non poſſum*, inquit, *denegare tibi*, *pie Pater*, *Regem*, *cujus occaſione veniſti*, *ut reducas eum.* Igitur Richardus pactô cum Cæſare pretiô, ad preces venerabilis Abbatis è cuſtodia eliberatus, ad ſuos reverſus eſt, cum immortali per Ciſtercium præſtiti obſequij memoria, longiori cæteroquin ob habitas cum Duce & Cæſare ſimultates multandus captivitate. Beneficium alterum *Richardo* non unus duntaxat è Ciſtercio præſtitit, ſed Ciſtercienſes omnes, quemadmodum refert Manriqueus ad *annum* 1191. *c.* 1. Cùm namque memoratus Rex prætactô *annô* 1191. ingentibus copijs Expeditionem navalem adversùs Syriam adornaret, jámque proſperis ventis defenſores Crucis Dominicæ pacatô ſub initium pelagô aliquamdiu proveherentur, contigit, die quâdam ſub crepuſculum ſæviſſimâ obortâ tempeſtate claſſem integram ventorum colliſione validiſſimè concuti, procellarúmque vi, mille inter aperta diſcrimina penè everti. Horrore periculi perculſus populus omnis propitia Numina implorabat ad feſtinandum adjutorium. Rex ipſe ingenti fiduciâ meliora ſperans, cùm primùm ſcilicèt noſtri ad nocturnas laudes ſurrexerint, hærebat, gemebátque inter vota: *ô! quando quando erit tempus*, *quô griſei Monachi* (ſic olim dicti vulgò Ciſtercienſes) *ſurgere ſolent ad laudandum DEUM*, *tanta enim bona illis feci*, *ùt non dubitem*, *quin mox*, *ùt cœperint primò orare*, *Dominus nos reſpicere debeat.* Videat primò Lector, totam Anglicanæ claſſis ſalutem opinione Regis conſtitiſſe in precum noſtrarum efficacia. Videat ſecundò, noſtrorum gratitudinem, qui per ea Richardi verba non præſumerentur eſſe aliquando immemores, ingratíque pro beneficijs, Principum munificentiâ obtentis. Turbabant interea continuâ agitatione Æolíque Euríque confuſa navigia, Rege proſequente ſua ad Ciſtercium ſuſpiria, anhelantéque ad illud momentum, quô noſtri ad Matutinum ſurgerent. Et ecce ſub illam illam ipſam noctis horam, quâ Ciſtercienſes dulciſſimis jubilis divinam pſalmodiam in choro auſpicabantur, ſubitò tumultuantes venti conſedêre, quaſi tum ampliùs ſævire non poſſent, cùm Oratores Melliflui DEUM deprecarentur. Ità diſcrimini erepta cum Rege cruciata claſſis, Ciſtercio plauſum dedit, gratáſque laudes. Neque omittendus hôc locô *Henricus II.* Anglo-

Cæſar. lib. 10. cap. 4.

Anglorum Rex, quem Bernardus reluctantem inter cæteros potentiùs, tandem *Annô* 1130. adduxit ad *Innocentij Papæ II.* probandam Electionem, ut ultrò Pontifici in Gallias Carnotum uſque obſequioſus occurreret, donis etiam teſtatus ſuos in Eundem amores ac reverentiam. Regem non ægrè ſecuta Anglia univerſa, acceſsit Melliflui Abbatis ductu Innocentio, beneficiô in Gentem illam ingenti: quod hodie ſi repeteret è cælo Bernardus, æquè, & certè magìs eximium foret, non enim parvum eſt, Angliam ſeu olim, ſeu etiam hodie reducere ad Chriſti in terris Vicarium: illud priùs olim fauſtiſsimè perfecit Bernardus: ſecundum hoc, ô utinam! quiſpiam Bernardo ſuppar, etiam extra Ciſtercium tandem perficiat.

Anglia porrò *Galliáque* collocandæ hìc ſimul, quos crebrò olim diſsidentes authoritate imperióque Pontificiô juſsi componere Ciſtercienſes noſtri, fuêre velutì ordinarij apud Gentem utramque PACIS ARBITRI. Manriqueus in ſuis Annalibus multus eſt in recenſendis ijs Legatijs, quas noſtri ad Anglorum Francorúmque Reges, fædere concordiáque jungendos, obivêre. Unius, alteriúsve meminiſſe hìc ſufficiat. Itaque Annô 1202. Abbates *Caſemarii*, & *Trium-Fontium*: Annô 1203. *Guido*, nuper Ciſtercij *Abbas*, ſubinde Rhemenſium Archi-Præſul: Annô 1204. rursùs Abbas de *Caſemario*: Annô 1225. Abbas *de Alta-Cumba*, poteſtate reformandæ pacis à Pontifice ipſis impoſitâ, Reges Angliæ Galliæque ad concordiæ vincula vocavêre. Obſervat induſtriè Manriqueus ad Annum 1204. *cap.* 5. *n.* 7. Innocentium III. (cujus præcipuè imperijs eæ legationes ſuſceptæ ſunt) paternis curis quàm optimè interea proſpexiſſe rebus Ciſtercienſium domeſticis; *Cùm namque ijſdem ſinè ulla interruptione, differentiáve injungeret negotia Chriſti, & Eccleſiæ*, nè illi quid domi fortè per abſentiam paterentur, Ipſe in ijs negotijs, quæ per id tempus paſſim emergebant, in Ciſtercij favorem gratiosè officioſus, atque induſtrius, melliflux familiæ cauſas procurabat, & quantum poterat, etiam promovebat. Atque in quibuscunque litigijs, ſub tanto Patrocinio, præſertim Annô 1204. *ſemper Ciſtercium prævaluiſſe*, notat cum plauſu idem *Angelus.* Cujus ille quidem rei duplicem *locô cit:* aſſignat fontem; primò commendando noſtrorum *circumſpectionem*,

ctionem, quòd nunquam litigarent pro cauſis dubijs: Secundò, collaudando affectum Judicis (Innocentij) *qui in juſtis nunquam pateretur periclitari.*

Idem procurandæ pacis zelus in Ciſtercienſibus apud Gentes alias emicuit, adeò ut non ſecùs, ac Angeli pacis haberentur paſsim à Principibus. Præſertim ille Germaniæ turbo ſub *Friderico Oenobarbo* noſtrorum ſtudijs tandem conquievit, Cæſare reconciliatô *Venetijs* Alexandro Papæ, de quo jam nos alibi. Illud tamen pro Ciſtercij commendatione hic reſumendum, VENETORUM *Sereniſſimam Rempublicam* annuô jubilô magnificè refricare immortale noſtrorum beneficium, cùm nimirùm in Aſcenſionis Dominicæ glorioſis ſolemnijs Gentis illius inclytus Dux, in comitatu Procerum, Legatorúmque longè ſplendidiſsimo, vectus ſumptuoſô navigiô, vulgò *Buccentaurô*, *Mare Adriaticum* Patriæ ſuæ *deſponſat* annulô aureô, ſub hac ferè verborum formula: *Deſponſamus te Mare in ſignum veri, perpetuíque imperij*; Ea enim deſponſandi pelagi ſolemnitas, atque methodus indulta eſt Reipublicæ à memorato *Alexandro Papa III.* in perenne gratitudinis ſymbolum, quòd afflictum Pontificem ſuſcepiſſet in urbis gremium obſequioſa, & fida fortíſque ſervâſſet incolumen adversùs æmulos. Fuit *Alexander Ciſtercienſium alumnus*, quemadmodum *Tit: XII.* docuimus: igitur beneficij portio aliqua ad Ciſtercium pertinet: & Venetæ aquæ in Sponſam clariſsimi Populi annuâ magnificentiâ adoptari vix poſſunt, quin è noſtris *Ciſternis*, reminiſcentiæ quidam rivuli gratiſsimâ confuſione ſponſalitijs illis Oceani undis ſeſe conſocient: quoniam Alexander non ſinè Ciſtercio id munus Venetis contulerit.

E BOHEMIA quoque Melliflui alumni in ſcenam prodeant, meritis graves: eorundem namque beneficium eſt, quòd Regiam *Przemislo-Lubuſſaam* Genealogicam arborem in *Wenceslao VII.* ultimô ejus ſtirpis maſculo hærede per crudele parricidium areſcentem, felici velutì *inoculatione* (quemadmodum loquitur *Crugerius in Sac: Cin: Boh: ad 7. Menſis Julij*) in vigore viroréque, quâ valuêre induſtriâ, fauſtiſsimè ſervaverint. Occubuerat præmemoratus Wenceslaus Rex *Annô* 1306. in flore ætatis, fatô proditoriô. Turbata eſt eâ cæde Patria, atque inſuper

ſuper indignè afflicta: *Henricus* namque *Carinthiæ Dux*, *Anna*, Regiæ Bohemorum Principis Conjux, jure uxoriô admiſſus ad Regni gubernacula, iniquiſsimè oppreſsit deſolatam gentem, ſperantem, merentémque ab advena Rege meliora. Igitur Bohemiæ rebus per ea mala propè perditis, *Joannes* Pragenſium Epiſcopus, tréſque è Ciſtercio Abbates, *Henricus* Sedlecenſis, *Conradus* Aula-Regienſis, & *Joannes* Plaſſenſis, fortiſsimè pro Patriæ ſalute, nova, ſaluberrimáque conſilia moliri cœpêre. Hâc præſulum quadrigâ revecta eſt Bohemorum felicitas. Propoſitus in novum Regem JOANNES LUXENBURGICUS Henrici VII. Cæſaris filius, adoleſcens regnô digniſsimus. Cui *Eliſabetha*, altera Wenceslai nuper extincti ſoror, puella lectiſsima, pro dote adferret Bohemiæ diadema. Erecti ijs conſilijs in meliores ſpes, facilè adſensêre Regni Proceres. Itaque Annô 1310. ordinata ſolemnis in Germaniam, Ordinum ſeu Statuum nomine Legatio, cujus Duces, *Henricus*, *Conradus*, atque *Joannes* mox laudati è Ciſtercio Abbates, Francofurti ſalutavêre Cæſarem, pactíſque cum eo, Filij & Eliſabethæ nuptijs, novam Sponſam apparatu Regiô Pragâ deduxêre in Germaniam: Celebratis ſubindè Spiræ Nuptiarum ſolemnijs, novos Reges ad capeſſenda diademata, in Bohemiam ſunt comitati: ubi poſteaquam aliquantô tempore *Carinthus*, Sereniſsimo Luxenburgico æmulo reſtitiſſet, tandem fugâ ex arce Regia dilapſus, Bohemos eliberavit ab ulteriori metu, periculóque, victuros deinceps ſub novi Rectoris gubernaculis longè pacatiores. Nemo ignorat, quanta per id connubium in omne Regnum redundaverit felicitas, cujus pars optima, *Carolus IV. Cæſar*, Joannis Regis, atque Eliſabethæ filius, Patriæ ille Pater, Orbíſque Bohemi delicium. Et quoniam univerſum illud negotium procuratum ſit noſtrorum conſiliô atque induſtriâ (quod ingenuè fatetur *cit: Crugerius in Sac: Pul: ad* 1. *Julij* per hæc verba: *Hi Legationis Duces, nimirùm tres illi clariſſimi ſuprà nuncupati Præſules, ſuâ eloquentiâ, dexteritate, ac authoritate negotium multùm promoverunt, imò planè abſolverunt, ac effecerunt, in bonum vix ſperabile Bohemiæ*) eapropter eorundem beneficiô fortunata Patria, Ciſtercij immemor eſſe vix poterit. Exaggerat etiam ea ipſa Virorum merita egregiè Balbinus *Boh: Sanct: Part:* 2. *Tit:* 29. *Magnum hoc*, inquit, *in Bohemiam Sacri Ordinis Ciſtercienſis meri-*

tum

tum haberi debet, neque unquam ex animis Bohemorum delendum, quô pereuntem Patriam levârunt ab humo, & ab interitu vindicârunt. Eſt præterea, quòd hôc locô memorem de WENCESLAO inter Bohemiæ Duces VI. inter Reges II. qui cùm ſub prima Regni gubernacula graviſſimis ſe videret tempeſtatibus jactari, infidorúmque inſidijs quæri ad præcipitia, *Divæ Virgini* ſupplex, votô ſe obſtrinxit, ſi ea mala ejuſdem auſpitijs vicerit, extructurum ſe Auguſtæ Patronæ dilectis alumnis Ciſtercienſibus Cœnobium. Ex eo tempore felix, fortunatúſque, DEIparæ munere malis omnibus ſuperior devicit hoſtes, repreſſit æmulos: & ſiquidem pars voti Ciſtercienſes forent, per quorum nomina, meritáque invocata Diva, Regi clienti ſuppetias tulerit, gratus pro beneficio Rex, ijſdem optionem dedit, arbitriô ſuô deſignandi locum, ubi ubi opitulatrici Virgini promiſſa Sedes, domúſque extrueretur. Elegêre illi *Aulam-Regiam*, locum amœnitate eximiâ conſpicuum, quò Rex cum aulicis crebrò ad animi innoxiam voluptatem ſolitus divertere, jam ante Cœnobij erectionem, eâ, quâ hodie, *Regiæ-Aulæ* nuncupatione inſignem. Suboffenſi tali electione Proceres, tentabant avertere Regiam mentem, nè Monachis facilis annueret, ſícque illâ indulgentiâ ſuæ ſibi aulicæ turbarentur deliciæ. Perſtitit nihilominùs Wenceslaus, voti, optioníſque oblatæ religioſiſſimè tenax, dirutâ illicò Regiæ Domûs parte aliquâ, ſervatâ duntaxat illâ, quæ aptari Cœnobio poterat. Ità quidem ante annos 396. inclytum Monaſterium Divæ Virginis de *Aula-Regia* ſurrexit, noſtrorum ſanè priùs per Virginem in Regem beneficiô, quàm Regis in noſtros munificentiâ. Servata eſt porrò novæ Ciſtercienſium Domui deinceps nominis Regij magnificentia, Wenceslaô non raró excurrente ad charos alumnos, non privata duntaxat è loci ſanctimonia excepturus ſolatia, verùm publica etiam inibi tractaturus; ſalutabant enim Wenceslaum in Regio hócce Cœnobio Gentium Principúmque Oratores, ſacri fœderum ritus cum vicinis Regibus pangebantur, Regia contrahebantur connubia, & ſi quæ res aliæ graviores ad publicum pertinerent, *Aulæ-Regiæ* non minùs ac Pragæ in Regio Palatio tractabantur. Lubet nunc etiam ſpectare ejuſdem Domûs beneficium aliud, quòd ſcilicèt *Eliſabethæ Reginæ Matris* voluntate præter alias Regias pro-

les, etiam CAROLI IV. ſubinde Cæſaris, in annis puerilibus extiterit *nutrix*, & pietatis magiſteriô ſanctiſſima *inſtitutrix*: adeò ut inter Ciſtercij decora recenſendum ſit præprimis, *Carolum*, optimum, glorioſiſſimúmque illum Principem, quíque omnes ſuas ipſe laudes tranſcendat altiùs, primis probitatis eximiæ, quâ fulſit, luminibus imbutum eſſe per alumnos mellifluos. Prælaudata præterea *Caroli Mater*, Ciſtercij ornandi quàm ſtudioſiſſima, haud immemor quantum eidem debeat, evecta olim per Ciſtercium ad ſolium, quemadmodum mox ſuperiùs memoravimus, per omnem deinceps vitam, benefactricem religioſiſſimam Familiam ingenti munificentiâ, ubi ubi potuit, ad Procerum uſque invidiam, conſtanter proſecuta eſt: etiam poſt fata in *Aulam Regiam* grata, & liberalis, quàm nempè inſtituit Regiæ ſuæ ſupellectilis cuſtodem, teſtamenti executricem, atque non modica ex parte hæredem. SEDLECENSIUM deinde eſt illa gloria, quòd ARGENTEIS MINERIS *Cutnenſium* (Kuttenberg) à ſe in territorio Coenobij inventis ditaverint Patriam. Rei ſeries è Sedlecij monumentis in hunc ſenſum ad me perſcripta eſt. *P. Antonius*, Domûs illius Profeſſus, (Converſum opilionem nonnulli vocant, ſed erroneé) die quâdam ad vicinas ſylvas egreſſus, ſub denſis arborum umbris feſſus conſedit, legénſque è libello pſalmos, loci amoenitate conciliante dulcem ſoporem, paululùm ſeſe reclinans in viridi herba requievit. Excuſsô ſubindè ſomnô conſpexit è vicina petra excreviſſe tres virgulas, ſeu ramuſculos argenteos. Hæſit ad novitatem monſtri, reíque pulcherrimæ, *Antonius*, & quoniam coeli ſingulari munere id factum ominaretur, illíſque virgulis ingentes notari theſauros haud fallaciter præſagiret, quos humana nempe induſtria divinâ benedictione è pretioſis terræ medullis deberet eruere, provolutus in genua, propitio Numini, boníſque fatis rependit grates, ſuſpensô in loci felicis ſignaculum caputiô ſuô. Inde novæ foſſorum coloniæ ab *Annô* 1237. cæpta fauſta auſpicia è modicis tugurijs tandem crevêre in populoſam Urbem, quæ amplitudine, incolarúmque frequentiâ in univerſo Regno poſt Pragam eſſet ſecunda. Urbis nomen in primæ originis reverentiam deſumptum à genere veſtimenti monaſtici, nuncupati vulgò Kutten/ unde *Cutna*, ſeu *Kutenberga*, coëunte utrôque

Teu-

Teutonicô nomine *veſtis* & *montis* in vocabulum unum. Gratiſſima foſſorum, civiúmque poſteritas ſtatis anni temporibus, caputijs, cucullíſque ad inſtar Ciſtercienſium hodiedum utitur, inventionis primævæ velutì ſolemnia, eâ veſtium Monachalium religione æviternùm concelebrans. Fuit Cœnobio olim ſua etiam in Mineris inſignis portio, cùm reliquæ foſſorum Regiorum, civiliúmque ſocietati ſuas pariter jungeret operas, darétque communes ſumptus, & ferret lucra. Quin & decimis, quas alij è fodinis ſuis ſolvebant Sedlecenſibus, immodicè aucti ſunt Cœnobij proventus: unde & intra domeſticos parietes cuſa fuit Moneta cum inſcriptione: *Moneta Monaſterij Sedlecenſis*: quorum nummorum notabilis quantitas nuper propè noſtram hanc ætatem à quodam extraneo intra Sedlecij rudera reperta eſt, atque delata ad Montium Kuttenbergenſium Præfectum. Itaque fodinarum, urbíſque illa origo quoniam ad Ciſtercium referenda, nemo non videt, quantum pro argenteis illis venis, quarum beneficiô ingentes per quatuor & ampliùs jam ſæcula in Regnum opes defluxerint, debeat *Sedlecio* atque *Ciſtercio* locupletata Bohemia: verúmque eſſe, etiam ante *Paduanum Thaumaturgum*, Virum è Ciſtercio *Antonij* nuncupationem rebus inveniendis felicem proſperè conſignaviſſe.

Beatitudinis character MISERICORDIA *in egentes*, quoniam Beati *Miſericordes.* Fulsêre à prima ſui inſtitutione divinô hôc charactere præcipuè Ciſtercienſes, eleemoſynis & hoſpitalitate clariſſimi. *Honorius III.* atque *Gregorius* X. Pontifices Maximi, ejus rei ſunt teſtes omni exceptione majores, quorum prior ille in *Serie Privilegiorum* noſtrorum, *privil.*X. conceſsô, *Annô* 1219. Ciſtercienſium in pauperes beneficia per ſequentes laudes exaggerat. *Honorius* &c. *Cùm præter pauperem victum veſtrum, omnia bona veſtra hoſpitalitati, & alijs piis operibus officioſiſſimè ſint expoſita; ſatìs inhumanè aliis auferri videtur egenis, quidquid à vobis violentiâ vel ingeniô extorquetur. Nec, quia Dominus manuum veſtrarum operibus benedicens, viaticum peregrinationis veſtræ, quantò magìs illud fraternâ charitate in uſus pauperum diſtribuitis, tantò magìs illud cæleſti alluvione, multiplicat, eſtis deterioris conditionis habendi, ſed potiùs melioris; cùm non niſì vaſis paratis cæle-* Matth. 14.

ſtis gratiæ oleum infundatur, quod pauperis mulieris deficientibus vaſis ſtetit. Licèt igitur, largiente Dominô, Monaſteria veſtra plùs ſolitò temporalium floreant ubertate; quia tamen exindè pauperibus uberiùs ſubvenitur, Nos volentes eò vos de ſpeciali gratia favorabiliùs confovere, quò exindè illi propenſiùs complacere nos credimus, qui, quod uni ex minimis ſuis fit, ſibi reputat eſſe factum; devotionis veſtræ precibus inclinati, &c. Eadem ferè inter glorioſa elogia *Gregorius Papa* X. *in privil.* 44. conceſſo, *Annô* 1275. *In veſtitu deaurato Eccleſia Sponſa Chriſti, quæ varietate circumdata, Sponſo ſuo, ſpecioſo formâ præ filiis hominum invariabilis integritate fidei, & ſoliditate ſpei à dextris aſſiſtit, Ciſtercienſis Ordo divinis mancipatus obſequiis, & inter Religiones cæteras glorioſæ Virgini ſingularitate devotionis adſcriptus, ex inſtitutione primaria & poſeſſorum ipſius, quantum ex alto conceditur, proſecutionis inſtantia rutilat charitate, candet caſtimoniâ, & pulchritudine converſationis elucet. Hujus Ordinis candidi Nazaræi dicti, videlicèt profeſſores ejuſdem ſub arctæ obſervantiæ diſtrictione viventes, in conſpectu eorundem Regis Regum, & Reginæ cæleſtis, phialas odoramentorum plenas in orationum aſſiduitate præſentant: beneplacitis illorum per opera pietatis inſerviunt, & ſic hoſpitalitatem obſervant, quòd ſibi pauperes, pauperibus divites, illis munifici, ſibi parci, laboribus non parcunt proprijs, ſed victu in ſui vultûs ſudore quæſitô, ſe tenui exhibent, illis ut ſubveniant abundanter. Hæc quidem vobis favorem omnium vendicant, hæc vos favorabiles recto cujuslibet pectoris pij judicio repræſentant. Solet enim Regum & Principum, aliorumque Magnatum familiaribus ipſorum contemplatione deferri. Quantò itaque ampliùs, tam peculiaribus eorundem Summi Regis, & Reginæ cæleſtis famulis, ipſorum obtentu in ſuis eſt ſubveniendum neceſſitatibus, & opportunitatibus aſſiſtendum? Profectò immenſa inter comparata diſparitas menſuram comparationis hujuſmodi non admittit. Hæc nos monent attentiùs, hæc nos & fratres noſtros hortantur inſtantiùs, Vobis & Monaſterijs veſtris contra incidentium decimarum, & aliarum exactionum inſtantias opportunô remediô providere. Quid enim opus eſt, ea decimare, vel per partes exigere ad ſerviendum exinde Domino, quæ ipſius ſunt ſervitijs totaliter deputata? Ideóque de ipſorum Fratrum noſtrorum conſiliô, &c.* Porrò *Stephanus Tornacenſium* egregius Antiſtes, in epiſtola ad *Robertum Pontiguiacenſem* perſcripta, inter alias laudes hæc ſparſit pro Ciſtercienſium commendatione pulcherrima fragmenta: *Beata paupertas eorum* (Ciſtercienſium) *quæ licèt eos*

Cit: in Nomaſt: Ciſt: in præfat.

eos fame premat & frigore, non tamen eos aut mendicare compellit, aut divitibus adulari. Suis, aut certè ſuorum manibus victum acquirunt, & veſtitum, non veriti ſequi Paulum, qui cùm licitè poſſet de Evangelio vivere, & ſpiritualia ſeminans, carnalia metere; maluit tamen manibus operando, vita neceſſaria ſibi comparare, quàm offendiculum dare Evangelio Chriſti. Honorant Dominum de ſua, non de aliena ſubſtantia, & de primitijs frugum, non alterius, ſed ſuarum, dant pauperibus; quanquam rectiùs dixerim, non ſuarum, ſed omnium, quia univerſis ſecundùm gradus ordinatæ charitatis, quaſi in commune deſerviunt. Neque enim buccellam ſuam comedunt ſoli, etenim comedit cum eis pupillus ex ea. Non deſpiciunt prætereuntem, & abſque operimento pauperem, ſed benedicunt eis latera pauperum, & de velleribus ovium ſuarum caleſiunt. Oſtium eorum viatoribus patet, nec foris remanet peregrinus. Terram diſrumpunt voluntarij, & violenti diripiunt cælum. Si numeres, quot ab eis beneficia profluant in populum, plura conferunt Univerſitati, quàm univerſitas ipſis. Haud imparibus laudibus Ciſtercienſium in pauperes beneficentiam extollit Clariſſimus Vir *Jacobus de Vitriaco*, S. R. E. Cardinalis in ſua *Hiſt. Occident. cit: in Nomaſt. Ciſt.* 1. *part. uſuum Ord. cap.* 76. noſtros nempe olim miſericordiæ ſtudijs in tantum exarſiſſe, ut *tanquam boves de armento Domini paleam manducârint, grana ſupervenientibus reſervantes*: quippe qui hoſpitibus & Chriſti pauperibus panem album apponerent, ipſi interea contenti ſecundariô ac groſſiore. Sanè id charitatis genus admirabile prorsùs atque eximium, aliena commoda magìs curare quàm ſua: & præter ſæculi ſtylum, pane, quem tuô ſudore comparaveris, famelicorum pauperum implere ora, atque ut alijs bene ſit, tibi, quod citra culpam poſſis, minùs facere bene: præſertim quòd hoc charitatis lege cautum non ſit, ut deteriora tibi, meliora proximo impendas: imò quia dilectio tui potior ſit dilectione proximi, quoniam in linea charitatis primò juberis diligere te, ſubinde proximum. Accedit, quòd plerumque ex ſcholarum genio ſatìs ſit, è ſuperfluis miſericordiam præſtitiſſe. Verùm ij, qui ſpiritu DEI aguntur, altiora ſenſa intra præcordia ſua verſant, ſui incurij, proximorum ſtudioſi, Ghriſti formam factis exprimentes, qui proximi dilectionem commendavit patiendo, moriendóque, vel inter tormenta fideles ſuos inſtruens, quantùm medios inter dolores promovere cuperet aliorum ſalutem.

LIIIIIIII Ita-

Itaque Ciſtercienſes ijs Salvatoris ſenſis imbuti, calentiſſimis affectibus procurabant res pauperum, ſuis eapropter intenti minùs: meriti ſanè apud ſupremum Miſericordiæ tribunal, nominis, præmiíque æternitatem. *Bernardus*, ille miſerorum omnium, quoad vixit in corpore, atque præſertim nunc, cùm vivit glorioſus ſuper aſtra, feliciſſimus Advocatus, eloquij ſui dulcedini paſſim etiam ſuos infigens aculeos, beneficentiam in indigos maximô urget rigore in *Tract: Ecce nos reliquimus omnia*: ubi aſperrimâ ſententiâ pungit conſcientias eorum, qui Eccleſijs præſunt: *Res pauperum*, inquit Mellifluus, *non pauperibus dare, par ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum: & ſacrilegâ eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini vel poſſeſſores ultra victum accipiunt, & veſtitum. Nec enim ordinavit DEUS his, qui Evangelio ſerviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias vel ornatum; ſed vivere, ait Paulus, ex eo: ut videlicèt ſint contenti, alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, recipere.* Ità Bernardus ſuaviſsimô illô ſuô zelô, calamóque cæteroquin melleus, hìc pro rerum exigentia armatus aculeô, homo durus & aſper, curam pauperum ab Eccleſiarum Præſidibus exigens, non ſub uno duntaxat miſericordiæ titulo, quomodo ferè alij, ſed inſuper de rigore juſtitiæ. Et ſi nimius videatur Doctor Sanctus in rigore ſcholaſtico, ille exceſſus in Bernardo, Ciſtercióque pietas fuit, quoniam ijs, qui indigentium ſolatijs ſtudent, ſtudeŕeque debent, quales Bernardus optat, formátque filios omnes, in miſericordiæ operibus nihil unquam nimium. Certè Doctor Mellifluus Monachis ſuis eas eleemoſynæ leges præſcripſit, non ſcholaſticis.

Nunc charitatis tantopere per verba commendatæ, pulcherrima exercitia videamus, firmata etiam prodigijs, ut ampliùs undique divulgarentur. BERNARDUS in primis *Claram-Vallem* ſuam illuſtravit miſericordiæ operibus. Cùm namque Annô 1125. fame graviſſimâ laboraret Gallia, gentéſque finitimæ, famelicorum immenſa turba indies confluebat ad oſtia Cœnobij, petitura à Bernardo panes. Non erat in horreis frumentorum ea vis, que vel ſolis Fratribus ſufficeret uſque ad

ad Paſcha: proinde (conficiebat humana ratio) ſi præter Fratres, etiam alerentur è modicis illis cumulis accurrentes pauperes, quídni abſumptis propediem frumentis, defectura utriſque alimenta? At Bernardus, Sociíque fratres cauſam Chriſti in egenis ingenti fiduciâ ſuſcipientes, liberali dexterâ in pauperum numeroſos greges diſpenſabant indies modicam illam annonam, certi de divina retributione, quæ exhauſtis horreis in charitatis adminiculum eſſet ſuperventura. Verùm non expectavit retributor DEUS, uſque cumuli penitùs abſumerentur illicò quotidianô interluſit miraculô, ut nimirùm annona in Fratrum, egenorúmque alimenta indies diminuta, nequaquam minueretur.Ità quidem uſque ad meſſem producta eſt à Bernardo eleemoſyna, à DEO continuatum prodigium, neutrô volente vinci, ut jam Clara-Vallenſes ipſi, pauperum beneficiô ſeſe ali gratularentur, quibus alioquin vix uſque ad Paſcha, ùt præmonui, modica frumenta ſuffeciſſent. Neque Bernardi charitas clauſa fuit in ſola ſua illa *Valle*, verùm per epiſtolas ad vicinos Principes evolavit: quos Abbas Sanctus ad eadem miſericordiæ opera efficaciter provocans, pauperibus ubique Patronos conciliabat. *Annô* inſequente, qui fuit Chriſti 1126. cùm fames continuaretur, eadem rursùs à Clara-Vallenſibus beneficentia, atque etiam idem rursùs à Cœlo prodigium continuatum eſt, creſcente denuò annonâ, quæ in pauperum uſus diſpenſabatur. Et gaudebat Bernardus manu propriâ erogare frumenta, hilaris, quòd etiam per ſe aliqua miraculi portio pertranſiret ad indigentes. Unde cùm aliquando eâ diviſione ante Claræ-Vallis januam liberaliſſimè occuparetur, ſubitúſque imber, utriſque, elargienti ſcilicèt, atque egenis moleſtus, videretur turbare charitatis exercitia, dexteram diſpenſatricem ſurſum extendens Pater ſanctus, formatô Crucis ſignaculô pluviam diviſit, adeò ut à dextris & à ſiniſtris caderet largiſſima unda, ſiccis interim in medio pauperibus, in quorum meditullio Bernardus ſereniſſimâ fronte cœptas eleemoſynas proſequebatur. Annô ſubinde 1176. cùm iterum fame ingenti premerentur Galliæ, Ciſtercienſes noſtri communi veluti ſolicitudine procurârunt egenis ſubſidia, *bonis ſuis, quæ cum pauperibus habebant communia, multorum millium inopiam ſublevantes.* Manriqueus ad *annum* 1176. c. 4.

c. 4. *n.* 8. novô elogiô commendat hanc charitatem: *Hæc Ciſtercij, Claræ-Vall'iſque Abbatum, hæc Joannis Prioris, hæc reliquorum omnium ingens laus, quòd pauperibus potuerunt ſubvenire pauperes ipſi.*

Apud *Sabaudos* clariſſimâ charitatis famâ refulſit Magnus ille TARANTASIÆ Archi-Præſul DIVUS PETRUS Ciſtercienſium alumnus, laudatus jam ſuprà Tit. 14. à quo beneficium, vix eſt, qui petijt, nemo qui extorſit, cùm ultrò, & ante preces offerret: non contentus benefeciſſe illis duntaxat, qui obviarent, ſed per ſe pérque ſuos ſolicitâ inquiſitione ſcrutatus per omnem Provinciam, quos ſeu victu reficeret, ſeu amictu confoveret. Domus ejus Archi-Epiſcopalis commune erat pauperum receptaculum, atque ægrotantium Xenodochium: in hos ipſe largus, ſibi interim parcus. Tanta ſanè de hoc Illuſtriſſimo Præſule apud *Surium* noſtrúmque *Angelum* reperio charitatis ardentiſſimæ indicia, quanta unquam de Sanctis, qui eleemoſynarum laude in Chriſti Eccleſia excelluerint. Illud præcipuè apud Manriqueum ad Annum 1138. *cap.* 11. *n.* 7. obſervo commendari, quòd per annos ſingulos tribus ante meſſem menſibus, quando ſcilicèt in illis Alpium incultis rupibus potiſſimùm alimenta deficiunt, *Petrum noſtrum* velutì buccinâ clangentem convocaviſſe egentem populum, atque indies paviſſe, beneficiô, quoad viveret, perenni, & quoniam ad ſingulos Patriæ egenos pertineret, ampliſſimô & generali. Actus præterea charitatis geminos vehementiùs exaggerat idem Manriqueus ad *Annum* 1138. *cap.* 12. quòd nempe per gelidas aliquando Alpes tranſiens, cùm offendiſſet mulierculam malè veſtitam, horrentémque ex frigore, lachrymis inſuper implorantem opem, tunicâ propriâ ſeſe exſpolians, gratiſſimâ veſte miſeram opportunè cooperuerit, ipſe interim per reliquias itineris algens, treménſque: atque etiam vice alterâ, cùm fæminam rursùs aliam in horrida hyeme, ſuâ pariter tunicâ texiſſet, vitæ periculô laborans. *Manriqueus cit:* glorioſi Præſulis *Divi Martini*, noſtríque inclyti Antiſtitis *Petri* utrumque facinus ad invicem eruditè colligens, ponderánſque, Petrum effert, extollítque ſupra Martinum, cit: *cap:* 12. *n.* 1. *Quibus videat Lector*, ſcribit ille, *plus aliquid in Petro, quàm in Martino; quippe hic chlamydem (exterior ea veſtis) ille ipſam tunicam, hic dimi-*

Obijt Annô 1174.

dimidiam, integram ille dedit, uterque hyeme: ſed ille in ipſis Alpibus, & Martino reſiduæ plures veſtes arcendo frigori, chlamyde aptiores: Petri, ſola cuculla Monachalis ſoluta, & laxa, corpus magìs tegebat, quàm protegebat. Denique illi quies pro ſolatio, huic itineris labor, atque ipſa membrorum agitatio pro veſte fuit. Hæc Angelus: qui ad Annum *cit:* 1138. *cap.* 11. *n.* 8. ampliùs addit ex *Gaufrido Alta-Cumbæ Abbate*, ſcriptore vitæ ſanctiſſimi Præſulis: *Furabatur quæ ſua erant, etiam quæ ſuorum, vel ſibi adeò familiarium, ut certus foret, in ſuo eis damno fore complacitum.* Et quidem hæc pia furta omnia impenſa pauperibus, quibus ſeu ſuſtentandis, ſeu operiendis unicè ſtudebat optimus Antiſtes. Omnium igitur egenorum acclamatione cultus advocatus, Patérque, eas laudes eluſit adversâ opinione, quòd diceret, beneficium activè ſtare penès indigentes, qui ſibi occaſionem præſtarent benefaciendi, ſinè quibus, ùtùt vellet, eleemoſynam diſpenſare haud poſſet. Mitto alia: ſolô claudo Manriquei elogiô miſericordias clariſſimi Præſulis, quòd ſcilicèt *digna ſint ſcribi cordibus hominum*; melioribus quippe tabulis conſignari vix queat tanti Viri charitas, quàm charitatis illâ primâ ſede.

Apud *Anglos*, *Scotóſque* claruêre miſericordiæ Viri. *B. WALLENUS Meilroſenſis* Abbas, qui ingraveſcente fame, cùm inopum miſerabilis grex, quorum numerus ad quatuor facilè millia excreverat, panes peteret, neque Abbas Sanctus haberet, qui tantæ multitudini ſufficerent, cum Cellerario ſuo, *Tina*, nomine, ad gemina Cœnobij horrea progreſſus, baculum, cui innitebatur, frumenti cumulis infixit, genua flexit, ſignóque crucis annonam illam benedixit, imperiô fidenter datô *Tinæ* diſpenſatori: *diſperge nunc*, inquit, *& da ſecurè nobis & pauperibus, quia DEUS incrementum dabit, & augebit, & multiplicabit ſufficienter neceſſaria noſtrorum & pauperum uſibus.* Non ſunt fruſtratæ Viri ſancti ſpes & vaticinia, auctis frumentorum cumulis per integros tres menſes, qui cæteroquin ſpatiô duarum hebdomadarum facilè fuiſſent abſumpti, præſertim à tanta pauperum indies indè veſcentium famelica turba, ad cujus aſpectum Tina, egregius ille, piúſque diſpenſator orſus exclamare: *Caſtra DEI, Caſtra DEI ſunt hæc*! Et quídni pauperes divina ſint caſtra, quibus Cœlum expugnetur? Cùm primùm *Obijt Annô 1160.*

Mmmmmmmmm novas

novas fruges ſubminiſtrâſſet matura & collecta meſſis, cumuli illi priores ſenſim minuti ſunt, velutì jam functi impoſitô ſibi divinitùs munere, ut ſervirent neceſſitati, quâ ceſſante ipſi pariter deſinerent eſſe obſequioſi. Sic etiam in Cœnobio
Floruit circa Annum 1147. *Marganenſi* ſub B. *CUNANO* Abbate, in ſumma annonæ caritate aucta perſæpè cælitùs frumenta ſunt, atque ipſa Cœnobij meſſis aliquando integrô menſe citiùs, quàm cætera incolarum maturuit. Commendandi pariter alij duo egregij pau-
Vixit circa Annũ 1300. perum Mœcænates, S. ROBERTUS & B. HUGO Novi Monaſterij Abbates: quorum poſterior hic communi plauſu ſalutatus *Pater pauperum*: prior ille ſpectatiſſimæ ſanctimoniæ Præſul, atque eleemoſynarius celeberrimus, Chriſti Salvatoris ſub mendicabuli tegumento deliteſcentis hoſpitiô fortunatus.

Apud Hiſpanos miſericordiæ laude excellentiſſima Domus eſt, nuncupata URSARIA, cui quemadmodum fidenter pronunciat *Angelus noſter* ad annum 1140. *cap.* 13. *n.* 8. *&* 9. DEUS adeò benedixit, *ut à tempore Alphonſi Imperatoris uſque ad hæc noſtra per quingentos circiter annos nullum non Regem munificum experta, nullum non Principem, creverit velut in immenſum poſſeſſio ejus.* Et hæc quidem rerum opulentia pro primo fonte habuit, de mente ejuſdem *Angeli*, juges Urſarienſium eleemoſynas, quibus egenorum miſerandam inopiam per tot jam ſæcula largiſſimâ ſemper pietate ſublevavêre. Aſſerit *Manriquens citatus*, in *Rationum libris*, cùm illam Domum ex munere viſitaviſſet, ſeſe legiſſe, pientiſſimos Urſariæ alumnos eô tempore, quô Provincia illa fame afflicta eſt, per annos ſingulos expendiſſe ad decies mille ducatos pro annona genti famelicæ comparanda. Unde etiam *Philippus II.* Hiſpaniarum Monarcha Regiâ gratulatione per epiſtolam ad Urſariæ Abbatem *Ambroſium Lopez* perſcriptam, collaudavit *Viri largitatem, benignitatémque*, quâ *Annô* 1598. cùm fames, contagióque potentiſſimè ſæviret, *pauperibus Chriſti providiſſet.* Non invidendæ ſanè opes illis miſericordiæ inclytis Viris, quas tantô ſumptu rursùs profundant in egentium ſolatia.

Apud *Belgas* charitatis eximiæ commendatione floruit B.
Floruit Annô 1143. RADULPHUS primus *Valcellenſium* Abbas, qui ingruente fame

fame pluſquam quinquies mille pauperes, hoſpitéſque ad Cœnobij fores, pane pulmentóque per dies ſingulos ſuſtentans, Joſephi Ægyptij nomen laudéſque à gratiſſimis Belgij alumnis meruit, tulítque. Ultrà illam ingentem turbam alendi prætereà erant ægroti, prægnantes, nutrientéſque, quibus abſentibus per adminiſtros nuncios Radulphi juſſu alimonia perlata eſt. Accuſabant eam liberalitatem Nicolaus Epiſcopus, & Simon Caſtellanus, Cameracenſes, quòd dilapidationis crimen, non pietatis, miſericordiæque virtus eſſet: evacuandam ſcilicèt eâ prodigalitate brevì ſubſtantiam domûs, cogendóſque ſubinde Monachos ipſos ad mendicitatem. Quorum ſenſa Abbas ſanctus vultu ſeveriſsimô redarguens, *Si*, inquit, *fruges defecerint*, *convertemur ad animalia*, *atque oves*, *boves*; *& quæcunque habuerimus*, *cum pauperibus in communi manducabimus.* Quod verbum non eâ libertate accipiendum eſt, quaſi Radulphus adversùs Ordinis tunc vigentes leges Fratribus conceſſurus eſſet facultatem veſcendi carnibus; verùm ut animi ſui ſolidiſsimam fiduciam proderet, quâ totus penderet à divinæ bonitatis benigniſsima providentia, cujus auſpicijs nîl unquam eſſet defuturum. Et ſanè ità evenit; intactis namque animalibus pauperes, Fratréſque ſuſtentati ſunt, uſque dum novæ fruges ſuccreviſſent. Erat Radulphus ob ea cum cælo commercia Principibus in primis venerabilis: unde cùm Cameracenſium præmemoratus Præſul Nicolaus aliquando videret Abbatis Sancti vultum ex zelo, quô ardebat, ferventem, in ſéque commotum, non ſecùs pavore perculſus eſt, ac ſi vultum conſpexiſſet commoti Angeli: eapropter timidè exclamavit: *Miſericordiam*, *miſericordiam*! *Plus enim vos æſtimo*, *quàm Dominum Imperatorem!*

Apud *Germanos* pariter ſub *Annum* 1197. graſſante atroci fame Ciſtercienſes Abbates in Patriæ ſolatia largiſsimâ manu erogavêre alimenta, atque id quidem rursùs per prodigia, præſertim HEISTERBACI auctis panibus, frumentíſque, quod notat *Cæſarius Lib.* 4. *cap.* 65. In ipſis enim clauſtralibus furnis atque etiam in ſaccis, panum farinæque incrementa luculenter notabantur à Converſis piſtoribus. Et pauperum ingens turba præſentis miraculi beneficiô felix, inter admira-

tionis verba ſumebat indies alimenta inquiens : *Domine DEUS, unde venit omnis annona iſta !* Ità Heiſterbaci cælitùs probata noſtrorum eſt charitas, nec minùs remunerata alibi per prodigia, refundente liberaliter DEO, quod pauperibus fuerat à nobis miſericorditer erogatum. Memoranda etiam Cœnobij SALEMITANI apud Suevos, & LANKHEIMENSIS apud Francones antiquitùs obſervata inſignis hoſpitalitas, ubi ſeu Fundatorum munificentiâ, ſeu noſtrorum charitate, ſeu rectiùs utrâque, certa reddituum portio deſtinata fuerat pro quibusvis viatoribus, qui illas ſeu pedites, ſeu equites iter facerent, ut noctis unius gratuitô hoſpitiô ſuſciperentur. Non ideò hæc duo duntaxat Cœnobia adduxi, quaſi in alijs non viguerit hoſpitalitatis religio, obſervantiáque ; ſed quia apud *Manriqueum*, atque *Jongelinum*, Scriptores noſtros domeſticos, gemina hæcce præcipuè Monaſteria in hoc charitatis, hoſpitiíque genere laudari videam. *Sanè in Hiſpania* (ſcribit *Angelus ad annum* 1138. *cap.* 14. *n.* 3.) *pauperibus, Religioſiſque quacunque quantumvis pauper : ditiores domus patent etiam potentibus.* Atque etiam extra Hiſpaniam per Orbem reliquum Ciſtercienſes noſtri egregiè ſunt hoſpitales : quòd probè ſciant, Pontificum Bullis, Patrum Primorum traditione, Principum munificentiâ impensè commendatum, impoſitúmque ſibi olim eſſe id munus, ut gratiſsimô hoſpitij obſequiô exciperent fideles viatores, Chriſto Capiti impendentes, quod membris, præcipuè indigentibus exhiberent.

Fundatum Annô 1212. Perſtat hodie in Hiſpanijs opus illuſtre, HOSPITALE ſeu *Xenodochium* Regium HUELGENSE, propè *Burgos*, quod fundavit Alphonſus Rex, bellô adorſurus Sarracenos, pro peregrinis, qui ad *Divi Jacobi Apoſtoli Compoſtellanum Sepulchrum*, atque Auguſtæ Virginis prodigioſam Iconem in *Guadalupe* ad reddenda vota eſſent profecturi. Stat ea Regia moles è regione Huelgenſis illuſtriſsimi Parthenonis ſub Abbatiſſæ gubernaculis, & Converſorum Ciſtercienſium perenni adminiſtratione, peregrinantium ingenti commodô, quod ſeu valentes, ſeu ægroti, ſeu de die, ſeu noctu, ad hoſpitale hoc divertant, inveniant noſtros ſemper ex munere paratos obſequi advenientium neceſsitati. Fæminarum cætus ſuſtentat, curátque

curátque accurrentes fæminas: Virorum Collegium viros. Quotidianis ſumptibus per quinque ferè jam ſæcula exhauriri non potuêre amplisſimi proventus, quin imò, quod notat Manriqueus ad *annum* 1212. *cap.* 9. *n.* 11. ſeu converſorum ſedulâ œconomiâ, ſeu peculiari Numinis benedictione, cum tempore ampliùs aucti, in præſens uſque, in peregrinantium ſolatia, usúſque pauperum alacriter diſpenſantur. Illud hìc ex *cit: Angelo* obſervo, *Burgenſem Civitatem*, priuſquam Huelgenſe Cœnobium, atque Xenodochium, Caſtellæ Regum munificentiâ fundata ſurrexiſſent, Regiæ urbis, ſedíſque nomen non habuiſſe; Cœpiſſe autem Regium titulum uſurpare, conſtructô quàmprimum Parthenone, Hoſpitali, atque Palatiô Regiô: *ut proinde*(quemadmodum notat idem *Angelus num.* 1.) *debeant Burgi Cœnobio, & Hoſpitali per Alphonſum conſtructis, quòd hodiéque conſervent Regium nomen.*

Porrò etiam hôc locô memoranda alia nonnulla noſtrorum *Hoſpitalia.* Atque in primis iterum iterúmque à nobis, at nunquam ſatìs laudatus *Divus Petrus Tarantaſienſis Antiſtes*, pauperum omnium ille Pater ac Curator, charitatis ſuæ viſcera, beneficiáque non ad præſentes duntaxat, verùm etiam ad futuros largiſſimè extendit, conſtructis in *Sabaudia* TRIBUS XENODOCHIJS, proventuúmque perennitate dotatis. Apud *Luſitanos* in urbe *Conimbrica* hodiedum viſitur celebre XENODOCHIUM *PRO LEPROSIS* olim extructum ab Abbate de *Alcobacia* regijs ſumptibus, quos *Sanctius* Rex ad eam ſtructuram eidem Præſulis ſupremis tabulis Annô 1211. deſtinaverat. Apud GANDAVENSES in Belgio Virgines noſtræ, Parthenoni *Bilokani* in *Noſocomio* ante annos facilè 490. fundato, liberaliſſimâ charitate ægros ſuſcipiunt, præſtántque opem, quam poſſunt, miſeris. INSULIS in Flandria noſtræ pariter veſtales *geminis* præſunt *Xenodochijs*, quorum alterum nuncupatur *S. Salvatoris*, alterum *Comitiſſa.* Quemadmodum etiam CORTRACI *duo* itidem *Noſocomia*, unum cis, alterum trans Liſam, noſtrarum Virginum ſumptu, ac curis in ægrotantium ſolatia adminiſtrantur, uti perhibet *Aubertus Miraus Chron: Ciſt: pag.* 267. Memorandum præterea hìc ROMANUM Ordinis noſtri COLLEGIUM, quod pro *Pauperibus ac honeſtis*

viduis ac puellis noſtrorum procurıtione, & Mecænatum impendijs Annô 1587. fundatum approbatúmque eſt à *Sixto Papa V.* aſſignatâ novis fæmineis Collegis Eccleſiâ *SS. Viti*, *Modeſti*, & *Creſcentiæ*, ſummô indigentium bonô, quòd nempè eô pactô Ciſtercij auſpicijs, conſuleretur earundem pudori, pietatíque. Hæc charitatis glorioſa ſpecimina, luculenta ſanè ſunt indicia, quantis affectibus per Chriſti Orbem caleat Ciſtercius Ordo in miſerorum levamina.

Rerum, Gentiúmque incertô ac promiſcuô ordine perluſtrabo nunc materias reliquas. Atque in primis non ſine fauſti ominis charactere id noto, Ordinis Ciſtercij prima auſpicia fatorum benignitate in eadem propè coincidiſſe tempora cum HIEROSOLYMORUM fauſtâ expugnatione. Conditô namque Ciſterciô ſub annum 1098. poſterior 1099. per Europæorum Principum ſocialia arma Hieroſolymas Chriſtianis reſtituit, *Godefridô Bullioniô*, qui primus ſupra Urbis ſanctæ muros evaſerat, evectô ad novi Regni capeſſenda inſignia. Credo ſanè, naſcentis Ciſtercij, atque triumphi illius ſacerrimi temporaneâ penè conjunctione bona fata voluiſſe portendere arma viróſque, qui numeroſâ cohorte ſub mellifluæ Familiæ labaris Sarracenos, Barbaróſque olim forent debellaturi. Et quidem Hieroſolymæ ipſæ ad Ciſtercij res, laudéſque pertinent; quoniam cùm rursùs poſt obitum *Fulionis* Regis, in venationis fervore, equô excuſſi, atque è fatali lapſu poſt biduum extincti, non multò pòſt Sarraceni, muliebria *Meleſcindæ* Reginæ viduæ gubernacula laceſſentes, urbem, terrámque ſanctam Chriſtianis eripuiſſent, Anno 1146. EUGENIUS III. Papa è Ciſtercio, atque Bernardus Pater ſacrô claſſicô Orbis Orthodoxi Principes in cruciatum fœdus conſociavêre, qui è Salvatoris patria paganam gentem exturbarent. Subinde GREGORIUS VIII. & idem è Ciſtercio Pontifex, Anno 1187. Bullâ Cruciatâ univerſam penè Europam commovit adversùs eoſdem Barbaros Jeroſolymæô Regnô excutiendos. Porrò BERNARDUS etiam ab obitu *Amalrico* Hieroſolymitano Regi *Annô* 1167. è Cœlo adfuit adjutor, victoriæ ſcilicèt de Sarracenis in Ægypto reportandæ lætus vates, & auſpex; nocte enim, quæ prælium anteceſſit, Amalrico quieſcenti ſpectabilis Pater

San-

Sanctus, vivificæ Crucis partem, è Collo Regis pro more temporis illius pendulam, manu præhendens, eáque Amalricum benedicens, fauſtô vaticiniô Regium pectus implevit: *In hoc*, inquit, *ſigno vinces: & in periculo timoris magni, quale nunquam hactenùs expertus es, ſinè læſione tui, hoſtiles incurſus evades.* Hôc dictô ſimulavit Sanctus diſceſſum, aſportans ſecum illam ipſam Crucem, quâ benedixerat. Abeuntem ergo Rex apprehendit, obteſtánſque dixit: *Non dimittam te, niſì Crucem dimiſeris mihi.* Cui Bernardus: *Noli*, inquit, *noli Rex! alios filios habeo, quos oportet hujus Crucis ſignaculô benedici.* Inter quæ ſacra jurgia ſolutus ſopor Regiam mentem ad vigiles, de ſomnio curas ſolicitè advertit. Commiſſum eſt eâ die cum Barbaris prælium, Réxque pugnandi fervore à ſuis avulſus, intrà medios hoſtium cuneos perlatus eſt, diſcrimine vitæ præſentiſſimô. Tum ille viſionis nocturnæ memor, divinam opem, ſanctíque patrocinium implorans, pollicitus eſt, ſi è periculo incolumis emerſerit, transmiſſurum ſe in Claram-Vallem Crucem, quam Bernardus in quiete viſus fuerat pro Filijs poſtulaviſſe. Et en! deſideratiſſimæ è Cœlo ſuppetiæ Bernardi interventu feſtinatæ! Triginta namque è Chriſtianis militibus Regem eminùs conſpicientes, accenſi eô periculi Regij horrore, inſigni audaciâ, atque etiam militari ingeniô paganorum pugnam in ſe averterunt, eâ ratione ſecuritatem Principi ſuo procurantes. Quindecim ſubinde è Templarijs inclyti heroës per confertiſſima hoſtium agmina fortiſsimè penetrantes, Regem, ab hoſtibus eouſque adhuc incognitum, diſcrimini exemerunt. Tum demum Amalricus integram ſomnij imaginem, cum prælij ſcena pleniùs componens, vaticiniáque ſancti atque eventus intimiùs diſcutiens, laudem gratiáſque dedit DEO, & plauſum Sancto, crucémque ad Clara-Vallenſes in tantæ rei, victoriæque, ac ſalutis Regiæ trophæum, perenni Religione ſervandam tranſmiſit. Et hæc eſt illa ipſa Crucis ſanctæ pars, hodie circumdata aurô gemmíſque, cujus *ſuperiore titulô* meminimus. Pertinet igitur *Hieroſolymitani* Regni Regíſque memoria ad Ciſtercij gloriam, Bernardô, & cùm viveret, atque etiam in Cœlis poſt fata glorioſô, utriuſque felicitatem maximopere promovente. Neque tacendus hôc loco

Manriq: ad annum 1173. cap. 6.

cô *Ordo templarius*, Meliflui Parentis auſpicijs ac legibus, Hieroſolymitanis peregrinis datus in cuſtodiam atque tutelam.

CONSTANTINOPOLIS, Græci Imperij Sedes, *Annô* 1204. à Latinis Cruce ſignatis obſidione intercepta novum obtinuit ex occidente ſidus, *Balduinum* Flandriæ Comitem, Orientis illuſtre jubar. Is occupatâ Urbe, captóque Marciflô Tyrannô, à fæderatis Principibus, in Conſtantinopoleos Imperatorem conclamatus eſt, non ſinè Ciſtercio. E quinque enim Eccleſiaſticis Electoribus, quorum ſuffragijs (præter decem alios è Proceribus laicis) novus Imperator eſt renunciatus, fuit *B. Oglerus Abbas Locedij*, Vir in ea expeditione celeberrimus: Cujus ſubinde etiam ſuaſu Conſtantinopolitanus Patriarcha inſtitutus eſt, è Venetis *Thomas Maurocenus*, qui Baldvinum Imperatoriô diademate, Eccleſiæ utriuſque, Græcæ, latinæque per ea auſpicia uniendæ communi plauſu inauguravit. Fuit præterea ſacri illius belli pars non modica *Martinus*, Abbas de Pariſio apud Alſatas, laudatus jam ſuprà *Tit.* 11. Manriqueus ad *annum* 1204. *c.* 8. *n.* 6. de cruciato hoc bello diſſerens, verbis luculentis pronunciat in Ciſtercij favorem: *Ità nihil ferè in tota expeditione factum eſt, quod non per noſtros magna ex parte factum, in noſtros etiam veniat referendum.*

BULGARIA quoque Annô 1203. illuſtrata eſt *Ioannis* II. Abbatis *Caſa-Marij* ſolemni legatione, quâ ex dato ſibi per Innocentium III. Imperio perfunctus, authoritate Pontificiâ à *Calo-Ioanne Bulgarorum Rege*, populíſque ſubditis juramentum excepit, vigore cujus in Romana ſacra, leges, obedientiámque Innocentij unà ſimul tranſierint.

Obijt Annô 1205. Paulò antè laudatus *B. Oglerus*, *Locedenſium* Venerabilis Abbas novô præterea meritô hìc venit commendandus, quòd nempe DUELLA, illum vindicandi, moriendíque damnabilem impetum, Pontificiæ commiſſionis adminiculô è *Lombardia* penitùs proſcripſerit, geniô zelóque ardens, quô hodie eadem occumbendi libido & facilitas ſeveriſsimis Principum legibus apud nonnullas Chriſtianas gentes cohibita eſt. Alius rursùs illuſtris character eundem *Oglerum* ornat, quòd DÆMONUM TERROR, & profligator, ingratos hoſpites ex energumenis

gumenis

gumenis ejecerit magnô numerô. Fuerat non procul *Januâ* apud Italos oppidum quoddam, ubi non paucos è Civibus, judiciô DEI ſub initium occultô, divexabant ſpiritus immundi, intra corpora eorundem conſidentes. Tentati per Eccleſiæ exorciſmos à pluribus, periſtitêre Contumaces in occupatis ſedibus: donec tandem à Sancto noſtro Abbate torti compulsíque ad confeſsionem, quâ nimirùm viâ, quóve hominum flagitiô ingreſſi fuiſſent, quíve eſſent? Vocis horrore repoſuêre omnes, ſordidæ illius legionis ſocios ſe eſſe, qui olim Chriſti juſſu ex hominibus ejecti porcorum gregem occupaviſſent, ſeſe unà cum fædiſſimis ſedibus in mare præcipitantes: ſubinde ex undis emerſiſſe, divinóque deſtinatos imperiô ad torquendos hóſce incolas, eò quòd linguæ impudentiſſimæ vitiô auſi tangere divinæ atque intaminatæ Parentis puriſſimos honores: incolatum nunc ſe habere non adeò diſſimilem illi, quem olim in impuriſſimo grege fuiſſent ſortiti; & certè etiam ſceleris fæditate ſordentem ampliùs; ex incolarum identitate optimè haud dubiè argui hoſpitij ſimilitudinem. Iuſsit illicò, factâ confeſsione, monſtra excedere, Abbas ſanctus, feſtinaréque ad inferos. Hæc ſanè Mariæ-Maſtygum fæda quidem, ſed juſta ſupplicia ſilere non potuit penna, Ciſtercij undis madida, Bernardi imitata genium, pro DEIparæ reverentia omittentis omninò nihil, & audentis pro Virgine, ubiubi potuit maxima quæque. Nunc rursùs ad lineam.

HIBERNIÆ etiam faſtis beneficij celebris memoriam inſcripſit Divus noſter *Malachias* Archi-Præſul: expulſum namque *Cormachum* Regem *Mumoniæ*, quæ eſt pars Hiberniæ auſtralis, ſuô præſertim conſiliô ac hortatu Regijs gubernaculis denuò feliciter admovit. *Obiit S. Malachias Annó 1148.* SCOTIÆ præterea Regnum Ciſtercio æquè devinctum in *Arnaldo* Melroſæ Abbate, qui Annô 1182. ad Lucium III. Papam legatione functus, reportavit â Curia optatiſsimam *abſolutionem à generali Eccleſiæ interdicto*, quô Willelmum Scotorum Regem, totúmque Regnum nuper per ſententiam innodaverat poteſtas Apoſtolica. Nec minùs in DANIÆ Regnum officioſi è Mellifluo Sodalitio Viri, Abbates de *Ciſtercio*, & de *Clara-Valle ad annum* 1195. quô *Kanuti* Danorum Regis illuſtres Legatos, è Romana Curia à Chriſti

Ooooooooo Vica-

Vicario per Galliæ Regnum ad Patriam revertentes, à Philippo Franciæ Rege Danis offenſo detentos, ſuâ præprimis operâ è cuſtodia eliberârunt, in utrumque Regem, atque inſuper in jus gentium pij ac obſervantes, Daniæ quidem proſpicientes, nè ampliùs læderetur in Legatis, Franco, nè animi impetu admiſſum crimen exulceraret longiori morâ.

Dabantur porrò veluti de ſtylo ordinario paſſim *Epiſcopis* atque *Eccleſijs* JUDICES, ARBITRI, PATRONIque è Ciſtercio, qui diſſidia componerent, pacémque ſererent inter litigantes. Paucorum nomina hanc ſcenam ſuſtineant. Atque in primis ſub *Annum* 1124. *Bernardus*, ille pacis Pater & Princeps ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM graviſſimâ diſcordiâ diſsidentem cum populo, poſtquam multi ſinè fructu tentâſſent inter utrumque fædera, tandem conſummavit arduum opus feliciter, inter ipſos pacis tractatus clarus prodigijs, quò ampliùs pertraherentur Patres ad concordiam, & ſenſa ſancti, & *confunderentur non parere homines* (quemadmodum ait Manriqueus ad *annum* 1124. *c*.4. *n*. 1.) *Cui creaturæ etiam irrationales, cui vel dæmones ipſi obtemperabant.* Ft commendari ad hunc etiam præmemoratum annum debet Patrum noſtrorum zelus glorioſus, quô *Eccleſiam Gallicanam* in nonnullis Prælatis deviantem à ſemita atque amuſsi vitæ Apoſtolicæ, & paulùm profanâ converſatione puritatem modeſtiámque ſtatûs Clericalis vitiantem, pro gloria DEI, & Galliarum ſplendore in meliorem formam redegêre. Præcipui è Patribus, qui ijs Apoſtolicis laboribus occupabantur, *Stephanus*, Ciſtercij, *Bernardus* Claræ-Vallis, *Hugo* Pontigniaci, *Ioannes* Bonæ-Vallis Abbates, cæteríque è gremio ad id opus idonei, ac ſelecti: profectu ſecutô, quem ipſe *Baronius* ad annum Chriſti 1127. in Annalibus ſuis collaudavit. Idem etiam annus 1127. novô theatrô Ciſtercij merita, gloriámque explicuit, *Stephanô* nimirum PARISIENSIUM ANTISTITE, Regia Ludovici odia perpeſsô, rebúſque ſuis per violentiam contra fas ſpoliatô, primùm quidem recurrente ad Metropolitanum Senonenſem, Subinde, cùm Rex perſtaret in ſententia, Ciſtercium digreſſô ad Patres Ordinis in Capitulo Generali congregatos, opémque eorundem interpellante, quam ſibi ùt familiari, ùt fratri ad precum, ſuffra-

ſuffragiorúmque communionem nuper ſuſcepto, ex munere deberent: *Quippe* (ità lego Illuſtriſsimum Antiſtitem *Stephanum* perorantem apud Manriqueum *ad annum cit.* 1127. *c.* 1. *n.* 6.) *Sanctos Viros quantumvìs ſolitarios, non ſibi ſolis natos, ſed bono publico: nec licere Ciſtercienſium, recens, ſed ingens lumen Orbi exortum, per cohibentiam ea diſſimulare, quibus Eccleſiæ decor obnubiletur. Optare ſe præcipuè è Ciſtercio propitiatores ad Regem, ad Honorium Pontificem, atque etiam ad DEum, qui corda movet Princìpum.* Præſulis afflicti malis impensè condolentes Patres, communicatis votis ſtatuêre, ſuccurrendum eſſe Sponſæ Chriſti, neque à Servis DEI ſilentiô diſsimulandam exorbitantem in ſacra Eccleſiarum jura Regis licentiam: itaque zelô igneô à Viris Sanctis concepta eſt epiſtola, perſcriptáque ad Ludovicum, digna ſanè, quæ huc integra è Manriqueo tranſcribatur, quoniam in ea velutì in imagine ſpectanda venit vel naſcentis Ciſtercij pro tutanda Eccleſia ſolicitudo, erga Reges amor, reverentia, atque etiam authoritas, quos ſcilicèt ità monere auſi ſint. Igitur literarum ſenſus talis: *Eximio Regi Francorum, Ludovico, Stephanus Abbas Ciſtercienſis, totúſque Conventus Abbatum, & Fratrum Ciſtercienſium, ſalutem ſoſpitatem, & pacem in Chriſto JESU. Rex cæli & terræ regnum vobis in terra donavit, donaturus & in cælo, ſi id, quod accepiſtis, juſtè & ſapienter adminiſtrare ſtudueritis. Hoc eſt, quod vobis optamus, & pro vobis oramus, ut & hìc fideliter, & illic feliciter regnetis. Caterùm vos quônam conſiliô eiſdem noſtris pro vobis orationibus (quas ſi recolitis, olim tam humiliter requiſiſtis) modò tam acriter repugnatis? Quâ enim jam fiduciâ manus pro vobis levare præſumimus ad Sponſum Eccleſiæ, quam ità, & ſinè cauſa, ùt putamus, auſu inconſultô contriſtatis? Gravem ſiquidem adversùm vos, apud eundem Sponſum, & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attenditis jam, cui ex hoc infenſum vos redditis? Non utique Epiſcopo Pariſienſi, ſed Domino Paradiſi: & quidem terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum. Ipſè quippe eſt, qui ad Epiſcopos dicit: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Hæc ità vobis, & pro vobis audacter quidem, ſed amanter intimare curavimus: monentes, & rogantes per illam invicem amicitiam noſtram, & fraternitatem, cui vos ſatìs dignanter ſociâſtis, ſed nunc ipſam graviter læſiſtis, quatenùs à tanto malo citiùs deſiſtatis. Allioquin ſi non meremur exaudiri, ſed contemnimur, & nos fratres, & amici veſtri,*

qui quotidie oramus pro vobis, & filijs veſtris, & regno: ex hoc jam noveritis parvitatem noſtram, in quibus valuerit, non poſſe deeſſe Eccleſiæ DEI, & miniſtro ejus, Venerabili videlicèt Patri, & amico noſtro, Epiſcopo Pariſienſi, qui noſtram adversùs vos humilitatem interpellans, noſtras pro ſe ad Dominum Papam jure fraternitatis litteras requiſivit. Verùm nos juſtum ducentes his priùs litteris veſtram Excellentiam convenire, præſertim quia idem Epiſcopus per manum omnium Religioſorum ſe ad juſtitiam offert; Si tamen priùs (quod quidem eadem ipſa juſtitia videtur exigere) res ei ſuæ injuſtè ablatæ reſtituantur, ejus interim petitioni differendo ſuperſedimus. Et ſiquidem, DEO inſpirante, placuerit vobis noſtris precibus aurem inclinare, noſtrô conſiliô, ſtudiôque pacem cum Epiſcopo, imò cum DEO reformare: parati ſumus hujus rei gratiâ fatigari uſque ad vos, quocunque vobis placuerit. Sin autem; nos amicum audire, & DEI Sacerdoti obedire neceſſe eſt. Valete. Epiſtolæ erudita ſua ſenſa ſubijcit *Angelus locô cit. num.* 8. *Hactenùs Stephanus, & Abbates ad Regem Galliæ, quibus non ſolùm videas auctoritatem, libertatémque Virorum, ſed & mireris Regis pietatem, vel in ipſa impietate relucentem, quippe, cui talia potuerint ſcribi, non indè exaſperando, ſed perſvadendo.* Videbatur quidem primùm beneficiô illius è Ciſtercio legationis ad meliora reſpicere Rex: at ſubinde rursùs refricatâ vulneris cicatrice acerbior in Præſulem reſumebat priſtina odia: & quanquam *Bernardus* cum ſocio *Hugone* pro Antiſtitis illuſtris ſalute nihil non tentans, nihil omittens, etiam genuflexus, quod mireris, exulcerato Principi ſuggereret ſaniora conſilia, quibus animi illa aſperitas, rigórque mitigaretur; at fruſtrà tum quidem laboratum eſt. Cùm ecce Parens Mellifluus ſatìs ratus fudiſſe mella, vaticiniô plenus, vindictam è cœlo mox imminentem ſtylô fulminante Regi pronunciavit, nî mitioribus conſilijs uteretur: explicuítque ultionis Divinæ modum genúſque hôc verborum tonitru: *Hæc*, inquit, *tua, Rex, pertinacia, filij interitu multabitur.* Evolutô trienniô Ludovici primogenitus immaturô fatô Parentis culpam luit, prophetiam Sancti implens infauſtô eventu, Regnúmque luctu. Interea Legati ambo Honorio Papæ III. Regiæ mentis obſtinationem, Præſulíſque Stephani, atque inſuper Eccleſiæ calamitatem communi planctu per literas nunciavêre. Epiſtolæ fragmentum hìc inſero: *Summo Pontifici Honorio, pauperum Chriſti Abbates, Hugo de Pontigniaco, & Ber-*

Bernardus de Clara-Valle, quidquid poteſt peccatorum oratio. Lachrymabilem Epiſcoporum, imò totius Eccleſiæ querimoniam, nos quoque ejus filij, ſi tamen digni; diſſimulare non poſſumus. Quæ vidimus, loquimur. Magna ſiquidem nos neceſſitas de clauſtris ad publicum traxit, ubi, & quod loquimur, vidimus. Triſtes vidimus, triſtes eloquimur, honorem Eccleſiæ, Honorij tempore non minimè læſum &c. Ideò hæc fuſiùs adduximus, ut videat Lector, ſub prima jam Ciſtercij incunabula, noſtros, cùm vix dum plenè conſediſſent intra paucularum domuum clauſtra & parietes, evocatos tamen ad Regum, Pontificúmque Curias, alacriter proſilijſſe ad libertatis Eccleſiaſticæ vindicias: ídque, quod præcipuè noto, ad vota precéſque ipſorum Antiſtitum, qui Ciſtercium veluti in cauſæ ſuæ clypeum aſſumpſerant.

LUGDUNENSIS præterea Eccleſia gratæ memoriæ monimentum erga Ciſtercium ſervat in *Guidone de Fugiers S. Theologiæ Doctore*, Abbate Cænobij de *Boſcando* apud Gallos, qui Annô 1536. electus arbiter inter ejuſdem ſedis Canonicos juniores, ſenioréſque in cauſa appellationis ad Parlamentum, pro fructibus Eccleſiæ recipiendis, litigium prudentiſſimè abſolvit, amicâ compoſitione utroſque rursùs connectens. Dati etiam in ijſdem Gallijs Annô 1234. Judices è Ciſtercio: BAJOENSI Epiſcopo Abbas *Pontis-Alti*: NARBONENSI Archi-Præſuli Abbates *Grandis-Sylvæ*, & *Fontis-Frigidi* compoſuêre diſſidia ſatìs implicata. Et quidem hoc præcipuè obſervat *Angelus* ad annum 1231. *cap. 6. n. 6. Vix à Gregorio, ſucceſſoribúſq; quid magnum ſive actum, ſive peractum, cujus expers Ciſtercium, aut non ipſius interventu perageretur.*

Memoranda pariter *Germania*, è qua *Albero*, TREVIRENSIUM illuſtris Antiſtes Annô 1135. in *Claram-Vallem* feſtinavit, conſilium auxiliúmque imploraturus à *Bernardo* adversùs ſuffraganeos munerum ſuorum minùs obſervantes. Præſtitit utrumque egregiè Abbas Sanctus apud *Innocentium*, & quibus potuit viribus Pontifici *Alberonis* negotia commendavit. Annô 1235. MAGDEBURGENSIS Archi-Epiſcopalis Sedes preſſa debitis à Gregorio IX. duos è Ciſtercio Adminiſtratores obtinuit, Abbates de *Lenin*, & de *Cinna* Archi-Epiſcopô ipsô gratanter ſuſci-

piente ordinationem Pontificiam; ipsóſque Viros, qui aggravantem eam Eccleſiæ ſarcinam ſuâ ſolicitudine excuterent, expungeréntque feliciter æris alieni infeſta nomina.

Annô 1218. vehementi procellâ BOHEMIA concuſſa eſt, *Ottocarô* Rege graviſſimâ offensâ, in cauſa decimarũ, ab *Andrea* PRAGENSIUM Præſule, diſſidente. Comiſſum eſt ab *Honorio* Papa primò negotium Epiſcopo *Ratisbonenſi*, atque Abbati de *Waldſaſſio*: ſubinde etiam adjunctus Abbas de *Ebraco*, per quos inter partes procurata concordia, ac tandem Annô 1220 per Archi-Epiſcopum *Salisburgenſem*, & Abbatem *S. Crucis* ex Auſtria ſolutô litigiô firmata Pax: ut ſcilicèt & cœptæ, & continuatæ, & ſtabilitæ compoſitionis negotium, quaſi triplici funiculô ad Ciſtercium pertineret, è quo illa Abbatum fauſta Trias evocata ſit, quæ Regnum atque ſacerdotium rursùs colligaret, ingenti ſanè utriuſque emolumentô, atque exinde perenni erga Ciſtercium gratitudine. Annô 1227. etiam OLOMUCIUM apud MORAVOS è Ciſtercio beneficium hauſit per Abbates *Waldſaſſenſem, & Lubecenſem*(fortè *Lubenſem* ſcribere voluit Manriqueus ad annum 1227. *c*.8.*n*. 10.) qui Olomucenſium Epiſcopo, nonnullíſque è Canonicorum Collegio, quos inter diſſidium exarſerat, dati ſunt à Gregorio Papa IX. Judices, atque à Partibus reverenter ſuſcepti, quorum prudentiâ jurgia componerentur. In SILESIA pariter Annô 1236. ad Canonicos WRATISLAVIENSES cum Henrico Duce, cognomentô Barbato diſſidentes ab eodem *Gregorio* IX. legati deſtinantur Abbates *de Luba & Sancti Vincentij*, prior ille è Ciſtercij, alter è Præmonſtrati Familia, quorum ſtudijs pacatæ Partes, & reducta concordia. Nec minùs in HUNGARIA laboratum per noſtros, Abbates ſcilicèt *Belliſontanum* atque *Peliszienſem*, quos Annô 1253 ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS, Regni Primas, & *Abbas cum Conventu S. Benedicti de Grama* litigiô contendentes ab eodem Gregorio Papa accepêre Judices. Annô præterea 1234. Abbas de *Ægris* unà cum Archi-Præſule *Strigonienſi*, & Epiſcopo *Veſprimienſi*, quibus datus fuerat in Collegam, in eodem Regno graviſſima negotia feliciter compoſuit, pacémque ſtabilivit. Porro ad eundem 1234. annum, *c*.7.*n*. 6. obſervat *Angelus*, in partibus ANGLIÆ

GLIÆ tantô numerô, ac pondere excreviſſe noſtrorum delegationes, ut Abbates, atque etiam Priores, nè toties avellerentur à clauſtralis vitæ dulcedine, magnis precibus à Gregorio IX. privilegium poſtulaverint, quô deinceps ſeſe tuerentur, niſi ipſi vellent, haud obligandi ad ſupportandas tot negotiorum extraneorum ſarcinas, quæ noſtrorum humeris communi quaſi fatô injectæ, alios interim ſinerent reſpirare, Ciſtercij alumnis ſub jugo penè ſemper gementibus, qui tamen contemplationi magis eſſent aſſueti, quàm negotijs. Manriqueus ad annum 1198. *c.* 3. *n.* 5. ſimul diverſarum gentium cauſas veluti in cumulum congeſſit, ſummorum Pontificum imperiô complanandas per noſtros, quas ejuſdem verbis hìc promam: *Multis præterea*, ſcribit ille, *inter Epiſcopum Conimbricenſem in Luſitania, & tum Canonicos Monaſterij S. Crucis, tum templi milites, litibus ſubortis, Judices ex Ciſtercio ſemper dati Abbates de Alcobacia, de Ceiza, de Burio, de Salceda, & de Mazanaria, & Priores earundem Eccleſiarum: Sed & ex Monachis Menendus, & Petrus Frodij, uterque Alcobacienſis, quibus ardua quæque, ſed præcipuè Monendo delegabantur. Sic in Regno Legionis, Galleciaque, Legionenſi & Lucenſi Epiſcopis inter ſe litigantibus, Saltûs-Novalis Abbas litteris expeditis Romæ apud Sanctum Petrum, quintô decimô Calendas Maij: Lauſannenſi Pontifici in Sabaudia Abbas Boni-Fontis de Taraſca, ſemel idibus Maij, & iterum decimô quartô Kalendas Auguſti: Biſuntinenſi in Gallia Abbas Firmitatis, quartô idus Junii: In Belgio aliis graviſſimis negotijs Abbas Aureæ-Vallis, quartô decimô Kalendas Januarij, In Hibernia Abbas de Leix, aliàs de Jugo-Dei, pridie Kalendas Junij: atque in Germania Abbates de Neuburgo, & Valle-S. Georgii duodecimô Kalendas Auguſti, præfecti ſunt, extántque litteræ, & circumferuntur inter alias Innocentii Papæ III, nec non originales in Vaticano, quarum ego tranſumptum apud me habeo.* Hucuſque Angelus. Neque ampliùs in hoc argumento hærendum eſt, cùm è ſacris profaníſque faſtis abundè liqueat, ingenti omninò numerô Viros è Ciſtercio per Papalia decreta aſſumptos eſſe in Eccleſiarum, Antiſtitum, Canonicorúmque Judices, arbitros, Patronos, per quos, ceu rivulos è fæcundis Ciſtercij ciſternis clariſſima merita in Orbem Chriſtianum uſque in præſens quàm uberrimè emanaverint.

Fugerunt in ſuperioribus titulis notitiam meam Viri nonulli ſeu Apoſtolicô zelô, ſeu Legationis Pontificiæ characteribus conſpicui, eapropter collocandi huc veniunt. Sunt itaque

Obijt Annô 1177. ſequentes. GUILLELMUS, natione Italus, è Papienſi Archi-Diacono Ciſtercienſium alumnus in Clara-Valle Lombardica: ſubinde creatus *Cardinalis S. Petri ad vincula*, titulô Eudoxiæ, atque Epiſcopus Portuenſis, Romanæ Sedis ſub Hadriano IV. & Alexandro III. Defenſor accerrimus, pro tutanda ejus auctoritate ac reverentia, Germaniam, Angliam, Galliam Legationibus Apoſtolicis peragravit, concordiæ tandem, quæ Papam inter & Cæſarem Venetijs coaluit, unà cum alijs fortunatus aſſertor.

Devixit Annô 1210. JORDANUS de CECCANO, VI. Abbas *Foſſa-Nova* apud Italos, à Clemente III. ornatus purpurâ in Germaniam Legatus Pontificius abijt: reverſus in Urbem, Innocentij III. imperiô in Agrum Picenum digreſſus, Provinciæ illius nobiles à Marevaldi factioſis partibus ad Eccleſiæ obedientiam feliciter revocavit.

Floruit circa Annum 1212. & deinceps. RAYNERIUS CAPOCCIUS Italus, alumnus Cænobij ad *Aquas-Salvias*, S.R.E. *Cardinalis* S. Mariæ in Coſmedin, à Gregorio IX. Eccleſiaſtici exercitûs Legatus inſtitutus, Montem-Flaſconem rebellem, Tuſciámque ac Sabinam compeſcuit, Viterbium Romanæ ſedi reſtituit, per omnem Italiam Pontificiæ auctoritatis glorioſiſſimus vindex.

Floruit circa Annum 1417. THOMAS Abbas *de Dundrena* apud Scotos, unus *è quindecim S. Theologiæ Doctoribus*, per quorum ſuffragia, Purpurati Collegij votis conjuncta, in univerſali *Conſtantienſi* Synodo poſt diutinum & atrox ſchiſma gratiſſimâ Orbi Chriſtiano acclamatione renunciatus eſt ſummus Eccleſiæ Paſtor, *Martinus V.* è Comitibus de *Collonna*.

Obijt Annô 1433. JOANNES MARTINI de *Menguxo* 34. Abbas *Populetanus*, unus fuit è duobus Magiſtris & Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, qui à Conſilio *Conſtantienſi*, & *Martino* V. recèns electo legitimo Pontifice ad Benedictum Pſeudo-Papam, à nonnullis dictum XII, & Cardinales eidem adhærentes, in Cataloniam, ubi illi tutis ſedibus deliteſcebant, cum ſolemni legationis charactere deſtinati, tantâ efficaciâ peroravêre, ut Benedictus fædum ſchiſma tandem ejurans ad Eccleſiæ unionem redierit. Fuit porrò ea tempeſtas una è nocentiſſimis, quæ unquam concuſſère Cchriſtianam Rempublicam: quare cum Ciſtercij interventu, ac perſonali miniſteriô illæ

illæ procellæ conquieverint, gloriæ portio per Martinum Pontificem, ſacrámque Synodum cum Ciſtercio pariter venit dividenda. Nominandi etiam inter Viros zelô Apoſtolicô præſtantes: BERNARDUS, Annô 1217. ex *Heiſterbacho* aſſumptus ad prædicandam Crucem per Germaniam, Belgiúmque. UDARDUS *Cuprenſis* Cænobij alumnus, & Brechinenſium Epiſcopus apud Scotos, qui comitantibus pauculis è Clero, totum illud Regnum pedeſter peragravit, verbum DEI multô favore, fructúque quaquaverſum diſſeminans. BALTHASAR de Lipſia, Pariſienſis noſtri Collegij Proviſor, qui dogma Calixtinorum, ingeniô & pennâ acriter aggreſſus, ſcripſit contra *Huſſium pro una ſpecie Sacramenti*, qui tunc articulus potiſſimùm ab heterodoxis convellebatur. SESILLUS *Stratæ-Floridæ*, & JOANNES *Albæ Domûs* Abbates apud Anglos, Annô 1188. Cruciatæ Expeditionis adversùs barbaros ſuſceptæ, prædicationis verbô ſacerrimi incentores. B. MELCHIADES, Aiceta de Clara-Valle apud Campanos, doctrinâ clarus, *Bernardo* Parenti percharus, à quo cùm videret totis animi conatibus propugnari Chriſti in terris Vicarij ſuprema jura, ad Sancti Doctoris genium, atque ſolatium ſcripſit Tractatum, *de legitima Petri Cathedra contra Schiſmaticos*, Apoſtolici laboris fidiſſimus Coadjutor.

Clarvit ad Annum 1200.

Floruiſſe videtur circa Annum 1420.

Magiſter LUPUS, è *Fiterij* Abbate apud Hiſpanos, Primus *Gordubæ* Epiſcopus, poſteaquam inclyta ea Urbs, Maurici Imperij tunc ſedes, Calatravenſium præcipuè virtute expugnata, ſub Chriſtiana gubernacula rursùs fuiſſet repoſita, *qui veluti ſecundus ejus Apoſtolus* (utì ſcribit *Angelus* ad annum 1236. *c.* 7. *n.* 3.) *Fidem eradicatam reſeminaret, plantaret vineam, coleret: atque conſtantiâ, induſtriâ laboréque ad eum ſtatum reduceret, in quo olim floruiſſe palàm erat, & incepiſſe, Apoſtolorum more, in magna paupertate, penuriáque, atque inter gladios hoſtium Chriſti Crucis.* Spectandi nunc è Viris nonnulli, alibi omiſſi, qui Regum Gentiúmque Legati, Ciſtercij famam per Orbem circumtulerint. Memorandus in primis JOANNES ENGUERRA, Populetanus Monachus, Epiſcopus Vicenſis priùs, mox Ilerdenſis, apud Aragones hæreticæ pravitatis Inquiſitor Generalis, Regi Catholico à Sacris Confeſſionibus, atque ab eodem Hiſpaniarum

Monarcha miſſus ad Gallias, procuraturus nuptias cum Regia
Obiit Annô 1598. Sorore. FRANCISCUS OLIVERIUS, Abbas de *Populeto* 48. Oliverienſis Vice-Comitis filius, Provinciarum ſuffragijs quater ad publica negotia Valentiæ & Barchinonis aſſumptus: bis etiam Statuum nomine ad Philippum II. deſtinatus, Regiáque benevolentiâ, quàm optimè habitus induſtriè procuravit Regni emolumenta. *Extat hodiéque* (utì perhibet *Angelus* in *Ser.* Abb: *Popul: Abb* 48.) *in ipſa Barchinone*, & *Domibus, quas vocant*,
Floruit Annô 1344. *deputationis*, *ſumptuosô ædificiô*, Oliverij noſtri *illuſtre nomen.* JOANNES de TIMAR Abbas de *Columba* in Francia, Philippi Auguſti Galliarum Regis in *Caſtiliam* Legatus, pro novo pacis, amicitiæque fœdere inter Reges utroſque conſtabiliendo.
Claruit Annô 1390. CORTESIAS LAMBERTINUS, *Legum Doctor*, Abbas Cœnobij S. *Sylveſtri de Nonantula* apud Italos, è Senatorio genere apud *Bononienſes* progenitus, Urbis ejuſdem ad Innocentium IV.
Floruit Annô 1440. Pontificem Maximum Orator. COMES CACCIACOMES, 14. Abbas S. Galgani in Tuſcia, *Doctor Theologus*, *Senenſis* Reipublicæ in Romana Curia ad Summos Pontifices Legatus.
Obiit Annô 1520. PETRUS de OUDENBURG, Abbas Dunenſis 32. in Flandria,
Obiit Annô 1536. *Brugenſium* Orator ad Carolum V. Cæſarem. MARCUS CRUYT, 27. Abbas Loci-S. Bernardi propè Antverpiam *Caroli V. Imperatoris* Legatus ad Regem Daniæ. PHILIPPUS
Floruit circa Annum 1640. EMMANUEL de MONTFORT, Abbas *Loci-Creſcentis* in Comitatu Burgundiæ, nomine Ordinum ejuſdem Provinciæ Orator ad Principes Belgij. Mitto cæteros, atque iterum ad lineam calamum transfero.

Inter Eccleſiarum beneficia, quæ per nos hauſerint, memorandæ etiam ſunt nonnullorum EPISCOPATUUM PRIMITIÆ, noſtris auſpicijs cœptæ. Sic *Ulyſſipona* per Eugenium III. *Archi-Epiſcopali* prærogativâ illuſtrata: Sic *Hibernia* per eundem Pontificem *quatuor Epiſcopatibus* aucta eſt: Sic *Suecia* Virum Apoſtolicum *Stephanum*, Ciſtercienſium in Albaſtra alumnum, primum habuit *Upſalenſis* Sedis Archi-Epiſcopum. In eadem pariter Gente *B. Eskyllus* claruit, Ludenſium Archi-Præſul, *Regni Sueciæ Primas*, quam *Primatûs* præcellentiam Sedi ſuæ obtinuit ab Hadriano IV. Papa, inclyti illius muneris primus auſpex. *Polonia* quoque *Culmenſis* Epiſcopatûs primordia debet

debet *Chriſtiano*, è Ciſtercio Viro Apoſtolico, Innocentij III. favore, primo illius Cathedræ Antiſtiti.

Dati præterea per Ciſtercium quibuſdam Cælitibus per *ſolemnem* APOTHEOSIM honores publici, & per honores dati etiam clientibus Patroni. Sic Eugenius III. in Germaniæ ſolatium atque ſubſidium *Divum Henricum* Cæſarem adſcripſit Sanctorum cætui. Sic Alexander III. æquè è Ciſtercio Pontifex *Eduardum* Anglorum Regem. Itémque *Thomam Cantuarienſem*, rurſúſque Urbanus IV, *Richardum* Epiſcopum *Ciceſtrenſem*, in Divorum numerum adſcivêre. Sic Annô 1232. per Ciſtercienſes procurata ſolemnis apotheoſis glorioſæ Thaumaturgæ, Divæ *Eliſabethæ* Regiæ Hungarorum Principis, & ſubinde Haſſorum Landgraviæ. Sic etiam Annô 1231. per eoſdem Bernardi alumnos laboratum pro publico in Eccleſia cultu Venerabilis Præſulis *Lucæ* Strigonienſium ArchiEpiſcopi.

Neque in rebus Ciſtercij omittendæ ſequentes miſcellaneæ memoriæ. Collocanda præprimis hìc ZEUTA, urbs in primis Africæ oris ſita, per quam famoſa hodie in novellis relationibus, annorum jam plurium intervallô vexata pertinaci Maurorum obſidione, pérque Hiſpanos Præſidiarios fortiter hucuſque adverſus Barbaros propugnata: Quam dum olim *Joannes Primus*, Luſitanorum Rex expugnaret, viſus eſt *Alſonſus*, glorioſiſſimus ac pientiſſimus Luſiadum Princeps, qui primus Regium Sceptrum in Gente ſua geſſit, è cælis ad Regia feſtinare caſtra, fauſtíſque augurijs portendere inſtantem triumphum, excitare ſuos, hoſtéſque, quâ valuit cælicâ virtute, ſternere, atque evertere: quod idem aliquando in conflictu Hiſpanis ſuis præſtitiſſe conſpectus eſt magnus ille Heſperij Orbis fulgor, Divus Jacobus Apoſtolus, è cælo aſportans ſubſidia. Pertinet *Alſonſus* ad militaria Ciſtercij agmina, Ordinis *S. Michaëlis de Ala*, ſub Ciſtercij ſignis quondam præliantis, Sereniſſimus Fundator, Legislator, atque inclytus ſocius. Igitur quoniam is robur, ſuppetiáſque á ſuperis olim attulerit ad *Zeutam* barbaris eripiendam: adferat, adjutor Rex rursùm adversùs Crucis Chriſti hoſtes etiam nunc ſubſidia! Atque utrumque non ſinè Ciſtercij commendatione, ſub cujus aliquando vexilla tantâ dignatione, tantóque ardore Ille ſeſe collocaverat,

Manriq. ad Annum 1185 cap. 5. n. 3.

Qqqqqqqqq2 rat,

rat, ſacrorum armorum ſummum auſpicem ! E litteris quoque ſuus Ciſtercio apud eoſdem Luſitanos acceſſit non modicus ſplendor, quòd jam ſub Annum 1269. in Alcobacia per Stephanum, XI. illuſtriſſimæ domûs illius Abbatem inſtituta ſit SACRÆ PAGINÆ CATHEDRA *pro publica totius Regni utilitate*, quemadmodum aſſerit Manriqueus in *Ser: Abb: Alcob*: quæ exinde æſtimanda venit ampliùs, quòd ſub id tempus in Luſitania necdum florerent ſcholæ publicæ, eſſétque illud ipſum apud Ciſtercienſes Theologicum ſtudium, veluti fauſtum præſagium erigendæ ſubinde celeberrimæ Univerſitatis in Urbe Conimbrica.

Quòd ſi loci beneficiô etiam felices ſint incolæ, gemina felicitas, eáque publica beavit Ciſtercium: primò quidem Annô 1598. quô inter Phillipum II. Hiſpaniarum, atque Henricum IV. Galliarum, Reges in Abbatia de *Fonis* PAX concluſa eſt, appellata alioquin à vicino *Varvio* VARVIENSIS, ſubinde verò cùm ſub decurſum elabentis ſæculi inter Poloniam & Sueciam in Cœnobio B. M. V. de *Oliva* in Pruſſia communis ſimiliter PAX coaluit, vocabulô boni ominis ſumptô ab ipſo loco, unde dicta OLIVENSIS. Apud *Anglos* abundaviſſe olim fodinis metalli Cænobium *Rievallenſe*, lego apud Manriqueum ad annum 1131. *c.* 7. *n.* 6. Illuſtre apud *Belgas* Monaſterium *Dunenſe*, ante inteſtinos Provinciæ motus, extra Brugenſem Urbem, versùs oceanũ magnificentiſſimè collocatum, TURRI ALTISSIMA conſpicuũ viſebatur, in quam nautarũ univerſitas curiosâ obſervatione è mari reſpiciens, novam ſe *Pharum* in ea præcelſa mole habere maximopere gratulata eſt. Excitatur penna præſens temporum noſtrorum imagine, ut è Ciſtercij monimentis etiam quidpiam in SAXONIÆ decus depromat. Spectat gratulabunda hæc noſtra ætas Sereniſſimum *Saxoniæ Electorem* FRIDERICUM AUGUSTUM Reipublicæ ſuffragijs aſſumptum ad Regia Poloniarum gubernacula. Non eſt primus ex inclyta Domo *Auguſtus*, qui ſceptrum geſſerit, ac diadema: Anteceſſère *Ottones*, atque *Henrici*, qui olim ad ſupremos Romani Imperij faſces evecti, *Auguſti* Cæſares ſint ſalutati: atque id quidem ex parte aliqua (ſi OTTONEM ſpectemus) non ſinè Ciſtercio. Lego id in Familiæ noſtræ melli-

fluæ

fluæ *Menologio* ad diem 22. Decembris, ubi *Henriquem* inter ſanctimoniæ, chariſmatúmque cæleſtium elogia commendat *B. Engilbertum* Ciſtercienſem apud Germanos Converſum, in quo defectum naturæ ſupplevit, imò ſuperavit donum internæ gratiæ; quanquam enim omninò cæcus ex utero matris egreſſus ſit, eámque luminis gratiſsimi carentiam rursùs tumulo intulerit, mentis tamen divinitùs irradiatæ perſpicacitate tantâ pollebat, ut vaticinijs, ac futurorum enunciatione clariſsimus paſsim celebraretur. Is itaque illuminatiſsimus Cæcus, aliquando à Duciſſa Saxoniæ, Henrici Ducis conthorali, Principe religionis eximiæ, invitatus, immodicâ ſerie eventuras rerum, temporúmque revolutiones propheticô ſpiritu prædixit, inter alia hoc etiam miſcens vaticinium, unum è Duciſſæ Filijs *Auguſtum* à Germaniæ Principibus fore renunciandum. Quæ res ſubinde ità evenit, *Ottone* electô Romanorum Imperatore. Cui rursùs Vates noſter aliud dedit beneficium; cùm namque *Otto* vehementi tribulationum procellâ acerrimè jactaretur per æmulos, acceſſit Engilbertus mærentem Principem, anxiæ ejus menti opportuna inſtillans ſolamina, atque excitans animi robur, quô perferret intrepidè eam tempeſtatem, divinô conſiliô ad tempus duntaxat ſævientem: conquieturas tandem procellas, quouſque ſcilicèt Numinis præordinationes fuiſſent eventu completæ. Hæc incidenter occaſione *Auguſti* atque *Ottonis*, è Saxoniæ Ducibus evectorum ad Regia, atque etiam Cæſarea ſolia: quorum poſterior quemadmodùm non ſinè Ciſtercij vaticinio electus eſt Cæſar, ità prior ille non ſinè Ciſtercij gratulatione (plaudentis nempe de Catholicorum Principum eâ *Auguſti* acceſſione fauſto incremento) ſalutatus eſt Rex. Memoranda iterum SAXONIA, novô theatrô ſpectabilis cum AUSTRIA. Refert Manriqueus ad annum 1156. *c.* 6. *n.* 1. *Henricum* cognomentô *Leonem*, Saxoniæ Ducem, atque *Henricum* Auſtriæ Marchionem ſub id tempus concertaviſſe de Bavariæ Ducatu: tandémque arbitriô ac interventu *Ottonis*, *Conradíque* è Ciſtercio Præſulum, Friſingenſis, ac Paſſavienſis, qui ambo Divum Leopoldum habuêre Parentem, in Comitijs Ratisbonenſibus eâ lege diſſidium pacificè compoſuiſſe, ut Saxo Bavariam, Auſtriacus Ducis titulum, partémque novæ terræ obtineret. Recitat *Angelus* cit: paucis verbis

Scriptoris *Wigulai Hundij* in *Cathal: Epiſc: Friſing. Auſtria*, ait Hundius, *fit Ducatus ſeparatus à Bavaria, cum acceſſione provinciæ ſupra Anaſum: & Bavaria Leoni adjudicatur.* Poſt quæ verba explicat eruditè mentis ſuæ ſenſa *Angelus: Ut verè Imperium*, inquit ille, *pacem per hæc tempora; & ferax Imperantium Domus Auſtriaca, ſupra omnes Mortales, atque Hiſpaniæ regendæ deſtinata, hoc incrementum qualecunque debeat Ciſtercij filijs.* Videat Lector, quid Hiſpaniæ, Ciſterciique illuſtris Præſul ſentiat de Auguſtiſſima Auſtriacorum Principum proſapia, quid inſuper optet: quæ nunc vota eò ampliùs Auſtriacis arrident, cùm de ſucceſſione Monarchiæ Hiſpaniæ, opinionum diſcordiâ Orbis Chriſtianus diſtrahitur.

Porrò PRECE atque LABORE Ciſtercienſes ſtuduiſſe communi omnium populorum felicitati atque utilitati, in confeſſo eſt. Quoad orationum quidem ſuffragia liquet ex Manriqueo ad annum 1195. *c.* 5. *n.* 7. ubi aſſerit: *aſſiduis petitionibus Chriſtianos Principes ſolicitaviſſe Ordinis orationes*, atque eapropter ſeu per ſe, ſeu per Nuncios frequentaviſſe ipſa Capitula Generalia, à Sanctorum Virorum illorum venerando cætu unas preces inſtantiſſimè poſtulantes. Quare decretum per Patres, *ut fierent orationes generales, perpetuaque in univerſô Ordine, pro Papa, & pro cæteris Principibus.* Illa enim Principum animis inſederat ſummæ fiduciæ firmitas, quòd crederent ſe, ſuóſque ſoſpites, fortunatóſque fore, modò Ciſtercienſes oraverint. Si ad bella procedendum Regibus, armorum fata, proſperíque eventus à noſtrorum precibus deſumebantur: Ità Philippus Galliarum Rex Annô 1190. cum cruciatis ſuis cohortibus trajecturus in Syriam, Guidoni Ciſtercij Abbati, ad ſe evocato, ſacri belli cauſam univerſi Ordinis orationibus impensè commendavit, ſpes magnas, potioréſque reponens in Bernardi filijs, qui, neſcio quô Parentis Melliflui geniô, precum efficaciſſimâ vi, Regum, Principúmque intentiones videbantur poſſe, debere, atque etiam velle promovere quàm maximè. Si deindè hoſtium urbes expugnandæ, præ cæteris machinis bellicis, una Ciſtercienſium oratio deſiderabatur præcipuè, quâ, velutì ariete deditio urgeretur: Ità Annô 1177. Alfonſus Caſtellæ Rex ſe, bellíque eventus beneficæ DEIparæ, Fratribúſque noſtris in

in *Monte-Salutis* commendans, *Valeriam*, Urbem validam poſt 9. menſium obſidionem Mauris eripuit: in præſtiti ſanctiſſimi ſubſidij ſtipendium, ac monimentum, donatô eidem Eccleſiæ oppidô, vulgò *Alocem* nuncupatô. Si è converſo adversùs hoſtes propugnandæ, ſervandæque arces, ac mænia, è Ciſtercij precibus, velutì præſidij cælicum atque invincibile robur petebatur: Ità *Joannes de Monte-Mirabili*, Princeps in Gallijs potens ac pius (conſummatus tandem in Ciſtercio, prout ſuperiùs *Tit*: 17.) Flandriæ Comite obſidente Caſtrum de *Oſyaco*; illicò feſtinavit ad Cœnobium noſtrum Valcellenſe, quaſi eô locô hærerent ſuppetiæ, quibus Flander cum valido exercitu ab obſidione eſſet rejiciendus: veniénſque ad Domûs Abbatem, adventûs ſui cauſam per hæc verba ei expoſuit: *Domine Abba, ego commendo vobis Caſtrum meum de Oſyaco.* Territus rei novitate Vir DEI, multâ comitate Principi reluctatus eſt: non ſpectare ſcilicèt ad Monachos Caſtrorum cuſtodiam, militibus ea militaria imperia, muniáque æquiùs fore imponenda, non Viris Religioſis, quibus arma haud in uſu, atque inſuper per Eccleſiæ leges prohibita ſint. Reſumpſit priora verba Princeps, adjecítque ulteriora: *Scio, quòd ſi volueritis, Caſtrum meum mihi per vos optimè cuſtodietur; nec aliter poterit cuſtodiri.* Intellexit tunc demum Abbas, quid Joannes portenderet, preces quippe arma eſſe, quibus Valcellenſes Oſyacum eſſent defenſuri. Itaque poſtridie per ſingulos Sacerdotes imperavit dici Miſſam de Spiritu Sancto: & en! ſub ea ſtatim momenta, tanta nebula involvit Flandros obſides, ut mutuis ad ſe invicem aſpectibus pertingere haud potuerint. Quâ re perculſi, fugam parabant: at retenti à Comite, ſubſiſtere paventes; donec tandem erumpens Divinitùs turbidiſſimus imber horridâ illuvie obſidionem ſolviſſet, ſingulis effugiô quærentibus ſalutem, & patriô ad invicem idiomate clamantibus: *Helpe, Helpe!* Ità quidem noſtri per preces tantum valuêre, quantum milites per arma: quin imò longè ampliùs; quippe ſeu juberentur ſervare urbes, ſeu occupare, ſeu hoſtiles fugare acies, adversùs arma ſolis precibus ùt plurimùm prævaluerint fortunati Oratores, quorum in lingua votíſque, Orbis Chriſtiani ſalus ac felicitas, Principum, Gentiúmque opinione repoſita ſit.

Cohærent ſanctâ, utilíque alternatione in Religioſorum Aſceterijs gemina vocabula: ORA, LABORA! Quæ etiam in Ciſtercio ſervantur indiviſa. Oratum fuiſſe per noſtros, vidimus; laboratum eſſe, nemo ignorat, qui Ciſtercij Annales inſpexerit. Sylvarum namque ille vaſtiſſimus horror noſtrorum incolatu, ùt plurimùm mitigatus eſt, incultáque ſolitudinum aſperitas noſtrarum labore manuum fæcundata, optatis frugibus ditavit Orbem: ut ea propè res Poëtæ recentioris venâ cani debeat: *ubi ſtetêre* frutices, *nunc fluctuant ariſtæ:* & Ciſtercienſes inter Religioſa inſtituta præcipuè illô Pſaltis Regij vaticiniô præſignati, laudatíque videantur, qui ſcilicèt *labo-* Pſalm. 127. *res manuum ſuarum manducârint.* In Ciſtercij faſtis cùm ſcriptores ordiuntur Cœnobiorum origines, ſylveſcente propemodum ipſô ſtylô vehementer id ingerunt: *In loco horroris & vaſtæ ſolitudinis* fundatum eſſe Ciſtercium, fundatam eſſe Claram-Vallem, fundatum Waldſaſſium, & ſic deinceps: Unde clientum pietas in hymno, quem omnium ſanctorum ſub Ciſtercij ſignis olim militantium, nunc triumphantium honori undecimâ Novembris annuè decantat, ſic Divis ſuis adjubilat: *Salvete ſolitudinis, Clauſtríque mites incolæ!* Quid, amabò, Viri illi noſtri in ſterili eremo primitùs repererint, niſì ſentium, juncorum, arbuſto- Matth. 7. rum, ſaxorúmque confuſam congeriem? Nunquid enim *collegerint de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Igitur in ea locorum vaſtitate natura ipſa videbatur exigere atque imperare laborem, cui quotidiano velutì penſo impigrè inſudantes, ſylváſque non modica ex parte ubique terrarum exſcindentes, horrorem ſolitudinibus propè abſterſerunt, cùm deinceps Ceres ipſa noſtrorum ſtudijs œconomicis importata ad eremum, aſſveſceret tandem Dianæ convictui. Et credo factum peculiari DEI benedictione, ut gleba à tantis Viris culta, non parcè refunderet grana, frugéſque. Neque Converſorum duntaxat is labor erat, ſed ſanè omnium, ſtatis diei horis opere manuum ſeſe occupantium. Meſſis præprimis collecta communi labore atque exultatione: ad quam etiam Bernardus Parens excurrit, accingens ſe quidem cum filijs ad opus, ſed quoniam metendi artem non calleret, manum retrahens inter gemitus, cælúmque tacitis ſuſpirijs pulſans, impetravit metendi rurale donum divinitùs, quô deinceps ſuper alios excelluit,

piâ

piâ jactantiâ ſibi paſsim gratulatus, quòd Numinis beneficiô eſſet meſſorum præcipuus, portarétque nunc cum exaltatione manipulos ſuos, id eſt, ſuâ manu, ac arte reciſos, collectóſque. Itaque agrorum cultura præcipuè ſteriles inter ſolitudines magnis incrementis Ciſtercij induſtriâ procurata, auctáque, ſummis Eccleſiæ Præſulibus incitamento fuit, ut terras, quas noſtri proprijs ſeu manibus, ſeu ſumptibus excoluerint, eximerent à pendendis decimis, quæ exemptio hactenùs apud alios non viſa, atque ideò ſinè exemplo præſumptionem fundat pro Ciſtercienſibus, quòd in excolendo rure, terráque gignendis frugibus adaptanda, præ cæteris aliquid præſtiterit inſolitum ac ſingulare: & id quidem non ſuo duntaxat comparando victui, ſed magis pauperum, atque ideò communi emolumento ac publico. Cùm in Ciſtercij chronologijs lego, Regna gentéſque ad invicem velutì concertaviſſe in evocandis è Melliflua Familia Colonijs, propè hærere incipio, penès quos ſteterit beneficij majoreitas? Non deprimo Fundatorum gratiſſima atque eximia dona, quin imò ea deveneror, atque extollo: at verò ſimul ingentes noſtrorum labores Lectori memoro, quibus oblatas ſibi plerumque ſolitudines vaſtiſſimâ ſterilitate expurgaverunt, ut fortè in pleriſque Chriſtiani Orbis plagis, agrorum copia, annonæque vis tanta vix eſſet ſinè Ciſtercio: cujus ſcilicèt laboribus hodie multi, etiam extra Ciſtercium, felices, veſcuntur pane noſtrô utinam pro beneficio non immemores, aut ingrati! Verùm de his ſatis.

Sentio nunc novæ gloriæ fulgore perſtringi hanc pennam, è BOHEMIÆ clariſsimo jubare, Sanctiſsimo Chriſti Martyre, Divo JOANNE NEPOMUCENO, Patriæ noſtræ communi Advocato. Vendicat ſibi primam è Sancto portionem felix Ciſtercium, quippe cujus ipſa infantia, pueritiáque ad melleos in *Nepomucenſi* Cœnobio olim alumnos omninò pertinuerit. *Joannis* Parentes provectâ jam ætate ſteriles, votô Divæ Virgini in Thaumaturga apud Nepomucenos Ciſtercienſes Statua nuncupatô, fæcundati prole Joannis nomen Deiparæ familiare gratúmque puerulo impoſuêre. Hoc primum eſt vinculum, quô ſanctum parvulum Ciſtercio colligatum lego. Subinde cùm idem graviſsimâ ægritudine decumberet, novô rurſùs votô implorata Diva Parens Nepomucena, oblatúſque puer

Paſſus Annô 1383. die 16. Maij.

Balbin: Bohem. ſanct. Part. 1. §. 59. c. 1.

in perennia Auguſtæ ſuſpitatrici obſequia, denuò ejuſdem patrociniô integrè, convaluit. Atque hoc vinculum alterum, quô ad Ciſtercium pertinet *Joannes.* Tandem cùm primùm literas, ritúſque ſacros perdidicit, indies ſub auroram ex oppido hilaris, priúſque accurrit ad vicinum noſtrum Cœnobium, & ſeſe in ſacra miniſteria promptum offerens, opportunum ingerens, modeſtiæ reverentiæque in puerulo admirabilis exhibitione, quotquot potuit ſacrificijs miniſter adſtitit: ad tenerrima noſtrorum ſolatia, qui ex parvula ea pietate magnarum rerum præſagia formabant. Creſcebat pueri devotio ex Sancto Nepomucenſium noſtrorum convictu, qui religioſiſſimâ inſtitutione adeò promovebant in Joanne virtutum & ſanctimoniæ prima illa elementa, ut indies è Cœnobio ad ſuos rediret melior. Diſceſſit, cùm primùm per ætatem licuit, Puer ſanctus è Nepomuco Zatecium, Civitatem Regiam, ubi humaniorum literarum tum habebantur ſtudia, ibíque prima ingenij ſui ſpecimina cum laude exhibuit. Indè ſublimioribus diſciplinis occupaturus capaciſſimam indolem Pragam ſe tranſtulit, ubi in Carolina Univerſitate Eruditorum communibus ſuffragijs cum plauſu inſtitutus eſt Theologiæ, Canonum, ac Decretorum Doctor Eximius. Subinde ad inclytum Metropolitanum Divi Viti Canonicorum Collegium adſumptus, pietatis doctrinæque famâ plurimùm excelluit. Quæ ſanè *Joannis* noſtri ætate jam provecti adulta & plurima virtus, referenda eſt ad Ciſtercium, velutì ad fontem, ex quo primitias vitæ, primitias hauſerit pietatis. Et quidem *Nepomuceni* Cœnobij prima poſt *Diva Iconem* gloria, Thaumaturgus *Joannes* è Ciſtercio emergens ſeséque effundens in gratiarum maria, quibus mille iterúmque mille clientum, votorúmque innatet devotiſſima univerſitas! Fluunt ultrò nunc animi mei vota in hanc pennam, quæ ſiquidem continere non prævalet, ea propter ſacerrimô veluti impetu in præſentem chartam illa profundit:

DIve NOSTER NEPOMUCENE

Ter *Noſter* es,

Jerem. 2. Et Nos-Ter tui!

Per tantas hactenùs rerum revolutiones, temporúmque *interruptiones*

Nondum *nos rupimus vincula!* Sed

Sed neque Tu dixiſti:
Non ſerviam.
Fuiſti aliquando in Nepomuco Ciſtercienſium *Miniſter*,
Non fuit unquam audita à Te inofficioſa vox:
Non ſerviam.
Omnium *Servus*, omnium *Miniſter*,
Et quod dulcius, quod utilius,
Omnium *Amicus*
Ad Aras.
Bohemiæ labiô, Ciſtercij nomine, DEUM oro,
Ut quem MINISTRUM habuimus in terris, *In Collect. Eccleſ.*
Interceſſorem habere mereamur in Cœlis!
Duo debitores erant, *Luc. 7.*
Imò & ſunt, Tu Magne Miniſter, & nos *inutiles ſervi.*
Tu debes, & quod debes, negare neque debeas, neque velis,
Tu, Sancte, debes Nepomuco ac Ciſtercio
Vitam, valetudinem, virtutem:
Nos Tibi teipſum,
Quoniam præcipuum tuum in nos beneficium,
Quòd éſſe voluiſti, qui nunc es,
Noſter.
Mutâſti *Miniſterium* in *Patrocinium*,
Verus Ciſtercienſium
Olim in terris *Miniſter*,
Nunc è Cœlis *Pater*,
id eſt,
Noſter *Pater miniſter.*
Politicorum vox & character,
Quòd *ſervire* velint.
Magne Ciſtercij Miniſter,
Gloriæ tuæ ſedes, *polus* eſt,
Non potes eſſe in *polo*, & non eſſe *Politicus.*
Tuorum è Ciſtercio ſervorum ad Te votum,
Ut ſis *Servus Servorum!*
Omnibus *Servies*, ſi omnes *Servaveris*,
Tuô patrociniô æviternùm felices!
Prima vitæ, prima ætatis tuæ aurora
Noſtra fuit:

 Ma-

Luc: 24. *Mane* itaque *nobiſcum*, olim *Miniſter*, nunc Pater ac *Domine*,
Mane, cùm *adveſperaſcit*:
Mane etiam poſt manè:
Gen. 1. Fiat *veſpere & manè dies unus*,
Diem abſolve, ubi diem cœpiſti!
A *miniſterij*, tui aurora, & *patrocinij* tui meridie
Quídni *meros bonos dies* expectent
Tui tot auſpicijs clientes?
Spiritum, Sancte, quem infans, puérque hauſiſti è *Ciſtercij* undis,
Exhalaviſti Martyr in *Moldavæ* aquis,
Eô mortis genere *liquidè* confeſſus,
Amare Te ſcaturiginis tuæ originem,
Ut ſcilicèt, *qualis* prima *vita*, *mors ſit ità*,
Utraque in aquis, hæc Ciſtercij, illa fluvij.
Per hæc proinde *aquarum* auſpicia,
Magnus in Chriſti Eccleſia Thaumaturgus
Divus *Joannes Nepomucenus*
Nobis datus, nobis natus
Auſpicante *Virgine*,
Et nos inter converſatus
Sub *Miniſtri* munere,
Sui moras *incolatûs*
mirô clauſit omine,
In *Moldavæ fluentis*
ſe ſuáque
Supremô fatô conſocians *Ciſtercij undis*:
Atque eâ *aquarum* Societate
Et ſe faciens *Ciſtercienſem*,
Et *Ciſtercienſes Nepomucenos*!

A Magno Bohemorum Thaumaturgo ob materiæ ſimilitudinem tranſeundum quoque eſt ad alios inclytos è Ciſtercio Divos VARIO PATROCINIO in clientes, atque alumnos ſuos, propitios. Quorum omnium illuſtre agmen ducat glorioſiſſimus Anteſignanus BERNARDUS Parens, tantis favoribus prodigiíſque per omnem vitam ſuam clarus, ut præcipuus inter Thaumaturgos à Bellarmino habeatur. Evectô ſubinde ad immortale bravium Abbate Sanctô, ad Ejus Sepulchrum è toto ferè Orbe peregrini vota ſolvebant (quemad-

mo-

modum perhibet *Angelus* ad *annum* 1154. *c.* 1. *n.* 1.) beneficia nova à dulciſsimo Patre poſtulantes, ídque tantâ clientum frequentiâ, quantâ cæteroquin *alia loca Sancta* ſolent viſitari. Magnô ſanè numerô à Scriptoribus vitæ, Sancti Doctoris prodigia conſignata ſunt; at majori latent: pro utriſque debitor eſt Bernardo Patri Orbis Chriſtianus, ac præſertim ille ægrotantium atque languentium miſerabilis grex, toties ſoſpitate à Thaumaturgo Abbate donatus. Neque in homines duntaxat beneficentiæ commendatione Sanctus eluxit, verùm inſuper in bruta, quæ Bernardô præſente capi, opprimíve haud poterant. Adſtruit eam veritatem *Gaufridus* Scriptor vit. *lib.* 3. *c.* 6. quô locô adducit Patris optimi comiſerationis affectum in volucres, lepuſculos atque id genus, animalia, quæ cùm videret nonnunquam ſeu ab irruentium canum infeſta vi, ſeu aucupum fraudibus verſari inter diſcrimina, compaſſus miſeris, ea protensâ dexterâ ſignavit Cruce: monuítque illicò inſequentes, fruſtrà eos nunc perſecutione inutili vexare fugientes animantes, privilegiô impertiti ſacerrimi ſignaculi à telis capturáque ſecuras. Scio, multis non placitura hodie hæc Bernardi prodigia, ſi fortè Pater Sanctus eadem repeteret, lepuſculósque ſuâ rursùs benedictione ſubtraheret infeſtis venatoribus, ideóque Thaumaturgum Abbatem denuò fore in periculo, nè, quemadmodum olim per *Goſvinum* Ciſtercij Generalem, ità pariter à Venatoribus jubeatur ceſſare à miraculis. Et talis eſt quidem hodie nonnullorum mortalium genius, qui malint habere lepores, quàm prodigia. Utrumque ſanè mi Lector poſcis per Bernardum, in cujus poteſtate animalium effugium ſalúſque, atque etiam captura cælitùs collocata ſint; qui ſi capturam indulſerit, capies, quod vis, ſi negaverit, fruſtrà tu quidem inſidias paraveris.

Poſt Bernardum memorandus THOMAS, ille CANTUARIÆ clariſſimus Præſul, Angliæ Primas, & Chriſti Martyr, cujus glorioſum ſepulchrum miraculorum frequentiâ tam erat illuſtre, ut ex toto Chriſtiano Orbe, (teſte Angelô ad *annum* 1173. *c.* 1. *n.* 6.) clientes adfeſtinarent, Sancto reddituri vota, quæ concepiſſent: atque adeò *Cantuaria non minùs viſitaretur* (verba ſunt ejuſdem *Angeli ad annum* 1171: *c.* 3. *n.* 8.) *quàm Hieroſo-*

roſolyma, Roma, aut Compoſtella. Neque vulgi tantùm erat ea erga Sanctum pietas ac cultus, verùm Principum Regúmque præſertim Angliæ & Galliæ, qui ſemel iterúmque Cantuariam accurrerunt, ad Tumbam Martyris devoti ac ſupplices. Pendebant circùm Sancti tumulum anathemata argentea, aureáque, ingenti numerô ac pretiô à clientibus congeſta undique, quæ omnia Henricus VIII., Rex, Apoſtata, Divorúmque contemptor inſignis, in ſecundo Divi Thomæ martyrio (cùm ſcilicèt Annô 1538. per decreta Regia, oſſa Sancti ſacrilegâ impietate è Sarcophago eruta, publicè concremarentur, indéque, collecti cineres cum blaſphæmijs in ventos ſpargerentur) abſtrahi juſſit, & ſuis inferri theſauris: fuítque auri & argenti vis tanta, ut vix eidem avehendæ ſufficerent *viginti ſex magni currus*, quemadmodum ex *Pollinio* refert Henriqueus in *Phœn: lib.* 1. *c.* 49.

Obijt Annô 1191. Prodigiorum gloriâ etiam claruit S. MAURITIUS *Carnoëtenſis* Abbas in Britannia minori, ad cujus tumulum populorum concurſus per quinque jam ſæcula conſtans & vigens, refundente Patronô immodicas gratias in devotos cultores: quippe, utì ſcribit Manriqueus ad *annum* 1191. *c.* 6. *n.* 9. *nullum genus miraculorum fuit, cujus expers Mauritius inveniretur.* PATROCINIO tamen PARVULORUM Sanctus Abbas habetur præcipuus: unde è vicinis Regionibus omnes parvuli priusquam attingant annum ætatis quartum, ter quatérve Thaumaturgo Divo à Parentibus offeruntur, eâ oblatione per merita Sancti præſervandi à morbo, cui cæteroquin in illis partibus modica illa parvulorum ætas plurimùm eſt obnoxia. Apud eoſdem Gallos clientum pietate colitur *D. Stephanus* Abbas *Obijt Annô 1159.* Obacinæ DETENTORUM in CARCERE advocatus, atque etiam pro *rebus perditis feliciter recipiendis* efficax Interceſſor. Apud *Scotos* DIVUS NARVUS Abbas *Kiloſenſis* olim habebatur ADVOCATUS PEREGRINORUM quamdiu ſcilicèt (ùt loquitur *Angelus* ad annum 1174. *c.* 4. *n.* 10.) *non peregrinum ab Eccleſia Regnum Scotiæ, Sanctorum merita, & pias ad Deum preces venerabatur. Hiſpanis* etiam ſui ſunt è Ciſtercio Patroni. Et quidem DIVUS RAYMUNDUS Fiterij Abbas, & Militiæ Calatravenſis glorioſus Fundator, atque Venerabilis P. MARCUS del

del BARRIO Abbas Hortenſis inter triennales XX. ambo *adverſùs* TEMPESTATES *fulmináque* à populis invocati, meritis ſuis vicinam Patriam tuentur, grandinémque reprimunt timendam frugibus. B. ROBERTUS Abbas de *Mata-Plana* præterquam quòd *avertendæ* GRANDINI patrocinetur, etiam imploratus LOCUSTARUM infeſta agmina è Patriæ finibus feliciſſimè excutit. Et quidem hæc *Raymundi*, *Marci*, atque *Roberti* beneficia hodiedum perennant, ſummô incolarum emolumentô, qui cùm vident per propitios Thaumaturgos ſuos ea mala extingui, novis ſemper animi igniculis gratiſſimè incaleſcunt in Divorum cultum. *Poloniam* prodigijs implet B. VINCENTIUS *Kladlubek* Cracovienſium olim Antiſtes, ſubinde in Andreovia Ciſtercienſis alumnus, atque in præſens Patriæ admirabilis Thaumaturgus, laudatus jam à nobis *Tit.* 14. *Divum* EDMUNDUM Cantuarienſium è Ciſtercio Archi-Præſulem de triplici audio commendari beneficio: Primò, quòd illius magiſteriô ac revelatione felix Chriſtianus Orbis didicerit ſalutare antidotum adversùs REPENTINÆ MORTIS improviſum fatum, ſignaculô ſacerrimi Tituli Crucis per litteras J. N. R. I. fronti ante nocturnam quietem imprimendo ſaluberrimè avertendum. Secundò: quòd ſuô patrociniô FEBRES exeſſe jubeat. Tertiò: quòd INFANTES ante baptiſmi lavacra præmaturè extinctos, tumulóque ſuo cum fiducia ac reverentia ſuperpoſitos divinâ virtute ad vitam revocet, ſuſceptô ſacrô fonte feliciùs denuò morituros. Claudo in *Bernardo* miracula, à quo illa inchoavi, novô beneficiô, quemadmodum fidâ relatione didici, rursùs Thaumaturgo; neque enim è ſolo tumulo gratias diſpenſat Pater ſanctus, verùm etiam è *Fontanis*, loco nativitatis ſuæ: & quidem beneficium in gleba, ſeu terra hæret, quæ ſumpta, febricitantibus eſt medicina. Ità ſanè Bernardi alumnis non ideò duntaxat exultandum, quòd Patris Sanctiſſimi nomen ſcriptum ſit in cælis, verùm etiam portentosô DEI omnipotentis digitô ſcriptum in terra: prius illud Sancto in gloriam, poſterius hoc filijs atque alumnis in remedia ac ſolatia.

Ante Tituli finem, ad *Ciſtercij originem* & nuncupationem mentem adverto: & quoniam utraque ſumpta à *Ciſternis*,

 aquis,

aquis, fontibus, eâ rerum, vocúmque ſimilitudine velutì mo nitus, dabo hìc nonnullos FONTES, vel ſalubribus ſcatentes undis, vel quibus alioquin præter uſitatum ineſt quidpiam monſtri. Priores, quia mortalibus ſunt emolumento, directè pertinent ad hunc Titulum: poſteriores ad animi oblectamentum ſpectant; & ſanè etiam extra Poëſim laudabile eſt, & prodeſſe & delectare. Atque hos ipſos fontes à primo exordiamur fonte, *Archi-Cœnobio Ciſtercienſi*, in cujus vicinia præter Ciſternas, è quibus hauſta novæ Domûs, novíque inſtituti nomenclatura, viſendus eſt FONS, naturæ neſcio quô luſu, ac portentô CELEBER: cujus inſignem deſcriptionem Manriquei calamô ad annum 1198. *c.* 2. *n.* 7. expreſſiam hìc exhibeo: Irriguus is (nempe Ciſtercij locus) *fluviolô ſatìs rarô*; *ùt tunc* (id eſt ſub Archi-Cænobij primordia) *nocivô, diffuſis per terram aquis, ſic nunc collectis, lucroſô atque proficuô. Rarum in ipſo, quòd à fonte fluat, cui profunditas hactenùs immenſa nomen indiderit receptum inter colonos, ſans fonds, id eſt, ſinè fundo. Rariùs, quòd contra aliorum omnium morem decreſcat à pluvia, & vires ſumat ab ipſa ſiccitate. Ut locus ipſe nunquam non aquoſus, nunquam non lutulentus inveniretur, fonte, & Cælô alternis inundantibus; & tunc tantùm fluviolô compoſitô, cùm nubes erumperent; cùm ceſſarent, confeſtim erupturô.* Ominosâ hâc Coeli fontíſque alternatione ſignata fortaſſe fuerint Ciſtercij fata, geniúſque? Quoniam certè Orbi cælitùs irrigando deſtinatus Ordo Ciſtercius, toties jam precum ſuffragiô, meritorum prærogativâ, infidelium converſione, profligatione hæreſum, Barbarorum per ſacras militias excidiô, redundavit in mortalium felicitatem, DEô optimô maximô veluti vicarium procurandæ animarum ſalutis munus ultrò impertiente Bernardi filijs, quòd per canales mellifluos dulciſſimè fluerent divinæ gratiæ rivuli. Poëta Mantuanus olim Auguſto Cæſari elegante metrô ſolemniter abblandiens, diviſit inter Jovem & Auguſtum Orbis, imperiíque gubernacula:

Nocte pluit totâ; redeunt ſpectacula manè:
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet.

Dividat rursùs non Ethica Poëſis, ſed Chriſtiana veritas, *aquas ab aquis*, gratias à gratijs: unas quidem, quas Divina Bonitas imme-

immediatè per ſe, ſinè creaturæ adminiculo profundat: alteras, quas per *tertium*, Ciſtercium, diſpenſet: ac proinde illa in laudato Ciſtercij fonte alternatio non eſt ſinè Numine Divûm. In Cœnobio SS. *Vincentij* & *Anaſtaſij* extra Urbem, quod *Trium-Fontium*, ſeu ad *Aquas-Salvias* paſſim appellatur, jugi ſcaturigine perennant illi TRES prodigioſi, morbiſque pellendi ſaluberrimi FONTES, qui tunc eruperunt, cùm Divi Pauli Apoſtoli præciſum ſacrum Caput ter eo in loco è terra ſubſiliens trinô jubilô Nomen JESU inclamavit. E Sancti corpore reliquo primùm lac, profluxit; ſubinde ſanguis. Aquarum ſapor in ſingulis fontibus notoriè diverſus eſt, peregrinantium pietas numerosô vaſe haurit admirabiles has undas, ſecúmque extra Italiam ad nationes alias, imò planè ad Orientales Indos devota aſportat. Apud *Sabaudos* in Cœnobio de *Alta-Cumba* FONS viſitur, quem incolæ dicunt MIRABILIUM, per ſingulas horas bis fluidus, bis ſiccus. Cùm per vices aqua redit, ſonorô impetu potentiſſimè proſiliens, in vicinum molendinum ſeſe cum impetu præcipitat, rotáſque verſat: atque indè rursùs emergens, Lacum Burgitem auget ſuô acceſſu. Papirius Maſſonus in *deſcript: Flum: Gall:* citatus à Jongelino *in Notit: Abbat: Ciſt: lib. 7. pag.* 94. ait: *ſe in fontis margine quatuordecim menſes aſſediſſe, quotidie unâ horâ, ut oblectandi animi causâ rem tam mirabilem, támque ſtupendam contemplaretur.* In Cœnobio *Clari-Fontis* apud *Luxenburgicos* FONS *ſaluberrimis aquis* hodiedum ſcaturit, cui olim Bernardus Parens, ea loca permeans, benedictione impreſſit vim adversùs morbos. Apud *Gallos* in Patria Atrebatenſi Fontem eâdem virtute adversùs febres imbuit *Divus Thomas Cantuarienſis*, cùm ex Anglia ad Gallias confugiſſet: unde etiam nomen Thaumaturgi Sancti præſefert, nuncupatus FONS S. THOMÆ. De Monaſterio *Surienſi*, apud *Hibernos* ſcribit Jongelinus *lib.* 8. *Notit: Abbat: pag:* 24. ex *Jacobo Warao* ibi citato, propè idem Cænobium fuiſſe Saccellum quoddam ſub advocatione *Divi Patricij*, Gentis illius præcipui Apoſtoli, aquarum illic uberrimè emanantium beneficiô celeberrimum, quarum potu languentes ad optatam valetudinem è morbis reſpirârint. Apud *Germanos* Cænobium *Regij-Fontis* in Ducatu Wirtenbergenſi inſignes QUATUOR FONTES circumambiunt, velut in ampliſſimos lacus ſeſe ex-

Uuuuuuuu plican-

plicantes, quos verbis Jongelini Notit: *Abb. L. 2. pag.* 77. hic deſcriptos exhibeo: *Primus itaque & præcipuus, Brentij amnis à Monaſterio 200. paſſibus. Secundus Pfefferij, 100. paſſibus, in quem peregrinus projectus piſcis ſtatim excecatur. Tertius Cochius, ex quo naſcitur fluvius Cochius, à quo Vallis Cochertala nomen habet. Quartus ſinè nomine, quô fluente, difficultas annonæ fore traditur.* Hæc ille. FONS SALUTIS, vulgò Heyl-Brunn / Cœnobium ex ſententia Bruſchij olim *magnificentiſſimum & opulentiſſimum apud Francones*, nunc ſub Novatorum Evangelicorum dogmatibus illuſtre Gymnaſium 4. Claſſium, nominis ſui fauſtum etymon hauſit ab uberrima in eodem loco fontium ſalubritate. Ad aquarum etiam portenta reduci poſſunt INSULÆ NATANTES in celebri lacu, qui adjacet Cœnobio noſtro de *Claromariſco* apud Belgas, unde & Monaſterio nomen, *Claro-Mariſci* namque idem eſt, quod *Claræ-Paludis*. Mobiles ſunt illæ inſulæ, & ventorum luſu per lacum undique diſcurrentes, modò coëuntes in orbem, modò jucundiſſimâ diſcordiâ ab invicem divulſæ, fæcundæ arbuſtis, & paſcendis gregibus utiles ob pabuli bonitatem. Vidit aliquando ſimiles terreas moles, herbis pingues, in alia quapiam palude vagantes *Plinius Junior*, & pro miraculo eam novitatem habuit. Noſtris quotidieè Claromariſco id ſpectaculum exhibetur ſinè miraculo, non tamen ſinè animi oblectamento, atque etiam, quod nonnuli potiùs ducunt, non ſinè œconomiæ ruralis incremento.

Porrò *Fontibus frigidis* ſuccedant ſuô calore ſalutares THERMÆ, quarum quidem tres illuſtrant Ciſtercium: *Porzetenſes*, *Fiterienſes*, & *Hirsbergenſes*. PORZETENSES à Parthenone noſtro, cui nomen *Porzetum*, in Agro *Limburgenſi*, nominis participationem ſumpſêre: per omnem Germaniam celeberrimæ, notiori vocabulô alioquin dictæ *Aquis-Granenſes*, quod id Cœnobium unà cum ſalutaribus ſuis balneis haud procul diſtet ab *Aquisgrano*. Alteræ illæ FITERIENSES apud Hiſpanos plurimô paſſim beneficiô ſanitatem propinant ægrotis, & frequentantur jugi malevalentium accurſu. HIRSFELDENSES apud Sileſios duobus fontibus ſcaturiunt, quorum alter ad Auguſtiſſimum Cæſarem pertinet, alter ad Griſſovienſes in Præpoſitura Hirsbergenſi commorantes: utriique procurantibus,

bus, ut balnei tam ſalutaris, locíque beneficium in hoſpitum commoda & remedia uberrimè profluat. Poſt ſalubres undas OLEUM quoque profundendum in hanc chartam ex Manriquei Annalibus ad annum 1175. *c.* 6. *n* 8. ubi memorat de *Parthenone S. Clementis* in Urbe Toletana apud Hiſpanos, è Sepulchro Sanctæ cujuſdam Antiſtitis tantâ largitate Oleum per multa tempora emanaviſſe, ut ad omnes Monaſterij uſus ſufficeret abundanter. At verò cùm ad comparanda terrena lucra tandem non bonis conſilijs, oblatô fortè atque obtrusô ab ementibus pretiô, cœpiſſet venumdari, ſtetit ex parte prodigium, neque portentoſus liquor tantâ ubertate deinceps ebullijt, ſed duntaxat parcè velutì proſerpens madefecit ſepulchrum: quod vicinis adhuc temporibus Veſtales noſtræ cum reverentia collegêre. Scilicèt, ùt *loco cit:* pronunciat *Angelus: Ibi Oleum ceſſavit miſericordiæ, ubi quæſtus incepit:* Valente DEô gratìs in alios expendi, quod gratìs ipſe dediſſet. Utramque hanc circumſtantiam & primùm largè, & ſubinde parcè fluentis prodigioſi olei notare hìc volui, non tam ut noſtros, noſtráſque arguerem, quàm ut apertiùs commendarem miraculi evidentiam, quod utrôque illô eventu ampliùs Orbi innotuit.

Claudo Titulum, meſſémque plurimis manipulis adhuc opulentam interim abſolvo, datâ Lectori libertate, ut his in rebus ulteriùs is progrediatur, quarum nempe intuitu Ciſterciæ Familiæ in Orbem ſtudia atque utilitas firmari valeant. Interea pro coronide per modica verba, ceu radios res illæ noſtræ obiter repetendæ hìc veniunt: quòd ſcilicèt impetrati Regibus hæredes, quòd triumphati excuſsíque Sarraceni, quòd Orbis novus detectus, quòd ſolidata inter Principes fædera, quòd obtentæ adversùs barbaros victoriæ, quòd proſcripta Duella, quòd repertæ mineræ, quòd refecti famelici, quòd ſublevati pauperes, ſuſcepti hoſpites, quòd ſeu per prodigia, ſeu per ſalubres fontes, curati ægroti: omnia nimirùm illa dona, illa munera in Orbis emolumentum profluxêre per Ciſtercium: ut rurſús rependendæ Numini gratiæ, omninò per Melleam familiam, id eſt, eâ viâ, quâ in nos emanaverint, refundi debeant, ſcilicèt per canalem, è quo *& gratiæ* & *naturæ* beneficia tam abundanter Orbis hauſiſſet.

RIGARE ſolent flumina, LIGARE Vincula,
Eapropter Symboli præfixi imago
HINC RIGOR, INDE LIGOR.
Ea vox Orbis eſt per Ciſtercium *irrigati*, per Ciſtercium *colligati*,
Gen. 1. Vocavit olim DEUS, *Terram*, *Aridam*,
Sed hoc dictum antiquis:
Cùm in Burgundia ſub Annum Chriſti 1098. erupit *Ciſtercium*,
Terra ampliùs *arida* dici non debuit,
Ciſtercij, id eſt, *Fontis* auſpiciô irrigua.
Vegetabile, quod rigatur, creſcit:
Quoniam poſtquam *Paulus plantâſſet*, *Apollo rigâſſet*-
1. Corinth. 3. Tum tandem *DEUS incrementum dedit.*
Vix aliquando *Vitus*, puer Sanctus, ſinè *Creſcentia*,
Non minùs *creſcens*, quàm *vivens*,
Hoc exhibens nomine ſuô, quia *Vitus*.
Illud auſpiciô Nutricis, quia *Creſcentia*.
Qualis *Vitus*, talis *vita*:
Neque iſta, neque ille ſinè *Creſcentia*;
Scilicèt ſi ambo *rigentur.*
Id naturæ lex eſt, atque ſtylus,
Ut nullus omninò labia habeat,
Etiam qui ſuper ſolia & cathedras ſedent,
Niſì quæ Maternô lacte ſint *irrigua.*
Vegetabile, quod creſcit, *rigatur.*
Non eſt Vitus, non vita ſinè *Creſcentia*,
Non Creſcentia ſinè *irrigatione*,
Non hæc ipſa irrigatio ſinè *Ciſtercio*,
è quo tanquam è Ciſterna è fonte
Et rigatio, & creſcentia, & vita
In vitam & gloriam proſiliunt Chriſtiani Orbis!
Nilus Ægypti
Ciſtercium Orbis
Felicitas!
Ille in portionem terræ unam,
Pſal. 18. Hoc *in omnem terram exivit*,
Multô alveô *irrigans* Mundi plagas.
Sic *Luſitania*, *Hiſpania*, *Anglia*, *Gallia*, *Sabaudia*, *Lotharingia*,
Sinè

Sinè Ciſtercio *ſteriles*,
Per Ciſtercij merita fæcundæ,
Sortitæ *hæredes Principes*,
Quibus noſtri precando, dederint *Vitam* & *Creſcentiam*,
Utramque *Ciſtercij* auſpiciô
è cujus ſancta plenitudine *irrigatæ* Coronæ
Pullulaverint in nova germina.
Ciſtercij ectypon
Paradiſus, & *Paradiſi fluvius*,
In *egreſſu* unus, in *progreſſu* multus — Geneſ. 2.
Diviſus *in Capita*, ceu oſtia *quatuor*,
Quorum hæc nomina:
Phiſon, *Geon*, *Tygris*, *Euſrates*.
Ciſtercium in ſcaturigine *Parvus Fons*,
In progreſſu auctus *quadruplici flumine*,
Firmitate, *Pontigniacô*, *Clara-Valle*, *Morimundô*,
Quæ ipſiuſmet *numeri* auſpiciô
Quaternas Orbis plagas pervadunt,
Et quia *Fontis* filiæ
Maternô nomine quaquaversùm irrigant.
Unde Ciſtercium mi!
Si deſcendero in profundum *Ciſternæ*,
Tu illic es in *Fonte Matre*:
Si *habitavero in extremis Maris*,
Ades intra Oceani gremium in admixtis *tuis undis*:
Si *aſcendero in Cælum*, — Pſalm. 1 8.
Et tu illic es ſub *Nubecula* parvæ veſtigio, — 3. Reg. 18.
Quæ olim è *Mari* in ſublime aſcendens,
Creſcénſque in *pluviam grandem*
Adaquavit feliciter Samariam, *velut in abyſſo multa*. — Pſalm. 7.
Nubecula parva,
Ciſtercium,
Maris, (MARIÆ) feliciſſimus *halitus*, ac *meteorum*,
In altum ſeſe efferens, ampliſſiméque explicans
Non Samariam modò, ſed Orbem inundavit
Diluviô gratô & *dulci*, quia *Melliſluô*.
Vix Ordo alius *aquarum* auſpiciô felix
Præter *Ciſtercium*:

Cujus puriſſima *conceptio* in *Mari*, in *MARIA*:
Primæ *Cunæ* in *Ciſternis*:
Dulcis eſca in Salvatoris *latere*,
Maternum lac in Virginis *ubere*:
His addidit Bernardus *mella ſua*,
Ut planè è tot *liquorum* confuſione
Ciſtercium ſit Ordo *fluidus*;
Cui *omnia fluant*,
Et qui omnibus fluat
Ad votum,
Orbis quoddam *humidum radicale*,
Quod Divini cruoris, Marianíque lactis *humoribus* exuberans,
Nunquam exſiccabitur:
Ordo, phraſi vulgari, *mirabilis*, & admirabilis certè *humoris*:
Quia ſcilicèt *aqueus* ab origine, *Mellifluus* à Patriarcha,
Lacteus à DEIpara, *ſanguineus* à Chriſto,
Verbô *fluidus*, *irriguus*,
Neque per modica duntaxat *ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*
Orbem humectans,
Verùm plenô inundans *torrente*,
Pſal. 109. De quo, qui *in via biberint*, *exaltavêre caput*,
Beneficij, meritíque noſtri adminiculô evecti in ſublime,
Id eſt, effecti felices!
Quoniam ſicut caſus ſiniſter premit, nè caput attollamus,
Ità ex adverſo ſors fauſta vertices noſtros erigit.
Marc. 14. Oraculi Divini veritas: *Biberunt ex illo omnes.*
Qui è Ciſtercio biberunt, caput exaltârunt:
Biberunt autem ex eo omnes!
Itaque ô! vos omnes, qui Ciſtercij munere caput *exaltâſtis*,
Inclinate etiam *Capita veſtra* Ciſtercio!
Quia ſicut *exaltare* caput, indicium eſt *felicitatis*,
Ità *inclinare* caput argumentum eſt *gratitudinis.*
Lamentum Pſaltis Regij deinceps ſit jubilus Orbis:
Pſal: 68. *Intraviſſe aquas uſque ad animam ſuam:*
Ad animam dico,
Non meliores Aquæ, quàm quæ uſque ad animam,
Imò in animam intrant:
Et tales aquæ in Ciſtercij Ciſternis,
Iſai: 33. Quia *aquæ ejus fideles ſunt.*

Aquæ

Aquæ fideles fidenter animam intrent!
Gemina Orbis felicitas, *corporea*, & *ſpiritualis*,
Utraque Ciſtercij fontibus irrigua.
Rigat Orbem Ordo Ciſtercius,
Lucris *temporalibus*, incrementis *ſpiritualibus*:
Priora illa corpus, rémque terrenam afficiunt,
Poſteriora hæc: ad animam penetrant,
Et ſunt aquæ, quæ *intrant uſque ad animam*,
Neque ea inundatio inutilis,
Quoniam talis *anima*, Ciſtercij aquis madida,
Quaſi hortus irriguus. Jerem. 31.
Et *RIGAT*, & *LIGAT Ciſtercium!*
Non dedit fruſtrà *zonam* candidã Stephano noſtro diva Parens:
Dedit ſcilicèt, ut *ligaret* ille ſe, ſuóſque Virgini, cãdore, ac pietate,
Et Principes inter ſe *fœdere*,
Abſtractos à belli curis ad cogitationes pacis:
Quæ *Vinculorum ſolemnia*.
Toties olim à noſtris celebrata in Principum *ſolamina*,
Si hodie per *Anniverſaria*, repetenda forent,
Non *Auguſti* duntaxat *prima* & *una* dies,
Sed Annus integer anniverſarius eſſet *vinculis*
Pro Principum concordia per nos fabricatis.
Neque timenda hæc vincula, *quà vincula*:
Quandoquidem nec *Samſonis*, nec Principum robur
Per illa aliquando enervatum ſit,
Sed probatum ampliùs,
Quin imò, ſi Principes ſpectes, auctum inſuper,
Quoniam *virtus*, quæ *unita*, *fortior*.
Explicate, oro, rursùs hæc vincula,
Potentiſſimi è Ciſtercio Cælites!
Et diſtrahendum, eheu! per bella, Orbem
Servate intra compages!
Ligandi poteſtatem, quæ vobis olim data in terris,
Nunc uſurpate è Cælis!
Ligate Chriſtianos Principes fæderibus,
Rigate fædera favoribus!
Ut perenni jubilô Orbis plaudat:
Ciſtercij beneficiô
Et RIGOR, & LIGOR.

TI-

TITULUS XXVI.
CISTERCIENSIUM ELOGIA.



PEr labia non mea mihi hôc Titulô loquendum eſt; quoniam è ſacri oraculi dogmate, alienô ore promendæ ſunt laudes propriæ. Elogiorum fons, glorioſa facinora, ſinè quibus immeritò laudas, quemcunque laudas. Aperui per ſuperiores Titulos, fontes complures, unde Ciſtercij encomia plenis buccis & cyathis hauriri & fundi valeant. Illæ namque veræ ſunt laudes, quæ è meritis profluunt: eapropter poſt Ciſtercij

Proverb. 27.

ſtercij *merita*, collocanda veniunt Ciſtercij *elogia.* Dabo Mellifluo Ordini laudes è cælis, dabo è terris, dabo panegyriſtes, Eccleſiarum Præſules, dabo Reges & Doctores, in quorum calamis & labijs Ciſtercij præconia legenda ſint. Itaque ut dignè hæc pangam, *Veni Sancte Spiritus!*

SPIRITUS SANCTUS.

QUi *B. Henrico* Hemmenrodenſi Converſo non infrequenter, & per ſingulos ferè dies ſpectabilis, inter alia cæli arcana eidem expoſuit Ciſtercienſis Inſtituti digniſſimas prærogativas; Eſſe nimirùm ſanctum id vitæ genus *perfectionis ſummæ, proximum Angelis puritate, par Martyribus rigore, Prophetis contemplatione, Apoſtolis paupertate, Patriarchis verbi divini prædicatione, & peccatorum converſione.* *Annus Ciſt. ad diem 4. Novemb.*

MARIA MATER JESU.

B. *Bertramo*, Cœnobij *B. Mariæ de Carixto* Monacho in Lombardia divina Puerpera variô Theatrô ſuos erga chariſſimum alumnum amores explicuit. Inter revelationes cæteras pro Ciſtercio glorioſior illa, cùm Auguſta Parens viſa eſt intra virentis ceſpitis blandam amænitatem conſiſtere. Ad cujus plantas rivulus aurei coloris fontem gratô ſuſurrô prætervolvens, alluebat Divæ pedes: gemmis inſuper fulgoris multi, variíque ex ipſis undis emicantibus. Didicit Bertramus ex optima interprete ænigma: aurei ſcilicèt ſplendoris undis Ciſtercium ſignificari, gemmis fidos ſibi è Ciſtercio clientes, clientúmque fidiſſima corda. Porrò adjecit devotiſſimæ ſibi Familiæ illuſtre elogium, atque in elogio pretium ingens, cùm Bertramo confeſſa eſt, ſe nempè ſuper cætera Inſtituta æſtimare unum Ciſtercium, quô pactô mortales ſuper reliqua metalla aurum evehunt. *Annus Ciſt. ad diem 4. Julij.*

EUGENIUS III. Papa.

IN Conſtitutione, quæ incipit: *Sacro-Sancta Romana*, edita Annô 1152. Ciſtercienſem Familiam nuncupat, *Odorem agri pleni, cui benedixit Dominus.*

ALEXANDER III.

COnſtitutione Attendentes, conceſsâ Annô 1169. eximiè Ordinis Ciſtercienſis ſanctimoniam exaggerat: *Attendentes, quomodo vos à ſæcularis vitæ latitudine converſos Omnipotens & clemens Dominus ad Anguſtæ portæ deduxit introitum, & vos tanquam à carne adipem ſeparavit; gaudiô gaudemus, & internâ mentis lætitiâ & exultatione jucunditatis replemur, monentes pariter & exhortantes, ut ſolicitâ intentione nitamini in vaſis veſtris oleum deferre: quatenùs cùm mediâ nocte clamor factus fuerit, accenſis lampadibus veſtris, Sponſi mereamini thalamum introire, & juſtitiæ beatitudinem recipere, quæ vobis eſt reſervata in cælis. Quapropter quia vos elegit Dominus in hæreditatem ſibi, & à longè de alto reſpexit, paci & tranquillitati veſtræ proſpicere cupientes, &c.*

LUCIUS III.

COnſtitut: *Monaſticæ Sinceritas*, quæ emanavit Annô 1183. hæc de Ciſtercio: *Monaſticæ ſinceritas diſciplinæ, quam in puritate Ordinis, quem tenetis, æterni Conditoris providentia reſtauravit, illam ſemper invenit in Apoſtolica Sede clementiam, quâ & vobis in Domino accreſceret propoſitum virtutis, & aliorum devotio veſtris provocaretur exemplis: ut per cæleſtium ſemitam mandatorum ad propoſitum feliciter bravium feſtinaret. Inter cætera verò licèt Ordo veſter eâ ſe ſervaverit Epiſcopis humilitate ſubjectum, ut, ſalvis originalibus inſtitutis, eorum ſemper vellet magiſterio ſubjacere; illud tamen hactenùs de favore & protectione Apoſtolicæ Sedis obtinuit, ut nullus in Monaſteria, vel Abbates Ordinis memorati, quamlibet Eccleſiaſticam ſententiam promeret: vel perſonas in eodem Ordine conſtitutas, excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti promulgatione gravaret.*

URBANUS III.

COnſtit: *Cùm Ordo*, conceſsâ Annô 1186. *Cùm Ordo veſter per infuſionem divinæ gratiæ longè latéque fidelibus Chriſtianis ſit odor vitæ in vitam; in his, quæ juſtè requiritis, tantò faciliùs noſtrum impartimur aſſenſum, quantò plures veſtrô exemplô in Eccleſia DEI proficiunt ad ſalutem.*

HO-

HONORIUS III.

COnſtit: *Cùm Ordinis*, Annô 1219. editâ: *Cùm Ordinis veſtri generoſa plantatio multos Religionis & honeſtatis flores & fructus protulerit; effusô longè latéque laudabilis converſationis odore: Apoſtolicæ Sedis Authoritas conſiderans, per Marthæ ſolicitudinem providendum eſſe Mariæ quieti, ut orantis Mariæ ſuffragijs, ſatagentis Marthæ ſolicitudo juvaretur: nè alicujus temeritatis incurſus ſanctæ converſationis otium perturbaret, Ordinem ipſum & Privilegijs, & nonnullis indulgentijs ſpecialis gratiæ prærogativâ munivit. Nos autem, qui ſalutifera commoda veſtra benignô favore proſequimur, tranquillitati veſtræ libenter, prout poſſumus, providemus, &c.*

GREGORIUS IX.

COnſtit: *Cùm Ciſtercienſis Ordinis*, quæ emanavit Annô 1228. *Cùm Ciſtercienſis Ordinis titulus per DEI gratiam adeò ſit inſignis, quòd vix credatur ab his, qui contra vos literas impetrant, ſinè malitia obticeri: Nos & illorum fraudibus obviare, ac innocentiam veſtram volentes favorabiliter confovere, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut nequeatis per literas Apoſtolicas conveniri, quæ de Ciſtercienſi Ordine non fecerint mentionem.*

INNOCENTIUS IV.

COnſtitut: *Theſauro virtutum*, editâ Annô 1245. *Theſauro virtutum ſic præclara veſtra Religio ſuum ſemper aſtrinxit affectum, quòd habetur & in conſpectu Regis æterni placita, & in oculis hominum gratioſa. Ipſa quidem ùt columba mitis, & humilis, & electa Domini ſpecialis, pulchra per totum adſpicitur, omnem à ſe rugam enormitatis abjiciens, & maculam deformitatis excludens: vigilantibus illis, qui paternæ ſolicitudinis in ea gerunt officium, quòd ibidem nullæ poſſint vitiorum ſpinæ ſuccreſcere: ſed ipſa florum honoris & fructuum honeſtatis immarceſcibili polleat ubertate. Propter hunc etenim ſanctæ operationis effectum nunquam Ordo veſter officiô alienæ viſitationis vel correctionis indiguit: ſed de ipſo aliquibus alijs reformationis beneficium ex providentia Sedis Apoſtolicæ jam provenit. Cùm itaque nos, qui ex hujuſmodi virtuoſis actibus ſpiritu in Domino exultamus, claris agnoſcamus indicijs, dictum Ordinem eſſe alijs vitæ ſpeculum,*

& ſalutiferæ converſationis exemplum; quòd ipſe ſicut olim, ſic & in poſterum ab ejuſdem duntaxat Abbatibus, ac Monachis idoneis, quos vos filij Abbates ad hoc provideritis deputandos, & à nullo alio, viſitari poſſit, aut corrigi auctoritate præſentium duximus ſtatuendum, &c.

Idem INNOCENTIUS Papa.

CONſtitut: quæ incipit, *Cùm nuper*, editâ Annô 1251. - - *Quia verò ejuſdem Ordinis* (Ciſtercienſis) *ſacra Religio ſic apud nos dignos favore conſtituit, ut nobis votivum exiſtat, vos ab omnibus, per quæ vobis poſſent provenire diſpendia, immunes libenti animô præſervare.*

Idem INNOCENTIUS.

COnſtit: *Sic Ordinis*, conceſsâ Annô 1251. *Sic Ordinis veſtri fragrantia nos delectat, ut libenter illa vobis & liberaliter concedamus, quæ fructus dulcedinis, & flores ſuavitatis vobis proferant, & odoris.*

ALEXANDER IV.

COnſtit: *Religionis veſtræ*, editâ Annô 1255. *Religionis veſtræ meretur honeſtas, ut vos ſpeciali diligentes in Domino charitate, proſequamur gratiâ Sedis Apoſtolicæ, ac favore.*

Idem ALEXANDER.

COnſtitut: *Circa Sacrum*, conceſsâ Annô 1258. *Circa Sacrum & famoſum Ordinem veſtrum illius ſinceritatis affectum gerimus, quòd ſemper ipſius juſta deſideria libentiſſimè procuramus, & ſumus ad ea ſoliciti, per quæ virtutum Domino poſſitis devotiùs & quietiùs famulari.*

Idem ALEXANDER Papa.

COnſtit: *Virtutum meritis*, editâ Annô 1260. *Virtutum meritis rutilans, & ſanctitatis odore fragrans in Eccleſiæ corpore membrum nobiliſſimum Ordo veſter, ſic à ſui plantatione per ſemitam mandatorum Domini ambulavit, & unitatem ſervavit & pacem, quòd gratiâ gubernante divinâ, nunquam viſitationis vel correctionis alienæ*

officiô indiguit, vel in eo naſci potuit, turpem ſibi maculam ſuperducens alicujus diſſenſionis rimula vel ſciſſura: propter quod Sedes Apoſtolica eidem Ordini quæſtiones inter perſonas emergentes ipſius per Patres Abbates ejuſdem terminari debere, & â nullo, nisì ab eiſdem Abbatibus, vel deputandum ab ipſis ad hoc idoneis Monachis, dictum Ordinem viſitari poſſe vel corrigi, noſcitur indulſiſſe. Nos igitur eundem Ordinem, quem inter alios ſuorum præcellentia meritorum, præcipuâ proſequimur charitate, in ſua cupientes pace ſervare, ac ei, nè unitatis ipſius dirumpi poſſit vinculum, ſalubriter præcavere; univerſis & ſingulis, &c.

CLEMENS IV.

CONſtitutione, *Parvus Fons*, quæ emanavit Annô 1265. *Parvus Fons, qui crevit in fluvium, & in lucem ſolémque converſus, in aquas plurimas redundavit, Ciſtercienſis eſt Ordo prælucidus, qui à ſui ortûs exordio parvus & humilis abjectione habitûs, tenuitate ſubſtantiæ, humilitatis profeſſione, ac numerô profeſſorum, ſub fontis metaphora non indignè deſcribitur, cui diverſarum illi proprietatum conformitate conformis non immeritò comparatur. Hic eſt enim Fons hortorum irriguus, cæteras rigans Religiones & Ordines, ac in ipſos exemplis ſalutaribus ſcaturizans. Hic eſt fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens ſanctitate: horum meritô ſic excreſcere meruit, ut fontis nomen excedens fluvius cenſeatur: Cujus proceſſus laudabilis de virtute in virtutem, ut DEUM deorum in Sion videat, gradientis univerſalis Eccleſiæ lætificat unitatem, in qua per meritorum evidentiam claræ lucis ſplendorem adeptus, quaſi ſtella matutina reſplendet in medio nebulæ mundi hujus, & in ea ſplendidos emittens radios inſtar ſolis, velut aquæductus de Paradiſo proveniens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum ſuarum, cœtus quidem clauſtralium quos produxit, aquis irrigans gratiarum, & vinô ſpiritualis lætitiæ fructum inebrians partûs ſui. Hujus ſiquidem Ordinis ſacra Religio à ſuæ inſtitutionis auſpicijs quaſi deſerta & invia, utpote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honeſtatis fructus parturiens, ramos ſuos, ramos quidem honoris & gratiæ, quaſi terebinthus extendit, germinans generationes, & progenies germinavit. Eapropter lætatur, & jubilat lætabunda, & laudans exultat jam in multitudine numeroſa ſpectabilis, quæ olim quaſi deſpicabilis in ſolitudine delitebat. Dignè itaque hic Ordo digniſſimus, dilectus & praelectus à Domino, eidem pſallit, & aſſerit cum Propheta:*

In terra deſerta & invia, ſic in ſancto tibi deſiderio, & ſolido propoſito religionis apparui: non ut me in habitu vel ambitu oſtentationis tibi, qui omnia vides, oſtenderem; ſed ut in humilitatis abjectione tuam viderem, & te miſericorditer donante, perciperem gloriam, & virtutem. Vidit enim, & gaviſus eſt, percepit, ùt præmittitur, multæ fœcunditatis gloriam, nihilominùs in charitate fundatus. Primi namque ipſius Ordinis architecti prima quaſi ejuſdem Ordinis fundamenta in charitate jecerunt: eundem Ordinem ad inſtar Sponſi cæleſtis, qui in ſpecioſiſſima Sponſa ſua charitatem, ùt ipſa fatetur, quæ in ea perſeverantior fieret, ordinavit, charitativis præceptis & inſtitutionibus ordinantes. Quibus charitatis charta nomen (nec immeritò) imponentes, per ipſam ad charitatis conſervationem ſtraverunt, juxta Prophetæ promiſſum, ipſius Ordinis lapides: ordinantes in illa quid majoribus, quídve minoribus debeatur, apertiùs ſtatuentes, ut ſecundùm ejuſdem Prophetæ vaticinium, ipſius Ordinis agni juxta ſuum Ordinem paſcerentur.

NICOLAUS IV.

COnſtitut: *Plantatus*, editâ Annô 1291. *Plantatus in agro Domini Ordo veſter ſic à ſuis primordijs divinâ cooperante clementiâ pullulavit, ſic laudabilibus incrementis profecit, fructus aſſiduè proferens copioſos, quòd inter alia germinantia dicti agri tanquam ſidereô nitore refulgens, plenis donis virtutum ſpiritualiter & temporaliter noſcitur abundare.*

CLEMENS V.

COnſtitut: *etſi quibuslibet*, conceſsâ annô 1309. *Etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis, præſertim ſub Religionis habitu Domino militantibus, Apoſtolicum debeat adeſſe præſidium, profeſſores tamen Ciſtercienſis Ordinis utriuſque ſexûs, nè pravorum hominum moleſtijs agitentur, eò libentiùs protectionis noſtræ muuimine confovemus, quò præfatum Ordinem in Eccleſia DEI conſpicuum dilectione proſequimur ampliore, ac illorum injuriæ graviùs nos contingunt.*

BONIFACIUS VIII.

COnſtit: *In Eccleſia*, editâ Annô 1301. *In Eccleſia fundamento veſter Ordo nitore clarô coruſcans, univerſalem Gregis Dominici aulam illuminat; & currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quô ad*

ad ſalutis bravium faciliùs pervenitur. Nos quidem ob hoc, & propter magnæ devotionis affectum, quem ad Nos, & Apoſtolicam Sedem habetis, Ordinem ipſum, ac Vos, & alios ejuſdem Ordinis profeſſores intimâ charitate proſequimur, ac ſinceris affectibus excitamur ad veſtra, & illorum commoda, in quibus honeſtè poſſumus, promovenda.

JOANNES XXII.

COnſtitut: *Ad Ciſtercienſem*, quæ emanavit Annô 1319. *Ad Ciſtercienſem Ordinem, ex quo, velut agro pleno, cui Dominus benedixit, fragrantia ſpiritualium filiorum redundare dignoſcitur, ſuavitatem ſpirans odoris Eccleſia ſancta DEI, ſpecialem gerentes devotionis affectum, ad ipſius Ordinis tranquillitatem & pacem gratis deſiderijs aſpiramus.*

Idem JOANNES XXII.

COnſtitut: *Inter cæteros*, editâ Annô 1326. *Inter cæteros Regularium Ordinum profeſſores in DEI Eccleſia militantes, illud Ordini veſtro & vobis ad ſpirituales laudes adſcribitur, quòd præter alia, per quæ virtutum Domino gratum impendiſtis holocauſtum, libenter voces veſtras cum reverentia & devotione debitis, in divinis celebrandis officijs exaltatis, ſperantes per hæc vocum veſtrarum organa velut incenſiones gratas ipſi Domino placitura.*

BENEDICTUS XII.

COnſtitut: *Fulgens*; editâ Annô 1334. *Fulgens ſicut ſtella matutina in medio nebulæ Sacer Ciſtercienſis Ordo in Eccleſia militante, ſtrenuè militat operibus & exemplis, fervidéque ſatagit per ſanctæ contemplationis applauſum, & innocentis vitæ meritum, montana ſcandere cum Maria; séque per exercitium laudabilium exactionum, & penſum piorum operum curioſum, Marthæ ſatagentis officio conformare. Hic nempe Ordo in divini cultûs miniſterio ſedulus, ut ſibi & alijs proficiat ad ſalutem; in ſacræ lectione paginæ ſtudioſus, ut ad perfectam excellentiæ ſupernæ cognitionem valeat pervenire; præſtans & promptus in operibus charitatis, ut adimpleat legem Chriſti, à mari uſque ad mare palmites ſuos meruit dilatare: quia gradualiter ad virtutum culmina patenter aſcendit, & proinde per ſacri Pnevmatis, inflamantis corda debilia, fiſtulas gratijs abundavit, dignúmq; ſe reddidit, à Romana Eccleſia, Eccleſiarum*

omnium Magiſtra, multis inſigniri privilegijs, & gratioſis ſavoribus communiri. Hujus quoque Ordinis ab adoleſcentia noſtra perſeveranter jugum ſuſtulimus, & in eo alumni effecti, per temporum curricula diuturna crevimus, tam in illo, quàm extra ipſum ſucceſſivis Prælationum honoribus, & tandem conſcendimus (quanquam immeriti) ſummi Cathedram Paſtoratûs. Licèt autem, exigente Apoſtolici Magiſterij curâ, cujuslibet Ordinis approbati crementum felix & floridum plenis affectibus in eo zelemur, à quo cælica ac terrenæ ſalutis perfectio derivatur: eundem tamen Ciſtercienſium Ordinem acie internæ devotionis, & charitatis aſpicimus, & ea, quæ ipſius ſalutem & proſperitatem reſpiciunt, quatenùs æterni Patris beneplacitis gratificari credimus, favorabiliter promovemus, &c.

JOANNES XXIII.

COnſtitut: *Dum uberes*, conceſsâ Annô 1415. *Dum uberes fructus, quos Ordo Ciſtercienſis in agro militantis Eccleſiæ uberrimè in exaltatione Statûs præfatæ Eccleſiæ, & Religionis propagationem produxit hactenùs, & producit aſſiduè, paternâ diligentiâ contemplamur: ſaluberrimum fore dignoſcimus, ut illa pro cultu divini nominis & obſervantia regulari in præfato Ordine decernamus, per quæ Ordo ipſe ſalutaribus proficere valeat incrementis.*

Idem JOANNES XXIII.

COnſtitut: *Sacræ Religionis*, datâ Annô 1415. *Sacræ Religionis, ſub qua mundanis calcatis illecebris, devotum & ſedulum in humilitatis ſpiritu exhibetis Altiſſimo famulatum, merita promerentur, ut ea, quæ veſtræ Religionis & Ordinis commoditatem reſpiciunt, favore vobis benevolô concedamus.*

Idem JOANNES Papa.

COnſtitut: *Etſi quibuslibet*, editâ Annô 1415. *Etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis, ac Religioſis, præſertim illis, qui mundi contemnentes illecebras, in humilitatis habitu Regi cunctorum Principum in abſtinentia, & divinis officijs ſuas animas devoverunt, ex paternæ pietatis officio teneamur aſſiſtere; profeſſores tamen Ciſtercienſis Ordinis utriuſque ſexûs eò ferventiori charitate complectimur, quò ipſum Ordinem in DEI Eccleſia conſpicuum & inſignem, uberiori dilectione pro-*

proſequimur. Unde ſi quando privilegia, gratiæ & indulta pro exaltatione & incremento ejuſdem Ordinis, ac pace & tranquillitate in eo virtutum Domino militantium per Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, aut Imperatores & Reges conceſſa & indulta comperimus, ut perpetuam firmitatem obtineant, ea merentur Apoſtolici roboris clypeô communiri.

EUGENIUS IV.

IN epiſtola ſcripta ad Ciſtercij Patres, Annô 1446. in Capitulo Generali congregatos: *Inter cæteros in Chriſti Eccleſia DEO militantes Monachorum Ordines, Ciſtercienſem Ordinem ſpeciali ſemper charitatis affectu proſecuti ſumus: atque inhærentes veſtigijs Prædeceſſorum noſtrorum, à quibus Ordo ipſe multis & magnis privilegijs, ac favoribus munitus & decoratus exiſtit, ad ea indefeſsè proni & propitij fuimus, quæ favoris augmentum, conſervationem ipſius Ordinis, ſalutem animarum, ac Perſonarum ejuſdem, aut ipſi perſpeximus, aut aliàs per alios requiſiti expediviſſe pro ejus conſervatione comperimus.*

NICOLAUS V.

COnſtit: *Etſi omnes*, editâ Annô 1448.: *Etſi omnes Religionis Chriſtianæ Ordines paternâ diligamus charitate, Ordinem tamen veſtrum Ciſtercienſem, ob noſtram ad Sanctum Bernardum reverentiam atque devotionem, ſingulari quôdam complectimur affectu: ut non ſolùm defendere illum & tueri, gravaminibúſque levare, ſed pro viribus augere, atque ornare intendamus.*

Idem NICOLAUS Papa.

COnſtitut: *Inter cæteras*, conceſsâ Annô 1454. *Inter cæteras Orbis Eccleſias, Monaſteria, & alia pia loca, Monaſterium Ciſtercienſe Cabilonenſis Diœceſis, ac Ciſtercienſem Ordinem affectu benevolô proſequentes, illa perſonis eis præſidentibus libenter concedimus, quæ ipſarum, ac Monaſterij & Ordinis prædictorum favorem & commoda reſpicere dignoſcuntur.*

PIUS II.

COnſtitut: *Super Gregem*, editâ Annô 1459. *Super Gregem Dominicum Nobis (licèt immeritis) deſuper creditum extendentes vigilis ſpeculatoris officium, in decore ac felici ſtatu Sacræ Religionis Ciſtercienſis ingenti mentis exultatione reficimur, proſpicientes potiſſimè,*

quòd Monachi dicti Ordinis per bonorum operum exercitium, & præclara ſanctitatis merita procedentes, cæteros ad Divinæ Majeſtatis obſequium retrahunt per exemplum, vitam ducendo piiſſimam, divinísque laudibus, ex quibus gloria extollitur Altiſſimi, accuratiùs inſiſtendo: Unde dignè ducimur ejuſdem Ordinis ac illius perſonarum obviare diſpendiis, & noſtræ proviſionis ope itâ ſalubriter providere, quòd Ordo ipſe, illiúſque perſonæ, Monaſteria & loca optatæ felicitatis in ſpiritualibus & temporalibus proficiant incrementis.

Idem PIUS Pontifex.

COnſtitut: *Inter cæteros*, datâ Annô 1461. *Inter cæteros Ordines in univerſali Eccleſia ſtabilitos, quibus, nos prætulit clementia Salvatoris, Ciſtercienſem præcipuis affectibus proſequentes, pro ſingulorum ipſius Ordinis Monaſteriorum conſervatione, ut in eis Majeſtas Altiſſimi collaudetur jugiter in benedictionibus gratiarum, ſuíque glorioſi nominis cultus, & ſacræ Religionis obſervantia vigeant, aciem attentè conſiderationis extendimus, ac circa ea, per quæ felicibus ipſorum ſucceſſibus conſulatur, quantum Nobis ex alto permittitur, partes noſtræ ſolicitudinis favorabiliter adhibemus.*

SIXTUS IV.

COnſtitut: *Cura noſtra* editâ Annô 1457. *Cura noſtra in varijs rebus quotidie emergentibus agitata, circa hoc potiſſimùm verſatur, ut paſtorale officium in Sacræ Religionis Ciſtercienſis ſtatu felici extendentes, itâ ope noſtræ proviſionis ſalubriter provideamus, quòd Ordo ipſe, illiúſque Monaſteria, & loca, & perſonæ, in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ſed optatæ felicitatis proficiant incrementis.*

Idem SIXTUS Papa.

COnſtitut: *Sacro-Sancta*, edita Annô 1475. *Sacro-Sanctæ Religionis veſtræ puritas, fervor devotionis, ac in Dominici agriculturæ labor aſſiduus, quibus ad ſupernum bravium feliciter comprehendendum, cæteríſque fidelibus impetrandum, totis inſudatis viribus, Nos provocant, ut antiqui hoſtis jacula, quibus vos, cæteróſque ſpiritualis vitæ ſectatores impetere, atque impedire nititur, ſcutô noſtræ protectionis tantò propellamus diligentiùs, quantò de veſtri profectûs fruſtratione, ſi fortè (quod abſit) callidi hoſtis decepti verſutijs, in vanum curreretis, ampliùs doleremus.*

Idem

Idem SIXTUS.

CONſtit: *Etſi cunctis*, datâ Annô 1475. *Etſi cunctis Eccleſiaſtici ſtatûs perſonis ex aſſuetæ pietatis officio aſſiſtere teneamur, illis tamen ſub Regulari obſervantia Altiſſimo famulantibus, præcipuè Ciſtercienſibus, eò magìs adeſſe nos convenit, quò ſublatis quibusvis dubietatibus majori quietudine reddere valeant vota ſua.*

PETRUS *Rex Aragoniæ.*

IN Privilegio conceſſo Cœnobio de Horta apud Hiſpanos, quod recitat Manriqueus ad annum 1197. *c.* 1. *n.* 7. *Inter cæteras Ordinum varietates, quibus decorata eſt Sponſa Chriſti, nullus Ordo fragrantior, & ſancti nominis odore ſuavior eſt in Chriſto, quàm Ordo Ciſtercienſis: ejus quippe profeſſores tantò differentiùs præ cæteris triumphales & illuſtres virtutum titulos præferunt, quantò expreſſiùs Apoſtolicæ Religionis veſtigiis adhæſerunt.*

JACOBUS *de Vitriaco Cardinalis.*

IN hiſt: occident: cit: in Chron: Ciſt: Aub: Miræi pag: 243. & deinceps *Famâ & opinione ſanctitatis eorum* (Ciſtercienſium) *quaſi ex odore unguenti adeò repleta eſt tota domus Eccleſiæ JESU Chriſti, quòd non eſt provincia vel Regio, ad quam vinea illa benedicta palmites ſuos non extenderit. Dilatavit Dominus, & Beata eorum Patrona Virgo MARIA (cui unanimiter & unô humerô ubique devotiſſimè deſerviunt) locum tentorij eorum, & non ſolùm uſque ad Mare, ſed etiam ultra mare propagines ipſorum protendit: ut jam per experientiam in ſe completum agnoverint, quod ait Dominus in Evangelio: Centuplum accipient in hoc* Matth. 19.
ſæculo, & vitam æternam in futuro. Suſcitavit autem Dominus eis à Marci 10.
principio novellæ Plantationis eorum, Agricolam peritum, prudentem, &
ſanctum Virum, quem invenit Dominus ſecundùm cor ſuum in omni domo Num. 12. Matth. 13.
ſua fideliſſimum, & operarium in vinea ſua diligentem, & ſtudioſum, qui univerſæ Familiæ Domini de theſauro ſuo nova proferens & vetera, eroga-
ret tritici menſuram, & daret illi cibum in tempore, ſanctum videlicèt Ber- Luc. 12.
nardum, Claræ Vallis Abbatem, totius Religionis probatiſſimâ margaritam,
lucernam Ordinis, & ſtellam in firmamento Eccleſiæ DEI radiantem, qui Gal. 1.
non ab homine, neque per hominem, ſed ſolâ DEI inſpiratione, præeminen-
tem Sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quaſi de ipſo Domi- Prov. 5.
nici pectoris fonte potavit cæleſtes aquas, quas diffunderet in multis plateis.

Luc: 24. *Et quoniam potens fuit in opere & ſermone, exemplô ſanctæ & praeminentis converſationis, & doctrinâ cæleſtis prædicationis, ſed & virtute miraculorum, & mirabilium operum, multis factus eſt odor vitæ in vitam, qui relictis fallacibus mundi blanditijs tranſierunt ad religionem, aſperum & ponderoſum mundi hujus jugum ſuaviſſimô Ciſtercienſis Or-*
Matth: 9. *dinis jugô permutantes. Quod enim impoſſibile hominibus, poſſibile & facile eſt DEO. Multos enim vidimus nobiles & delicatos in ſæculo cibos carnales quantumcunque curiosè & ſumptuosè paratos faſtidientes, ægrotativos, & debiles; qui poſtquam arctam & arduam prædictæ religionis aggreſſi ſunt viam, in jejuniis & vigiliis, in frigore, fame, & paupertate Domino ſervientes, aridis & inſipidis veſcentes cibariis recuperabant ſanitatem.* Et infrà: *Multi Viri Sancti à primordiis & prima inſtitutione Ciſtercienſis Ordinis variis chariſmatum donis, præter communem religionis obſervantiam, uſque ad tempora noſtra inter cæteros praeminentes, licèt latere, & abſcondi ſub modio habuiſſent in affectu, à Domino tamen manifeſti ſuper candelabrum poſiti ſunt in effectu. Alij ſermone prædicationis, & gratiâ ædificationis præpotentes, alij virtute miraculorum, & gratiâ curationum inſignes, alij ſpiritum prophetiæ divinis illuminati revelationibus habentes, alii virtute abſtinentiæ, & jeiuniorum humanæ poſſibilitatis menſuram excedentes, alii in orationibus & pſalmodiis, & laudibus divinis, tanquam à Domino conſecuti ſunt gratiam, & devotionis ſuavitatem, muſcas morientes, & importunas cogitationes à ſe penitùs abigentes, quod in fine nocturni & matutini officij, ſicut adipe & pinguedine uſque ad ſummum repleti, vellent, ſi eſſet poſſibile, tempore nocturnô revertente, rursùs iteratum officium incboare.*

Idem Cardinalis de VITRIACO.

IN Hiſt: Occid: cap. 15. Mellifluæ Familiæ Veſtales Virgines clariſsimis elogijs extollit: *Multiplicata eſt, ſicut ſtella cæli, & excrevit in immenſum Ciſtercienſis Ordinis religio Sanctimonialium, benedicente Dominô, & dicente eis, creſcite & multiplicamini, & implete Domum. Fundabantur Cœnobia, ædificabantur Monaſteria, replebantur clauſtra, confluebant Virgines, currebant viduæ, & mulieres conjugatæ de conſenſu maritorum ſuorum carnale matrimonium in ſpirituale commutabant. Ex alijs Monaſterijs Moniales mutatô habitu, ad fructum melioris vitæ, & arctioris viæ advolabant. Matronæ nobiles & potentes in ſæculo, relictis hæreditatibus terrenis & immenſis poſſeſſionibus,*

bus, præligebant abjecta eſſe in domo Domini, magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Illuſtris proſapiæ Virgines oblata matrimonia contemnentes, relictis ingenuis parentibus, & blandientis ſæculi delicijs, projectis ornamentis & veſtibus pretioſis, Chriſto Sponſo Virginum jungebantur, in paupertate & humilitate, & vita durioris aſperitate Domino devotiſſimè ſervientes, temporales divitias, & fallaces delicias, pro ſpiritualibus ſapienter permutantes. Ut enim de alijs hujus Ordinis Monaſterijs, quæ in locis alijs paſſim ædificabantur, taceamus, in una Diæceſis Leodienſis regione ſeptem hujus Ordinis & profeſſionis Abbatias Monialium in tempore modico fundari & conſtrui vidimus, & Sanctis Monialibus, tanquam lilijs & violis exornari. Adeò autem ſanctis & devotis Virginibus abundat prædicta DEO amabilis Provincia, tanquam hortus liliorum, & paradiſus deliciarum quod pro certo credimus, & in veritate comperimus, ſi triplo plures eſſent in partibus illis, hujuſmodi non deeſſent lilia, ſed promptô animô, & ardenti deſideriô in holocauſtum pinguedinis & odorem ſuavitatis ſeſe offerrent piæ & devotæ Virgines Domino, regnum mundi & omnem ornatum ejus contemnentes propter amorem Domini noſtri JESU Chriſti, ut tranquillâ devotione Domino ſervientes, ſæculi pereuntis evadentes incendia, ad tabernaculum fœderis confugerent, ut eſſet eis ſecundùm Iſaiæ verbum, in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia. Non ſolùm autem in partibus Occidentis, ſed in Orientalibus Provinciis, in Conſtantinopoli & Cypro, & Antiochia, & Tripoli, & Accon, novis ejuſdem Ordinis conſtructis Fœminarum Monaſteriis, prædicta Domini vinea propagines benedictionis extendit.

RICHARDUS, *Archi-Epiſcopus*
Cantuarienſis, Angliæ Primas, Apoſtolicæ Sedis Legatus.

IN Epiſtola, quæ incipit: *Venerabilibus & Sanctis Patribus in Ciſtercienſi Capitulo congregatis*, ex Magn: Biblioth: Patrum, epiſt: 96. *ô caſtra optabilia, ô Congregatio veneranda! ô Ciſtercium, quàm magna eſt domus tua! quàm fœcunda in filiis! quàm magnifica in linguis! quàm glorioſa in populu! Teſtis eſt mihi DEUS, quomodo cupiam vos in viſceribus JESU Chriſti, fovens affectionem invicem in viſceribus charitatis, non deſerens collectionem veſtram, quam per præſentiam Spiritûs amplector in Chriſto, memor communionis veſtræ, cujus oblivíſci non poſſum. Vos enim eſtis gloria mea, & gaudium, bonor capitis mei, & corona.*

PHILIPPUS, *Archi-Epiſcopus Colonienſis.*

QUi Annô Domini 1188. pro Ciſtercienſibus fundaturus Cœnobium *Heiſterbacenſe*, cùm per nonnullos è Provincialibus à ſanctis intentionibus retraheretur, importuna atque ingrata hominum monitu hâc verborum ſeveritate compeſcuit: *Utinam*, inquit, *eſſet in qualibet villa Diœceſis meæ Conventus Juſtorum, qui & DEUM jugiter laudarent, & tam pro me, quàm pro mihi commiſſis orarent! Puto, quia tunc melior multò eſſet ſtatus Eccleſiæ meæ, quàm modò ſit, nulli nocerent, cum multis prodeſſent, aliena non rapiunt, cum ſua omnibus impertiantur.* Ita Cæſarius Lib. 4. Dialog. cap. 64.

STEPHANUS *Epiſcopus Tornacenſis.*

IN Epiſtola ad Robertum Pontigniacenſem Priorem: *Ciſtercienſem Ordinem quaſi lucernam ſuper montem poſitam, quis in Eccleſia DEI maximum & præcipuum culmen non dicat attingere? Evangelium implentes, Monaſticam regulam, quam ſupererogavit Brnedictus Pater, fidelis Samaritani ſtabularius, ſic obſervant, ut nec unum ex ea jota præterire videantur.* Et infrà: *In eis nec fœcunditati Liæ Rachel invidet, nec Rachaelis pulchritudinem Lia minuit, ſed munit. Non murmurat Martha de ſilentio Mariæ, ſed, ſed mirum dictu, Maria ſedens ad pedes Domini, Martham ſolam miniſtrare non relinquit. Inter eos juge gaudium, communis exultatio, ubi nihil extra diſciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur Angeli, fugiunt partes adverſæ, quoniam ſancta illa Congregatio terribilis eſt, ùt caſtrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur aratrum, nec à capite deorſum pendet domus, nec idiota docet clericum, nec laicus imperat Sacerdoti. Ibi majores minoribus, prudentiores præſunt indoctis, qui & vitæ ſanctitate praeminent, & intelligentiâ ſcripturarum. In arca illa non eſt virga ſinè tabulis Teſtamenti, quia qui poteſtatem habet corripiendi, habet & ſcientiam corrigendi. Divina officia cum tanta ſolemnitate & devotione celebrant, ut in eorum concentu voces Angelorum ſonare putes, pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, ad laudes DEI invitant homines, & Angelos imitantur. In ijs, qui clericus fuerit, tantò liberiùs delectatur, quantô remotius eſt ab eo, laicorum fabulis intereſſe. Extrà*

oratorium, aut operi manuum dant operam, ut ſemper eos diabolus inveniat occupatos; aut legendo concipiunt, aut ſanctis meditationibus cælos penetrant, ut in paradiſo audiant illa arcana verba, quæ non licet homini loqui. Regreſſi à Fratribus, tantam ori ſuo ponunt cuſtodiam, tantum oſtium labiis ſuis, ut cultum juſtitiæ, ſilentium, nè articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini, aut terni ſeorſum per angulos clauſtri fabulis vacant, qui nec intra ſe ſeria ſerere permittuntur. Tenent memoriter, quia in multiloquio non effugerent peccatum: & quaſi naturæ bellum indicentes, modicum illud membrum, quod magna exultat, non modicâ diſciplinâ coërcent. Attende, quiſquis es bonæ indolis adoleſcens, qui cum Iſaac in holocauſtum Domino ſuper unum montium offerri deſideras, quia tam ſancto & cælis proximo monte iſto, montem non invenies grandiorem. Verè mons iſte coagulatus, mons pinguis: coagulatus in vinculo pacis, pinguis per infuſionem gratiæ cæleſtis. Quis grandis mons grandior iſtô monte? Nubes penetrat, cælos attingit, longè inferiùs montes alios & colles relinquit, de rore cæli, & de pinguedine terræ, plenam ſuſcipiens benedictionem. Hìc diſciplinis regularibus colligatus, impoſitis tibi lignis Dominicæ crucis, ſancti fervoris, ac charitatis ardentis igne ſuccensô, quid de hoſtia ſua Dominus facturus ſit, cum ſilentio patienter expecta, &c.

Venerabilis PETRUS *Abbas*

Cellenſis, ſubindè Epiſcopus Carnotenſis.

IN Epiſtola ad Moliſmenſes, quæ eſt in Libro 7. numerô, decima quarta: *Gallina illa Moliſmenſis plena plumis, & bene pennata, quot & quales de utero ſuo fœtus produxit, dum ex ſe Collegium Ciſterc ienſe originariô germine pullulavit? DEUS meus! de illo uno ovo, quàm innumerabilis arena Monachorum & Converſorum faciem terræ operuit! quàm lucido ſplendore autem mundi denigratam per infectam vivendi negligentiam, reformavit, & illuſtravit!*

Idem Venerabilis Antiſtes.

IN Epiſtola ad Nicolaum Anglum Monachum S. Albani, quæ eſt 23. Lib. 6. *Ciſtercienſes præ aliis mortalibus, feriis, & ſinè fine manſuris intendere video. Hi ſunt, qui monetam noſtri jam in agonia poſiti Ordinis reformârunt. Hi ſunt, qui regulam Beati Benedicti penè combuſtam, ſicut Eſdras veterem legem, reſtauraverunt. Hi, qui cum Apoſtolo Corinthiis, id eſt, agriculis & ruſticis ſecularibus, oneroſi non ſunt,*

ſed propriis manibus laborantes, ſe & alios pauperes pro poſſe exhibent. Clauſtra illorum caſtra DEI ſunt, ubi nocte in pſalmis & orationibus parati ſunt ſuſcitare Leviathan, qui ſub umbra dormit, in locis humentibus; & in die in agro Jericho Principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum, ut ſuperflua reſecet cogitationum & operationum. Quærunt ergo cum Joſue dicentes, Noſter es, an adverſariorum? Utilis quæſtio, & inefflagitabilis ſolutio. Utrùm DEUS pro nobis, an contra nos. Si autem contra nos, quis pro nobis? Ampliorem provocat amorem, ſi pro nobis: ſolicitudinem & timorem, ſi contra nos, &c.

Idem Carnotenſis Præſul.

IN Epiſtola 12. Lib. 3. Clara-Vallenſium ſanctimoniam eximiè commendat: *ô quàm pulchra*, inquit, *Clara-Vallenſium commonitoria! Quid enim lacbrymæ hujus, nisì compunctionis ſunt incentivum? Quid alterius continuæ orationes, nisì ſupernæ contemplationis adjumentum? Huius humilitas ſuperbiam confundit apoſtatæ Angeli & hominis: obedientia illius, pendentis in cruce Chriſti æmulatur obedientiam. Iſte Jacob aſſimilatur in laboribus, ſimplicitas Joſeph hunc exornat: zelus ordinis in iſto Moyſem reddit. ô David manſuetudo! ô fervor Eliæ! ô Danielis abſtinentia! ô caſtitas Samuelis! & quod majus eſt, ô Chriſti charitas! ô Mariæ virginitas! Caſtra DEI ſunt hæc.*

Venerabilis PETRUS Abbas
Cluniacenſis.

IN Epiſtola 17. Lib. 4. *Ordo Ciſtercienſis eſt, quem lacteam, fortémque columnam, cui innitatur, Monaſtici Ordinis ædificio ſumma providentia præparavit, & velut rutilum ſidus, exemplo verbóque non ſolùm Monachis, ſed & toti latinæ Eccleſiæ, noſtrô tempore inſigniter lucem donavit.*

HIERONYMUS PLATUS,
Societ: JESU

IN 2. Lib. de Bono ſtatûs Religioſi, cap. 22. *Nulla ex omnibus Religioſorum Familiis nobilior, quàm Ciſtercienſis, cujus hæc præclara commemorantur exordia. Annô milleſimô nonageſimô octavô &c. Erat ſanè grex puſillus admodùm; fuítque per annos quindecim, ut penè ad nihilum venturus videretur, cùm DEI nutu factum eſt, ut eum Bernardus*

dus, non ſolùm conſervaret, ſed etiam mirificè illuſtraret: qui cum triginta ſocijs, & tribus inter eos germanis fratribus ei ſe Cœnobio addixit, ac paulò pòſt erumpente ex illis latebris ejus famâ, tam multos ad ſuam imitationem excitavit, ut dimiſſis in totum Orbem fratribus atque alumnis, centum & ſexaginta Monaſteria ipſemet vivens conſtituerit.

DOMINICUS BANNEZ, Ord:

Præd: S.T. Primarius Profeſſor in Univerſitate Salmanticenſi.

IN Relectione, de Merito & augmento charitatis, quæſt: 2: *Cuidam videbitur Carthuſienſium Religio perfectiſſima inter Monachales, aliis verò perfectiſſima videbitur Religio Ciſtercienſium: unusquiſque in ſuo ſenſu abundet.*

FRANCISCUS SILVIUS, S.T.

in Univerſitate Duacena Doctor, & Publicus Profeſſor.

IN Epiſt: ad Ciſtercienſes, edita Duaci Annô 1621: *Tota Ciſtercienſis Ordinis longè latéque diffuſa familia multum per omnem modum debet tum Beatiſſimæ Virgini Genitrici DEI Mariæ, tum ſanctæ recordationis Venerabili Viro Sancto Bernardo. DEIparam enim Virginem Ciſtercienſis Religionis Matrem, Patronam, & Advocatam nemo neſcit, qui veſtrarum hiſtoriarum aliquid ſcit. Qui è Moliſmo, Burgundiæ Monaſterio, in locum tunc horroris & vaſtæ ſolitudinis, quem Ciſtercium vocant, primi venerunt, arctioris obſervantiæ zelô, ab illo divinitùs edocti, qui docet mites vias & juſtificationes ſuas, ut ad perfectiora ferantur: quia Cœnobium, de quo exierant, in Reginæ Cœli honorem fuerat extructum, tam ipſi, quàm ſucceſſores eorum, de illo, quod Ciſtercij ædificabant, Monaſterio propagati, omnes ſuas Eccleſias in ejusdem glorioſæ ſemper Virginis honorem DEO dicandas eſſe cenſuerunt. Mortuis autem illis, imò quaſi non mortuis (vivunt enim DEO, non jam per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem ipſum videntes) pro Patribus nati ſunt in Ciſtercienſi Religione filij, qui non ſunt abalienati retrorſum, ſed & ipſi cùm unanimes unô ore honorificent DEUM, DEI etiam Matri humerô unô ſervire pergunt, honorantes eam ùt Matrem, timentes ùt Dominam, ſequentes ùt ſtellam.* Et infrà: *Vinea illa Domini Sabaoth, plantata in Ciſtercio, dedit fructum ſuum, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & ultra mare propagines ſuas. Ipſe enim Bernardus celeberrimâ ſanctitate præclarus, per quem ſui temporis Eccleſia in antiquum priſtinæ Religionis decus refloruit, directus eſt divinitùs in multiplicatio-*

Ccccccccc *nem*

nem Ciſtercienſium. Cùm eſſet potens opere & ſermone, exemplô ſanctæ converſationis, & pabulô doctrinæ cœleſtis, factus eſt multis odor vitæ in vitam, qui falſiſſimis mundi delicijs valere juſſis, obſervantiæ regulari ſeſe mancipârunt. Ipſe totius Religionis probatiſſima Margarita, Ipſe lucerna Ordinis, & ſtella in firmamento Cœli: Ipſe quaſi ſol refulgens, ſic effulſit in templo DEI, gentem multam liberavit à perditione, & prævaluit amplificare non civitatem unam, ſed Religionem, ſed auſteritatem, ſed pietatem.

TIRAQUELLUS Juris-Conſultus.

IN Tract: de *Pœnis temp: aut remit:* 15. *num:* 60 pro Ciſtercienſium reverentia pronuntiat, eos etiam in proprijs cauſis poſſe eſſe, conſtituíq; judices : *Licèt quis* (ſcribit ille cit: locô) *non poſſit eſſe judex in ſua, ſed neque in ſuorum cauſa, l. qui juriſdictioni, ff. de Juriſdictione omnium judicum. Tamen ſi perſona judicis eſt hujusmodi, quòd omnis ſuſpicio veriſimiliter ceſſet, ùt, ſi ſit Monachus Ciſtercienſis, hoc non procederet: neque talis poſſet recuſari.* Adducit hunc è Tiraquello textum Manriqueus ad Annum 1141. *c.* 5. *n.* 3. ſubjungítque ibi Authores alios, *Vincentium*, *Joannem Andream*, *Jaſonem*, *Felinum*, *Caſſaneum*, qui idem de Ciſtercio ſentiunt. Poſt quos Viros (cùm jam prævię inſinuâſſet, *B. Joanni* Epiſcopo Valentino, è Ciſtercio aſſumpto, commiſſam fuiſſe ab Innocentio Papa II cauſam Guidonis Abbatis *de Charo-Loco*, id eſt, Ciſtercienſium Præſuli, Ciſtercij negotium, quod unà cum Antiſtite Gratianopolitano, judiciô diſcuteret, finirétque, citra morem, citra Tribunalium uſitatas leges, quæ domeſticos vix admitterent Judices, ſuſpectos ſcilicèt de affectu, quô poſſent trahi in amicæ partis ſententiam fortè non æquam) Poſt quos, inquam, Viros, gloſſam ſuam apponit *Angelus*, Ciſtercij primitijs glorioſam : *Ut videas, primitivam Ciſtercij ſanctitatem ab omni humano & terreno affectu liberam, quantum in vita datur, vel charitatis nomine vallatam, qua non ſibi, ſed Fratribus provideat, excluſiſſe avaritiam, nec cupidinem tantùm relegâſſe, ſed cupidinis notam, quæ paupertatem, & contemptum rerum dehoneſtaret, nullis omninò hominibus ſuſpectam, nec ipſis Partibus.*

DOCTORES PARISIENSES.

COnſuluerat Annô 1184 Inclytus Princeps, *B. Joannes de Monte-Mirabili*, priuſquam ad Ciſtercij ſigna ſe contuliſſet, decem è Pariſienſi Univerſitate Theologos, cæteris do-

ctrinâ

ctrinâ, pietatéque præſtantiores; quódnam vitæ ſanctioris genus ſibi ſuaderent aſſumendum? Repoſuêre omnes unô veluti ore: *Nullum omninò tramitem, quô ad Paradiſi regna dirigi quiſpiam queat, ac perduci, quàm Ordinem Ciſtercij, vos poſſumus edocere meliorem.*

HERMANNUS SCHEDEL.

IN Chronico Mundi, ætate 6: *Ordo Ciſtercienſis Annô* 1098. *ortum habuit, quem Urbanus Papa ſub Divi Benedicti Abbatis Regula, multis additis Conſtitutionibus, confirmavit: & plurimis privilegijs dotatus, augmentum in toto orbe ſenſit. Qui brevì in omnibus mirum in modum crevit, ac Viros innumerabiles, doctrinâ & ſanctimoniâ illuſtres protulit. In latere ſiniſtro ejus Eccleſiæ, viginti quatuor ſanctorum Abbatum ſepulchra cernuntur.*

AUBERTUS MIRÆUS,

Decanus Antverpienſis.

LIb: 5. Orig: Monaſt: in Epiſt: dedic: *Quantum univerſa Reſpublica Chriſtiana Ordini Ciſtercienſi debeat, nemo præteritorum ſæculorum vel mediocriter peritus ignorat. Sanctus Bernardus alter velut familiæ iſtius parens ac conditor, Eccleſiam univerſam à periculoſiſſimo Petri Leonis ſchiſmate liberavit, & Innocentium II legitimum Chriſti Salvatoris noſtri in terris Vicarium Romana in Sede reſtituit, ac collocavit. Nobiliſſimum Galliæ Regnum, quod Albigenſes Hæretici ſpe jam devoraverant, Inſtituti Ciſtercienſis Abbates duodecim à diabolica ſervitute vindicârunt, & primi velut ſignum quoddam ad oppugnandam ac debellandam gentem impiam ſuſtulerunt. Fortiſſimi Equites Ciſtercienſes Calatravæ, Alcantaræ, Chriſti, Aviſij, & Monteſiæ, Caſtellam, Luſitaniam, Valentiam, aliáque Hiſpaniarum Regna Mauris ſuâ virtute eripuerunt. Beatus Petrus Caſtro-Novanus Martyr, & primus hæreticæ pravitatis Inquiſitor, ad comprimendos in Gallia Albigenſes ſanctiſſimum Tribunal primus conſtituit; cui deinde alij ex Ordine iſto Sodales atque Abbates magna cum laude præfuerunt.*

RODERICUS *Archi-Epiſcopus Toletanus, de Miltibus de Calatrava.*

LIb: 7. Hiſt: Hiſp: cap. 27. *Multiplicatio eorum, corona Principum. Qui laudabant in canticis, accincti ſunt enſe, & qui gemebant orantes, ad defenſionem Patriæ. Victus tenuis, paſtus eorum, aſperitas lanæ, tegumentum eorum. Diſciplina aſſidua probat eos, & cuſtodia ſilentij comitatur illos. Frequens genuflexio humiliat eos, & nocturna vigilia macerat eos. Devota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos. Alter alterius obſervat ſemitas, & Frater Fratrem ad diſcipliam. &c.* S. PE-

S. PETRUS MAURICIUS,

Abbas Cluniacenſium, de Militibus Templi.

IN Epiſt: 26. Lib. 6. ſcripta ad Ebrardum, MagiſtrumMilitum Templi. *Quis aliquam ſpem aternæ ſalutis habentium non lætetur? Quis non totis animi præcordiis exultet in DEO ſalutari ſuo, Militiam Regis æterni, exercitum Domini Sabaoth, ad debellandum Principem mundi, ad expugnandos inimicos crucis Chriſti, ex diverſis Orbis partibus congregatam, ad nova prælia, velut è caſtris cæleſtibus proceſſiſſe? Quis non lætetur, quis non exultet, proceſſiſſe vos non ad ſimplicem, ſed ad duplicem conflictum, in quo & contra ſpirituales nequitias, juxta Apoſtolum, animi virtutibus, & contra corporales hoſtes, corporis viribus dimicatis? In quorum uno quidquid ſanctorum Monachorum, vel Eremitarum eſt, aſſumpſiſtis, in altero omnium Religioſorum propoſitum exceſſiſtis. Militant quidem illi DEO: & licèt caſtigando corpus ſuum, & in ſervitutem redigendo laborent; tamen corpore à mundi tempeſtatibus, & maximè à bellorum tumultibus requieſcunt. At vos, ùt dictum eſt, & fortem armatum eiſdem eorum artibus ſuperatis, & contra illa, quæ apertè adversùs Chriſtum producunt infernalia caſtra, Saracenorum dico agmina, pugnando aſſiduè non ceſſatis, Eſtis Monachi virtutibus, Milites actibus, illud ſpiritualiter implentes, iſtud corporaliter exercendo. Expoſuiſtis pro fratribus animas vitæ, corpora morti; fudiſtis jam ſanguinem necdum effuſum, quem quotidie in bellis DEO offertis fundendum. Eſtis verè participes illius ſummæ & præcipuæ charitatis, de qua Salvator: Majorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. &c.*

S. ANTONINUS *Archi-Epiſcopus*

Florentinus.

IN Part: 2. Tit: 15. cap: 23. §.2. Ciſtercienſes appellat *magnam Eccleſiæ columnam, ſcientiâque & ſanctitate decoratos.*

S. BERNARDUS, *Eccleſiæ Doctor*

Mellifluus.

IN Libr: Mirabil: S. Bernardi: *Beati eritis, Fratres, ſi perſeverare volueritis in diſciplina Ordinis, quem tenetis: quoniam hæc eſt profectò via regia, via recta, via ſecura, quæ rectô tramite ducit ad gaudia ſempiterna,*

Præcla-

Præclarum Encomium Ordinis Ciſtercienſis ex antiquo M. S. Bibliothecæ Loci S. Bernardi propè Antverpiam.

SIcut ſol in ortu ſuo rutilat, & in virtute ſua exardeſcit, & ſicut aromata odorem ſuavitatis gratâ exhalatione reſpirant, quô adoleſcentulas, id eſt, ſpiritu ferventes animas poſt ſe currere faciant; Sic Ciſtercienſis Ordo inter cæteros clariſſimè emicuit, qui univerſum Eccleſiæ paradiſum & verbis illuſtravit, & exemplis inflammavit, & ſui fragrantiâ refecit, adeò ut nemo eſſet, qui ab ejus calore ſe abſconderet. Hic præclarus Ordo ſub Sancto Roberto, arctioris vitæ deſideriô de Moliſmo egreſſo, ſimul cum Alberico & Stephano Viris illuſtribus, ejuſque ſucceſſoribus, & alijs quàm pluribus magnificè exorſus eſt, & in brevi granum vile, & humanis oculis deſpicabile, Sancti Spiritus rore imbutum, & calore confotum, in arborem adeò ſublimem & excelſam excrevit, ut cedros paradiſi DEI adæquaret: ſub cujus umbra ab hujus ſæculi æſtibus, refrigerij ſolatium, & æternæ ſalutis, ac ſuavitatis, fructum univerſi caperent & invenirent. Cùm denique Viri Sancti, cæleſti ferventes deſideriô, carnem ſpiritui viriliter ſubjugarent, mundíque vanitatem conatu totô contemnerent, & in maxima rerum omnium penuria Chriſto Domino cum gaudio militarent; factum eſt, ut nemo ad eos converſionis causâ declinaret, admirantibus quidem omnibus in eis, & venerantibus vitæ Sanctitatem, ſed exhorrentibus pariter & refugientibus auſteritatem, cùm repentè Pater miſericordiarum, talem ac tantum nolens deperire fructum, magnificè conſolatus eſt ſervos ſuos, ſuſcitavítque Spiritum pueri junioris, Beati videlicèt Bernardi. &c.

Neque ſic abſolvi omnia Melleæ Familiæ præconia, ſed ea duntaxat adduxi, quæ obviè ſe calamo Ciſtercij laudes ſcribenti ultrò ingeſſerunt: ut ſcilicèt qui facta laudabilia promo, factorum inclyta elogia non minùs exhibeam: in utriſque Ciſtercij debitor, cujus exiſtimatio amplior, per facinora ſimul, atque illuſtria encomia. Addat Lector benevolus, quæ omiſi, & quæ indies per eruditas panegyres Bernardeæ poſteritati accedunt laudum incrementa. Ego interim factum unum alterúmve, prætermiſſum alibi, quod Ciſtercio inſtar elogij ſit, hôc locô adhuc attexam. Atque in primis *Innocentius II.* Papa, Annô 1131. in Clara-Valle apud Bernardum ſuum gratiſſi-

tiſſimus hoſpes hìc memorandus, cujus hoſpitij, rerúmque tum geſtarum pulcherrimam ſcenam, in qua Clara-Vallenſium clariſſima ſanctitas totô Orbe ſpectanda ſit, dabo verbis Bernardi Bonæ-Vallis Abbatis, in *vita S. Bern: L:* 2. *c.* 1. *Rediens autem Leodiô, Claram-Vallem Dominus Papa per ſeipſum voluit viſitare. Ubi à pauperibus Chriſti, non purpurâ, & byſsô ornatis, nec cum deauratis Evangelijs occurrentibus, ſed pannoſis agminibus, ſcopuloſam bajulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruô, non clamosâ jubilatione, ſed ſuppreſsâ modulatione adfectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex: mirabantur Congregationis illius gravitatem, quòd in tam ſolenni gaudio oculi omnium humo defixi, nuſquam vagabundâ curioſitate circumferentur: ſed comploſis palpebris, ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in Eccleſia illa vidit Romanus, quod cuperet, nulla ibi ſuppellex eorum ſolicitavit adfectum, nihil in Oratorio, nisì nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio: nec damnoſa poterat eſſe fratribus ejuſmodi præda, cùm minui non poſſit aſportata Religio.* Hæc de Innocentij ſuſceptione: de hoſpitio hæc, quæ ſequuntur: *Gaudebant omnes in Domino, & ſolemnitas non cibis, ſed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus pro ſimila, pro carenoſapa, pro rhombis, olera, pro quibuslibet delicijs legumina ponebantur. Si fortè piſcis inventus eſt, Domino Papæ adpoſitus eſt; & aſpectu, non uſu in commune profecit.* His gloſſam ſuam ſubjungit Angelus ad annum 1131. *cap.* 3. n. 3. *In quibus tamen, ut id obiter notem, duo mihi admiranda eſſe videntur: alterum eſt, Bernardi reverentia in ſacram ſui Cœnobij congregationem, cujus vitæ, obſervantiæque rigorem, nec ipſe Eccleſiæ Præſul minueret: alterum, Innocentij pia humilitas, nihil aliud in Cœnobio quærentis, nisì Cœnobium. Potuiſſet Sanctus, ſuſcepturus hoſpitem talem, imò totam Curiam Romanam habiturus hoſpitiô, prævenire delicias, & ùt à carnibus abſtinendum cunctis foret in Monaſterio, at quadrageſimalia condi fercula, quibus Chriſti Vicarius, quibus Cardinales, & alii reficerentur: nec defuiſſent, qui offerrent ultroneas dapes, officioſi in Bernardum, & in Pontificem. Potuiſſet Innocentius in hac penuria permittere ſe curandum ſuis miniſtris, quin & Monachis etiam providere, ipsâ delicatiorũ deſuetudine, vel viles cibos pro delitiis habituris. Sed neuter cenſuit metas transgrediendas, illæ ſuetæ, & promiſſæ paupertatis, hic hoſpitii.*

Alterum pro Ciſtercij commendatione recenſet Angelus ad annum 1194. *cap.* 1. *n.* 4. & 5.: oblata nimirùm ab Henrico Cæſa-

Cæſare *tria millia marcharum argenti* Patribus ſub memoratum annum in Ciſtercio congregatis, pro conflandis in univerſo Ordine Thuribulis argenteis, nequaquam ſuſcepta eſſe à ſanctiſſimo illo Virorum noſtrorum cætu, quòd ſcilicèt eam pecuniam Imperator nuper non adeò firmâ æquitate extorſiſſet à Richardo Anglorum Rege, pro ſui eliberatione è cuſtodia, quâ Cæſar captivum aliquamdiu detinuerat: quanquam illa ipſa ſumma, Ciſtercienſium noſtrorum in Anglia largâ erogatione non modica ex parte adaucta ſit, adeóque cùm ſpontaneâ jam donatione ad noſtros per Cæſarem redire videretur, acceptari omninò potuerit abſque mala nota. Attamen Viri Sancti nil moti tantô munere, tantóque Largitore, ut Orbi exhiberent, quàm immune foret Ciſtercium à divitiarum cupidine pulcherrimâ magnanimitate renunciavêre ampliſſimæ donationi, nolentes ſcilicèt ad cultûs divini religionem admittere nummos, quos injuſtitiæ ſuſpicio nuper commaculaverat: Malè utique ſuccendenda Numini thura in argento, quod criminis qualiscunque vel nomen aduſſiſſet. Facinus ſanè generoſum, quod quidem Ciſtercij ſanctimoniam ampliùs commendet, quàm mille elogia, & quô Mellifluæ Familiæ noſtræ laudes velutì illuſtri, ac reali epiphonemate quàm digniſſimè hìc abſolvam!

IN uno hoc *Titulo* omnes clauduntur *Tituli*;
Nîl enim in toto penè hoc opere niſì *Elogium* fuit, aut eſſe debuit.
Laudes, quas ego Ciſtercio hìc ſcripſi,
Ciſtercium ſibi ipſi priùs fecit.
Nemo meliùs ſe laudat, quàm qui laudanda pratat,
Actione glorioſâ ſerviente pro calamo.
Virtus ipſa laus eſt, id eſt, laudis materia, ac radix.
Laudem laudas, ex Regij Vatis ſtylo, ſi virtutem laudas, *Pſalm. 105.*
Tam nempe virtus etiam ſinè verborum plauſu, maxima ſibi (laus eſt. *In Revel. S. Mechtil: ut infrà ſub initium Tit: ſequentis.*
Dixit Salvator Ciſtercium, *Eccleſiæ Medium*,
Et ideò *dixit*, quia priùs tale *fecit*:
Siquidem conditio divinæ potentiæ eſt, & *dicere* & *facere*: *Pſalm 32.*
Quia quæ DEUS *dixit facta ſunt*:


 Dixit

Dixit, inquam, illud, *Eccleſiæ Medium*, (ſtercium,
Ordinibus, Statibúſque ſingulis per tot lineas reſpicientibus Ci-
Quot illi emolumenta è Ciſtercij meditullio extraxerint.
Joan. 20. *Stetit JESUS in medio*, & *dixit Pax*!
Stet, utinam! Ciſtercium quà Triumphans, quà Militans,
Stet rursùs nunc in *Eccleſiæ Medio*, & *det Pacem* in diebus noſtris.
Sit *Medium* inter extrema, nè novis bellis divellantur!
Bull. virtutum merita. Dixit *Alexander IV.* Ciſtercium in Eccleſiæ corpore *Membrum no-*
Et dixit tantùm, non fecit. (*biliſſimum*:
Interroga Philoſophos, & *dicent tibi*, (tera antecellat?
Quodnam in corpore humano membrum, nobilitate ſuâ cæ-
Non expreſſit ſanè id Pontifex,
Ut ſcilicèt laudando Ciſtercio eò eſſet major libertas,
Si panegyricâ anatomiâ in ſingulis membris
Tam quæratur ratio *nobiliſſimi*, quàm ratio *Ciſtercij*:
Quoniam qualecunque ex omnibus dixeris *nobiliſſimum*,
Tale & dicere debebis *Ciſtercium.*
Bull. inter innumeras. Dixit idem *Alexander* Ciſtercium *Petrinæ Naviculæ Anchoram*,
Et priùs ſenſit, quàm dixit:
Siquidem cùm multâ tempeſtate Romanũ *jactaretur* Navigium,
Jactavit ſimul Roma Ciſtercium, ſeu anchoram in Oceanum,
Eáque *jactatione*, *jacturæ* diſcrimina avertit.
Bull. Theſaurô. Dixit *Innocentius IV.* Ciſtercium *Columbam mitem*,
Et priùs talem *vidit*, quàm talem *dixit.*
Gen. 8. Eſt Ciſtercium *Columba* toties *olivæ* bajula,
Quoties procuratæ *Pacis* internuncia.
Videat rursùs, oro! videat Orbis in Ciſtercio,
Quod vidit olim Baptiſta in Chriſto,
Columbam deſcendentem de Cælo.
Joan. 1. Fuiſtis Cælites vos è Ciſtercio glorioſi,
Ezech. 7. Fuiſtis in Vallibus veſtris, *quaſi Columbæ Convallium*,
Nahum. 2. *Meditantes ùt Columbæ*, *gementes ùt columbæ*,
In hac lachrymarum valle.
Vallis hæc, Orbis iſte! (dulos:
Evolâſtis è Valle, ex Orbe ad Montium æternorum tutos ni-
Redite, & *Reddite*, quæ olim,
Pacis fædera!
Luc. 10. Et *requieſcat ſuper* Orbem *Pax veſtra*!
Bull. Fulgens. Dixit *Benedictus XII.* Ciſtercium *Stellam Matutinam*: Et

Et priùs Stellam *vidit*, quàm *Stellam vocavit.*
Melliflui Cælites!
Tranſlati à terrigenis ſuper ſidera,
Mutâſtis *Statum*, non *Ordinem*,
Eſtis adhuc *Stellæ manentes in Ordine*! *Judic. 5.*
Loquamur itaque de Ordine noſtro!
Vidit Aquila Apocalyptica *tertiam partem ſtellarũ* cecidiſſe de cælo. *Apocal. 8.*
Sidera noſtra, *Cœnobia* noſtra:
Cecidit ſiderum iſtorum portio propè tertia è Cælo Ciſtercio.
Numerabat olim *multitudinem Stellarum iſtarum*, *Pſalm. 146.*
Et *omnibus eis nomina vocabat*
Ordo Ciſtercius:
Deinceps & Stellarum multitudinem amiſit, & nomina,
Ignarus penè *numerare* & *vocare*,
Contentus interim *paucis*,
Quæ conditio cæteroquin *naturæ*,
Hodie in Ciſtercio conditio fit *gratiæ*,
Divinæ, Apoſtolicæ, Cæſareæ, Regiæ.
Factæ ſunt *Stellæ* noſtræ, Domus noſtræ, eheu! *in poteſtatem noctis.* *Pſalm. 135.*
Nox iſta
Hæreſis, bellum, *tribulatio*, *anguſtia*, *perſecutio*, *gladius*; *Rom. 8.*
Veſtrô itaque, Stellæ Cæli, Ciſtercij Cælites!
Veſtrô lumine, Numine, nomine, omine,
Videant *Filii lucis* veſtræ
Stellas in oriente, Occidente, Meridie, Septentrione, *Matth. 2.*
Novis coruſcare fulgoribus,
Et ad ſuam redire ſtationem.
Videant, & Magorum fatô, jubilôque, *gaudeant gaudiô magnô*:
Et poſtliminiò *intrantes domos ſuas*, *inveniant MARIAM Matrem*
Omnium Ciſtercij *Domuum Dominam*! (*ſuam*
Videant, munere veſtrô, atque id præcipuè in Orbe *Pannonio*,
Quod olim vidit *Joſephus* Ægyptius
Stellas ſaltèm *undecim*: (eſt, *Geneſ. 37.*
Tertia hæc ferè Stellarum (Cænobiorum noſtrorum) pars
Quæ olim multâ luce illuſtravêre Hungariam.
Fiat nobis JOSEPHUS AUSTRIACUS, Joſephus Ægyptius:
Rex *Sereniſſimus*, ſi Stellas extinctas rursùs *accendat*:
Auguſtus, ſi ſidera, ſi Cœnobia *adaugeat.*
Videat ille Advocatiæ ſupremô Titulô *Stellas undecim adorare ſe*,

Quas *Leopoldi*, non imperij tantùm, ſed & Ciſtercij, *ſemper Auguſti* (auſpicijs
Refigat Cælo Ciſtercio!
Atque ut hoc fiat, Bernardi manuductu
Reſpicio Stellam, *Voco MARIAM*,
Non minùs Ciſtercij, ac Hungariæ Tutelarem, ac Dominam!
Bull. Parvus Fons. Dixit *Clemens IV.* Ciſtercium, *Caſtrorum aciem ordinatam*, (umphos
Spectavit priùs, quàm laudavit Papa, Ciſtercij victorias ac tri-
Armorum noſtrorum ille fragor & vigor
Multâ gloriâ per Orbem à Ciſtercij Militijs propagatus
Cum ingenti ſonitu cœpit,
Neque fatô rerum caducarum *cum ſonitu periit*,
Pſal. 9. Verùm hodiedum gratiſſimè *ſonat in auribus noſtris*, (trophæa.
Immortali Famâ nunquam non buccinante inclyta Ciſtercij
Stetit olim penès nos penè *jus gladii* & *jus belli*:
Datũ Principib9, ut *jure belli* regna *tenerent*; (ne Cænobia *obtinerent*:
Datum Ciſtercienſibus, ut *favore Belli*, ac Principum donatio-
Bella geſsêre illi, non tam aliis, quàm ſibi,
Dimicavêre iſti, non ſibi ſed alijs,
In commune nempe Chriſtiani Orbis emolumentum,
Exercentes *ſcutum*, *gladium*, *& bellum*,
Pſal: 75. Digni prorsus, ut in *jus Spolii* à Regibus adſciſcerentur,
Qui Regibus ad *jus belli*, ſuppetias tuliſſent.
Sed utinam, quod olim Ciſtercienſes occupavêre *favore belli*,
Hodie alieni non occuparent *jure ſpolii!*
Deut. 32: Atque, ô! *adeſſe feſtinent tempora*,
Ut, qui *manè rapuerint prædam*,
Geneſ. 49. *Veſperi* rursùs *dividant ſpolia!*
Et hæc quidem ad DEUM Exercituum,
In cujus conſpectu, atque pro cujus honore
Ciſtercij Exercitus tantâ olim fortitudine *ſteterint!*
Claudo vota & elogia intra modicos hóſce terminos.
Terminus medius, Terminus optimus.
Suggerant, opto, Boni è Ciſtercio Cælites
Terminum Medium,
Ut Melliflui Filij in terris ſuperſtites
Ad *Terminos ſuos* tandem poſtliminiò redire poſſint!
Sícque majori amplitudine ad ſymboli præfixi naturam
Semper Honos, *Noménque Tuum*, *laudéſque manebunt*,
ô *Ciſtercium Bis tertium*,
Ideò *ter* fortunatum, quia *Bis* tertium!
TI-

TITULUS XXVII.
CISTERCIENSIUM CONNEXIO CUM ALIJS SACRIS ECCLESIÆ ORDINIBUS.



Vincula excepit Paulus, cùm optaret Regi Agrippæ fidem Chriſti. Ego in præſenti Titulo nîl tam opto Ciſtercio meo, quàm vincula, quibus cum cæteris Eccleſiæ ſanctæ Ordinibus cohæreat. Optabile quidem, eſſe *indiviſum à ſe*; ſed damnabile eſſe *diviſum à quolibet alio.* Unio, character eſt perfectionis, diviſio deſolationis index; quoniam *omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Collegi ùt plurimùm vincula, per quæ Ciſtercium alia Religioſa Inſtituta ſibi colligavit; Eſt Actor. 26

namque Mellifluo Sodalitio longè utique glorioſiùs, vincula alijs injeciſſe, quàm vincula ab alijs ſuſcepiſſe. Quanquam non diffitear, & nos vinctos eſſe in Domino, & devinctos alijs; verùm quia id potiùs cupio commendari per calamum non Ciſtercium, eapropter priora illa præſertim vincula hìc exhibebo, tametſi etiam fortè nonnunquam poſteriora hæc intercurrent. Non vidi hactenùs, (quæ mea calamitas!) hoc argumentum de mutuis hiſce nexibus tractari ab alijs, eapropter præſentem Titulum ſinè idea aggreſſus ſum, non culpâ quidem meâ, qui deſideriô deſideraverim ab extrà has ipſas gratiſſimas ideas, quas ſequerer; at quia minùs votorum compos, tradere ea duntaxat compulſus ſim, quæ vel ipſe collegeram, vel quæ alij, quanquam permodica, communicaverant. Indulgeri proinde mihi cupio, quòd tantâ inæqualitate hos nexus híc exeram, in quibuſdam multus, in nonnullis modicus, in aliquibus propè, vel omninò nullus; quoniam prout ſuppetierit materia ſeu copioſa, ſeu ſterilis, vincula congeſſi atque conflavi: per quæ ſanè nil intendo, nîl opto, niſi dilectionis erga Ciſtercium argumenta alijs Religioſis Inſtitutis ob oculos gratô fortaſſis ſpectaculô exhibere.

CUM RELIGIOSIS INSTITUTIS in Communi.

S*alvatoris* oraculum primâ fronte collocandum eſt, à quo res cæteræ pretium luménque obtineant. Refert Henriq: in *Faſcic. Ciſt. Lib.* 1. *diſt.* 1. *cap.* 6. Divam *Mechtildem* in Melliflui noſtri Doctoris feſtivis ſolemnijs, cùm cantaretur Miſſa, *in medio Eccleſiæ*, ancipiti aliquando cogitatione hæſiſſe in hoc verbo, quale nimirùm eſſet hoc medium? quis ille vir tantus è Doctorum Sanctorum Collegio, quódve inſtitutum tam excellens, quod inter tam grandia univerſæ Eccleſiæ luminaria *medium* conſiſteret? Utique illum ſitum eſſe prærogativæ, ac honoris præcipui? Cui Dominus: *Medium Sanctæ Eccleſiæ eſt Ordo S. Bernardi, ſuſtentans Eccleſiam, tanquam Columna, cui tota domus innititur, quia ad univerſalem Eccleſiam, & ad omnes Ordines ſe quoad aliquid tenet. Ad ſuperiores, ſcilicèt ad Papam & Prælatos, tenet ſe exhibendo eis reverentiam & obedientiam. Ad Religioſos, per bona converſationis inſtructionem & informationem: nam alij Ordines hunc Ordinem in aliquo imitantur.* Proſequitur idem Henriqueus in *Apparatu*

paratu ad *Menol cap.* 24. Salvatoris interpretationem & verba longiùs, quæ quidem directè ad Religioſa inſtituta non pertinent, ſed ad univerſos Eccleſiæ ſtatus ſeſe extendunt, quia tamen eundem contextum atque expoſitionem pleniùs integrant, ideò ea huc etiam ex integro tranſpono. Itaque ampliùs diviniſſimus Ædipus, cur nempè Ordo Ciſtercius in Eccleſia eſſet medius? explanat: *Quia ad bonos & juſtos ſe habet per auxilium & conſilium. Ad peccatores per compaſſionem, confeſſionem, & confeſſionis auditionem. Denique inveniunt peregrini hoſpitalitatem, pauperes ſuſtentationem, triſtes conſolationem, infirmi recreationem, eſurientes & ſitientes refectionem, animæ fidelium liberationem, per orationis ſanctæ ad animas purgandas ſubventionem. In hoc medio Sancti Bernardi, ſingulariter à DEO in benedictionibus dulcedinis præventi, Dominus aperuit os, quia Spiritus Sanctus ipſum tam effluenter & ſuperabundanter influendo replevit, & velut cùm ventûs rapidiſſimô impetu januam aperit, ità Spiritus Sancti impulſu ea quæ ſibi divinitùs inſpirabantur, charitate accenſus effudit, & Eccleſiam ſuâ doctrinâ multùm illuminavit, & implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, quia omnia quæ per Spiritum Sanctum cognovit, etiam in dulciſſima fruitione & experientia ſapiebat, & ſuprà quam dici poteſt, mente illuſtratus, licèt multa effuderit, multò tamen plura in intellectu reſervavit.*

Et quidem etiam *Bernardus* Ciſtercij univerſi nomine atque affectu, charitatis viſcera latiſſimè explicat in omnium Ordinum communem dilectionem in *Apologia* ad *Guillelmum S. Theodorici Abbatem*, ubi abſtergens de ſe, déque ſuis ſiniſtram opinionem, quâ ipſe, & fratres à Cluniacenſibus judicabantur eſſe animô ſibi contrarij, *cap.* 3. ſic pro ſe, próque ſuis, imò ſingulis Eccleſiæ Ordinibus eleganter & fervidè perorat: *An fortè quia juxta alium Ordinem converſari videor, propterea ſuſpectus hinc habeor? Sed eâdem ratione & vos noſtro derogatis, quicunque aliter vivitis. Ergo & continentes & Conjuges invicem ſe damnare putentur, quòd ſuis quique Legibus in Eccleſia converſentur. Monachi quoque ac Regulares Clerici ſibi invicem derogare dicantur, quia proprijs ab invicem obſervantijs ſeparantur. Sed & Noë, & Danielem, & Job in uno ſe Regno pati non poſſe ſuſpicemur, ad quod utique non eos unô tramite, juſtitiæ cognovimus perveniſſe. Mariam denique & Martham*

Fffffffff *neceſsè*

neceſsè ſit aut utramque, aut alteram Salvatori diſplicere, cui nimirùm tam diſſimili. ſtudiô devotionis contendunt ambæ placere. Et hâc ratione in tota Eccleſia (quæ utique tam pluribus, támque diſſimilibus va-
Pſalm. 44. *riatur Ordinibus, utpotè Regina, quæ in pſalmo legitur circumamicta varietatibus) nulla pax, nulla prorsùs concordia eſſe putabitur. Quæ etenim ſecura quies, quis tutus in ea ſtatus invenietur, ſi unus quilibet homo unum quemlibet Ordinem eligens, alios aliter viventes aut ipſe aſpernetur: aut ſe ab ipſis ſperni ſuſpicetur, præſertim cùm tenere impoſſibile ſit vel unum hominem omnes Ordines, vel unum Ordinem omnes homines? Non ſum tam hebes, ut non agnoſcam tunicam Joſeph, non illius, qui liberavit Ægyptum, ſed qui ſalvavit mundum, & hoc non à famę corporis, ſed à morte ſimul animæ & corporis. Tunicam ſcilicèt polymitam eandémque inconſutilem, & deſuper contextam per totum: polymitam ob multorum Ordinum, qui in ea ſunt, multimodam diſtinctionem: inconſutilem verò propter indiſſolubilis charitatis individuam unitatem.* Et cap. 4. *Omnes ergo concurramus pariter in unam tunicam, & ex omnibus conſtet una; ex omnibus, inquam, una: Nam etſi ex pluribus & diverſis, una eſt tamen*
Cant: 6: *columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego ſolus, nec tu ſinè me, nec ille ſinè utroque, ſed ſimul omnes ſumus illa una, ſi tamen ſoliciti ſumus ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Non inquam, tantùm Ordo noſter, aut ſolus veſter ad illam pertinet unam, ſed noſter ſimul & veſter: niſì fortè (quod abſit) invicem invidentes, invicem provocantes, invicem mordeamus, & ab invicem conſumamur; & ſic non poſſit nos Apoſtolus uni illi viro, cui deſpondit, Virginem caſtam exhibere Chriſto. Verumtamen illa una dicit in Canticis: Ordinavit in me charitatem, ut etſi una in charitate, diviſa tamen ſit ordinatione. Quid ergo? Ciſtercienſis ſum: damno igitur Cluniacenſes? abſit: ſed diligo, ſed prædico, ſed magnifico. Cur ergo, inquis, Ordinem illum non tenes, ſi ſic laudas? Audi: propter hoc, quòd Apoſtolus ait: Unuſquiſque in ea vocatione, in qua vocatus eſt perma-*
1. Cor. 7. *neat. Quòd ſi quæris, cur & à Principio non elegerim, ſi talem ſcie-*
1. Cor. 10. *bam? Reſpondeo: Propter id, quòd rursùs ait Apoſtolus: Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Non quòd ſcilicèt Ordo ſanctus & juſtus non ſit, ſed quia ego carnalis eram, venundatus ſub peccato; & talem anima mea languorem ſentiebam, cui fortior eſſet potio neceſſaria. Et diverſis morbis diverſa conveniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. Denique requiratur à me etiam, cur, cùm omnes Ordines laudem*

omnes

omnes non teneo? Laudo enim omnes, & diligo, ubicunque juſtè & piè vivitur in Eccleſia. Unum opere teneo, cæteros charitate. Facit autem charitas (fidenter loquor) ut nè illorum quidem fructu fraudér, quorum inſtituta non ſequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi cautè age. Poteſt namque fieri, quia fruſtrà tu laboraveris: ut autem ego fruſtrà diligam bonum, quod operaris, fieri omninò non poteſt. O quanta fiducia charitatis! Alius operatur non amans, & alius amat, nihil operans. Ille quidem ſuum opus perdit, illius verò charitas nunquam excidit. Hoc Bernardus amoris exemplar primò in ſe formans, cæteris Religioſis Familijs ideas exhibuit, ſecundùm quas licet ab invicem diſtinctæ regulâ, diſcretæ muniô, indiviſæ tamen queant, imò debeant eſſe dilectione, quæ non ſolos domeſticos reſpicit, ſed & eos, qui foris ſunt.

Porrò nonnulla è *Tit*: 22. huc reſumenda, ſcilicèt, quòd alij Ordines edocti per Ciſtercium, *Exemptionem*, *Capitulorúmque Generalium* celebrandorum *normam*: ſubinde, quòd olim non rarò authoritate Pontificiâ *viſitati* per noſtros, atque etiam (utì obſervat Manriqueus in *Ser. Abbat. Ciſt. Abb*: 38.) quòd à Reformatione noſtra Hiſpanica edoctæ aliæ Congregationes adſumere *Superiores Triennales*. Accedit nexus ille generaliſſimus, quô Ciſtercium Ordines omnes, ſtatúſque à prima mox ſui origine complexum eſt: quod ipſum notavit idem Angelus ad annum 1144. cap. 7. n. 9. *Ciſtercienſium* nempe *Ordinem à ſuis fundationis initijs nullum omninò excluſiſſe vitæ genus, dummodò religioſa, perfectaque, nullius prorſùs expertem inveniri, quippe Canonicos, Eremitas, peregrinos, Laicos, & Clericos, Doctores & idiotas, demum etiam Milites ſuſcepiſſe.* Imò quos Angelus hôc locô non expreſſit, *peccatores* peculiari jure ad Ciſtercium pertinebant, quibus utique Cœnobia noſtra patebant, tanquam *aſyla*, ad quæ tutò expanſis brachijs à nobis recepti, pœnitentiæ rigore placarent offenſum Numen. Sanè ipſi facinoroſiſſimi patibularij (quod adduximus *Tit*: 23.) ob flagitia ſua furcæ deſtinati, noſtrorum zelô per Orbis Principes privilegiatô, è lictorum manibus erepti, diluebant admiſſa ſcelera & ſanctiùs & honeſtiùs in Ciſtercio, quàm in patibulo. Reſumat Lector, quæ *cit: Tit*: diximus de Ciſtercij Converſis. Et quidem Bernardi factum trahentis *Conſtantinum*, inſignem illum apud Campanos latrònem è lictorum meditullio ad ſuam Claram-Vallem (utì diximus *Tit*: 6. noſtris pro exemplo,

plo, pro lege fuit, ut paria deinceps auderent, ſtylô Chriſti, qui non veniſſet vocare juſtos, ſed peccatores: qui tamen utrique ſuſcepti ad Ciſtercium: priores quidem, ut ſanctam Familiam illuſtrarent ampliùs; poſteriores, ut per domeſtica Ciſtercij lumina accenderentur ad pœnitudinem ac pietatem. *Trappa*, illa Galliarum domus noſtra illuſtris, ſeſe rursùs hìc inſinuat, laudata jam ſemel, iterúmque *Tit*: 2. & 3. ubi primævus Patrum noſtrorum rigor præſente hâc ætate reſuſcitatus toti Eccleſiæ, atque Orbi pro portento eſt: *rigor*, inquam, communi famâ & admiratione *ſub Sole maximus*. Hæc ipſa Ciſtercienſis noſtra *Trappa* per Apoſtolica privilegia quaquaverſum fores explicat ad recipiendos quoſcunque, & è quibuſcunque religioſis inſtitutis. Quæ ſanè privilegij amplitudo vix hactenùs viſa in ſacris alijs familijs. Hinc omne ferè Religioſorum genus perenni velutì ſucceſſione Trappam incolit, adeò ut omnium Ordinum velutì compendium ſpectandum ſit in hac una Ciſtercij domo, quæ pulcherrima Virorum atque inſtitutorum collectio, quod ſciam, alibi in Orbe vix reperienda.

Memorandi etiam hìc duo Viri eximij, calamis ſuis in commune Ordinum decus illuſtres: *Sylveſter Maruli*, Abbas *Roccæ-Amatoris* apud Siculos, & *Bernardus Gutierrez*, Viſitator Generalis apud Hiſpanos: quorum ille prior Librum evulgavit de *Originibus Omnium Religionum*, aliô nomine dictum, *Oceanum*: Poſterior opus elegans congeſſit de omnium Ordinum *privilegijs* in *Genere*, & in *ſpecie*. Pariter hìc commendandus *Eugenius III.* Papa è Ciſtercio, qui affectu religioſiſſimô univerſas ſacras Familias ſuâ ætate exiſtentes varijs donavit gratioſis indultis, quibus, utì perhibet Author *Anni Ciſterc*: *part*: 2. *ad* 8. *Julij*, *in hodiernum uſque diem gloriantur.*

Cum ECCLESIASTICIS *&* ANIMARUM CURATIS.

ILle animarum zelus, quô olim Ciſtercium efferbuit, hodiedum per igniculos perennat in ſeris poſteris præſertim per Terras Auſtriacas, atque etiam apud Germanos, & Polonos, Gentéſque alias, ubi noſtri Viris Eccleſiaſticis intermixti, ſuper gregem ſuum ſolicitas, ſanctáſque agunt excubias,

magnô

magnô numerô conſtituti animarum Paſtores & Curati, non in Parochijs modò, quarum jura Patronatûs ad Cœnobia noſtra pertinent, verùm etiam in quibuſdam locis extra Monaſteriorum ditiones, quod vel maximè olim in uſu. Et paſtoralibus ſuis munijs egregiè hucuſque eſſe perfunctos Viros Ciſtercios probârunt adverſa, præſertim calamitoſa contagio, quâ ſæviente in gregem, noſtri fidis miniſterijs, etiam inter vitæ diſcrimina perſtitêre in officio. Atque id quidem ſingulariter pro Oſſecenſium noſtrorum ſolatio ac commendatione hìc memorandum, quòd ante annos facilè 20. cùm ſæva lues circumpoſitam viciniam multâ internecione vaſtaret, deſideratos eſſe per epiſtolam ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. D. Jaroslao è Comitibus de Sternberg, Litomericenſium Epiſcopo, ex Oſſeco Viros paſtores, qui etiam extra Cœnobij parochias pro peſtiferi gregis ſalute pretioſiſſimâ dilectione immolarent animas ſuas. Proſiliêre illicò è gremio nonnulli promptiſſimis obſequijs in afflictorum ſolatia, & ſervire & mori parati. Commendat præterea Ciſtercienſium paſtorales curas *Paulus V.* Pontifex in Privilegio conceſſo Aviſienſi Militiæ Annô 1605. quod incipit: *Ex injuncto nobis*, ubi prænuncupatus Papa perhibet, in Regno Portugalliæ & Algarbiorum Eccleſias magna ex parte adminiſtrari à Militijs *S. Jacobi*, & de *Avis* (è quibus poſterior Ciſtercienſis eſt) per Presbyteros eadem militaria Inſtituta profeſſos.

Cum CANONICIS REGULARIBUS.

NEmo non diſtinxit hactenùs Canonicos Regulares à Monachis; ſed & nemo hactenùs ignoravit, Ciſtercienſes Monachos eſſe, à Regularibus Canonicis condiſtinctos. Et tamen legi, &, confiteor, cum admiratione legi in Manriqueo ad *annum* 1133. *c.* 3. *n.* 4. *& ſeqq.* noſtros aliquando fuiſſe Canonicos, & ſimul Monachos, ſive, quod idem, *Ciſtercienſes* aliquando fuiſſe *Canonicos Regulares*, & id quidem in Eccleſia *Mekelemburgenſi*, ſeu *Magnopolenſi.* Aſſerit Angelus noſter hanc theſim ex *Alberto Krantzio* ibi citato: ſcilicèt, *Bennonem*, tertium Mekelemburgenſium Epiſcopum aſſumptum è Ciſtercio, Virum Apoſtolicum, laudatum jam à nobis ſuprà *Tit:* 11. & 24. *Ciſtercienſes in Eccleſiam ſuam induxiſſe*, *divino cultui non ſolùm*

lùm mancipatos, ſed & prædicationis Coadjutores, per quos Evangelium in eo vaſtiſſimo tractu propagaretur. Pergit ſubinde idem Angelus cit: locô, 1. *num.* 5. *Hâc occaſione familiæ Ciſtercienſi Mekelemburgenſis Eccleſia ſemel tradita, Canonicorum Regularium Ciſtercienſium, qui poſtmodum in alijs floruerunt, exemplar fuit, quippè eô tempore reformandis Cathedralibus, Regulares ubicunque fieri poterat, in locum ſæcularium ſubſtituebantur. Neque Auguſtiniani tantùm inſtituti, quibus à Sancto Doctore præſcripta regula, ſed Benedictini quorum in multis Provincijs ingens copia, etiam Lateranenſem* Eccleſiam *temporibus retroactis occupaverant. Itaque ad Ciſtercienſem normam reformandas, quas adducam in tempore, Mekelemburgenſis anteivit Eccleſia, Monachis à Bennone adſcitis, inductiſque.* E quibus liquet, non in una duntaxat illa Magnopolenſium Eccleſia Canonicos Ragulares floruiſſe è Ciſtercio, verùm præterea in aliis pluribus; id namque innuunt Manriquei verba: *Canonicorum Regularium Ciſtercienſium, qui poſtmodum in alijs floruerunt, exemplar fuit.* Ità quidem olim & Monachi & Canonici Regularis nomen & character in uno Ciſtercio ſimul conſedêre, fædere tam rarô, quàm charô, quod hodie poſteris pro ſtimulo ſit, ut rursùs utrique ſimul ſe jungant, non charactere, ſed charitate, quæ utroſque faciat unum!

CUM MONACHIS.

Hæc connexio latiſſimè omnes illas familias reſpicit, quæ Monachatûs nomen præſeferunt hodie, aut aliquando prætetulerint; omnes enim tales unà cum Ciſtercio eidem ſupremo generi ſubſtant, monaſtici nominis ac muneris rationem univocam ab eo participantes. Sic Divi *Baſilij*, ſic *Antonij*, ſic *Benedicti*, ſic *Brunonis* filij ac alumni, quia Monachi ſunt, ejus vigore nomenclaturæ cohærent Ciſtercio, Monachatûs characterem ad ſuprema uſque hæc tempora oſtentanti cum gloria. Reſpiciat retroactas naſcentis, creſcentiſque fidei ſanctæ ætates Lector benevolus, & deprehendet, Monachos fuiſſe Eccleſiæ fulcimenta, atque è ſola Benedictina Familia immensâ propemodum ſerie per millia egreſſos Viros maximos, qui Chriſtianum Orbem doctrinæ, pietatiſque fulgoribus quaquaverſum illuſtrârint. Sunt tamen, quibus Monachi nomen, chorus, cantus minùs placeant, quaſi pſalmodia monaſtica ac cho-

choralis tam modica ſit, quæ dignioribus in Eccleſia munijs ac miniſterijs accenſeri haud debeat. Severiſſimè huic cenſuræ offenſus Angelus noſter ad annum 1127. *cap.* 3. *num.* 5. & *ſeqq.* acerrimè caſtigat erronea ſenſa, cujus diſcurſus quia elegans, totus hôc locô luſtrandus venit. Recenſuerat ille *cit: cap:* 3: *n:* 3. & 4. facta gemina, quæ pſalmodiæ reverentiam inſigniter recommendaverint. Primum quidem, quòd aliquando in Clara-Valle ſub ſolemnibus Vigilijs conſpecti Angeli, multâ ſolitudine & gratulatione Chorum percurrentes, Fratréſque ad generoſam cantionem provocantes. Alterum, quòd è Bernardi in choro pſallentis ore, cùm *Ambroſianum Canticum* ſanctiſſimô jubilô aliquando intonaret, viſa ſit è labijs Patris dulciſſimi flamma erumpere, ſursúmque evolare. Poſt quæ Manriqueus fervore illô ſuô, aliquantùm ab hiſtoria digreſſus pro chori digniſſimis vindicijs hæc egregiè peroravit: *Caterùm,* ſcribit ille, *mihi hac altiùs perpendenti pulſat animum pia quidem, ni fallor, ſed nihilominùs non levis indignatio adversùs contemptores chori, cantúſque, quibus Angelos deceat miniſtrare, nedum inſiſtere. Ego ut externa ad proximos officia (opera charitatis) ſummè veneror, atque ea etiam Angelorum propria judico, ſic inter Angelos, non ſupremos Ordines, ſed inferiores ad homines tranſmitti, ex Divo Thoma, & alijs compertum habeo: ſupremis jugiter DEO adhærentibus, neque extra ipſum implicatis quovis negotiô. Quin & Nazareos Religioſos priſci avi, non in Eccleſia, non in clauſtris, non in choro lego, ſed in plateis. Nec hoc dixerim, quaſi aut illos præferam, aut alterutros alijs comparaverim: abſit à Religioſis Viris hac comparatio; ſed ut oſtendam, utrimque eſſe rationes, utrimque argumenta, qua ſic ad ſingulorum ſolatium probent, ut in aliorum prajudicium nihil concludant. Verùm id unum ſilentiô non involvam, quod in Viro aliàs pio æquè ac docto, multorum animos video commoviſſe, & tamen ego incuriâ librariorum, amanuenſiúmve, non Auctoris judiciô ſcriptum credo, in 4. Tomo de Religione, Franciſci Suarez: nimirùm,* Religiones Monachorum, quia per ſe non ſunt Sacerdotum; ſed laicorum, ideò chori miniſterium profiteri. *In quibus verbis, ut ſenſum meum prodam, duplex irrepſiſſe videtur error, an injurioſus, aliorum ſit judicium. Alter in Religiones Monachales, alter in chorum. In hunc, quòd miniſterium laicorum per ſe dicatur, atque ideò competens Monachis, quia laicis. Cùm tamen ex ſe ad utraſque perſonas ſit indifferens,*

Lib. 1. de Inſtit: Societ: cap. 8. num. 6.

& fortè univerſaliùs, quò perfectiùs. Certè per prius ad Clericos, Sacerdotéſque tanquam divino cultui mancipatos, quàm ad Laicos deſcendere, quis dubitet? Indè enim illis, vel in ſingulari, divinæ laudes injunctæ, quæ his indebitæ. Sed ánne cunctæ Cathedrales Eccleſiæ totius Orbis, ideò Choro, cantúique inſiſtunt, quia per ſe laicæ? Et tamen ſemel bona conſequentia, ſive cauſalis, ubique, & ſemper bona eſſe deberet. Atque hæc in chorum. In Religiones Monachales non minùs noto, quòd eas per ſe laicorum eſſe deceat, quaſi ſtatim admiſſo ſacerdotiô, ab inſtituto aut degenerent, aut devient, & Monachatus laicatum, ut ſic dicam, per ſe reſpiciens, ſacerdotium excludat. Quid enim? Itáne per ſe laicus Auguſtinus, per ſe laicus Gregorius, per ſe Bernardus, quos Monachos exſtitiſſe nequaquam dubites? Itáne Græci Patres, Nazianzenus, Nyſſenus, aliíque, quos aut antiqvum Eliæ Patris exemplum, aut recentior Baſilij Magni regula penè omnes Monachatui incorporârunt? Enim verò hoc à modeſtiſſimo Doctore, atque omnium Religionum obſervantiſſimo, ùt ego credo, minimè prolatum, ſed amanuenſium, vel librariorum, ùt dixi, incuriâ irreptum, dum non in opere ad auctoris mentem ponitur, libuit hìc apponendum ſignificare. Sic etiam, & quod ait paulò inferiùs: Chori, & cantûs Eccleſiaſtici uſum non tam ordinari ad propriam perfectionem, & contemplationem canentium, quàm ad devotionem audientium. *Hæc enim ſunt ipſiſſima verba indicis, quamvìs in opere aliquantò moderatiora, utcunque tamen difficilia, quippe ultra modum parùm deferentia graviſſimis Eccleſiæ Religionibus, Benedictinæ, Ciſtercienſi, Carthuſianæ, uſum Chori & cantûs profitentibus, nec pro Auditoribus, quos non habent, aut non admittunt, ſed pro ſeipſis. Quid de vigilijs dicam, cunctis ferè communibus quæ unâ aut alterâ nocte tantùm exceptis, januis clauſis, adeóque nullô auditore, præter ipſos pſallentes, per univerſam Eccleſiã decantantur? Certè flamma ex ore (*Bernardi*) incipientis hymnum viſa procedere, non excitandam aliorum devotionem, ſed proprij ſpi-*
1: cap. 3. *ritûs fervorem indicabat. Quin & Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribens, non alios, ſed ſemetipſos docendos, ac monendos tradit, hortatúrque in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Audi Juſtinum, ſeu quicunque eſt auctor quæſtionum, quæ nomine ipſius circumferuntur, de chori, & cantûs uſu, atque ejus ſpirituali fructu, hæc diſſerentẽ: Excitat cantus Eccleſiaſticus cum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, deſiderium, affectiones & concupiſcentias carnis ſedat, cogitationes malas, inimicorum, quos cernere non eſt, ſuggeſtione aborientes amolitur: pietatis decertatores generoſos, & fortes per conſtantiam in rebus adverſis efficit:*

omnium

omnium rerum, quæ in vita triſtes, & luctuoſæ accidunt, pijs adfert medicinam. Mentes ad fructificationem divinorum bonorum rigat. Gladium ſpiritûs, hoc Paulus appellat in armamentario, ubi contra inviſibiles adverſarios, milites veræ pietatis ſuis inſtituit armis. Verbum namque DEI eſt, quod animi cogitatione, quod carminis præludiô, quod carmine ipsô celebratur, ac dæmones fugat, atque depellit. Et in rebus omnibus, quæ pijs eveniunt, animus veræ pietatis, virtutibus per carmina Eccleſiaſtica perficitur. Hæc ex *Angelo* prolixa, quidem, ſed monaſtici præcipui penſi ac muneris neceſſaria defenſio, non pro uno duntaxat Ciſtercio militat, verùm pro familijs ſingulis, quæ Monachatûs venerandâ nuncupatione inſigniuntur.

CUM EREMITIS.

VInculum olim ſanè multum *Eremi* atque *Ciſtercii*, cùm noſtri, ſi pedem figerent extra Ciſtercium, ſtarent in eremo, & Eremitæ retrahentes pedem è ſolitudine, conſiſterent in Ciſtercio. Utrobique eadem militia, eædem militiæ leges, nisi quòd apud Cænobitas pugna omnibus communis, apud anachoretas ſingularis: illis per agmina ſimul concurrentibus ad prælia ſpiritûs, his ad peculiare certamen, veluti extra agmina & caſtra egreſſis, hoſtémque laceſſentibus. Non permiſſa tamen ea ſolitaria pugna per Divi *Benedicti regulam*, niſi veteranis, per diutinos conflictus atque triumphos jam abundè probatis: atque ideò Parentis Sancti ſuffragijs illi duntaxat è Ciſtercio dimiſſi ad deſertum, qui in clauſtro optimi, in eremo non timerentur fore mali: profeſſione utrâque, & Ciſtercij ſcilicèt & eremi ad invicem cohærente, quô ferè pactô via & terminus ſeſe reſpiciunt: Ciſterciô quidem habente ſe permodum viæ per quam, deſertô permodum termini, ad quem. Quanquam etiam evenerit, ut Ciſtercium antea non profeſſi, ad Ciſtercium ex eremo ſe contulerint, meliùs nempè edocendi prælia in tam ſancta & celebri palæſtra. Per utroſque proinde, tam illos nimirùm, qui ante, quàm qui poſt aſſumptum Ciſtercium, anachoreticam vitam coluerint, Ciſtercium colligatum eſt eremo, & eremus juncta Ciſtercio: Eremitis inter Ciſtercienſes ſeu jam perfectis, ſeu adhuc perficiendis; perfectis quidem, qui è Ciſtercio ad ſoli- *Cap. 1.*

tudinem egreſſi, perficiendis verò, qui miſsô deſertô, Ciſtercium deinceps amplexi. Henriqueus in Menologio ex utroque ſexu recenſet, qui ſub Ciſtercij legibus anachoreticam vitam ſanctiſſimè duxerint: *S. Galganum* apud Tuſcos, BB. *Godricum*, *Goduinum*, *Thomam*, & *Udalricum* apud Anglos; BB. *Guillelmum*, *Jezelinum*, & *Ligerium* apud Belgas; B. *Henricum* apud Germanos: Beatas, *Juettam*, *Oziliam*, & *Udam* apud Belgas, BB. *Gertrudem* & *Heiligam* apud Teutones. Nec dubium, fuiſſe per Orbem plures, cùm id per Ordinis leges liceret, quæ legum ſacrarum facultas, inſtar vinculi fuit Ciſtercium inter atque Eremum.

Cum ORDINIBUS *MILITARIBUS.*

VIx crediderim, ullum Religioſum ſodalitium tantis nexibus cohærere ſacris Militijs, ac Mellifluum. Patent hæc vincula è *Tit*: 19. ubi per totum armata agmina in aciem eduximus, ſub Ciſtercij vexillis pro Orbis Chriſtiani ſalute dimicantia. Reſumat, ſi lubet, Lector benevolus, quæ ibi diximus. Sanè quoties ſeu animo, ſeu oculis occurrunt Viri Religioſi, quorum ſacram veſtem ornat *Crucis* character, unde & dicti *Crucigeri* toties in mente mea pulcherrimâ replicatione ſeſe explicant Ciſtercij ideæ, tot cruciatis Ordinibus fulgentes: & utique glorior in Domino, Ciſtercij alumnos etiam extra Ciſtercium habere ſocios, quos ambos Crucis ſanctæ militare inſigne uno nomine exhibeat nuncupandos *Crucigeros*. Neque enim tot inter Cruces, Crucigerorum vocabulum exiſtimo minùs poſſe adaptari Ciſtercio, ut potiùs cenſeam, nullos tam poſſe dici *Crucigeros*, quàm è Ciſtercio militares Viros. Porrò *Theutonicos* non duntaxat Crucigerorum nomen, ac Crucis character junxit Ciſtercio, verùm inſuper *Templariorum regula, ac conſtitutiones ab ipſis* (*aſſumpta* ùt ſuperiùs *Tit*: 19. *pag.* 492. è Cardinali de Vitriaco docui) quas quia Bernardus tradiderat, Templarios Ciſtercio ſociavit, ſociaturus etiam deinceps Theutonicos, quòd eaſdem, ac Milites Templi leges (& fortè id quidem ad tempus) ſequerentur. Alterum eſt, quòd Theutonicorum illuſtriſſimam Militiam ampliùs adſtringit Ciſtercio, quia

quia nimirùm *Chriſtiani*: Primi *Culmenſium* Epiſcopi, Viri inter Ciſtercienſes clariſsimi, ſolicitudine, induſtriâque evocati olim fuerint in *Maſſoviam* Theutonici Ordinis Fratres, per quos Boruſſiorum impetus vicinis Maſſovitis, cæteríſque Polonis plurimùm infeſtus cum efficacia obtunderetur. Id factum Annô 1227. tradit *Angelus* ad hunc annum *cap.* 8. *n.* 7. *&* 8.: *Conradô* Maſſovienſium duce ea Theutonicorum ſubſidia unicè per *Chriſtianum* noſtrum promovente, quòd probè ſciret, Præſulis Apoſtolicô fervore flagrantis ſtudijs, id militare Eccleſiæ negotium feliciùs fore procurandum: à quo glorioſo Antiſtite deinceps etiam Theutonici aucti largitionibus, ac Sedibus in Epiſcopatu Culmenſi, detrahente ſibi ipſi poſſeſſiones ſuas Chriſtiano, quas militibus Chriſti conferret. Atque tùm quidem primùm in ijs terris viſi Theutonici ſub Generali Ordinis Magiſtro, *Hermanno de Zalza*, victricibus deinceps armis cruciata ſua vexilla per omnem Pruſſiam circumtulerunt, Provinciæ tandem dominiô felices. Quod ſanè beneficium, inclytam Militiam Ciſtercij auſpicijs obtinuiſſe, innuit *Cromerus* Scriptor egregius *Lib.* 7. *de Reb. Polon:* nimirùm Conradum prælaudatum Maſſoviæ Ducem, turbatum afflictúmque per Prutenorum incurſiones, non aliter reſpexiſſe ad Theutonicorum ſubſidia, quàm Chriſtianô noſtrô *ſuggerente*, & *ſuadente*. Itaque prima de introducendis in Pruſſiam Theutonicis conſilia emanavêre è Ciſtercio, atque etiam poſt conſilia opus ipſum à Duce injunctum Chriſtiano, ut Viros adduceret, quos pro Chriſtiani populi ſalute ille ipſe viſus exoptaviſſe. Non ſanè ulla expunget ætas è clariſſimæ militæ faſtis Pruſſiæ memoriam, quam olim armis perdomitam ſub ſua tandem gubernacula pertraxit: ſed neque minùs meminiſſe æviternùm poterunt Illuſtriſſimi Milites, id Provinciæ dominium cœptum promotúmpue fuiſſe per Chriſtianum, atque Ciſtercium. Et *Gladiferorum* militaris Ordo ſub Ciſtercij legibus in Livonia primitùs ſurgens, atque deinde ad vicinos in Lithuania Theutonicos, eorúmque habitum, atque inſtitutum accedens, illô ipsô acceſſu velutì per lineam analogicam pertraxit unà ſecum Ciſtercium ad nova cum Theutonicis vincula, quandoquidem noſtrorum aggregatione illi creverint & Militum & poſſeſſionum numerô: adeóque rurſus beneficij, pars data per noſtros.

Hæc Militia Gladiferorum orta eſt circa Annum 1200:

Hhhhhhhhh 2 Quod

Quod glorioſos *Milites S. Jacobi*, & de Alcantara (quorum poſteriores hi Ciſtercienſes ſunt) apud Hiſpanos attinet, illi jam ante annos propè quingentos pactô inrer ſe fædere Fratres, dilectionis mutuæ articulos ſanciverunt publicô inſtrumentô, ſubſcriptô per D. *Gonſalvum Rodriquez* Jacobææ, & D. *Benedictum Suarez* Alcantarenæ, Militiarum ſupremos Generales Magiſtros. Recitat inſtrumentum Manriqueus ad Annum 1202. *c.* 7. *num.* 6. Neque ipſa *Jacobaorum* Militum illuſtria primordia ſinè Ciſtercio ſurrexêre, Anno 1175. *Alexandro III.* Ciſtercienſi Pontifice per Bullam Apoſtolicam conſtabiliente novitium agmen, atque *Petrum Ferdinandum à Ponte* primum Ordinis Magiſtrum firmante. Extat hæc Conſtitutio Pontificia in Romano Bullario *Angeli Cherubini*, *Tom.* 1. *pag.* 69. complectens *paragraphos* 23. quibus pro nova militia inſertæ leges, à Ciſtercienſi Papa Jacobæis extraditæ. Hæc paucula interim de Ciſtercij vinculis cum Militaribus Ordinibus ſufficiant, quandoquidem in confeſſo ſit, tot micantia in Ciſtercio arma, tot fulgentes clypeos, tot coruſcantes enſes, radios ſuos multò lumine reflectere in parallela militaria Inſtituta, quæ zelô haud impari, quô Ciſtercium, aut hodie ardeant, aut olim exarſerint pro Chriſtiani Orbis populorum felicitate.

Cum BENEDICTINIS.

Eſt Mellifluæ Familiæ cum benedictina non modò ſua intima *connexio* ſed inſuper *identitas*, ob Regulæ ſanctæ identitatem, ſiquidem accidentalis illa diverſitas, quæ ex Conſtitutionibus noviter per noſtros ſuperadditis reſultavit, nihil utique immutavit in Ordinis ſubſtantia. Et ſanè cùm noſtri authoritate Pontificiâ *Paſchalis II.* auſpicarentur Ciſtercium, nequaquam ſub nuncupatione *novi Ordinis*, ſed duntaxat *novi Monaſterij*, reformationis Ciſtercienſis primordia à Sede Apoſtolica & petierunt, & impetrârunt. Accedit, quòd Benedictini Patres in Ordinis ſui Menologio inter inſtituti ſui ſanctos, etiam Ciſtercienſes noſtros abſque omni ferè diſtinctione connumerent, quaſi illuſtria membra, idem omninò clariſſimum corpus cointegrantia. Angelus noſter ad annum 1119. *cap*: 5. *n.* 6. cùm præviè docuiſſet, *Cluniacenſes* (Benedictini hi fuerant) ſanctâ

ſanctâ imitatione, majori ferè ex parte ſuſcepiſſe leges *Charta Charitatis* Ciſtercienſium, hoc etiam argumentum breviter tetigit: *Atque hinc*, ſcribit ille, *obiter diſſolvi poſſe puto quaſtionem vulgarem, qua recentiores nonnullos malè torſit: An Ciſtercienſis ſpecialis Ordo ſit, à Beatiſſimi Patris Benedicti diſtinctus Ordine? qua etiam qualeſcunque nos exercuit, dum adhuc juvenes. Auctores varij, variéque loquentes puto magìs, quàm ſentientes, rem de ſe facilem nimiùm implicârunt; ſed magìs vulgus. Certè ſi quaſtio de nomine non ſit, in qua fortaſſis non vincimur, ſpeciali nomine, pra propria magnitudine, quodammodo obliterante in nobis nomen commune; in reliquis, de Cluniacenſibus & noſtris, crediderim eandem per omnia eſſe rationem. Ut* Cap. 55. *enim de colore non cauſemur, quod ex pracepto regula debemus utrique pariter eiſdem penè legibus adſtrictos, eiſdem arctos, non video, cur aut priùs incepiſſe, aut aliquantò ſtrictiùs obſervâſſe, alieniores nos faciat à Sancto Patre, nihil pracipuè magìs intendentes, quàm ipſum ſequi è* Videas de mente Angeli, non tam à ſcholis, quàm à vulgò quæſtionem inſtitui de Ordine Benedictinorum à Ciſtercienſibus diſtincto, atque vel ex eo attendendam minùs. Ex induſtria etiam ingenioſiſſimus noſter *Caramuel* hoc argumentum illuſtravit, *Comment: in Regul: S. Bened: diſput:* 35. ubi per integros novem articulos ſingula, quæ pro, quæ contra militare videbantur, ſolidè & ſcholaſticè excutiens, pro aſſerta tandem à nobis utriuſque Inſtituti identitate apertiſſimè pronunciavit, ſub articuli ſeptimi finem hæc, quæ jam antecedenter per partes abundè probaverat, ſummatim concludens: *Non mutaverunt Ordinem noſtri Fundatores, quando egreſſi fuerunt ex Moliſmo, ùt vidimus; non, quando ingreſſi ſunt Ciſtercium; non in ſecunda ſtabilitatis profeſſione; non in Conſtitutionum conditione; non habitûs mutatione, non poſtea: Ergo manet liquidum, Ciſtercienſes Monachos verè Benedictinos eſſe hodiéque non magìs ab alijs Benedictinis diſtingui, quàm Moliſmenſes à Cluniacenſibus.* Hæc Caramuel. Et quanquam ſub prima Ciſtercij initia inter utramque Familiam, & potiſſimùm, inter *Venerabilem Petrum*, Abbatem Cluniacenſem, Bernardúmque noſtrum quædam æmulationes exarſerint, non tamen earundem tanta fuit efficacia, quæ in *puncto Ordinis* utroſque diſtinguere potuerit quandoquidem ſimiles non rarò, atque etiam nonnunquam acriùs inter ipſos domeſticos enaſci ſoleant: præſertim cùm illa qualiſcunque inter Cluniacenſes

atque Ciſtercienſes oborta controverſia, ſanctæ Regulæ zelum pro ſacro fomite ac incentivo habuerit, utriſque religioſiſſimâ converſatione præſeferentibus genuinam Benedictinarum legum obſervantiam, at noſtris exuperantibus in rigore, quem veluti novitium, atque hactenùs inſuetum ac ſingularem arguebant Cluniacenſes, eâ ætate florentes religionis famâ. Excuſat Angelus noſter ad annum 1121. *c.* 4. *n.* 10. Bernardum, Petrúmque Venerabilem quaſi diſtractos in partes: *quippe zelantes utroſque pro ſuis ovibus, dum greges ſibi commiſſos curarent, neutros ſibi acquiſiviſſe, ſed committenti. Sic Petrum, Paulúmque diviſos olim, dum ille Judæis providerit, hic gentibus, neutrum, quæ ſua erant, ſolicitaviſſe, ſed quæ* JESU *Chriſti.* Et quidem audiamus Bernardum ipſum in *Apologia* ad *Guillelmum S. Theodorici Abbatem cap.* 2. expungentem Cluniacenſium ſiniſtram opinionem, quâ exiſtimabant ſibi Mellifluum Abbatem adverſari: *Quis unquam*, ſcribit Sanctus, *me adversùs Ordinem illum* (Cluniacenſem ſcilicèt, ſeu, quod idem eſt, Benedictinum) *vel coràm audivit diſputantem, vel clàm ſuſurrantem? Quem unquam de Ordine illo niſì cum gaudio vidi, niſì cum honore ſuſcepi, niſì cum reverentia allocutus, niſì cum humilitate adhortatus ſum? Dixi, & dico: Modus quidem vitæ eſt ſanctus, honeſtus, caſtitate decorus, diſcretione præcipuus, à Patribus inſtitutus, à Spiritu Sancto præordinatus, animabus ſalvandis non mediocriter idoneus. Egóne vel damno, vel deſpicio, quem ſic prædico? Memini me aliquando in aliquibus ejuſdem Ordinis Monaſterijs hoſpitiô ſuſceptum fuiſſe: reddat Dominus ſervis ſuis humanitatem, quam infirmanti mihi ultrà etiam, quàm neceſsè fuit, exhibuerunt, & honorem, quô me plùs quoque, quàm dignus fui, dignati ſunt. Ipſorum me commendavi orationibus, interſui collationibus: Sæpè & de ſcripturis & ſalute animarum habui ſermonem cum multis, & publicè in capitulis, & privatim in cameris. Quem unquam vel clàm vel palàm, aut ab illo Ordine diſſuadere, aut ad noſtrum ut veniret, perſuadere tentavi? An non potiùs multos cupientes venire repreſſi, venientes & pulſantes repuli? An non Fratrem Nicolaum ad S. Nicolaum, & vobis duos de veſtris, vobis teſte remiſi? Sed & duobus quibuſdam ejuſdem Ordinis Abbatibus, quorum nè nomina prodam, ipſi eos optimè nôſtis, & nihilominùs quàm amicâ mihi familiaritate jungantur ſcitis: nunquàm non tamen ad alium Ordinem (quod & vos non latuit) migrare deſiderantibus, jam jámque deliberantibus, noſtrum eis diſſuaſorium conſilium obviavit,*

ac

ac nè ſuas deſererent cathedras effecit? Cur igitur Ordinem damnare putor, vel dicor, cui amicos meos deſervire ſuadeo, cui ſuos ad nos venientes Monachos reddo, de quo & mihi orationes tam ſolicitè requiro, tam devotè ſuſcipio? Hæc Bernardus pro ſui expurgatione apud amicos, imò Fratres. Atque etiam *Petrus Venerabilis*, vicem redditurus, non minùs in Sanctum Doctorem affectus, prodidit reverentiam, amorémque ſuum in epiſtola, quam ad Bernardum perſcripſit, offerens, dedicánſque eidem Mahometis *Alcoranum* ex Arabico in Latinum tranſpoſitum, quam verſionem idem Petrus per illuſtres Viros in Hiſpanijs procuraverat: epiſtolæ autem initium tale eſt: *Singulari veneratione colendo, totis viſceribus amplectendo, individuo cordis noſtri hoſpiti, Domno Bernardo Claræ-Vallis Abbati, Frater Petrus, humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem, ad quam ſuſpirat, æternam. Mitto vobis, dilectiſſime, novam interpretationem noſtram contra peſſimum nequam Mahumetum, & ejus hæreſim diſputantem, &c.* Indicia amoris magni, hi characteres exprimunt, & quia mutui, penſandi ampliùs. Fuſior affectuum teneritudo ſpectanda eſt in Epiſtola altera, quam ad Bernardum perſcripſit Petrus: *Quantum reverentiæ, quantum amoris, tibi anima mea in penetralibus ſuis conſervat, novit ille, quem in te veneror & amplector. Feci hoc, etiam dum abſentia tua vultum corporis tui mihi invidens, abſcondebat: quia jam fama velocior corpore, beatæ animæ faciem, oculis mentis meæ modô, quô poterat, inferebat. At ubi, quod diu negatum fuerat, tandem ſum aſſecutus, & phantaſmata ſomniorum, veritate ſuccedente evanuerunt: adhæſit anima mea tuæ, nec ab amore tuo ultrà avelli potuit. Ità charitas tua totum me ſibi deinceps vendicavit, ità virtutes tuæ, & cogniti mores rapuerunt, ut nihil mihi de me, quod tuum non eſſet, relinquerent; nihil tibi de te non meum eſſe permitterent. Manſit in me conſtanter ex illo tempore, & utinam ſic in te maneat Chriſti causâ cœpta mutua charitas, quæ ſola, quia nunquam excidere novit, morem ſuum, quantùm ad me pertinet, in me optimè conſervavit. Cùmque hanc omni aurô cariorem, omni gemmâ clariorem, in ſinu meo repoſuerim, in theſauris abſconderim, miror, quòd tantô tempore.* &c. & tandem ſub Epiſtolæ finem: *Utinam & te à Curia laborioſa, & me à cura pericoloſa expeditum, ùt ſemper optavi, nunquam mutandus unus locus retineret, una charitas uniret, unus Chriſtus ſuſciperet!* Ubi notandum venit, literas has ad Bernardum tùm fuiſſe expeditas, cùm Patre Sanctus extra

Manriq: ad ann: 1135 c: 3. n. 12.

Cit: à Joann: Mabill: in notis ad epiſt: S. Bernardi epiſt. 147. pag: 23.

Claram-Vallem ſuam pro ſtabiliendo legitimo Pontifice, Innocentio II. per Orbem Chriſtianum occuparetur. Ad quas *Bernardus* in ſpiritu dulcedinis ſequentes ad *Petrum* reſponſorias direxit: *Viſitet te oriens ex alto, ô bone Vir, quia viſitâſti me in terra aliena, & in loco peregrinationis meæ conſolatus es me. Benè feciſti intelligens ſuper egenum & pauperem. Abſens eram, & abſens etiam longô tempore, & recordatus es nominis mei, homo magnus, occupatus in magnis. Benedictus Sanctus Angelus tuus, qui pio pectori tuo id ſuggeſſit. Benedictus DEUS noſter, qui perſvaſit. En teneo, unde glorier apud extraneos, litteras tuas, & illas literas, in quibus tuam mihi animam effudiſti. Glorior, quòd habeas me non modò in memoria, ſed in gratia. Glorior privilegio amoris tui, refectus ſum de abundantia ſvavitatis pectoris tui.* &c. Non tædeat, obſecro, Lectorem aliquantò diutiùs morari in hac amoris ſcena, in qua *Bernardus*, *Petrúſque*, id eſt, Monachorum Patres, dilectionis viſcera ad ſe invicem effundentes, docuêre Religioſorum genus omne, ut, quantumvis diſcreti obſervantijs, animis tamen atque affectibus à ſe nunquam diſtarent. Accedit, ut Lectori ſuggerant hæ mutuæ Sanctorum epiſtolæ, nihil omninò inter illos interceſſiſſe aliud, quô, ùt ſupra monui, aliquantùm moverentur, niſi zelum, & hunc quidem cum ſcientia, quoniam inter Antiſtites non modò ſanctiſſimos, ſed & ſuô ævô doctiſſimos. Aperuit rursùs Annô 1149. *Venerabilis Petrus* novum amoris theatrum Bernardo ſuo, ſuaviſſimâ epiſtolâ ad eum datâ, in qua Melliflui Abbatis dignitatem magnificè extollit: *Forti ac ſplendidæ Monaſtici Ordinis, imò totius Eccleſiæ DEI columnæ, Domino Bernardo Claræ-Vallis Abbati, Petrus humilis Cluniacenſis Abbas, ſalutem quam repromiſit DEUS diligentibus ſe. Si liceret, ſi DEI diſpoſitio non obſtaret, ſi in hominis poteſtate eſſet via ejus, maluiſſem chariſſimæ beatitudini tuæ nexu indiſſolubili adhærere, quàm principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri à me deberet grata non ſolùm hominibus, ſed & Angelis ipſis cohabitatio tua? Concivem te illorum ſi dixero, licèt nondum ſpes in rem tranſierit, per miſericordis DEI gratiam mendax non ero. Si planè mihi datum fuiſſet, uſque ad ultimum ſpiritum tecum hìc eſſe, daretur fortaſſis poſthac & ubi eſſes, etiam perpetuò eſſe. Quò enim currerem niſi poſt te, tractus odore unguentorum tuorum à te? Quod quia ſemper non datur, utinam vel ſæpè daretur! Et*

Epiſt.141.

Joan. Mabill. inſeruit hanc Epiſt. operibus S. Bern. in ſer. Epiſt. num. 264. pag. 116.

Et quia nec illud eſt, utinam ſaltèm frequenter videam miſſos à te! Et hoc quoque quia rarò contingit, volo, ut vel in proximo ſanctitas tua amantem ſe per ſuum Nicolaum uſque ad Octavas Domini mecum manſurum viſitet, in quo tuus, ùt mihi videtur ex parte, & meus ex toto ſpiritus requieſcit. Videbo te, ſancte frater, in illo, audiam te per illum, & quadam, quæ ſecretò nota fieri volo ſapientiæ tuæ, mandabo per ipſum. Sanctæ animæ tuæ, ſanctiſque ſub regimine tuo, Omnipotenti Domino ſervientibus, me, noſtróſque, quantis poſſum precibus, quantâ poſſùm devotione commendo. Tantâ elogiorum claritate confuſus, offensúſque Bernardus amicum amicè corripuit, laudes ſuas evacuans animi demiſſione. Lege literas Parentis dulciſſimi ad Petrum reſponſorias: *Quid facis*, ſcribit ille, *ò bone Vir? laudas peccatorem, miſerum beatificas? Reſtat, ut ores, nè inducar in errorem. Inducor autem, ſi tantis delectatus præconijs, ignorare me cœpero. Propemodum id mihi contigerat viſis literis beatitudinis tuæ, & beatificationis meæ. Quàm beatus nunc eſſem, ſi verbis beari poſſem! Beatum tamen me dixerim, ſed favore tuô, non meis laudibus. Beatum, quòd diligor à te, quòd diligo te. Quanquam & hanc mihi dulcem licèt buccellam liquandam arbitror, nec omninò plenis, ùt ajunt, buccis admittendam. Miraris cur hoc? nempè non video in me, unde tantùm diligi meruerim, præſertim à tanto. Scio autem, quia plus juſto velle diligi, minus eſt à juſto. Quis mihi det tantæ humilitatis inſigne tam imitari poſſe, quàm admirari? Quis mihi tribuat ſanctâ & deſideratâ præſentiâ tuâ, non dico ſemper, non dico ſæpè, ſed vel ſemel in anno frui? Puto, quia nullâ vice reverterer vacuus. Non, inquam, fruſtrà conſpicerem virtutis exemplar, diſciplinæ ſummam, ſpeculum ſanctitatis. Quódque minùs uſque adhuc à Chriſto didiciſſe me fateor, non incaſſum fide oculatâ perciperem, quàm ſis & tu mitis & humilis corde. Verùm ſi tibi pergo facere, quod à te mihi factum queror, etſi veritatem dicam, veritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur: Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris. Itaque jam reſpondeamus petitiunculæ veſtræ, quâ Epiſtolam concluſiſtis. Is, quem mitti vobis jubetis, modò mecum non eſt, ſed cum Domino Antiſſiodorenſi, & itâ infirmus, ut ſinè nimio incommodo, nec ad nos uſque poſſe adhuc venire dicatur.* Sic Sancti amores, honoréſque ſibi invicèm deferentes, ſibi invicem reddentes. Eadem ferè *Venerabilis Petrus Cellenſis*, atque S. Remigij olim Abbas, ſubinde *Carnotenſis* Eccleſiæ illuſtris Antiſtes, ſcribens ad Capitulum Generale Annô 1180.

Epiſt. 265.

in Ciſtercio congregatum, prima fraternitatis vincula affe-ctuosè exaggerans, séque, ſuámque Carnoténſem Eccleſiam commendans Sanctorum precibus: Literarum tenor talis: *Petrus, Carnotenſis Electus, Capitulo Ciſtercienſi. Sancta Sanctorum ſtudia impedire non minoris æſtimo culpa, quàm angelica & divina negotia interrumpere. Tanti verò reatûs pœnam timeo incurrere, ſi vos ad divina, & in divinis occupatos, vanis & ſuperfluis tentavero verbis retinere. Excuſat tamen quandóque urgens neceſſitas ingerentem ſe importunitatem: quando etſi reprimit ad modicum feſtinationem, non perimit, aut deprimit penitùs neceſſariam operationem. Utinam, inquit Apoſtolus, ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ! Non arguitur inſipientiæ formica, quæ ſibi præparat eſcam in æſtate. Non arguitur inſipientiæ villicus iniquitatis, qui fodere non valens, & mendicare erubeſcens, fecit ſibi amicos, qui reciperent illum in æterna tabernacula. Non ad inſipientiam eſt mihi, ſi non de mammona iniquitatis, ſed de ſupplicatione humilitatis, & debito fraternæ charitatis interpello Dominos meos, & Fratres chariſſimos, quatenus me commemorent inter ſui gaudij ſocios, & futuræ expectationis amicos. Recolat igitur ſanctiſſimum veſtrum Collegium, unum me eſſe de alumnis Beatiſſimi Bernardi, cujus meritô Ciſtercienſem Ordinem DEUS uſque ad mare, & ultrà dilatavit, & uſque ad nubes, ùt iſtæ, quæ adhuc ſuperſunt, reliquiæ teſtantur, magnificavit. Inter cætera ſua beneficia contulit mihi ſuperna gratia, eô vivente, adfuiſſe in his Caſtrorum DEI Conventibus, & commendatum, atque receptum tam beneficijs, quàm orationibus. Translatô etiam ipsô ad cæleſtem Curiam, ſemel adivi Dominos meos, & Fratres chariſſimos, replicans, & inculcans Societatem, & charitatem antiquitùs inductam. Proſtratus itaque, licèt abſens, pedibus totius ſanctæ hujus Congregationis, ſemper expectatum, & expeditum, nec non etiam expetendum imploro ſuffragium. Veſter fui, veſter ſum, veſter ſemper ero. Alienos ad ſinum ſuum colligit veſtra charitas, & me leonibus, lupis, urſis, & malis beſtijs indefenſum exponetis? Cellenſem enutrîſtis, Rhemenſem amâſtis, Carnotenſem projicietis? Ubi major neceſſitas, ibi expirabit charitas? Ubi ſummum periculum, ibi nullum ſubſidium? Ubi deſcendens ab Jeruſalem in Jericho ſemivivus relinquitur, poſt Sacerdotis & Levitæ negligentiam, Samaritani pectus indurabitur, nè oleum & vinum vulneribus ſauciati infundantur? Abſit, ut fons olei areſcat, ut lecythus olei in ſancto Ordine veſtro deficiat. Certè ſi in vobis defecerit* *Sanctus*

Manriq. ad annum 1180. c. 6. n. 2.

Sanctus, mundus remanebit immundus. Non eſſet dolor Angelis DEI, ſicut dolor iſte. Pax itaque æterna, & gratia ſit vobiſcum, Amen. Hæc *Petrus*, dictus *Cellenſis* ab Abbatia, *Carnotenſis* ab Epiſcopatu. Inter præcipuos præterea Bernardi, atque ideò Ciſtercij, è Benedictinis amicos ac cultores extitit *Guillelmus Abbas S. Theodorici*, Scriptor vitæ Doctoris ſancti: qui frequenter Parentem Mellifluum inviſens, neque id ſolus, ſed comitatus aliô Abbate Ordinis ſui: *quô videat Lector*, notat Angelus ad Annum 1117. *cap.* 1. *n.* 5. *Sanctiſſimam Familiam* (Benedictinam ſcilicèt) *quantumvis in aliquibus tunc noſtris infenſam, quippe averſantem novitatem vitæ, & ſingularitatem obſervantiæ, quæ laxiora quæcunque condemnaret: tamen per Viros graves, ſanctóſque, favorabilem potiùs & devotam, multùm eorum initia promoviſſe: quod in hoc ipſo Venerabili, & verè Sancto Abbate* (prædicto Guillelmo) *in B. Petro Mauricio Cluniacenſi, ac multis alijs, nec ſolùm affectu, & verbis, ſed operibus, ac multis alijs, ipſa ſeries hiſtoriæ demonſtrabit.*

Et hæc quidem, ſub Ciſtercij primordia, neque alia ſub ejuſdem incrementa, Divi Benedicti Filij in fratres: è quibus ſingulare favoris ſpecimen exhibuit *Urbanus V.* ultimus è Benedictinæ Familiæ *viginti ſeptem Pontificibus* Annô 1362. ad faſtigium Papale evectus Eccleſiæ univerſalis paſtor, qui Mellifluam Familiam non ſecùs ac ſuam, imò quia ſuam, affectibus, quibus potuit, ſemper proſecutus, exhibuit ſe Ciſtercienſem non regulâ duntaxat, ſed dilectione: Unde cùm ex Avenione, ubi tum Sedes Pontificum, Romam eſſet profecturus, contigit eum divertere Genuam, ibíque aliquamdiu à navigij moleſtijs reſpirare. Electum in tanti hoſpitis domicilium, Ciſtercienſium in urbe Cœnobium, Pontifice ipsô proprijs ſuffragijs ſibi deſtinante inter ſuos dulcem incolatum, ut ibi eſſet, ubi amaret. Subſtitit per tres dies, plùs, minùs, Urbanus apud noſtros: quô tempore Nobiles Genuenſes, ſiquidem viderent, non *Manriq. in* eſſe Pontifici ullos gratiores, quàm alumnos Ciſtercios, par- *Ser. Abbat. Ciſterc. Abb.* ticipaturi aliquid, noſtrô veluti fatô, de Urbani amoribus, in- *35* duêre omnes, quod ſanè mireris, veſtes illas ad inſtar Ciſtercienſium, eóque amictu ac candore Papæ ſeſe ſiſtentes, be-

neficiô veſtis Ciſterciæ, aut certè ejuſdem æmulatione optatos retulêre favores. Videas illuſtrem Italiæ Urbem penè totam tum fuiſſe Ciſtercienſem, ſeu Pontificem ſpectes, ſeu cives, illum affectu, hos habitu: Et videas etiam, Urbanum, Benedictinorum olim alumnum, tam Ciſtercienſium felicitatis fuiſſe promotorem, ut inſtituti utriuſque profeſſores novis rurſum vinculis inter ſe jungerentur, eô nempè ambos ligante, cui ligandi poteſtas cælitùs commiſſa ſit.

Illud deinde non minùs hìc obſervandum, quòd Primi noſtri Patres in ipſa glorioſiſſimi Parentis *Benedicti* ſacerrima feſtivitate Ciſtercienſem Religionem feliciſſimè ſint auſpicati: quod liquet ex verbis *Exordij Magni*, ubi *L.* 4. *c.* 13. hæc de Ordinis noſtri auſpicijs lego: *Eôdem itaque annô, quô prædiximus (nempe Milleſimô Nonageſimô Octavô) duodecimô Kalendas Aprilis, ſolemni die Natalis S. Patris Benedicti quem geminata lætitia tunc celebriorem reddiderat ob Dominicam Palmarum, quæ ipsô die etiam occurrebat, lætantibus Angelis, tabeſcentibus dæmonibus, Ciſtercienſis Domus, ac per hoc totius Ciſtercienſis Ordinis religio, per Viros Sanctos ad Chriſtianam Philoſophiam penitùs expeditos exordium ſumpſit. Prudenti ſanè conſiliô, ut qui canonem divini ſermonis, cunctúmque vitæ ſuæ ordinem, ſecundùm formam in Regula S. Patris præſcriptam, diſponere decreverant; hoc in ejus natali potiſſimùm, qui legem per ſpiritum vivificantem ad multorum ſalutem dederat, felici omine inchoarent.* Notat Angelus ad annum 1098. *c.* 3. *n.* 2. è recitatis verbis omen aliud: *Quibus meô judiciô*, inquit ille, *addere poſſet, non minùs fœlix, fauſtúmque futuræ victoriæ auſpicium ante congreſſum, ex palmis ipſis Dominicæ incidentis: quatenùs Chriſti pedibus ſuppoſitæ, & Sanctorum illorum Patrum delatæ manibus, non incertam victoriam, non dubium triumphum de communi omnium hoſte præſagiebant.* Itaque cum palmis Ciſtercienſes noſtri, inter animi jubilos feſtivè conjunctos, *Benedictus qui venit, Benedictus qui venit!* occinentes, ipsô vocabulô, præter *Salvatoris*, *Benedicti* etiam Parentis auſpicium *in nomine Domini* advocabant in ſurgentis novæ Familiæ Supremum Ducem ac Anteſignanum, eò ampliùs appropinquantes ad Benedicti fauſtam Parentelam, quò magìs ad ſancti regulam, regulæque ſancta ſenſa atque obſervantiam accederent.

Neque

Neque tacendum illud de Bernardo, graviſſimâ aliquando ægritudine decumbentem uſque ad mortem, ab Auguſta *DEI-Parente*, Divìſque *Benedicto* & *Laurentio* viſibiliter ad cellulam Abbatis Sancti è Cœlo deſcendentibus ereptum eſſe è mortis faucibus, redditúmque optatæ ſoſpitati. Et quidem meruit id beneficium quàm maximè Bernardus à Benedicto, ſanctus à ſancto, quô ſcilicèt ſoſpite ac ſuperſtite infirmari haud poterat, aut infringi vel unus apex aut jota de ſancti Parentis regula.

Guill. in vit: S. Bernard. Lib. 1. c. 12.

Sumpta præterea è Ciſtercio incrementa cultûs amplioris Benedicti Patriarchæ in ſacris ſuis exuvijs; Annô namque 1207. Divus *Guillelmus Bituricenſium Archi-Epiſcopus*, Aquitaniæ Primas, Ciſtercij, imò Eccleſiæ inclytum ſidus, Sanctiſſimi Parentis veneranda oſſa è Caſſino olim translata ad Galliarum *Floriacenſe* Cœnobium, ibíque humili loculô eouſque conquieſcentia, procuraturus nempe ſancto illuſtriores honores, inſigni cum ſolemnitate in Cleri, populíque devotiſſima frequentia, ſuper majorem Eccleſiæ Floriacenſis aram collocavit, illâ ipsâ elevatione, novô auſpiciô, cultúque Ciſtercium in ſe ſubſternens Parentis glorioſi perenni patrocinio, ac præſidio.

Huc etiam referendæ ſunt *Ordinationes & Reformationes* per 39. capita diſtinctæ, quas Annô 1336. pro bonô ſanctôque regimine Ampliſſimæ Familiæ Benedictinæ condidit *Benedictus* XII. è Ciſtercio ad Apoſtolicam Cathedram evectus Pontifex: ut rursùs per id beneficium, ceu vinculum, fortiùs connecteret utriuſque Inſtituti alumnos, quos nempe eadem regula, & eadem regulæ profeſſio verè fecerit eſſe germanos, divellendos à ſe nullâ temporum, nullâ rerum viciſſitudine, verùm unis effectibus, unôque cultu, ac corde Benedictum Patriarcham Sanctiſſimum filiali labiô æviternum conſalutaturos: *Abba Pater*!

Bullar. Rom. Cherubini Tom. 1. pag. 246.

Cum CARTHUSIENSIBUS.

SUrrexit Divi *Brunonis* illuſtris familia propè unà cum Ciſtercio, tredecim duntaxat annis Ciſtercij exordia antevertens. Ea temporum vicinitas mihi pro argumento eſt, ut poſt Benedictinos (quorum nobiſcum fædus, non tam connexionem debere dici, quàm identitatem, inſinuavi ſuperiùs)

LIIIIIIIII illicò

illicò ſubjungam Carthuſienſes, præter cætera, nos inter atque illos, vincula, inſuper penè nobiſcum connexos tempore, quippe mundos exortos Annô Chriſti 1085. cùm ſubinde nos cœpiſſemus Annô 1098. Bernardus præprimis, ille amorum dulciſſimus magnes, ſcopus, centrum, Carthuſianos ad Claram-Vallem divertentes in tantùm ſibi devinxit, ut, quemadmodum ſcribit Angelus ad Annum 1123. *c. 3. n. 4. minùs nihil Carthuſia illius eſſet, quàm Clara-Vallis.* Addit ampliùs: *Ergo Guido Carthuſiæ magnæ Prior, & Fratres ejus, compertâ ſanctitate Patris, filiorúmque, & multitudine convenientium ad Claram Vallem, venerari viros, & quæ conditio charitatis eſt, non invidere; quin congaudere profectui novæ familiæ, & erumpentibus flammis dilectionis, provocare ſilentes, & de bonis illorum gratulari, literis ultrò ſcriptis, miſſiſque, queis Bernardum, ignotum licèt adhuc, ardentiſſimô affectu ſalutabant.* Reſpondit dulciſſimis amicis Abbas Sanctus per Epiſtolam, manantem favis, quam hîc nefas præterire. *Inter Patres Reverendiſſimis, & inter amicos chariſſimis, Guigoni Priori Carthuſienſi, cæteríſque Sanctis, qui cum eo ſunt, Frater Bernardus de Clara-Valle, ſalutem æternam. Sanctitatis veſtræ litteras tam lætus accepi, quàm avidus, & olim deſideraveram. Legi eas, & quas volvebam in ore litteras, ſcintillas ſentiebam in pectore, quibus & incaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem Dominus miſit in terram. O quantus in illis meditationibus exardeſcit ignis, è quibus hujuſcemodi evolant ſcintillæ! Veſtra illa ſuccenſa, & ſuccendens Salutatio, ſic mihi (ut verùm fatear) accepta fuit, & eſt quaſi non ab homine, ſed certiſſimè ab eo, qui mandat ſalutes Jacob, deſcendere videretur. Non me ſanè arbitror ſalutatum in via, non in tranſitu, non veluti ex occaſione, ùt aſſolet, conſvetudinis; ſed planè ex viſceribus, ùt ſentio, charitatis prodijt hæc tam grata, & inopinata benedictio. Benedicti vos à Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire curâſtis, ut daretur puero veſtro, vobis primùm ſcribentibus, fiducia reſcribendi; ſcribere quidem ad vos jam pridem geſtienti, ſed non præſumenti. Verebar nimirum, Sanctam, quam in Domino habetis, quietem, juge illud veſtrum, ſacrúmque ſilentium à ſæculo, ſuſurrium cum DEO, vel ad modicum interumpere, noſtráque ingerere auribus penitùs occupatis ſupernis elogijs. Timebam omninò moleſtus fieri vel Moyſi in monte, vel Eliæ in deſerto, aut certè excubanti in templo Samueli, ſi divinis intentiſſimos, confabulationibus aliquatenùs avocare tentâſſem. Quid enim? Egóne tam temerarius eſſem, ut inter Sponſi brachia ſuaviter quieſcentem auderem ſuſcitare dilectam, donec ipſa vellet? Verùm quod non audeo ego, audet charitas - - adeò ùt minimè duceretis indignum, me non modò ſuſtinere loquentem, ſed tacentem benignè provocare. Amplector benignitatem, dignationem admiror, laudo; & veneror puritatem, quâ de noſtris profectibus, quos putatis, tantâ in Domino exultatione gloriamini. Glorior & ego plurimùm tam Sanctô teſtimoniô, & ſervorum DEI tam gratâ, quàm gratuitâ admodum familiaritate delector ---- Feſtivus enim erit mihi dies ille ducendus, & memoriale ſempiternum, in quo Virum illum videre,*

Epiſt. 11.

ac

ac ſuſpicere merui, per quem factum eſt, ut in cordibus veſtris ego reciperer. Et quidem jam ante receperatis, ùt apparet in litteris veſtris, ſed nunc arctiùs, ùt comperi, & familiariùs, cùm ille vobis retulit de me quædam, quæ etſi non probaverit, putavit tamen. Fidelis quippe, & religioſus, abſit, ut aliter loqueretur, quàm credidit. Et revera in me experior, quod ait Salvator, qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Mercedem quippe juſte dixerim, quòd juſtus reputor non ob aliud, niſì quòd juſtum recepi. Nam ſi quæ ſuperaddita ſunt, ea juſtus non tam ex veritate rei, quàm ex puritate ſui loquutus eſt. Audiſtis, credidiſtis, exultâſtis, ſcripſiſtis, & me non parùm lætificâſtis, non ſolùm quòd aliquem locum gratiæ, & locum non mediocrem apud veſtram merui ſanctitatem; ſed & quòd nobis veſtrorum non parva ex parte, puritas animorum innotuit. Paucis proinde aperuiſtis, cujus ſpiritûs eſtis. Gaudeo proinde mihi, gaudeo & vobis, meæ utilitati, & veſtræ ſinceritati. Hæc Bernardus in ſpiritu dulcedinis & humilitatis, affectu in mille mella liqueſcente. Viſitavit exinde Abbas Sanctus Carthuſiam, Guigonem, & chariſſimos fratres, exultantes ſuprà modum in gaudio de tanti hoſpitis adventu, ac præſentia, ubi pleniùs conglutinata utrorúmque pectora. Neque in hanc ſolam Domum Bernardus impendiò propenſus, verùm in quæcunque alia ejuſdem Inſtituti Cœnobia atque erga ſingulas Familiæ ſanctæ perſonas affectus tenerrimè. Vice alterâ cum Parens Mellifluus ad negotia publica evocatus extra Claram-Vallem ſuam, pertranſiret Carthuſiæ magnæ fines ac viciniam, anhelarétque ad amicorum amplexus, neque id poſſet diſtractus per alia, ſcripſit rursùs epiſtolam ad Carthuſienſes, plenam amaris queſtibus, & mærore animi, quòd fraudatus deſideriô cordis ſui; atque *Epiſt. 12.* ecce illam: *Amantiſſimo Domino, & Reverendiſſimo Patri Guigoni, Priori Cathuſienſi, & Sanctis Fratribus, adhærentibus ei, frater Bernardus de Clara-Valle, modicum id, quod eſt. Primum, quòd accedens ad Partes illas non adjeci pervenire uſque ad vos, videre facies veſtras, rememorari iniquitates, & neceſſitates meas: etſi vobis forſitan ſatisfacere poſſum, mihi, fateor, non poſſum. Iraſcor occupationibus meis, quibus factum eſt, non ut neglexerim, ſed ut nequiverim. Hoc frequenter patior & ideò frequenter iraſcor: dignus utinam, cui omnis Sanctus condoleat. Alioquin dupliciter miſer ſum, ſi nec miſerabilis ſum. Ego verò fraternæ pietati locum in me oſtendo, non meritum. Miſeremini mei, non quia dignus, ſed quoniam inops & pauper ſum ego. Juſtitia meritum quærit, miſericordia miſeriam intuetur. Vera miſericordia non judicat, ſed afficit, non nititur diſcuſſione, occaſione contenta. Non enim expectatur ratio, ubi adfectio trahit. Lugebat Samuel Saul miſerans, non deliberans. Fundebat lachrymas David filio parricidæ, etſi non non profuturas, pias tamen. Ita & vos miſeremini mei; non quia merui, ſed quia egeo. Miſeremini tanquam miſericordiam conſecuti à Domino, ut ſinè timore*

1. Reg. 15. 2. Reg. 18.

 more

more á mundi tumultibus liberati, ſerviatis ei. Felices, quos abſcondit in tabernaculo ſuo in die malorum, in umbra alarum ſuarum ſperantes, donec tranſeat iniquitas. Cæterùm ego infelix, pauper, & nudus homo, natus ad laborem, implumis avicula, penè omni tempore nidulo exulans, vento expoſita, & turbini: turbatus ſum, & motus ſum ſicut ebrius, & omnis ſcientia mea devorata eſt. Miſeremini proinde, & ſi nihil meriti, certè ſic adfecti. In cujus Epiſtolæ contextu *tria* notat Manriqueus ad annum *1127. cap. 2. n. 7. duo priora imitatione digna; tertium admiratione, & reverentiâ. Primum eſt adfectus mutuæ dilectionis inter recentes, & ferè coætaneas familias illius ævi, nullâ prorsùs æmulatione turbatus, nullâ invidiâ, nec temporis tranſcurſu, aut emergentibus, ùt ſolet, occaſionibus, interceptus, aut fractus, ſed perſeverans. Alterum, clauſtri fervens deſiderium, à quo Bernardus nunquam, nisì dolens, & velutì coactus egrederetur. Et tertium tandem, ſumma Viri auctoritas, quem tot jam regni, tot Eccleſiæ negotia ſolicitabant, ùt charitate, obedientiâque urgentibus, volentem, nolentem frequenter abducerent, atque exulem è nido, ut ipſe ait, etiam per longum tempus tetinerent.*

Cæterùm fuerat Bernardo inter primos dilectus ac venerabilis *Divus Hugo*, Gratianopolitanus Epiſcopus, *Chartuſianis cordetenùs adhærens* (utì perhibet Angelus ad annum 1123. cap. 3. *n.* 9.) *& quà licuit, ipſe Carthuſianus*: quem Abbas Sanctus cùm inviſeret, gratulans, atque exultans *Hugo* de Viri DEI adventu, præſentiénsque quantum ſibi dulciſſimi hoſpitis præſentia adferret felicitatis, ingredientem ſalutavit cum ingenti reverentia proſtratus humi. Erubuit ad improviſum id humanitatis genus Bernardus, quòd tanti Præſulis, ætate jam grandævi, atque ſanctitatis opinione commendatiſſimi ſublimitatem coràm ſe conſpiceret humi abjectam ideóque feſtinatis officijs ipſe pariter ante Hugonem procidens, inter gemitus modeſtiſſimè queſtus eſt, confuſam ſcilicèt inſigniter parvitatem ſuam eô ſalutationis ſitu. Datô ſubinde acceptôque utrinque pacis oſculô in tantum amborum animi ad invicem cohæſerunt, ut eſſent deinceps *Cor unum, & anima una.*

Nunc geminos inter *Bernardos*, Mellifluum atque Carthuſianum, ſpectemus vincula. meruit Melliflui Doctoris noſtri amores intimos *Bernardus* ille alter, Prior Cœnobij *de Portis*, inter Carthuſienſes Vir Doctrinâ, pietatéque illuſtris: qui datis ad S. Abbatem epiſtolis, ſtimulos, quâ valuit, dulcedine ſuaviſſimos miſcuit, quibus Parentem noſtrum Mellifluum tandem induxit, ut pulcherrimos illos in Cantica ſermones auſpica-

ſpicatus, laboris ſui primitias ad hunc ipſum *Bernardum Portenſem* transmiſerit. Extant epiſtolæ geminæ Doctoris Sancti ad Bernardum Carthuſienſem reſponſoriæ, indicia dilectionis eximiæ, quæ in utriuſque pectore æſtuavit ad invicem, atque etiam argumenta humilitatis, quâ Bernardus noſter ſe depreſſit infra talenti ſui admirabilem prorsùs dignitatem, tandémque & reverentiæ ſpecimen atque exiſtimationis, quâ Doctor Mellifluus Bernardum illum de Portis longè altiùs ſuprà ſeipſum evexerit, reſpexerítque, veluti ampliùs potentem, quàm valeret ipſe. Priorem Itaque epiſtolam, in ordine 153. per hæc verba contexuit Abbas Sanctus: *Petis inſtanter, & ego conſtanter abnuo, ſed parcens mihi, non te ſpernens. ò utinam tuô ſtudiô, ingeniôque dignum aliquid elaborare poſſem! Lumen oculorum meorum, & ipſam quoque animam, ſi fieri poſſet, partirer tibi, amice chariſſime, & in Chriſti viſceribus mihi potiſſimùm in omni plenitudine dilectionis ſpiritualiter amplectende Frater. Cæterùm ubi ingenium, aut quando otium mihi ſufficiens ad id quod petis? Neque enim leve quid aut vile, & quod nos poſſumus, poſtulare vidêris. Minimè quippè pro minimis ſic inſtares. Nam voluntatem tuam & curam in hoc ſatìs produnt crebræ epiſtolæ tuæ, & vehementior ſpiritus eas animans. Nimirum proinde quantò id curioſiùs velle te ſentio, tantò, crede mihi, ſcrupuloſiùs acquieſco. Cur hoc? Nè magna videlicèt expectanti, ridiculum producam murem. Hoc vereor, & hæc cauſa cunctationis meæ. Et quid mirum, ſi vereor dare, quod edere vereeundor? Invitus, fateor, præbeo, quòd me exiſtimem non tam edere profuturum, quàm prodere contemnendum. Quis ſanè dare velit, quod dediſſe dedeceat, accepiſſe non proſit. Libens do, invitus perdo. Scimus, quoniam ſperanti grandia, modica minùs grata venire ſolent. Quod autem non venit gratum, perditum eſt, non datum. Tibi ſtudij eſt, utpote otioſò & vacanti, undecunque perquirere incentiva igni, quô ardes, ut ardeas magìs, & impleas voluntatem Domini tui dicentis: Et quid volo, nisì ut ardeat? Laudo, ſed ſi illic ea quæras, ubi te fruſtratum poſtmodum non queraris. Erras, ſi apud nos quæris. Ego potiùs illa abs te mendicare debuerim. Scio quidem, dare, quàm accipere beatiùs eſſe; ſed ſi detur, quod danti honeſtum, accipienti utile ſit: quale utique penes me quicquam eſſe, penitùs neſcio. Quod autem habeo, vereor, ſi in medium venerit, nè te quoque optâſſe illud pudeat, pœniteat poſtulâſſe. Sed quid? Non meliùs nos apud te tu ipſe excuſabis? Tui tibi certè fidem oculi faciant.*

Cedo importunitati tuæ, ut vel exhibitio tollat ſuſpicionem. Res eſt cum amico. Non parco jam verecundiæ, prorsùs dum fiat, quod tu vis, inſipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis recèns dictatos, en facio tranſcribi: & tibi, cùm necdum ediderim, quàm citiùs mitto. In quo opere, cùm accepero tempus (Chriſtô imperante curis) tentabo procedere: Si tamen me indè conſortes. Domnum & Patrem noſtrum, Priorem Veſtrum cum cæteris Fratribus, per te devotè ſaluto, & propitios habere apud DEUM corde humili ſupplico. In Epiſtola altera ad eundem Bernardum Portenſem perſcripta, rursùm amariſſimè dolet Abbas Sanctus, quòd Carthuſienſes inviſere, atque vel ad momentum ſalutare haud potuerit. Digna ſanè, quæ pariter abſque diminutione hìc exhibeatur, ut videat Lector, quantâ reverentiâ, quantáque amoris teneritudine Divi Brunonis alumnos proſecutus ſit Parens Mellifluus. En Epiſtolam in ſerie 154. *Diſſimulare non valeo triſtitiam cordis mei, nec patior ultrà latere te cruciatum quem patior, Bernarde chariſſime. Memor antiquæ meæ promiſſionis, propoſitum habui & deſiderium magnum tranſire per vos, reviſere, quos diligit anima mea, itineri meo ſolatium, laboribus levamen, peccatis remedium poſtulare: & culpis meis exigentibus factum eſt, non ut nollem, ſed ut non poſſem. Pœnam ſiquidem hoc agnoſco culparum, non culpam. Certus ſis, homo DEI, minimè prorsùs amici fuiſſe incuriam, non pigritiam, non negligentiam; ſed cauſam obſtitiſſe planè non negligendam, & cauſam DEI. Nihilominùs tamen vermis iſte continuè rodit me, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Et quidem aliàs ſatìs tribulor, ſed ut verum fatear, in nullo æquè. Vincit labores itineris, caloris incommodum, curarum anxietates. Ecce aperui vultum amico: tuâ, frater, intereſt, compati mihi, hoc eſt, portare mecum, quod patior, ut relever ego. Tuas, & per te, ſanctorum, cum quibus es, orationes, ſupplex flagito. Sermones ſuper principia Canticorum, quos tu petiiſti, & ego promiſeram, tranſmitto tibi. Quibus lectis peto, ut quàm citiùs opportunè poteris, tuô reſcriptô moneamur, vel ad procedendum, vel ad ſuperſedendum.* Viden', ſtetiſſe arbitrio Viri è Carthuſia, provocare Doctorem ſanctum ad proſequendum Divinum planè id opus, quòd omnis hodie Eccleſia præ cæteris Bernardi lucubrationibus tantopere admiratur, & ſuſpicit?

Neque Bernardus tantùm in præſentes affectus eximiè, verùm

rùm etiam ad futuros ſpiritu propheticô ſuſpiravit. Cùm namque ſub annum Chriſti 1147. Vir DEI Germaniam percurreret, *Rutilaque* ſubſiſteret coruſcans miraculis, adventuros olim ad eum locum digniſſimos è Carthuſia incolas hoc vaticiniô deſignavit: *ô Rutila! Rutila! tu rutilabis aliquando!* Et quamvis Brunonis alumnos per ea verba non expreſſerit Bernardus, nihilominùs de mente *Arnaldi de Raiſe*, cit: apud Angelum ad Annum 1147. *c.* 11. *n.* 8. *Virum DEI de Carthuſianis Patribus in eum locum, poſt annos fermè trecentos introducendis, ac ibidem modò adhuc habitantibus, ea prædixiſſe, nullus inficias ibit, qui ipſius ardentiſſimũ affectum erga Carthuſianos conſideraverit.* Ex eodem *Arnaldo* refert cit: *Manriquems*, in *Rutilenſi* Eccleſia erectam ab incolis Bernardo Parenti imaginem, cultam in præſens anniverſarijs proceſſionibus, in animi gratiſſimi argumentum, quòd Sanctus ibidem miraculis fulſerit.

Illud hìc etiam memorandum, quòd, cùm noſtros inter atque Carthuſianos circa Annum 1211. quædam controverſiæ emerſiſſent, illicò *Innocentium III.* Papam ingenti planè ſolicitudine expedierit literas Apoſtolicas ad Orbis univerſi Antiſtites, quatenùs neutiquam paterentur convelli celeberrimas, ſibíque chariſſimas familias; ſed feſtinatis remedijs proſpicerent utriuſque concordiæ ſeu ſervandæ, ſeu, ſi quôquô modô turbata ſit, reſtabiliendæ. Audi verba Innocentij: *Cùm inter omnes Religioſos noſtri temporis Viros, Ciſtercienſis, & Carthuſienſis Ordinis fratres magnâ per DEI gratiam polleant honeſtate; ſi qua forſitan inter eos, humani generis inimicô diſſeminante zizania, materia litis exoritur, per quam apud eos Sancta quietis otium perturbetur, Nos, qui puritatem Religionis ipſorum, charitate fervente zelamus, non poſſumus non moveri - - Ut igitur* &c. Controverſiarum fontem & genus *Angelus* noſter reperire non potuit; qui tamen *ultra mutuos tranſitus, ſuper quibus multò antea illis convenerat, inter Sanctiſſimas, atque à ſui fundatione amiciſſimas familias, aliam materiã litium conjectari non auſit.* Qui rursùs mutuus utrinque tranſitus, novus utriuſque inſtituti nexus eſt, quô Bernardi Brunoníſque alumni ſeſe invicem arctiſſimè reſpiciant, non modò utrinque amici, verùm inſuper, ſi alterutri transmigrare velint, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ cives atque domeſtici. Quod porrò *Ad Annum 1211. c. 4. n. 9.*

Innocentium attinet, id præcipuè noto, Ciſtercij, Carthuſiæque vincula ſummis omninò affectibus eum procuraviſſe, utpotè ad quorum ſervandam integritatem univerſos Eccleſiæ Præſules in commune ſubſidium advocaverit.

Eſt deinde illud pro Ciſtercio glorioſum, glorioſi Parentis *Brunonis* ſacerrimas exuvias per trecentos quinquaginta ſeptem annos inter Ciſtercienſes conquieviſſe, tanti Patris dignos cultores. Id perhibet Angelus ad annum 1157. *c.* 4. & Aub: Miræus in *Chron. Ciſt. pag*: 286. utrique ex *Franciſco Puteo*, Carthus: Scriptore vitæ S. Brunonis. Florebat olim apud *Calabros* Cœnobium *S. Stephani de Voſco*, quod Rogerius Calabriæ, ac Siciliæ Principes divo Parenti Brunoni, è Curia, atque negotijs, Urbani II. indulgentiâ ad illam eremum Secedenti extruxerat, incolendum ab ipſo uſque ad felicem è corpore emigrationem, atque à filijs habitandum deinceps. Oſſa Sancti, poſtquam ad ſuperos exceſſiſſet, in ea domo contumulavêre mœrentes alumni. Perſtitit ſub 5. Prioribus in obſervantia Carthuſiani Inſtituti *S. Stephanus de Voſco*, ſubinde Annô 1157. Ciſtercienſes leges, incoláſque ſuſcipiens è *Foſſa-nova*, qui læti ſanctiſsimæ domûs, & quod penſabant præcipuè, exuviarum Patriarchæ glorioſi donatione, ſervavêre pretioſum pignus uſque ad tempora Leonis X. cujus ordinatione reſtitutum Cœnobium, oſsáque Brunonis poſtliminiò Carthuſienſibus, viciſſitudine rerum quidem, ùt videbatur, nobis in, fauſtâ, ſed quia Pater ad filios rediret, atque id per Ciſtercium dolendâ minùs, quòd utriuſque familiæ felicitas connexa ſit, & ingratum Ciſtercio eſſe vix debeat, quòd Carthuſia in antiquas ſedes fuiſſet repoſita, ſufficiátque interim noſtris, per tria & ampliùs ſæcula ſanctiſſimi Theſauri fidiſsimos fuiſſe cuſtodes ac veneratores. Addit *Miræus* cit: Chron: *Ciſt: pag*: 288. cultum olim Divum Brunonem per omne Ciſtercium *commemoratione quotidianâ*, quæ cultûs frequentia indicium eſt, quantâ ſcilicèt animorum fiduciâ, ac religione alumni melliflui domeſticum apud ſe glorioſiſsimum Hoſpitem, advocatúmque ſint proſecuti. Non omittendus hìc *fons ſalubris* in eo ipſo Cœnobio ad ſepulchrum Sancti ebulliens, per cujus undas Patriarchæ inclyti meritis, cæci viſum, ſurdi auditum, manci

claudi-

claudicantéſque membrorum uſum receperint: quæ beneficia, quandoquidem illa Sanctus non minùs diſpenſaverit, cùm ea Domus eſſet ſub Ciſtercio, quàm cùm leges Carthuſianas ſequeretur, in his ſanè Ciſtercij rebus laudibúſque pariter memorari debuerant.

Neque ſilendus hìc *Alexander III.* Papa Ciſtercius, qui Annô 1176. Conſtitut: *Cùm vos*, Ordinem Carthuſienſem accumulavit acceſsione Papalíum gratiarum, novôque approbationis robore conſtabilivit.

Cum PRÆMONSTRATENSIBUS.

QUantô ferè tempore *Carthuſienſes* anteverterunt Ciſtercium, tantô *Præmonſtratenſes* Ciſtercium ſunt ſecuti, ortu ſuô orbem illuſtrantes Annô 1116: quare clariſsimas Familias Patriarchæ utriuſque, & Brunonis, & Norberti quoniam Ordini noſtro coævas, & quod dulciùs, familiares, ſejungere ab invicem locô non debui. Refloruit in Præmonſtrato Inſtitutum *Canonico-Regulare*, refloruit in Ciſtercio Inſtitutum *Monachale*, atque per utrumque refloruit Chriſti Eccleſia, utrique ſanè impendiò affecta & devincta, quòd unô veluti tempore, unôque Sanctorum Virorum zelô, quanquam ob ſuos utriuſque Inſtituti fines diversô, reſpirârit ad decus priſtinum. Cæterùm in utraque Familia, & Familiæ utriuſque Parente, Bernardo, Norbertóque ad invicem amor, atque in amore nexus perennis ſtrinxit fortiſſimè Ciſtercium & Præmonſtratum, ut hodie Filij ad veſtigia Patrum animum advertentes, ſi cætera abeſſent, vel ſolô釋 paternô nomine amare invicem ſe debeant, atque in indiſſolubili amicitiæ fædere referre ſanctiſſimorū Parentum imagines, in perſonis quidem, atque etiam regulis diviſas; at verò indiſtinctas affectu. Quòd ſi de mente vulgi amicitia probanda utilitate, fuêre Ciſtercienſes Præmonſtratenſium profectò *amici utiles*, Bernardô Parente præcipuis ſemper ſtudijs promovente ſurgentis clariſſimæ, candidiſſimæque Familiæ incrementa. Atque in primis, quod quidem cum ſumma animi voluptate pronuncio, ipſe locus, *Præmonſtratum*, Mellifluí Doctoris donatione à noſtris ad Norbertum, Parentíſque ſancti primos alumnos pertranſijt, loci vocabulô derivatô in

novæ Familiæ nuncupationem, quæ exindè dicta *Præmonſtratenſis.* Rem ex Angelo ad Annum 1120. *cap.* 2. in hunc ferè ſenſum hìc accipe. Dederat *Calixtus II.* Romanus Pontifex ad *Bartholomæum Laudunenſem Epiſcopum* literas Apoſtolicas, quibus eidem Norbertum religioſæ vitæ novum genus magnis deſiderijs meditantem, paternè recommendavit. Is Venerabilis Præſul (poſitis tandem infulis in Fuſniaco, Ciſtercienſium Cœnobio, olim conſummandus) Eccleſiam *Divi Martini* propè muros Lauduni ſancto hoſpiti conceſſit. At Norbertus, quoniam locum ex urbis vicinia minùs intentionibus ſuis idoneum arbitraretur, facultatem ab Epiſcopo impetravit, recedendi aliquantò longiùs, ſedémque aliam, aptam magìs, ſibi, ſuíſque deligendi. Itaque luſtratâ undique Laudunenſi Patriâ, in ſolitudinem incidit, *Pratum monſtratum*, ſive *Præmonſtratum* antiquitùs dictam. Placuit Viro DEI, ſi ſibi ſolitaria illa eremus concedatur, ibi domicilium figere. Videat Lector Fatorum admirabilem ordinem, pertrahentium eô ipsô eventu Præmonſtratum ad Ciſtercium, ſeu ſi mavis, Ciſtercium ad Præmonſtratum. Spectaverat illa ſolitudo recenti donatione ad noſtros, neque hoc noverat Norbertus, altiori ſanè conſiliô, atque impulſu in Bernardi dominium delapſus. Donaverat nuperrimè locum Abbati Mellifluo religioſus quidam Vir, *Wido* nomine, pro nova Fratrum colonia è Clara-Valle eò adducenda, quæ conceſſio jam firmata Epiſcopi conſenſu aliquamdiu ſuſpendit Norberti vota. Monitus ea ſuper re Bernardus, illicò cum gratulatione ſolitudinem Norberto offerens, condendæ primæ Præmonſtratenſium Eccleſiæ auctor fuit, quod ille quidem inſigne beneficium in *epiſtola* 253. ad Hugonem Præmonſtrati Abbatem, Divi Norberti diſcipulum perſcripta, inter alia modeſtè atque amanter exaggerat. Igitur Sedes deſtinata extruendo Ciſtercienſium Cœnobio, Norberti petitione, ac Bernardi conceſsione ad *Præmonſtrati* glorioſas primitias adaptata eſt, perennis inter Familiam utramque fœderis fauſtô præſagiô. Dixi *Tit:* 14: *pag*: 393. Bartholomæum Laudunenſium Epiſcopum, Præmonſtratum conceſsiſſe Præmonſtratenſibus: hìc aſſero, id donaviſſe Bernardum: quod ſanè utrumque verum eſt; Bernardus namque locum conceſsit, quà loci Dominus, Bartholomæus, quà Præſul diœceſanus, cujus indulgentiâ,

tiâ adſenſu, atque authoritate illa donatio, primùm quidem inter Widonem & Bernardum, ac ſubinde inter Bernardum & Norbertum utrinque facta ſit.

Et Bernardi quidem in Norbertum, filióſque munifica propenſio neque hôc ſolô favore abſolui potuit, amplioribus deinceps clara beneficijs. Captus erat à Sarracenis *Balduinus Hieroſolymorum Rex* Annô Chriſti 1124. atque poſt victoriam per Chriſtianos cælitùs obtentam, rursùs donatus libertate. Is DEO redditurus gratias, id præſtitit per Ciſtercium (quaſi Viri Melliflui partæ victoriæ, atque è victoria enatæ ſuæ eliberationis felices fuerint auſpices) Bernardo Parenti *locum* offerens *Sancti Samuelis*, haud longè diſtantem à Sancta Hieroſolymæa Urbe, coloniáſque è Ciſtercio illius vigore oblationis evocans in Palæſtinam. Suſcepit gratanter Regiam donationem Abbas Sanctus; at quoniam Præmonſtratenſibus recèns exortis, ſibíque eximiâ charitate dilectis non minùs ſtuderet, quàm ſuis, transtulit Balduini munus in candidiſsimam Familiam, quæ in Ciſtercij locum ſubſtituta, Bernardi nomine occuparet donatam apud Palæſtinas, Divi Samuelis Sedem, impenſáſque obtineret, quas Rex pro extruenda novi Cœnobij fabrica adjecerat. Quod rursùs beneficium Bernardus in cit: 253. *Epiſtola*, ex integro à nobis infrà producenda, commemorat: cui donationi hæc verba ſubſcribit Angelus ad annum præcit: 1124. *cap.* 1. *n.* 6. *ſic Sanctus Ordo, qui Bernardô agente cœperat, aut ubi inciperet, locum obtinuerat, ultra mare propagines transmiſit ejusdem donô.* Alias præterea Eccleſias in Præmonſtrati incrementa impetravit Sanctus Doctor, ſcilicèt *Belli-loci*, *& Sancti Pauli*, priorem illam Canonicorum Regularium, alteram Monachorum: itémque locum Monaſterij *Francha-Vallis*, quod ſubinde Cœnobium ad *Septem-Fontes* translatum eſt: atque etiam apud *Belgas* nobiliſsimam, locupletémque Abbatiam *Tungerlenſem.* Cui Præmonſtratenſium propagationi per Bernardum noſtrum tantis curis procuratæ, ſua ſenſa ſubjungit Angelus *ad annum & cap. cit. num.* 7. *Ex quibus colligas* Bernardum, *Sanctam hanc familiam, æquè ac ſuam per omnia dilexiſſe, atque in omnibus æquè procurâſſe, quippe ſolicitus pro DEO, non pro ſeipſo, quos æquè cælo charos, atque Eccleſiæ proficuos noverat, æquè ſibi diligendos ar-*

bitrabatur. Sic in recentibus, & penè æqualibus Familijs, quarum ſæculum illud ferax, vigebat Charitas, totius (quod rarum) expers æmulationis. Et Carthuſianis de Ciſtercij incrementis ſummè gaudentibus, gratulantibúſque, Ciſtercienſes Præmonſtratum promovebant, & cooperabantur ejus progreſſibus. Quod etiam propagandæ candidæ, ſanctiſſimæque cohórtis in Bernardo ſtudium admiratur, extollítque *Aubertus Miræus Chron. Ciſt. pag.* 90. Et recitanda hôc locô epiſtola 376. in qua Abbas Mellifluus *Meliſendi* Hieroſolymorum Reginæ, Præmonſtratenſes in Paleſtinam peregrinantes affectu prorsùs釋 paternô recommendaverat: *Vides, quantùm præſumam de vobis, cui audeo & alios commendare; quanquam Præmonſtratenſes Fratres iſtos magìs fortaſſis ſuperfluè commendârim, quàm temerariè. Sunt meritò ità commendabiles ſuô, ut non egeant alienô. Invenientur, nisì fallor, Viri conſilij, ſpiritu ferventes, in tribulatione patientes, potentes in opere & ſermone. Induerunt ſe armaturâ DEI, & gladiô ſpiritûs, quod eſt verbum DEI, ſeſe accinxerunt, non adversùs carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Suſcipite illos tanquam bellatores pacificos, manſuetos ad homines, violentos ad dæmones. Imò Chriſtum in eis ſuſcipite, quæ eſt cauſa peregrinationis eorum.*

Obijt S. Hugo Annô 1151. & Divus Otto Annô 1169.

Bernardi pro Præmonſtrato genium imitati etiam deinceps *Divus Hugo* dictus *Matisconenſis*, Antiſiodorenſium Epiſcopus, Parentis Melliflui conſanguineus, atque *B. Otto* Friſingæ Præſul, S. Leopoldi dignisſima proles: quorum prior ille Canonicos è Matre Præmonſtrato *Antiſiodorum* evocatos, primùm quidem collocavit in quodam Urbis loco, ſumptibus proprijs in charæ candidæque coloniæ incolatum comparato, ſubindéque majori eorundem commoditati proſpiciens, ad Collegialem Eccleſiam S. Mariæ in ſuburbium transtulit. Poſterior, Auſtriacus Princeps, gemina Cœnobia nuncupata *Scheftlein*, & *Schliers*, per Hungaros devaſtata, induſtriè reſtaurans, cenſuúmque dote adaugens, Præmonſtratenſibus, deinceps incolenda conceſsit. Neque in priori illa Antiſiodorenſi fundatione omittendus *Bernardus*, primum loci Abbatem *Rainerum*, Virum magnum & ipſe magnificans, & Principibus commendans: quod patet è *Chronico Antiſiodorenſi* citato apud Manriquenum ad annum 1134. *c.* 3. *n.* 7. ubi hæc de Bernardo atque Rainero:

nero: *Huic Monaſterio* (id eſt Præmonſtratenſi Antiſiodorenſi) *Præpoſitus eſt primus Abbas Rainerus, in quem tot divinæ gratiæ dona confluxerant, ut non potuerit ſub modio latere lucerna, ſiquidem tam Regi, quàm Principibus Sanctus Bernardus notum eum fecerat, & famoſum.* Poſt quæ Angelus, ùt ſolet, eruditè: *Hæ charitatis faces prælucebant in Sanctis Viris, hic fructus expers totius æmulationis, quippe dum Hugo Eccleſiam Sanctis conſtruit, Bernardus Eccleſiarum Sanctos prædicat, ídque in alienis familijs æquè, ac propria, non ſua ſe, ſed Chriſti quærere monſtrant: ſeu potiùs ſua ſibi reputanda, quæcunque Chriſti.*

Cæterùm Bernardus Norberti, Sanctus Sancti ſemper reverentiſsimus, commendavit ſuis elogijs glorioſum Patriarcham ubi ubi potuit. Ejus rei teſtes, geminæ extant Doctoris Melliflui epiſtolæ, 8. & 56. prior perſcripta ad Brunonem Archi-Epiſcopum Colonienſem, Abbatis Sancti arbitrium ſuper negotijs quibuſdam requirentem: cui inter cætera, ſic Bernardus reſcripſit: *Habetis, Dominum Norbertum, quem meliùs præſentem præſens de talibus interrogare poteſtis. Nam tantò Vir ille in divinis aperiendis myſterijs, nobis promptior, quantò & DEO propior eſſe cognoſcitur.* Epiſtola poſterior data eſt ad Gaufridum Carnoti Epiſcopum, ubi rursùs Bernardus in laudes Sancti, ſequentia: *Quod à me*, inquit, *de Domino Norberto ſciſcitamini, ſi videlicèt iturus ſit Hieroſólymam? Ego neſcio. Nam cùm ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cæleſti fiſtula, ore videlicèt ipſius, plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipſo non audivi.*

Et quidem Norberti affectus erga Ciſtercium æquè eximius: quod præprimis liquet ex eo, Parentem ſanctum poſt obtentum à Bernardo Præmonſtrati locum, priuſquam ad certum vitæ religioſæ genus ſeſe condeterminâſſet, ſeria tractaviſſe conſilia de aſſumendo Inſtituto Ciſtercienſi. Lego id in *Angelo* noſtro ad annum 1120. *cap.* 2. *n.* 6. citante pro ſe *Surium.* Et conſulebant id quidam Viri Religioſi, Prælati; atque Epiſcopi, eremiticam, atque anachoreticam vitam proponentes in genere, at verò Ciſtercium ſuadentes in ſpecie, ut profectò in nullum Inſtitutum tam propendiſſe exiſtimandus ſit Norbertus Parens, ac in Ciſtercienſe noſtrum: quæ utique Parentis ſancti propenſio Filijs Familiæ utriuſque pro ſtimulo ſit, quô

ad mutua dilectionis fædera ampliùs urgeantur. Quanquam porrò diverſam à Ciſtercio Inſtituti methodum elegerit Norbertus, eô tamen ſubinde ad ſolium Archi-Epiſcopale Parthenopolitanum abreptô, cùm puſillus grex abſente Paſtore formidaret excidium, communi conſenſu in Familiæ periclitantis fulcimenta electa ſunt Ciſtercij *ſtatuta*, *annuáque Capitula*, quæ deinceps æmulatione ſaluberrimâ etiam Ordo Præmonſtratenſis obſervaret, emolumentô paucos intra annos ad omnium vota ſecutô quàm deſideratiſsimô; neque enim Præmonſtratum per aſſumptas è Ciſtercio leges ſervatum eſt duntaxat in vigore, verùm inſuper per plures Domos, Cœnobiáque propagatum fæcundiùs: *ut quidem hæc* (quemadmodum perhibet Angelus ad annum 1120. c. 2. n. 8.) *& ſimilia ſimilitudinis*, *atque item amoris mutui vincula adeò utramque Familiam devinxerint*, *ut Authores Antiqui de utraque*, *& vix de una loquantur*, *aliâ omiſſâ*: citátque ibidem Manriqueus *Robertum*, *Sigeberti* continuatorem, pro præſenti argumento ità diſſerentem: *His temporibus Ordo Canonicus Præmonſtratenſis*, *& Monaſticus Ciſtercienſis*, *quaſi duæ olivæ in conſpectu Domini*, *pietatis lumen*, *& devotionis pinguedinem mundo miniſtrabant*, *& quaſi vites fructiferæ Religionis palmites circumquaque propagabant.* Atque etiam hìc memorandum, quòd utriuſque Inſtituti Parentes ſanctiſsimi, Norbertus, atque Bernardus, hic cum Innocentio, alter cum Lothario Cæſare Romam advenientes, ſociatâ induſtriâ atque zelô, *Petri Leonis* ſchiſma fortiſsimè aggreſsi, tandem feliciter expunxerint, Innocentium Papam firmantes in Cathedra Apoſtolica.

Videndum nunc concordiæ mutuæ Inſtrumentum publicum, quod adducit Angelus ad annum 1142. c. 9. in quo Ordo uterque & Ciſtercius, & Præmonſtratus fædera ad invicem pepigit, quæ ex Patrum omnium communi voto nunquam convellerentur. Concordiæ, ſeu novi Inſtrumenti occaſio, tranſitus mutuus nonnullorum è noſtris ad Præmonſtratum, atque viciſſim, & quidem longè ampliùs, complurium è Præmonſtrato ad noſtros: quâ viciſſitudine utrinque aliquantùm turbata pax, Patres compulit, ut pro ſervando primævæ charitatis glutino has leges ſanciverint, in quibus mutua inter vivos, intérque mortuos Ciſtercij & Præmonſtrati conſortia fuêre conſtabi-

ſtabilita. Itaque concordiæ tenor talis : *In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Amen. Confirmatio Societatis, & pacis inter Ciſtercienſes, & Præmonſtratenſes. Igitur ad cuſtodiam pacis, & charitatis, utriuſque Capituli aſſenſu, inter utrumque Ordinem conſtitutum eſt, & confirmatum, ut nullus Ciſtercienſium, Canonicum, vel Novitium, ſeu Converſum Præmonſtratenſis Ordinis: nullus Præmonſtratenſium, Monachum, vel Novitium, ſeu Converſum Ciſtercienſis Ordinis, niſì ex pari conſenſu recipiant. Nullus in utroque Ordine locum ad Abbatiam ædificet circa alterius Ordinis Abbatiam, infra quatuor leucas ad menſuram uniuscujuscunque provinciæ, præterquam in Anglia, ubi duæ leucæ pro una computentur, & in Lombardia duo milliaria pro una leuca, niſì fortè antiqua loca ſint, quorum redditus, & poſſeſſiones ad tenendum Conventum ſufficiant. De grangia ad grangiam, ſive de grangia ad Abbatiam ad minus ſemper una interſit leuca. Manſio verò ſororum ab Abbatia diſtet duabus leucis. Veruntamen terræ illæ, quæ ante annum Incarnationis, & diem, qui ſubſcriptus eſt, ſuſceptæ fuerant, hâc lege non tenebuntur, ſiquidem ſingulæ terræ ad integram carrucam ſuffecerint, vel ad ædificandam Abbatiam ſuſceptæ fuerint. Nullus in utroque Ordine alter ab altero tam de nutrimentis, quàm de laboribus decimas exiget, vel accipiet. Si aliquis in utroque Ordine, de qualibet re emenda, vel acquirenda ſua loco ſuo, præſens tractare, vel aliquem convenire inceperit, antequam ſponte dimiſerit, nullus de alio Ordine ſibi uſurpare, vel impedire præſumat. Si fortè in aliquibus locis inter aliquos utriuſque Ordinis aliquid querimoniæ emerſerit, & inter eos familiariter per aliquos Religioſos mediatores componi non poterit, ſinè majori audientiæ differetur, & ad audientiam alterutrius Generalis Capituli referetur. Quisquis in eodem Capitulo reus eſſe claruerit, quod intulit damnum, priùs reſtituat, & poſtmodum in Capitulum Abbatis, quem offendit, veniens, uſque ad ſatisfactionem ante pedes ejus ſe humiliet. Reliquum verò pœnitentiæ in diſpoſitione Generalis Capituli ſui Ordinis permaneat. Commemorationem & plenarium officium pro omnibus defunctis ſuis, ſingulis annis invicem faciant. Quod ut firmum deinceps, & in æternum, quamdiu utriuſque Ordinis ſtatus viguerit, inconvulſum permaneat, ego Reinardus Ciſtercienſis Abbas, & Generalis noſtri Capituli Conventus: ego quoque Hugo Præmonſtratenſis Abbas, & Generalis noſtri Capituli Conventus, præſenti charitatis chirographô firmamus, & ſigillis noſtris pariter conſignamus. Sigillum Rainardi, Ciſtercienſis Abbatis, Bartholomæi Abbatis de Firmitate,*

 Ber-

Bernardi Clara-Vallenſis Abbatis: Wichardi Pontigniacenſis, Abbatis. Sigillum Hugonis Præmonſtratenſis Abbatis, Walteri Laudunenſis Abbatis, Gernaldi Florecienſis Abbatis, Henrici, Viriacenſis Abbatis. Actum eſt hoc Annô Incarnationis Domini MCXLII. Epacta xx. Indictione quintâ, concurrente tertio, quintô Idus Octobris. Quod Fraternitatis Inſtrumentum Angelus cit: Annô & cap. n. 8. compellat *memoriale æternum, Familiæ utriuſque alumnos devinciens aureâ zonâ.* Emerſêre quidem poſt Norberti obitum controverſiæ nonnullæ inter ordinem utrumque, quæ, ùt inter fratres nonnunquam ſolet, turbavêre mutuam pacem, Præmonſtratenſibus præſertim amariſſimè querentibus, ſe læſos à noſtris, atque per literas è Capitulo ſuo Generali ad Patres in Ciſtercio congregatos perſcriptas, cominantibus, rupturos ſe fædus, nî noſtri ſatisfacerent. Reſpondit generosè Bernardus pro ſe próque ſuis, ſingula querimoniæ puncta ſapienter evacuans, & ſuos, ſuorúmque in ſanctiſſimam Præmonſtrati Familiam amores crebrò repetens, crebrò offerens. Quæ epiſtola adeò prolixa eſt, ut primùm tantùm ſelegerim quædam ex ea fragmenta, quæ hôc locô insererentur. At quoniam Bernardi affectus, atque zelus per fragmenta exhiberi non debeat, Lectoríque integrè conſtare valeat, quid noſtri in Præmonſtratenſes peccaverint, & quô pactô Doctor Sanctus ſingulos offenſæ partis articulos enervârit, nec jota unum dulciſsimi Parentis literis detraxi. Confido non offendendos fæderatos è Præmonſtrato ſocios hâc epiſtolæ reminiſcentiâ, quoniam ea Bernardi opus ſit, id eſt, amici fidiſsimi, atque inſuper Patroni ac Promotoris, qui medios etiam inter aculeos mella fundere aſſuetus, candidos Norberti alumnos non tam pupugit, quàm docuit, læſos à nobis non eſſe: & ſi fortaſsis læſos: magis certè id factum ſuâ opinione, quòd læſos ſe crederent, quàm quòd noſtri vulnera, tam nempe dolenda, inflixiſſent. Fuit hæc ipſa epiſtola olim vulnerum curatela, quâ deinceps arctiùs, Bernardi interventu, ambæ Familiæ conglutinatæ ſint, adeóque, quod medela fuit, vulnus hodie dici, aut credi nequaquam debet. Loquatur itaque Abbas Mellifluus ad Fratres, offenſos quidem, ſed per epiſtolam Ciſtercio reconciliandos: *Audivi Auditionem veſtram, & timui. Scribitis enim contra me amaritudines: abſit autem ut tam rationabiliter, quàm terribiliter. Quid peccavi? an quòd*

veſtram

veſtram perſonam ſemper amavi, veſtrum Ordinem fovi, & promovi ſemper, quod in me fuit? Fidem, ſi verbis non habetur, opera faciunt. Ut quidem mea mihi conſcientia reſpondet, ego à vobis debui commendari. Sed quia contraria potiùs loqui & ſcribere libet, dabo ego voci meæ vocem virtutis ex factorum teſtimonio. Id quidem grave. Videar improperare beneficia, quod utique non decuerat. Ut minùs ſapiens faciam: vos me cogitis. Cui unquam veſtrùm, ſive veſtrorum noſtrâ operâ opus fuit, & defuit? Primò quidem locus ipſe Præmonſtrati, in quo degitis, noſter fuit, & noſtro munere habuiſtis. Nam nobis frater Wido (hoc nomen primi incolæ loci) per manum Epiſcopi antè donaverat. Deinde quòd hi de Bello-loco vobis ſe aſſociaverunt, noſtri potiſſimum ſtudij fuit. Apud Jeroſolymam Rex Baldvinus, dum adhuc viveret, locum Sancti Samuelis donavit nobis, & mille aureos ſimul, de quibus ædificaretur: Vos donô noſtrô, & locum habetis, & aureos habuiſtis. Apud Virdunum pro Eccleſia B. Pauli, ut eam vos haberetis, quantùm laboraverim, multi nôrunt; & quantùm profecerim, ipſi ſentitis. Si quâ minùs recognoſcitis vos: extant epiſtolæ noſtræ ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, hujus rei veri judices, & quaſi vivi teſtes. Illis de Septem-Fontibus, locum, quem primùm inhabitaverunt, (Francevals nomen ei) nos contulimus.

Propter quod horum vultis recedere ab amicis? Nunquid redditur pro bono malum, quia minamini violare pactum, valedicere paci, Societatem deſerere, ſcindere unitatem? Sed eſto. De bono opere non me lapidatis, ſed de injuria, quòd fratrem Robertum, cùm eſſet de veſtra profeſſione, ſuſceperim, habitum ei Monachicum tradens. Non inficior: apud nos eſt. Putaveram autem me ſuper hoc ſatisfeciſſe vobis, cùm ſuſceptionis illius rationem, ordinem, neceſſitatem, vivâ & veridicâ voce expoſui, idque non ſemel. Quia verò necdum quieſcitis, non erit mihi pigrum reſcribere, quod reſponderam; quando vobis durum non eſt repetere, quod excuſaveram.

Minimè ego prædictum fratrem Robertum aliquando, ut à vobis exiret, ſolicitavi: magis autem à multis annis id cupientem, non ſemel, ſed ſæpè compreſſi. Quônam denique modô ſuſpectus haberi poſſum, quòd fratrem Robertum ſubauxerim vobis, cujus conſiliô & hortatu Magiſtrum Othonem habetis? Si neſcitis, ipſum interrogate. Si bene novi hominem, non negabit. Poſſem & alios forſitan non paucos nominare ſive converſos ad vos, ſive reverſos, quos hodie non haberetis, niſi à nobis ſuaſi fuiſſent, vel coacti. Parco autem non inops materiæ, ſed verecundiæ ſatisfaciens dives. Inveni ego in clauſtris veſtris, qui ad verbum prædicationis noſtræ compuncti, & converſi ad nos venire diſpoſuerant, cùm ecce ſolicitantibus veſtris retrahentes pedem, recepti, & retenti ſunt in Ordine, & habitu veſtro. Poſtmodum verò remordente eos conſcientiâ exire voluerunt: &, nî fallor, exiſſent, niſi noſtrô firmarentur non aſſenſu tantùm, ſed & hortatu.

Sed jam audite (quia iterum vultis audire) quomodo tandem fratrem Robertum receperim. Dominus Papa præcepit: nempe rogatus ab illo, & ejus amicis. Dicebat veſtrum ſeſe & Abbatis ejus aſſenſum prece ſuâ obtinuiſſe, nè quis dicat, quòd

quòd præceptô extorſit. Negatis: quid ad nos? Ipſe viderit. Si vobis ſummum & ſanctum Pontificem falſitatis arguere libet, ignoſcite nobis: quia nos tantæ ſanctitati non credere, & tantæ Majeſtati non obedire, nefas ducimus. Quanquam & Venerabilis Abbas Godeſcalcus, qui de veſtris eſt (nam is à Domino Papa ad vos hujus rei gratiâ fuerat deſtinatus) non planè negaverit reportâſſe ſe à vobis, & liberam fratris emancipationem, & veſtram ipſius ſpontaneam conceſſionem.

Jam de fratre Fromundo non eſt, quòd nos laceſſatis, cùm nequaquam eum ſinè voluntaria Abbatis ſui conceſſione receperim. Quod quidem nec vos latuiſſe, amara illa epiſtola demonſtrat, in qua nobis de ſola Capituli non expectata conniventia calumniam ſtruitis. Quaſi verò vel in mutua noſtra conventione id prohibitum fuerit: vel emancipatio filij ad Capitulum & non potiùs ad ſolum ſpectet Abbatem.

Adijcitis & de domo quadam Fratrum veſtrorum de Baſſo-Fonte: quòd eam nos de medio tulimus, licèt extra ſtatutos terminos conſtitutam. Atque utinam priusquam nos argueretis, eoſdem interrogaſſetis fratres, non ſolùm quis eam de medio tulerit, ſed etiam qua de cauſa. Neque enim celaſſent vobis (ùt confidimus) hujus rei veritatem. Cæterùm audite eam nunc vel à nobis, ac deinde (ſi ità placet) eos interrogate. Cœperant ædificare locum, ubi aliquas è Sororibus ſuis conſtituerent, longè quidem ab Abbatia ſua, in confinio autem duarum grangiarum domûs noſtræ, & propè paſcua ovium noſtrarum: rogavimus eos, tanquam amicos, & quibus fortè non inutiles fuiſſemus, nè Seminarium ſcandali, & diſſenſionum fomitem ſuis pariter & noſtris pararent, poſteris relinquendum. At illi nihilominùs ædificabant. Hæc fuit tota violentia noſtra: ſic nos de medio tulimus domum illam. Inexcuſabiles ſumus, ſi rogare, vim irrogare eſt.

Reverà Epiſcopus (quod negandum non eſt) indignatus, non modò, quòd Oratorium in ſuo Epiſcopatu, ſed & quòd domum in fundo Eccleſiæ, & terra feudi ſui ædificare, ſe inconſultô, præſumpſiſſent, cœpto intervenit operi, quamvis fruſtrà. Nam nec vetiti ab eo deſtiterunt. Exinde tranſeunti mihi per terram illam, is, qui tunc erat Abbas Baſſi-Fontis, occurrens, indicavit, quòd ab ædificatione ceſsâſſent. Veruntamen non tam propter nos, ſicut ex ejus relatione cognovi, quàm propter militem illum, qui terram eis viſus dediſſe, gravabat eos in multis: ità ut de eo plurimùm quererentur. Quanquam etſi pro ſola charitate noſtra id voluntariè dimiſiſſent, nec Religionem eorum dedecuiſſet, nec immeritis forſitan præſtitiſſe beneficium viderentur. Miror ſanè, unde hæc tandem querela emerſerit, cùm & Abbas ille in bona (niſì fallor) & devota erga nos voluntate præſentem finierit vitam: & qui ſubſtitutus eſt ei, frequenter & familiariter conveniens nos in neceſſitatibus ſuis, nullam nobis querimoniæ hujus fecerit mentionem. Denique & in eadem poſtea Domo humaniſſimè ſuſceptus hoſpitiô, nihil hinc vel ab ipſo Abbate, vel alio quoquam audivi. Sed & vobiſcum in ClaraValle poſtmodum præſens fuit Abbas: & nuperrimè Barri inſtante Capitulô veſtrô, unde litteræ illæ que-

querulæ, nè dicam calumnioſæ, venerunt: & nec hìc, nec ibi ſuper hoc, ſive ab eo, ſive à vobis vel tenuiter quidem memini me fuiſſe conventum.

Præterea cauſamini, quòd domunculam fratrum veſtrorum de Brena, Converſus Igniacenſis combuſſit. O Domunculam! Nempe umbraculum quoddam ramorum erat, ubi ſederet frater, qui ſtantes adhuc in agro ſegetes cuſtodiret. Neque hoc combuſtum malitiâ, ſicut fideli relatione cognovimus: ſed quòd poſitum in agro quodam Fratrum Igniacenſium, terram occuparet, quam excoli oportebat. Denique vix unô taxata eſt nummulô domuncula hæc: & Abbati de Brena ità jam, niſì fallimur, ſuper hoc ſatisfactum, ut omninò nec queratur, nec habeat, unde queratur. Si quò minùs, ubi id nos reſcire feceritis, parati ſumus ad omnem ſatisfactionem. Sic & de Abbate Longi-Pontis, ubi primò querelam veſtram accepimus, quòd inter terminos veſtros domum vellet ædificare, probibuimus eum: & jam credimus deſtitiſſe, Sin autem; & id fiet, ubi factum non eſſe noverimus.

Super omnia plangitis, quòd Eccleſiam Sancti Foillani, quæ de Ordine veſtro eſt, Abbas noſter de Villari, fecerit imbanniri. At fortè juſtiùs vobis fratris & Coabbatis veſtri de prædicta domo Sancti Foillani incredibilis obſtinatio, quàm ſummi Pontificis juſtiſſima animadverſio diſpliceret. Novi ſiquidem, quòd multis veſtrorum ipſius Abbatis animoſitas diſpliceat graviter: mirum valdè, ſi non etiam vobis. Ità ergo dico vobis, hinc indignamini. Siquidem ipſe eſt, cujus aut cupiditas, aut contumacia Fratribus veſtris divina fecerit officia interdici. Et quidem prolixum eſt hoc negotium, & difficilè eſſet, univerſa ejus ſubterfugia epiſtolari brevitate concludi. Cauſam tamen interdicti, quàm breviter intimabo. Poſt duas aut plures conventiones pacis, poſt definitivam ſententiam judicij, juxta mandatum capituli veſtri per veſtros & noſtros Abbates promulgatam, accitus demum Epiſcopus Cameracenſis, ad cujus Parochiam locus S. Foillani pertinere cognoſcitur, cùm videret Abbatem obſtinatô animô omnia violare: etiam ſententiâ eum Eccleſiaſticâ cogere voluit, ùt dicebat. Ille verò, ut redimeret tempus, ſummi Pontificis audientiam appellavit. Ventum eſt ante eum. Qui poſtquam teſtimoniô tam veſtrorum Abbatum, quàm aliorum Religioſorum indubitanter agnovit, Abbatem S. Foillani non ſolùm reſilire à compoſitionibus, ſed & judicio, contraire; Eccleſiam ejus imbanniri juſſit, donec ſatisfeciſſet. Demùm rogâſtis tam vos, quam ipſe Domnum Ciſtercienſem, & nos; multíſque tam veſtris, quàm veſtrorum precibus extorſiſtis, præſente etiam ipsô Epiſcopô, qui promulgandæ ſententiæ interdicti mandatum acceperat, ut provideretur adhuc forma aliqua pacis. Abſente Abbate de Villari tractata compoſitio: dictúmque eſt Epiſcopo, ut ſi vel ipſam obſervaret Abbas Sancti Foillani, abſtineret ab interdicto. Diſcedens autem nec illam tenuit: ſed domum, quam & judicij ſententia, & compoſitiones omnes diruendam eſſe definirent; ità ut ſemel etiam diruta jam fuiſſet, atque interim contra conventionem & judicium reædificata: hanc, inquam & tenuit & tenet, & alteram quoque ſuperædificavit. Quídni exequeretur Epiſcopus mandatum Apoſtolicum, quod acceperat de promulganda ſententia interdicti, præſertim

ad ditâ prævaricatione? Ego tamen ſperans tandem aliquando vincere in bono malum, eandem ſententiam differri feci uſque ad octavas Epiphaniæ, ſi fortè interim vir ille recogitaret, ut vel formam judicij exequeretur, vel compoſitionem aliquam obſervaret. Atque utinam ſic contingat, & faciat DEUS pacis, ut requieſcat ſuper illum pax noſtra.

Cùm hæc ità ſe habeant, non eſt, quòd de nobis queri debeatis: cùm juſtiùs nos de vobis, ùt apparet, queri poſſimus. Reliquum eſt, ut diligentes vos diligatis, præſertim ſoliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Illo, inquam, vinculo, quod inter nos & vos cauſâ pacis, charitatíſque firmatum eſt: utiliter quidem, & non minùs forſitan vobis quàm nobis. Si rumpendum decernitis: non expedit quidem. Sed nec licere ullatenùs puto. Nempe ubi communis eſt cauſa, perſonæ reatus præjudicare non deberet, etſi vera eſſent, quæ in nos dictis. Ego autem, Fratres, quicquid faciatis, decrevi ſemper diligere vos, etiam non dilectus. Occaſiones quærat, qui vult recedere ab amico: mihi ſtudij eſt, & erit, nec cuiquam amicorum juſtam in me diſceſſionis cauſam dare, nec ſcrutari in alio: quòd hoc quidem ficta, illud verò neglecta amicitia ſit. Et quia ſecundum Prophetam glutino bonum eſt: ſolvere vel potiùs abrumpere vos poteritis, ſed non me. Adhærebo vobis, etſi nolitis: adhærebo, & ſi nolim ipſe. Olim alligavi me forti vinculô, charitate non fictâ, illâ, quæ nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, nê Diabolo dem. Vincar jurgijs, vincam obſequijs. Invitis præſtabo, ingratis adijciam, honorabo & contemnentes me. Et nunc triſtis eſt anima mea, quòd quâcunque occaſione offenderim vos, eritque triſtis, uſquedum veſtrâ indulgentiâ relevetur. Si tardaveritis, ibo & excubabo præ foribus, perſeverabo pulſans, inſtabo, opportunè, importunè, donec vel merear, vel extorqueam benedictionem. Pluſquam medium hyemis tranſijt jam, & tunicam noſtram uſque adhuc fruſtratus expecto. Sic Bernardus pro ſe, ſociíſque è Præmonſtrato fratribus, ſed magis pro concordia zelans, liberrimè detexit vulnera, quæ utrinque dolerent, perſananda feliciùs, quoniam patula. Atque utinam! omnes in univerſis Eccleſiæ Ordinibus tales, qualis Bernardus, à vinculis, à ſuo illo amore, quô cœlitùs erga omnes flagrabat, nunquam ſolvendus à fratribus, tametſi illi fortè vincula minati reſcindere. Quibuſdam pro magno eſt, à fœderibus non recedere, quouſque non lædantur. Doctor

ctor Mellifluus pulchrius longè amoris exemplar exhibuit, etiã non receſſurus, tametſi alij voluiſſent. Prius id ex genio vulgi faciunt plerique; at verò Bernardus ſupra vulgus, ſupra vulgi indolem tranſcendens altiùs, Divinitatis quoddam ſpecimen ad mortales detulit, etiam in non-amantes viſcera dilectionis veluti indifferenter explicans; & priùs quidem amans religioſos omnes, quatenùs amorem provocaret: poſteriùs verò eoſdem diligens, ut forſan è ſtatione amoris exeuntes retraheret ad fœdera, ſanè pacis Princeps dulciſſimus, & amantium omnium Myſtagogus; quos exemplô præiret ipſe, ſemper amans, etiam non amantes, ſed tamen ſemper amandus, & Pater Amandus, quem Religionum omnium alumni æmularentur generali ſtudiô, juxta Parentis Mellifluì ideas nunquam non amantes, nunquam non amandi: quoniam ſi ſolum id fiat, ſufficit; quandoquidem cætera omnia ijſdem adjicientur. Cæterùm multi hærent in illa *tunica*, quam Bernardus epiſtolæ recitatæ coronidi attexuit: Hærent, inquam, non ſatìs capientes, qualíſnam illa tandem tunica, quam Doctor Sanctus è Præmonſtrato ſibi extradendam *uſque adhuc expectet*, &, quod Bernardo tam dolendum, *fruſtratus* expectet? Si obtruſione tropi ſeu metaphoræ dubium mihi ſolvis, quòd ſcilicet *tunica* involucrô *charitatem* contexerit Abbas Sanctus, ampliùs me urges, ut à te ipſo petam, quô pactô factum, ut Bernardus totum epiſtolæ longiſſimæ contextum abſque ullo omninò tropo percurrens, tandem in ſuprema linea in tropum inciderit, per totum ſerius, in termino tropicus? Quod præter morem Sancti, præſertim cùm materiæ atque epiſtolæ gravitas eum à metaphoræ luſu ſatìs abſtraheret: quanquam non ignorem, ſeria quoque tractari poſſe per tropos; at quoniam Doctori Sancto ea dicendi ſuavitas, ùt palàm eſt, minùs arriſerit in epiſtolæ contextu, vix utique præſumendus eſt, eâ uti voluiſſe in modicis illis vocabulis, quæ literas tam ſerias, támque graves concludunt. Quòd ſi igitur abſque tropi admixtione locutus Bernardus, non capio tum & ego, quænam illa tunica? Sint nobis, obſecro, Præmonſtratenſes per tot vincula Fratres, ſint nobis ædipi; quoniam ſcilicet illos ipſos incuſat Doctor Sanctus, quòd tunicam ſibi ſuam non remittant, tot votis jam expectatam. Aut ſi tunicæ iſtius ſeu tropum,

Joan: Mabillon in edit. Oper. S. Bern. in Not. margin. ad hanc epiſt.

ſeu myſterium evolvere nolint, ſervent ſibi tunicam unà cum myſterijs; at verò reddant, & reddere pergant Ciſtercio amorem, quem Ciſtercij Patriarcha ſinè tunicæ, ſinè verborum velamine in ea epiſtola tam apertè viſus eſt exoptaviſſe. Et quidem hæc dicta in charitate, ſinè qua nihil inter fratres aut ſcribi, aut dici debuit. Nunc ad lineam.

Quantô ſubindè nexu cum noſtris, id eſt, amicis, fœderati Candidiſſimi Canonici, aperuit Annus 1233. quô à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo edictum emanavit, ut Cœnobia omnia exempta viſitarentur per diæceſanos, ad id munus à Papa deſtinatos Apoſtolicæ Sedis Legatos: ſoli à communi lege excepti *Ciſtercienſes & Carthuſienſes.* Illuſtriſſima Præmonſtratenſium Familia *in primo robore* adhuc *conſiſtens*, utì aſſerit Manriqueus noſter ad *annum. cit. c.* 4. *n.* 1. non abnuebat quidem ſe ſubjicere decretis Pontificijs, verùm inſtanter apud Gregorium deprecata eſt viſitatores exteros, proprios è gremio domeſtico optans, peténſque. Indulſit id gratiosè Pontifex, dedítque, quales deſiderati fuerant, *Antverpienſem*, *Mildeborgenſem*, & *S. Alexij* de Urbe è Præmonſtrato Abbates, qui viſitatorum Papalium munere apud ſuos fungerentur. At quoniam è votis minùs ſucceſſerat ea commiſſio: ordinata eſt per Papam viſitatio altera, & Antvverpienſi atque Mildeborgenſi domeſticis, adjuncti per Apoſtolicum reſcriptum Abbates duo è Ciſtercio, *Fulcardi-Montis*, & *Frigidi-Montis*, quorum electâ induſtriâ interruptum opus perficeretur. Qui per novem integros menſes inſiſtentes impoſito ſibi muneri, cùm *poſt longam & exactam diſquiſitionem nihil ferè in illis inveniſſent*, quemadmodum perhibet Angelus *cit: ann:* & *cap: n.* 7. in *quo ab antiqua Patrum obſervantia, & priſtino rigore degenerâſſent*, tantâ efficaciâ recommendavêre florentiſſimam Familiam apud Summum Eccleſiæ Præſulem, ut viſitationem, cæteroquin multô adhuc tempore ad reliqua Ordinis Monaſteria protrahendam, *Gregorius* reduxerit ad pauca duntaxat, noſtrorum feſtinatâ ſolicitudine illicò abſolvenda. Adducit Angelus *cit: ann: & cap:* literas Apoſtolicas, quarum vigore hæc munia noſtris injungebantur, literíſque, pro more, ſua ſenſa ſubſcribit, quòd ſcilicet præter primam illam, Viſitatores inter domeſticos, atque viſitandos, ſeu viſitatos humanitùs irrepentem controverſiam, *reliqua adeò*

deò perfecta inventa ſint, ut noſtri magìs teſtes Sanctitatis, quàm judices exceſſuum; nec correcturi, ſed commendaturi Viros adierint, qui fortè tunc, malitiâ detrahentium, aut invidorum, aliquâ indigebant commendatione. Crediderim, permiſſam à DEO culpam, quæ noſtros aſciſceret; ut quibus domeſticis ſuſpectum (quæ hominum plerumque conditio eſt) ab exteris omninò irrefragabile, & omni exceptione majus teſtimonium, atque cunctis credendum perhiberetur. Neque tamen per ſæculares, quos recuſaverant, ſed per Religioſos, planè amicos, & ſibi familiares viſitarentur.

Cæterùm è Ciſtercio etiam *Abbatialis* dignitatis titulus in Præmonſtratum profluxit, quod lego in *Angelo* ad annum 1145. *c.* 5. *n.* 10. & 11. Qui Abbatialis character ſub prima naſcentis familiæ candidiſſimæ incunabula minùs in uſu, prævalente nuncupatione *Præpoſitorum*, qui Norbertini Inſtituti alumnis moderarentur. Placuit tandem (& quídni id ipſum ob majorem cum Ciſtercio ſimilitudinem?) miſſis Præpoſitis, quemadmodum in Ciſtercio, habere Abbates, quæ Præmonſtrati vota intimata *Eugenio III.* facilem invenêre Pontificem in ſtabilienda metamorphoſi, quâ Præpoſiti vocabulum in titulum, munúſque Abbatis pertranſirent, quô ipsô ſcilicèt Abbatiali nomine Præmonſtratum foret Ciſtercio magìs conforme, magíſque devinctum. Perſcripſit ſuper hac re Eugenius literas publicas ad Orbis Præſules: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum DEI, Venerabilibus Fratribus Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis ad quos litteræ iſtæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religioſi Fratres Præmonſtratenſis Ordinis, per DEI gratiam in religione proficiunt, & ſuæ bonæ converſationis exemplò, multos præſentis ſæculi voluptatibus, & carnalibus concupiſcentijs deditos, ad bene vivendum convertunt. Unde dignum eſt, ut boni Eccleſiarum Prælati eos juvare, & in tam Sancto propiſito confovere ſtudeant, & in ſuis opportunitatibus opem eis, & conſilium præbeant. Ipſi quidem, ſicut accepimus, non causâ elationis, ſed ad majorem Religionis obſervantiam, communi conſiliô ſtatuerunt, ut locorum ſuorum Præpoſitos, Abbates conſtituant. Idéoque per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs, cùm per Abbatem Præmonſtratenſem, vel per litteras ſuas, & per Fratres, quibus preeſſe debebunt, vobis oblati fuerint, Spiritûs Sancti gratiâ invocatâ, in Abbates benedicatis. Datum Sutriæ* 15. *Kalend: Januarij, Pont: noſtri* Ex Biblioth: Præmonſt: Lib. 3.

Qqqqqqqqqq 2 *Annô* 1.

Annô 1. Hæc Eugenius noſter, Præmonſtrati alumnos ſuô indultô edocens Paternum vocabulum, quô deinceps ad Præſides ſuos clament: *Abba Pater*! Sed neque minùs novis honoribus donans Præſides ipſos, Præpoſiti titulum haud ingratâ ijſdem viciſſitudine commutans in Abbatialem prærogativam. Idem rursùs *Eugenius* annô ſubſequente, qui fuit Chriſti 1146, Apoſtolicis literis novos è Præmonſtrato Abbates, à nonnullis ab extrà vexatos, quò minùs Capitulum ſuum ad Ciſtercij normam annuè celebrarent, egregiè munivit adversùs æmulos, paci tranquillitatíque proſpiciens illuſtris familiæ. Recitat Pontificis epiſtolam ſuper hoc argumento ad Præmonſtratenſes perſcriptam Manriqueus noſter ad annum 1146. *cap.* 6. *n.* 5.

Quantâ præterea *B. Joſephus*, qui etiam *Hermannus*, illud Præmonſtrati clariſſimum decus, ſanctiſſimæ familiaritatis neceſſitudine junctus fuerit *B.* noſtræ *Eliſabethæ Hovenenſi*, vix eſt, qui è Præmonſtrato, vix qui è Ciſtercio ignoret. Floruit Joſephus in *Heistelbendia*, Eliſabetha in *Hovenes*, domibus in Germania juxta Coloniam ad invicem vicinis. Convolavit crebrò è nidulo ſuo ad Virginem Sanctam Joſeph, auditurus ab illa arcana verba, quæ è Cælo Eliſabetha hauſerat. Et Virum Sanctum per aliquod tempus conſtanter egiſſe Hovenenſium gratiſſimum ſeu hoſpitem, ſeu incolam, tradit Angelus ad *annum* 1229. *c.* 5. *n.* 2. qui loc: cit: *num.* 1. inſuper aſſerit: *Joſephum Eliſabethæ noſtræ adeò charum, familiarémque fuiſſe, adeò in cunctis cæleſtis gratiæ donis conſortem, & participem, ut neutrius ſinè alio acta ſcribi potuerint.* Adfuit Virginis agoni Joſeph cum Abbate ſuo Heiſtelbendenſi, ſororem è Ciſtercio chariſſimam ad extrema uſque Sanctiſſimâ teneritudine proſecutus: in cujus laudem Sancta, illicò migratura, hæc ad Abbatem, remotis arbitris, profata: *Jam non multa*, inquit, *deinceps tecum loquar: ſcio enim certiſſimè impletum iri, quod à Domino per Angelum didici, & ardenter concupivi. Itaque ſub his extremis colloquijs noſtris Joſeph tuæ charitati commendo, téque commoneo diligenter, ut modis omnibus caveas, illum unquam, vel verbô, vel factô perturbare. Infirmitati corporis ejus humaniter ſubveni, & quibus potes modis ei opitulare, id pro compertiſſimo habens, quòd nemo illum impunè exacerbavit etiam in hac vita*,

ta, ut nihil dicam de futura, ubi pœnas dabit ſempiternas, niſi egerit pœnitentiam. Nam & me ipſam ſentio hìc diutiùs torqueri, quòd aliquoties turbaverim eum. Videas Virginis Sanctæ ſuprema imperia, quibus vel jam moritura commendaret amici inter mortales reverentiam, proprias etiam ſuas culpas humiliter agnoſcens, aperiénſque, per quas Joſephi ſui ſanctimoniam ampliùs propalaret. A morte Sanctæ, Joſephus arcanorum omnium conſcius, compilavit Eliſabethæ vitam, ſed eheu deperditam! & cujus nomen, virtutéſque ex ipſis Joſephi geſtis veluti per fragmenta colligi debeant. Obijt tandem Vir DEI non inter ſuos, ſed in Hovenes apud noſtros, daturus rurſum id ſupremi amoris Eliſabethæ ſuæ, imò Ciſtercio univerſo, ut nè mortuus quidem, à ſuis, quos toties inviſerat, amicis avelleretur. Corpuſculum Sancti contumulatum in Hovenenſi Parthenone, illuſtre prodigijs, transferendum ſubinde ad ſuos. Manriqueus hanc inter noſtros Viri DEI obdormitionem eleganter penſans, hæc ad annum 1233. *c.* 5. *n.* 5. ſcribit: *Permanſit corpus* (Joſephi) *in prioris ſepulchri loco* (apud Hovenenſes nempe) *dies* 48. *nempe à* 4. *Aprilis uſque ad* 22. *menſis ſequentis*: *Nec dubium, prælectum à Sancto, dum adhuc viveret, nunquam ità deſertum, ut non ab ipſo veniret protegendum. Et potuit ipſe, prudenti uſus conſiliô, meliùſque inter ſuos, & ſacras Virgines, quibus utriſque vivens adhæſiſſet, nè alteros in morte pertranſiret, utroſque fovere, atque ultimum ſpiritum Ciſtercio inter Virgines ſacras, ſimul cum Angelis, ab ipſis ſuſcipiendum (quia ſemper Angelis cognata virginitas) corpus ſuis permittere: utrumque charitatis pignus excellens, ſed quantò anima corpore ſuperior, & longiùs duratura, tantò illud majus, & dulcius amplectendum. Sanè extremis mandatis excipiendis, claudendis oculis, atque hauriendo halitui ultimo proximiores, chariorèſque quæſiti: neque aliud patribus, filijſve in morte ſolatium: ut non immeritò quæſitæ à Sancto Virgines ad hæc munera explenda, præcipuô privilegiô amoris, ab eo in ipſas oſtenſi, condecorentur.*

Memorandus etiam inter hæc Præmonſtrati cum Ciſtercio vincula illuſtriſſimus noſter *Caramuel*, cujus eruditum opus, *Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Urania*, nuncupatum, de laudibus Divi Norberti, Parentíſque Sancti digniſſimis alumnis eruditè diſſerit, celeberrimæ Familiæ *originem, inſtitutionem, confirma-*

Floruit Caramuel circa Ann. 1630. & deinceps.

tionem, & *perennem continuationem* fundatè explicans. Neque omittendus *Benedictus de Bacquere*, Dunenſis noſter aſceta apud Flandros, Poëſeos, Rhetorices, atque Theologiæ commendatione inſignis, cujus eſt docta illa elucubratio, cui Titulus: *Admiranda morum, & nominis Norberti metamorphoſis.* Diviſit Author opuſculum: in cujus priore parte habetur elegans panegyris, declamata Lovanij in Collegio Floreffienſi in Divi Norberti feſtivis ſolemnijs: in parte altera leguntur 25. pereruditа anagrammata, per quæ nomen glorioſi Patriarchæ, carmine & proſâ, luſu, ſensúque morali doctiſsimè elucidantur.

Claruit Benedictus circa Annum 1650.

Cum DOMINICANIS.

NOva nunc vincula explicabo, quibus Sacerrimam Dominicanorum, ſeu Prædicatorum Familiam intimè cum Ciſtercio involvam. Quippe ſi ad Illuſtriſsimi Ordinis primordia, ſi ad progreſſum, atque incrementa attendamus, omnia, magna ex parte ad noſtros pertinent, conſiliô, opéque clariſsimi Parentis Dominici intentiones, atque Prædicatorum Inſtitutum egregiè provehentes. Atque in primis, quod obſervat Angelus ad annum 1207. *c.* 1. *num.* 4. ex *Vallſarnienſi* ibi *cit*: *occaſione prædicationis, quam fecerunt Abbates Ciſtercienſis Ordinis contra ſectam Albigenſium, cæpit novus Ordo Fratrum Prædicatorum.* Quem honorem quòd ſcilicet ille auſus aſſerere Ciſtercio, excuſat eruditè ibidem *cit: num*:4. *Atque hæc ſanè non ideò dixerimus, ut Illuſtriſſimæ Familiæ decreſcat lux, quæ velut Sol in Eccleſia cælo refulgens, non ullum pati poteſt defectum lucis*: *ſed, ut noſtris eam gloriam conciliemus, quæ in eo miniſterio Solem illum, ut rutilans aurora præire potuit.* Diximus Tit: 11. & 24. noſtris per *Innocentium Papam III.* injunctum munus prædicationis adversùs Albigenſes, electóſque Viros ex univerſo Ciſtercio, qui circumferrent Evangelium Chriſti per omnem Provinciam, fidei ſanctæ ſemina ſpargentes undique, atque è rebellibus Eccleſiæ populis noxia evellentes, quæ ſuccreviſſent, falſorum dogmatum zizania. Virorum Dux & Pater *Arnaldus*, Ciſtercij tum Caput & Generalis, ſubinde Narbonenſium Archi-Præſul, qui etiam *Dominicum* ex Hiſpanijs fervore Apoſtolicô accurrentem ad nova Chriſti caſtra, accenſuit noſtris, functurum deinceps cum cæteris è Ciſter-

ſtercio, Inquiſitoris munere, auctoritate non aliâ, quàm *Arnaldi Ciſtercienſis.* Quod liquet ex ipſa formula, quâ Sanctus reos abſolvebat ab hæreſi, cujus tenorem exhibet Angelus *cit: ann: & cap: num:* 5. ex Ludovico de Paramo: *Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis Frater Dominicus, Oxomenſis Canonicus, Prædicator minimus, ſalutem in Chriſto. Authoritate Domini Abbatis Ciſtercienſis, Apoſtolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis injunxit officium, reconciliavimus præſentium latorem,* &c. *Hæc omnia diligenter obſervet, donec aliàs ſuper his Dominus Legatus ſuam nobis exprimat voluntatem.* Videas Dominicum inter Apoſtolica hæc munia, Ordinis ſui prima rudimenta poſuiſſe Ciſtercij auſpicijs. Nam univerſa illa prædicatio, quam contra heterodoxos noſtri exercuerunt, facta eſt ad leges vitæ Apoſtolicæ, quas Salvator Apoſtolis ſuis per orbem deſtinatis olim præſcripſerat: Indè Dominicus edoctus condendi novi Inſtituti exemplar, quòd ſcilicet vidiſſet in Ciſtercij inclytis Viris, extra clauſtra in ſanctæ fidei obſequium tum occupatis, qui nempe Prædicatorum Ordinem, Apoſtolicam illam vivendi prædicandíque methodum priùs orbi exhibuiſſent in exercitio, quàm ipſe Dominicus in profeſſione. Quapropter etiam *Magnum Chronicon Belgicum* Prædicatorij Ordinis originem antevertit, tranſfértque ab Honorij III. ad Innocentij III. Papæ tempora, annum nimirùm 1207. quô eum cæpiſſe aſſerit: quod intelligendum eſt de Ordinis Sancti primis ideis, quas noſtri in prædicationis munijs in ſeipſis formantes, dedêre Dominico, veluti primas lineas, ab ipſo deinceps producendas ampliùs in novæ ſuæ Familiæ inſtitutionem. Et quidem hìc, *Fulco* ille Toloſanus glorioſus Antiſtes, è Ciſtercio alumnus, Albigenſium terror, & fulmen, præprimis emicuit, auctor Dominico præcipuus, *ut aliquis Ordo inſtitueretur, cujus officium eſſet contra hæreticos diſputare.* Neque ſolô conſiliô id urſit Præſul Sanctus, ſed, quod ad rem tum erat maximè, auxiliô inſuper promovens glorioſas Dominici Parentis intentiones. Toloſæ enim *Sancti Romani Eccleſiam* naſcenti Familiæ in primam ſedem conceſſit, additis ſumptibus pro comparandis libris, aliíſque, quæ videbantur neceſſaria, imò cum Cleri conſenſu oblatâ parte decimarum. Et hæc eſt totius illuſtriſsimi Ordinis prima Domus, clara incolatu Sancti Patriarchæ, primorúmque alumnorum,

Obiit Divus Fulco Anno Dom. 1231.

 & hoc

& hoc quidem per Fulconem, atque ideò per Ciſtercium. Extollit mirificè rem hanc Angelus ad annum 1214. *cap.* 3. *num.* 10. *Hæc ſumma*, inquit, *gloria Familiæ Ciſtercienſis, hoc Fulconis trophæum incomparabile, quòd tantæ fabricæ tantis fundamentis cooperatus; & ſinè ipſo nec concepta, nec nata fuit. Quippe in conceptu animando fætui pabulum, in partu cunam præſtitit vagienti. Et ſi Dominicum deductum ad Innocentium, atque ipſi commendatum conſideremus, impetrandæ Inſtituti confirmationi; velut obſtetricantem inveniemus Epiſcopum Fulconem; ut nullum prorſùs officium præterîerit, quô poſſit de ſanctiſſima Familia, atque tot titulis Orbi ſuſpicienda, bene mereri.* Quam porrò vitæ methodum ante approbationem Pontificiam Toloſæ aſſumpſerint Prædicatores primi, innuit Theodoricus de Apoldia, Dominicani inſtituti Scriptor in vita S. P. Dominici *Lib.* 1. *cap.* 11. *Tum verò*, ſcribit ille, *qui cum P. Dominico erant* (Toloſæ ſcilicet) *cœperunt ſe ad Religioſorum, ſive Monachorum mores accommodare. Necdum enim Prædicatorius Ordo inſtitutus erat; ſed quædam jam incepta erant, & de illo inſtituendo deliberabatur.* Vix mihi perſuaſerim, ſub naſcentis Familiæ primitias *Monachos* alios aſſumptos à Dominico, Sociiſque imitandos, quàm è Ciſtercio, cui ſcilicet Dominicus tam erat devinctus. Subinde *Annô* 1215 ad Generale *Lateranenſe Concilium* Romæ ab Innocentio III. indictum ex univerſo Orbe accurrebant Eccleſiarum Paſtores ac Præſules, quos inter etiam *Fulco* noſter, adducens ſecum *Dominicum*, flagitaturum à Papa, & Synodo, Ordinis ſui approbationem, quam & ipſe Fulco pro viribus promoturus advenerat. *Voluit ſiquidem* (quemadmodum aſſerit *Thomas Malvenda* è Prædicatorum Familia, citatus apud Angelum ad annum 1215. *c.* 4. *n.* 3.) *Vir Apoſtolicus, ſcilicet Sanctus Dominicus tantô Patronô uti, ſanctiſſimô nimirùm, & magni nominis Epiſcopô, quô & facilior ſibi ad Pontificem pateret aditus, & major dictis ipſius fides adhiberetur, ex optimi Præſulis auctoritate. Fulco autem, cui Dominici virtutes notæ ſatìs, atque perſpectæ erant, abundè apud Pontificem cuncta referebat, cauſámque hominis DEI egregiè juvabat.* At verò ſenſit uterque Pontificem ad has preces aliquantùm difficilem, non quia ſuſpecta viderentur vota, quæ vel è ſola Fulconis perſona ac commendatione nôſſe potuerit Innocentius æquiſsima; ſed quia tum adhuc nova, quæ cum nimia feſtinatione haud debeant illicò à Sancta Sede approbari.

Mu-

Mutavit tamen Innocentij cunctationem nocturna viſio, quâ Papa perculſus horrore ſpectaverat Lateranenſem Baſilicam convulſis compagibus mox collapſuram, quam viſus ſuſtentare Dominicus, in tempore accurrens, humeróſque ſupponens periclitanti fabricæ. Retulit Fulconi ad ſe evocato viſionis ſeriem Innocentius, à Præſule de Dominico multa cum ſolicitudine ſcrutatus, *quiſnam ergo is eſſet, & quæ nova ejus religio?* Cui Fulco: *Vir eſt*, inquit, *genere Hiſpanus, origine clarus, vitâ Apoſtolicus, quem Didacus olim Epiſcopus ſecum in Galliam, non tam in ſuæ peregrinationis ſocium, quàm ſanctæ converſationis tranſvexit. Hunc pòſt vidimus in medio pravæ, & perverſæ nationis, in aſſidua Evangelij promulgatione, ac defenſione, magnâ vitæ puritate & auſteritate diu perſeverantem, docentémque cum Joanne fugere à ventura ira; qui fide fervens, charitate flagrans, manum miſit ad fortia, ſalutis proximorum factus vehemens æmulator. Habet & in ſancto propoſito nonnullos ſectatores, quos Toloſæ in unum congregatos reliquit.* Alia tum demum Innocentius de Dominico animô concipiens, laudavit Viri ſanctas intentiones, ultrò jam pollicitus promptum ſe fore in conſtabiliendo novo Inſtituto, poſteaquam maturâ deliberatione Regulam ſibi accommodam elegerit. Reversô Toloſam Dominicô, habitóque cum Socijs, atque etiam cum Fulcone (quod aſſerit Manriqueus ad annum 1216. *c.* 1. *n.* 3.) conſiliô, conclamatum eſt ab omnibus in *leges Divi Auguſtini*, Apoſtolicæ vitæ magni olim æmulatoris ac pædagogi, ſub quibus novum agmen militaret. Aſſumptæ inſuper in regulæ appendices, & Inſtituti ſanctiſsima fulcimenta, quædam è *Ciſtercio conſtitutiones*, ut, quanquam regula diſcerneret Dominicum, alumnóſque à Ciſtercio, ſuperaddita ſtatuta rursùs utramque Familiam connecterent. Approbavit leges utraſque, & illas Auguſtini, & has Ciſtercij *Honorius* Papa, Innocentij Succeſſor, cujus *honor* potiſsimus, dediſſe Eccleſiæ Prædicatorum Inſtitutum illuſtre, Ciſtercij præprimis procuratione, cujus pariter primos inter honores, intérque laudes recenſeri debet, tam affectuosè, támque fructuosè laboraviſſe pro clariſsimi Ordinis fauſta erectione.

Sebaſt: Olmedæ cit: apud Manriq: ad annum 1215. c. 4. n. 4.

Cæterùm multis ex adverſo affectibus *Dominicus* ſemper viſus propendere in chariſsimam ſibi Ciſtercienſem Famili-

am. Atque in primis priuſquam in lucem ederetur, eâdem, quâ olim Bernardus, imagine, Matrem ſuam in ſomnis primùm terruit, ſubinde exhilaravit, *catuli formam* præſeferens, faculámque ardentem ore circumferens, quâ Orbem inflammaret. Sub ſimili catulo Bernardus pariter adhuc in utero latens præoſtenſus eſt Aleidi, dulciſsimæ ſuæ Parenti; niſi quòd facem, quemadmodum Dominicus non haberet, latraret tamen, quod non animadverſum in Dominico. Itaque ambo catuli, Dominicus, Bernardúſque, ille flammâ, hìc ore, excitantes conſopitos mortales ad ſanctioris de cœlo curas, hoſtéſque hæreticos Apoſtolici verbi latratu, atque ſacris pro Eccleſia incendijs arcentes à domo DEI. Inter cæteros, quos diligebat Dominicus è Ciſtercio, *Alacrinus* fuit, *Caſa-Marij* Prior, ac ſubinde Epiſcopus apud Italos. Is Sancto Patriarchæ Romæ innotuit, animis utrinque in ſuaviſsimum fœdus ſociatis. Ab Honorio Papa, cui erat in pretio, deſtinatus cum Legati munere ad Theutones, ſtitit Bononiæ, Dominicum in ea urbe ſub id tempus commorantem inviſens. Tum ambo illi, quaſi è condicto conveniſſent, recipientes ſe ſimul ad cellulæ ſecretum, de DEO, vitæque illius beatiſsimæ incomparabili dulcedine colloquia ad invicem miſcentes, mutuis flammis ſancta ſua ſibi pectora ſuaviſſimè inflammârunt. Et certè aperuit tunc Dominicus Alacrino ſuo arcanum de ſe maximum, cum imperio tamen, nè ulli revelaret, indicium ſanè amoris erga Venerabilem Antiſtitem præcipui: *Fateor*, inquit, *tibi*, *quod nulli adhuc expoſui*, *nec tu*, *quamdiu vixero*, *revelabis*: *Quòd nunquam adhuc à DEO in hac vita aliquid petij*, *quod non conſequerer juxta votum.* Tum Alacrinus uſus Sancti confidentiâ, mox intulit: *Pete ergo Pater*, ait, *ut det tibi Magiſtrum Conradum* (Theutonicum) *ad Ordinem*, *cujus Fratres introitum tam ardenter flagitare videntur.* Repoſuit Pater Sanctus, cui utrinque interceptum jam effugium, quòd jam prodidiſſet, ſe nullam unquam repulſam paſſum à DEO, atque etiam ex parte altera conſtaret, quantò unà cum Fratribus deſideriô deſideraret Conradi ad ſuos ingreſſum: *Rem*, inquit, *bene difficilem poſtulâſti*; *ſi tamen volueris in hac noſtra oratione mecum inſiſtere*, *confido in Domino*, *quòd nos in petitionis noſtræ deſiderio non fraudabit.* Oratum eſt in Eccleſia per ambos nocte integrâ: & en! ſub diei auroram, cùm Fra-

Vincent: Bel[illegible] Lib: 30. cap. 110.

Fratres in choro hymnum Primæ: *Jam lucis ortô ſidere* inchoaviſſent, deſideratiſſimus ille Conradus, quem *Belluacenſis* locô cit: compellat, *verè lucis ſidus novum*, præter cæterorum expectationem adveniens, procumbénſque ad glorioſi Parentis pedes, admiſſionem petijt, habitúmque à Sancto, atque obtinuit. Fuit ſanè *Conradus* inter prima Ordinis illuſtria luminaria, & quia non ſinè Ciſtercio Inſtitutum ſacrum amplexus, quippe cujus converſio commendata ſit per Alacrinum noſtrum Divo Dominico, Alacrinô ſimul pro Viri inter Prædicatores adventu pernoctante in oratione. Intimâ præterea Patriarchæ Sancto junctum neceſſitudine lego Illuſtriſſimum *Raynerium Capoccium*, Ciſtercij alumnum ad *Aquas-Salvias* Romæ extra Urbem, ab Innocentio III. creatum Cardinalem *S. Mariæ* de *Coſmedin*, qui Parentem Sanctum, ejúſque recèns natam Familiam, quô potuit, affectu, quô valuit, patrociniô efficaciter ſemper proſecutus, nocturnâ viſione divinitùs admonitus, auſpicatus eſt pro Dominicano Inſtituto Eccleſiam *S. Mariæ ad Gradus extra Urbem*, conſecrandam ſubinde ab Alexandro IV. Pontifice Maximo, in qua etiam gratiſſimô obſequiô Eminentiſſimum è Ciſtercio Mecænatem contumulavêre alumni Prædicatores, commendantes beneficium, quod à Raynerio obtinuerint, hâc ſuper ſepulchrum inſcriptione: *Raynerio Capoccio, Titulô S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinali, ædis hujus cœlitùs demonſtratæ Religioſiſſimo Fundatori, Familiæque Prædicatorum pijſſimo Largitori, Fratres ad beneficij memoriam ſempiternam ampliſſimo Benefactori, meritò ante digniorem Aram nuncupârunt.*

Iongel. in Notit: Abbat: Ciſt: in Italia: pag: 15.

Quàm porrò noſtris familiaris Patriarcha Sanctus, liquet vel ex eo, quòd etiam *Converſis* è Ciſtercio uſus familiariter. Reverſus aliquando è prælio Vir DEI, quod cum Albigenſibus commiſerant noſtri, declinavit è via in comitatu cujuſdam noſtri *Converſi* ad Eccleſiam quandam, calentibus votis commendaturus Superis Religionis afflictæ æquiſſimam cauſam. Clauſæ jam erant ſub crepuſculum ædis ſacræ fores: neque tamen indè receſſit Dominicus, verùm unà ſecum ſocium Converſum orare jubens, ante Eccleſiæ oſtium in genua procubuit, preces, quas animô conceperat, multô ardore perſoluturus. Et en Numinis præſentiam, etiam prodigiô ſeſe manifeſtantem!

tem! Vix namque duo illi Sancti oratores vota precéſque auſpicati fuerant, cùm foribus divinitùs momentô reſeratis, conſpiciunt ſe occultô obſequiô collocatos intra templi ambitum, ubi nocte integrâ pervigiles, cæptas orationes ardentiſſimè ſunt proſecuti. Stat ſcilicet in ore Dominici, Viríque Ciſtercij ſanctiſſima clavium poteſtas, quâ ſibi olim Eccleſiam, atque utinam nobis hodie cœlum reſerent! Aliâ rurſùs vice ad inſtantiam cujuſdam è *Converſis* noſtris vaticiniô prænuntiavit Albigenſium conſummationem Vir DEI, ſed ad quam per multas adhuc calamitates perveniri debeat; quod vaticinium refert Angelus ad annum 1212. *cap.* 10. *n.* 2. quô locô ſimul aſſerit, Dominicum, cùm in prædicatione Crucis adversùs Eccleſiæ hoſtes vigore datæ ſibi ab *Arnaldo* noſtro poteſtatis, multô zelô occuparetur, noſtris omninò *convixiſſe*, intérque *eos frequenter fuiſſe converſatum*: ut profectò Religioſiſſima Prædicatorum Familia illum ipſum fervorem (quô Patriarcha glorioſus ſemper, à quo, noſtrorum ductu ſemel cæpit, atque deinceps quoad vixit, heterodoxos inſecutus eſt) Ciſtercio omninò debeat, cujus beneficiô in Dominici præcordijs Apoſtolicus ille zelus tantis incendijs exæſtuaverit.

Apud Surium Lib: 1. c. 11.

Neque tantùm erga noſtros *familiaris* Pater Sanctus, ſed inſuper *beneficus*, quod expertus Annô 1220. Abbas de *Wolkolderode* apud Moguntinos, qui præterquam quòd eſſet Ordini Prædicatorum affectiſſimus, multáque liberalitate cùm perſonas, tùm cœnobia Familiæ Sanctæ proſequeretur, inſigni etiam cultu ac pietate, totô pectore ardebat erga Dominicum Parentem. Rependit pro cultu beneficium Pater Sanctus; cùm namque Abbas ille ad Generale Capitulum, Ciſtercium profecturus, in ipſo itinere, acri morbô correptus, ſinè ſpe reconvaleſcentiæ, quòd medici ſalutem jam conclamatam arbitrarentur, deſtitutus humanô ſolatiô, decumberet in lectulo, Patriarcha Sanctus cum ſocio è Familia ſua inviſit ægrotantem, ponè decumbentis verticem ſeſe collocans, Fratre interim comite, ad pedes Abbatis conſidente. Non agnoverat æger Sanctos hoſpites, exiſtimans duos eſſe è Ciſtercio amicos, qui viſitationis gratiâ advenifſent, conſolaturi languentem. Et ſanè non fefellit Abbatem opinio de amicorum præſentia, quanquam

Maluenda Scriptor Dominicanus, cit: apud Angelum, ad ann: 1220. cap: 4. n. 9.

quam non tam profeſſione, quàm familiaritate ac patrociniô Ciſtercienſium. Tum Pater Sanctus ad ægrotantem: *Bonô*, inquit, *eſto animô Abbas*, *ac ſpem Domino tuam repone; Vivis enim*, *neque in præſenti morieris;* Hæſit aliquantùm ad grata hæc ſolatia, ſimúlque vaticinia æger, quærénſque à Dominico: *Et quomodo tu*, *chariſſime*, ait, *hoc nôſti?* Cui Hoſpes Sanctus: *Ego ſum Dominicus*, *quem tantopere colis*, *ac diligis*, *miſſus à Domino*, *ut tibi hæc nunciarem.* Ad hoc verbum animô dulciſſimè exultans Abbas, cùm ſermonem, affectúſque pararet, quibus tantos hoſpites digniſſimè deveneraretur, Sanctus cum ſocio memorato diſparuit, relictô, quod nuntiaturus advenerat, beneficiô, quandoquidem poſt Dominici diſceſſum illicò æger convaluit. Notat Angelus ad annum 1221. *cap.* 2. *n* 1. è *Ferdinando Caſtillo*, auth: hiſpano, Sanctum Patriarcham Abbati non apparuiſſe *in tunica & capa Prædicatoria*, *ſed in alba cuculla*, *adeò ut ab eo Ciſtercienſis putari poſſet*: quod ego rursùs in Ciſtercij gloriam cum gratulatione explico, cùm videam Illuſtriſſimum Prædicatorum Parentem non modò amicitiâ, atque ope, verùm inſuper *habitu* profitentem ſe eſſe Ciſtercienſem.

Porrò etiam poſt obitum Pater Sanctus feſti ſui prima ſolemnia Toloſæ in Cœnobio, quod ipſe incoluerat, agi non voluit abſque Ciſtercio; apparens namque cœleſti fulgidus gloriâ *Haimerico de Solemniaco* Viro Sancto apud noſtros Grandi-Sylvanos, quem in vivis habuiſſet amicum præcipuum, rogavit illum enixè, feſtinaret ad Toloſanos ſuos alumnos, aucturus ſuâ præſentiâ filiorum vota & gaudia, quibus decretos à Romano Pontifice publicos honores primâ tunc celebritate ſibi forent gratulaturi. Et hæc quidem Dominicus Haimerico in viſione nocturna. Poſterâ die, quæ erat feſti pervigilium, obviàm ille ſibi Toloſæ habuit Stephanum Salanacum, Parentis glorioſi alumnum, à quo cùm rursùs invitaretur ad inſtantem ſolemnitatem, quæ poſtridie eſſet futura, tunc demum refricatâ memoriâ nocturnam viſionem pleniùs in ſpectaculum eduxit, atque de repetita ſolicitatione, quâ fuerat ad feſti primitias à Sancto & Sancti filijs poſtulatus, hilaris, ſpiritúque exultans, hæc ad Salanacum: *Omnipotens DEUS! gratias ago tibi*, *quia glorificas ſervum tuum Dominicum*, *quia per totam noctem*

Salanacus: apud Angelum ad annum 1234. c. 3. n. 9.

ctem ſui per ſpiritum in viſione cum eo, & more ſolitô poſt charitativa oſcula, poſt divina colloquia, mutuò habita, obnixè rogabat, & omnimodè injungebat, quòd hodie ad domum filiorum ſuorum venirem, & ſua curia intereſſem, ſolemnis enim futura erat valdè. Et ecce veniam latô animô, & adero cum gaudio & exultatione. Accurrit igitur in craſtinum Vir DEI Toloſam, trahens ſecum multos è Grandi-Sylva ſocios, qui junctis votis in filiorum conſortio gratiſſimis jubilis plauderent Sancto, ſeque, Ciſterciúmque univerſum tam olim devinctum, commendarent glorioſi Parentis perenni patrociniô. Sed neque hæc Ciſtercium inter atque Dominicum vincula tacere potuit Eccleſiæ ſupremus Paſtor *Gregorius IX.* qui in *Bulla Cannonizationis*, quâ Parentem Sanctum inter Cœlites adſcripſit, tam ſolicitè miſcuit Dominici laudibus laudes Ciſtercij, quaſi ambæ ad ſe invicem pertinerent, unæque ſinè alteris promi vix deberent. Dabo ex Bulla citata, quæ Ciſtercium concernunt, miſſis alijs, quæ in allegorica expoſitione quadrigarum Zachariæ Prophetæ Pontifex adduxit: - - - *In quadriga ſecunda*, ait Gregorius, *ſub colore, qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equeſtrem cuneum deputavit, qui ad clauſtrale deſertum ductus per ſpiritum, ſub novi Iſraëlis auriga, Sanctiſſimo Benedicto, velut ſub altero Haliſeo, filijs Prophetarum, communis vitæ bonum, occaſione multitudinis perditum, in jucundæ cohabitationis gratâ ſocietate reſtituit; & ſic unitas ſciſſum rete reſtituens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, unde omne malum panditur, proficiſcens, eum fecit in ingreſſis theſauros vivis, & contritis corde quieſcere, qui dedignatur in corpore ſubdito peccatis habitare. Poſt quos quaſi lapſum renovaturus exercitum, & redditurus jubilum poſt lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis FRATRIBUS CISTERCIENSIS ORDINIS, & FLORENSIS, velut tonſarum greges geminæ charitatis, fœtibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit aſcendere, Sancto Bernardo ariete ovium, in virtute ſpiritûs, quâ ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti Vallium praeunte, ut tranſeuntes liberati per eum in fortitudine, clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant caſtra DEI exercituum ſuper mare.* Notat Angelus ad annum 1234. *c.* 3. *n.* 10. in ipſa Bulla hac Pontificia, *Ciſtercij laudem ad Sancti Viri gloriam pertrahi, ipsô* (ſcilicet Dominicô) *volente factum, forſan & revelante aurem Pontificis.* Ubi etiam idem *Angelus* commendans Sancti cum noſtris intimam familiaritatem,

tem, hoc pro filijs Familiæ utriuſque votum è calamo, ſed magis è pectore deprompſit: *Adeò Dominus noſtris ſemper addictus, adeò eos ſemper non ſolùm officioſos, ſed etiam obſequentes expertus eſt, quod utinam filij (utroſque loquor) Dominicani & noſtri, ſemper corde retineant, & quod Parentes non ſolùm incepêre, ſed proſecuti ſunt, ipſi etiam uſque hodie conſervarent!*

Secundus Prædicatorij Ordinis Magiſter, ac Generalis Parens *B. Jordanus* continuavit ſolicitè cæpta vincula inter ſuos, noſtróſque, in Ciſtercienſium cœnobijs, quaſi domi ſuæ: frequens: Divæ *Lutgardis*, Virginis noſtræ Sanctiſſimæ, ſibíque coævæ cultor præcipuus, cui etiam impensè commendavit Dominicanam ſuam Familiam, ejus preces pro ſe, próque ſuis inſtanter implorans, affectúque omninò ſingulari eam totius Prædicatorij ſui Inſtituti conſtituens *Matrem* ac *Nutricem*: quatenùs cùm novella plantatio deſtituta eſſet Dominicô Parente, in vicem munúſque Parentis ſuccederet noſtra Lutgardis, maternis curis ſolicitatura Superos, pro filiorum ſibi à Jordano commendatorum ſalute, ac incrementis. Et certè id quidem, atque prorsùs ad Dominici genium, ſurgentis cum ſua plantatione per Ciſtercium, atque etiam deinceps ejuſdem auſpicijs per Orbem creſcentis. Neque enim, ſi vera, & verè ſentire ac loqui velimus, Patriarcha glorioſus alium tam habuit uterum, quàm Ciſtercium, è quo lineamenta præcipua deſumpſit pro formanda nova ſobole. Fuit quidem Oxonij olim Canonicus, ſed is tunc character minùs fæcundus & efficax ad effingendas illas novi Inſtituti pulcherrimas ideas, quas ſubinde tantopere ſuſpexit Orbis Chriſtianus, prævalente ſcilicet in Dominico ſeu *Prædicatoris* ſeu *Inquiſitoris* prærogativâ, quam utramque Ciſtercij indulgentiâ adversùs hæreticos cum plauſu geſſit. Igitur ſi Prædicatorum Familiæ in Dominico *Patrem* dedit, formavítque Ordo Ciſtercius, quídni & *Matrem* ille conceſſerit in Lutgarde? Et id quidem per vota Jordani, Viri Sancti, & Dominicô Parente, digniſſimi Filij ac Succeſſoris, qui Virginem, ùt dixi in dulciſſimam Matrem ſibi ſuíſque elegerit: rogans etiam à Sancta, ut per dies ſingulos *Pſalmum* 66.: *DEUS miſereatur noſtri, & benedicat nobis*, unà cum *Collecta*, ùt vocant, de *Spiritu Sancto*, pro Ordinis ſui felicitate tum ſer-

vanda, tum cumulanda ampliùs ipſa recitaret. Et promiſit id Virgo, & præſtitit, quoad vixit.

Subinde Jordanô Annô 1236. ereptô ad Superos, cùm Sancta in pervigilio Nativitatis Dominicæ, præter morem ſentiret in animo ſuo extingui divina lumina, quibus hactenus ſvaviſſimas inter delicias, cœli beneficiô atque illapſu fuiſſet perfruita, neque per prolixas preces à prima diei ad veſperum uſque multâ inſtantiâ protractas, ab illa mentis caligine ac ariditate ſeſe poſſet expedire, mæſtiſſimâ voce plangens: *Domine*, inquit, *quid eſt, quod ſentio? Quid eſt, quod patior? Certè ſi quiſpiam amicus, vel in cœlo, vel in terra pro me oraret, talem ego duritiam minimè ſentirem.* Et verò adfuit illicò è Superis, Virginis Sanctæ ille amicus, cultórque præcipuus, Jordanus, amictus gloriâ ac fulgore, qui poſteaquam Lutgardem prævié edocuiſſet de ſua inter Apoſtolorum, ac Prophetarum choros glorioſâ exaltatione, adjecit porrò, miſſum ſe à Domino, ut pulſis animi nubilis concupita adferret ſolatia, quibus Illa Naſcentis Sponſi cunas ac ſolamina digniùs atque dulciùs poſſet concelebrare. Aperuit etiam, inſtare in proximo Sanctæ agonem, è quo evolatura ſit ad cœleſtem laureolam: atque rursùs conſuetas preces poſtulans pro Ordine ſuo, continuandas à Lutgarde ad mortem uſque. Dixit, & Virginis oculis ſeſe momentô ad ſidera recipiens, tantâ dulciſſimæ voluptatis inundatione relictâ in præcordijs Sanctæ, quantam ſe nunquam per omnem aliquando vitam ſenſiſſe, profeſſa eſt. Hæc Jordani in terris, atque etiam è cœlis cum Sancta, è Ciſtercio, Virgine intima ſocietas, utriuſque Familiæ vincula atque alumnos coarctat ampliùs, ut nunquam ſanè ab invicem reſolvi debeant nexus illi tam ſancti, tam dulces. *Angelus* noſter hac in re pro Virginis reverentia, clariſſimæque ſanctimoniæ inſigni commendatione, Jordano in terris, éque cœlis recurrenti ad Lutgardis preces, ſenſa ſua ingenioſa ſubſcribit ad annum 1236. *cap:* 2. *n.* 11. Quòd ſcilicet illa *adhuc in terris manens, promiſſione felici de Cœlo factâ, certitudinem velut anteverterit futuræ gloriæ: & quod illuſtrius, quia planè ſingularius, ad quam non ſolùm mortales devoti veniant petituri orationes, ſuffragiáque; quod in omnibus frequens: ſed & cœleſtes; & jam glorioſi Spiritus. Quippe Jordanus poſt adeptum præmium* certa-

Thom: Cantiprat. in vita S. Lutgard. Lib. 3 c. 2.

certaminis illuſtris, cùm jam facie ad faciem DEUM videret, orationes Lutgardis pro ſuis poſtulabat; cœlicola terrenæ, in tuto poſitus ejus, quæ adhuc degebat in carne lubrica; demum victor & ovans, pugnantis militis, quæ adhuc, nè vincatur, timere debet. Certè mortales im̃ortalium ſuffragia quærere, conſuetum, & promptum: im̃ortales, orationes mortalium ſolicitare, rarum eſt, & quod non ſolùm petentis dignationem, ſed & ejus commendet dignitatem, à qua non fuit indignũ poſtulare. Neque ſola Lutgardis è Ciſtercio pro Ordine Prædicatorio apud DEUM Patrona; verùm etiam *Jacobus*, ſancti- *Floruit B. Jacobus Annô 1222.* tatis famâ apud Tuſcos *in Cœnobio S. Galgani* clariſſimus Monachus, qui viſitatus aliquando, rogatúſque à duobus fratribus Familiæ Dominicanæ, quatenùs ſe, ordinémque ſuum haberet ſibi in orationibus recommendatos, cùm multâ cogitatione poſt nocturnas laudes incertus hæreret, quænam potiſſimùm preces pro glorioſo illo Divi Dominici Inſtituto forent aſſumendæ, apparuit (quemadmodum aliàs non infrequenter) inter ea mentis fluctuantis ambigua ſtudia ſolicito Oratori Salvator Chriſtus, adferens è cælo orationes, quas deinceps dicturus eſſet, hæc fatus ad clientem: *Frater Jacobe, accipe iſtas orationes, & ſic pro Prædicatoribus ora:*

Corda Famulorum tuorum, Domine, illumina Sancti Spiritûs gratiâ, & ignitum eis eloquium dona: & qui tuum prædicant verbum, largire virtutis augmentum. Per Dominum.

Famulis tuis Domine, verbum tribue gratioſum, & munera oblata ſanctificans, corda eorum, in ſalutari tuo, quæſumus, viſita. Per Dominum, &c.

Conſerva Domine famulos tuos unigeniti tui corpore & ſanguine ſuſceptô: & tuum nunciantibus verbum, largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominum.

Et quidem hæ ipſæ preces, ùt apparet, adaptatæ erant ad collectas triplices, quas in Miſſa dicere ſolent Sacerdotes, quarum prima ante Epiſtolam vocatur *oratio*, altera poſt offertorium, *ſecreta*, tertia ſub finem ſacrificij, *Poſtcommunio.* Pertulit Jacobus dictatas à Salvatore orationes ad Pontificem *Honorium III.* qui perſpectâ cognitâque Viri ſanctitate, quem etiam non rarò ad ſe Romam evocare conſueverat, eaſdem appro-

bavit, indulsítque, ut, quandoquidem à tanto Dictatore emanâſſent, deinceps in incruento Miſſæ ſacrificio publicè adhiberentur: citátque *Angelus noſter* ad annum 1221. *c.* 2. *n.* 6. *Thomam Maluendam*, aſſerentem, hodiedum commendatas illas à Chriſto *collectas* haberi in Miſſali Prædicatorum. Magna ſanè Dominicani Ordinis felicitas, pro quo, divinô ore atque oraculô preces conceptæ ſint; at verò neque minor Ciſtercienſium gloria, qui divinâ inſtitutione formati, primi illas auſi, imò juſſi dixerint, digni omninò inventi, qui ipſius ſanctæ Familiæ Prædicatoriæ, Salvatoris, atque Honorij Papæ ſuffragiô, cum efficacia apud DEUM intercedere valuerint.

Theodoricus de Alpodia, Lib. 6. vit. S. Domin: epiſt. 6.

Alijs præterea revelationibus illuſtris *Jacobus* noſter, per quas rursùs commendati Prædicatores, *DEIparæ* favoribus felices. Interfuit aliquando Vir pius concioni Fratris cujuſdam è Dominicana Familia, inter animi ſolatia avidè excipiens, quæ è ſuggeſtu ille diceret; cúmque attentiùs hæreret in perorantis ſuavitate, ac facilitate, revelati ſunt divinâ diſpenſatione optimi Auditoris beatiſſimi obtutus, & viſa ab illo Auguſta Cælitum Regina conſiſtere ante felicem Oratorem, Codicémque explicatum tenere, è quo ille veluti ex ordine cuncta legens, miniſteriô Virginis malè dicere haud potuit. Vice alterâ cùm rursùs concionantem auſcultaret alium quempiam è Divi Dominici alumnis, qui offerente ſe occaſione, ſeu perurgente imperiô, minùs paratus ſuggeſtum conſcenderat, conſpexit denuò oculis cœlitùs revelatis Almam Matrem quaſi de induſtria ſe adjungentem perorantis lateri, dulcíque ſuſurrô in aures ſuggerentem, quæ oportuit proferre in publicum. Erant eæ viſiones Jacobo noſtro pro ampliori ſtimulo, quô affectuoſiùs deinceps proſequeretur Sacerrimam Familiam, Mariæ amoribus, imò officijs tam fortunatam, Ciſtercio vel ex eo dilectam magis ac fœderatam, quòd cerneret nunc etiam Prædicatores à DEIpara præprimis foveri ac diligi, qui profectò, ſi alia abeſſent, eô amoris ac præſidij Mariani titulô mererentur, à Mellifluis Alumnis adſumi in fratres, qui nempe eandem cum Ciſtercio in Maria haberent Matrem. Sequebatur poſt hæc viſa prodigia Vir ille noſter Ciſtercius Prædicatores alumnos, quantùm potuit, quantùm licuit, invitans ubique atque exſtimulans cùm

noſtros

noſtros, tùm exteros in eorundem amores ac beneficia, impendenda liberaliùs, ídque ob animarum ſalutem, cui illi tantis conatibus à DEIpara ipſa per prodigia commendatis, intenderent.

Quoniam de Auguſta Parente quædam memoravi, quæ Dominicanam Familiam, ex Ciſtercij teſtimonio, orbi reddant venerabilem, adjiciam argumentum aliud, quô inſtitutum utrumque in Diva Virgine conneɛtam. Refert Thomas de *Cantiprato Lib.2.c.*10.*p.*16.cit: apud *Angelum* ad annum 1220.*cap.* 4.*n.*5. de Sanɛto quodam Ciſtercienſium Monacho, qui raptus in ſpiritu ad thronum & præſentiam DEIparæ, audijt à Diva recommendari ſibi quoſdam fratres & filios ſuos per hæc verba: *Recommendo tuæ charitati meos fratres & filios, ut ſincerè diligas eos, & pro eis intenſiùs ores.* Ille ratus, è Ciſtercio eſſe, quos Virgo recommendare vellet, gratanter annuit, gratulatus ſibi ſuíſque ex animo, rursùs à DEIparente ſe filios dici ac Fratres. Ad quem Virgo: *Habeo*, inquit, *& alios Fratres, quos meô patrociniô fovendos & cuſtodiendos ampleɛtor.* Sub hæc verba pallij Virgine amplitudinem latiſſimè evolvit, exhibuítque ſub teguminis fortunati umbraculo ac præſidio, magnô numerô Fratres Prædicatores, colleɛtos ſub Marianam tutelam, adjecítque: *Hi ſunt, qui ſpecialiter reſiſtunt negotio, nè dileɛti Filij mei ſanguis inutiliter ſit effuſus.* Reſumat nunc Leɛtor benevolus ſcenam haud diſſimilem *è Tit:* 21.*pag.* 597. *&* 98. in qua pariter Ciſtercienſes ſpeɛtati ſub pallio Virginis, non ſecùs ac hôc locô Divi Dominici alumni, deducátque ex favoris identitate ſeu ſimilitudine, nova, eáque Mariæ auſpicijs formata, Ciſtercienſes inter ac Prædicatores pulcherrima vincula, nullâ rerum viciſſitudine rumpenda unquam. Tria ego hìc obſervo: primum eſt, viſionem præſentem non exhibitam fuiſſe Dominicano, ſed noſtro: alterum, commendatos rursùs Ciſtercij precibus Prædicatores, & id quidem à DEIpara: Priùs ſanè faɛtum, ut noſtri per domeſtica teſtimonia ſuaderentur ampliùs ad charitatem impendendam amiciſſimæ Familiæ, non ità fortè trahendi per exteros. Poſterius, ut Ciſtercij merita eô eventu commendarentur, per quæ DEUS potiſſimùm pro clariſſimo Inſtituto orandus ſit. Tertium ut utrinque moneantur alumni & hinc Ci-

ſtercienſes, & indè Dominicani, optare Virginem mutua ad invicem ſuffragia, & ideo imperare preces Ciſtercienſibus, ut tamen etiam vicem redderent Prædicatores; quanquam interim conditio noſtrorum ſit potior, qui electi, ut pro alijs orarent: quoniam beatius eſt dare, quàm accipere. Eſt præterea nexus utrinque dulciſſimè Marianus, reſultans ex amabiliſſima Antiphona, *Salve Regina*, cui Bernardus Spiræ trinô pijſſimô halitu adſpiravit mellea illa prædicata: *ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA!* Cantatur per dies ſingulos in univerſo Ciſtercio poſt Completorium, ſuaviſsimóque jubilô à Bernardi alumnis *Mater miſericordiæ*, in *vitæ* mortalis *dulcedinem*, & futuræ fidiſsimam *ſpem* advocatur. Conceſsit *Gregorius XIV.* indulgentias Congregationi Hiſpanicæ; pro illis quidem, qui memoratam Antiphonam decantarent ipſi, biennium; illis verò, qui datô campanæ ſignô, cantioni ſive è ſæcularibus, ſive Religioſis alijs intereſſent, annum unum de injunctis pœnitentijs. Quæ Pontificiæ gratiæ per Privilegiorum communicationem ſeſe in reliquum Ciſtercium diffundunt. *Annô* 1218. Patres in Capitulo Generali apud Ciſtercium congregati, in majoris reverentiæ erga Divam Parentem, exhibitionem, decrevêre, *ut quando inchoatur Salve Regina, petamus veniam, & proni ſuccumbamus, donec dicatur*, Mater miſericordiæ. Et quidem ad hunc ipſum præcitatum 1218. annum, *cap:* 12. *n.* 3. obſervat Angelus, nunquam fuiſſe Ciſtercium ſinè hac dulciſsma Antiphona, ſed vagientem adhuc in primis incunabulis Ciſtercienſem Sobolem jam cæpiſſe ſalvere Virginem: quæ ſalutandæ DEIparæ religio hodiedum conſtanter viget, adeò ut vix aliquid amabilius inter Ciſtercij cantiones audiri valeat, quàm cùm Bernardini Filioli poſt perſolutum horarum omnium penſum ſub cadentis diei finem totô ſimul pectore clamant ad Divam, oculóſque ſuos, inter accenſa Majoris aræ luminaria attollant ad Matrem, optantes, & ſuſpirantes, ut illa viciſsim in lachrymarum illas dulciſsimas valles reflectat, convertátque *Miſericordes oculos* ſuos. Eôdem ſanè fervore Patres Prædicatores in dies ſingulos Divam ſalvere jubent, eam pietatem, quemadmodum alia multa, trahentes è Ciſtercio, quod probabile exiſtimat Manriqueus ad annum 1218. *c.* 12. *n.* 4. quô locô Cantipratani verba è *Lib:* 2. *cap:* 10. adducit, per quæ decantandæ quo-

quotidie Marianæ illius Antiphonæ ritus atque ſolemnitas inſtituta à primis Ordinis Patribus: *Verè ergo dignè & juſtè* (ſcribit Thomas de Cantiprato) *à Fratribus Prædicatorijs, Pariſijs eſt ſancitum, ut poſt Completorium omni die cum proceſſione, & ſolemnitate cereorum, Salve Regina miſericordiæ, flexis in initio genibus in gloriam & laudem glorioſiſſimæ Virginis decantetur, & hoc diligentiſſimè in ſingulis Ordinis domibus obſervetur.* Planè hæc ad Ciſtercij genium: & quidem fateor, me nunquam audiviſſe (& audivi frequenter) à Dominicanis Patribus gratiſſimum hoc ipſum Marianum *Salve*, quin illicò menti meæ occurrerit, ſalutationis illius Virgineæ voces, eſſe veluti ſuaviſsimam echum, quæ è Ciſtercio primitùs egreſſæ intra Prædicatorum ora ac pectora dulciſsimam excitaverint æmulationem. Salvere millies deinceps jubete optimam Matrem veſtram, Filij Parentis utriuſque, & Dominici & Bernardi! quoniam illa ſolicita Mater erit, filios ſalvare, ſi vos ſoliciti filij, Matrem ſalvere.

Videndæ nunc *viſiones geminæ*, Dominici alumnis perquàm glorioſæ, exhibitæ & revelatæ per Ciſtercium. Priorem refert Prædicatorum Generalis Magiſter *Humbertus*, *Lib.* 1. *de vitis Fratrum*, *epiſt.* 6. cit: apud Angelum ad annum 1220. *c.* 4. *n.* 2. de *B. Eberhardo* Abbate Salemitano, è *Comitibus de Dordorff*, Innocentij III. & Honorij III. imperiô per Germaniam pro cruciata Expeditione Legato Apoſtolico: quem Salvator in ſomnis præmonuit, venturos ad eum poſtridie *Equos ſuos*, quos vellet ſibi eſſe curæ, & habere recommendatos. Non intellexit hæc monita Eberhardus, & equorum Chriſti nomen ſibi adhuc incognitum. At poſtera dies ſomnia, monita, equos explicuit. Venerant namque ad Salemitanum Cœnobium Fratres duo de Prædicatorum tunc recenter exorta Familia, quorum unus fuit *Joannes Teutonicus*, ſubinde quartus Ordinis Generalis Magiſter, è quibus Abbas ſtudioſè perquiſivit, quæ novi Inſtituti ratio, quæ leges, quódve munus? Siquidem ſe necdum nôſſe, necdum vidiſſe in Germanijs, exortos mundo Prædicatores. Reſpondit ad quæſita dilucidè atque eleganter *Teutonicus*, *Domini equos* ſe eſſe per vaticinia Zachariæ Prophetæ jam dudum præſignatos, qui Chriſti fidem, imò Chriſtum ipſum, per verbum vitæ (quod prædicarent) circumferrent per

 orbem,

orbem, equi ſcilicèt veloces & fortes, idonei ad ſupportandum onus propagandæ per populos Religionis. Cùm primùm audijſſet Abbas ſanctus repeti equorum vocabula, reſumpſit ſomnij imaginem, plenâque fide credens, hóſce Viros ſibi eſſe à Domino commendatos ſub equorum nomine atque allegoria, procidit ad hoſpitum amantiſsimorum pedes, figénſque oſcula, ait: *Verè vos eſtis equi Domini, quos promiſerat mihi.* Poſt oſcula, ſecutum eſt hoſpitale obſequium, pedum lotio, ac liberaliſſima veſtimentorum erogatio, quibus illi tunc indigebant. Ex eo tempore Eberhardus multâ cœpit munificentiâ fovere puſillum Prædicatorum gregem, gratulatus ſibi, divinô oraculô ſe provocatum, atque præelectum, ut eidem benefaceret. Videat Lector, quæſitos rursùs, & quidem ab ipſo Chriſto è Ciſtercio Patronos, quorum ſtudijs Dominicanæ Familiæ res, tunc adhuc modicæ, exurgerent altiùs.

Viſionem alteram recenſet *Stephanus de Salanacho* cit: apud *Angelum ann*: & *cap.* ùt ſuprà, *num.* 3. de *Gregorio*, cognomentô, *Cardalbaco*, Obacinæ in Gallijs tunc Priore, ſubinde Abbate: qui eximius rerum divinarum contemplator, cùm aliquando animum, ad cæleſtia natum, figeret preſſiùs in meditatione ſacra, conſpexit obortos repentè *duos ſoles* multô fulgore Cœnobium pervadere, ſparsâ etiam luce per omnem viciniam. Hærebat in novitate tam inuſitati ſplendoris contemplator Sanctus, & quoniam ſub id tempus ſignô evocaretur ad perſolvendam cum Fratribus Nonam, velutì expergefactus, circumferebat animô ſoles, quos in ſomnis viderat, neque adhuc intelligens, quid ſibi portenderent gemina illa luminaria, in mente ſua haud dubiè accenſa divinitus. Hæc viſæ lucis portenta expendens, è dormitorio ad clauſtrum deſcendit: cùm ecce, occurrunt ei duo Fratres Prædicatores, *Frater Gregorius Lemovicenſis*, & *Frater Joannes Baliſtarij*, pietate, ac prædicationis facundiâ admodùm celebres, Cœnobium ſub id tempus ingreſsi, Necdum viderat de novo Inſtituto quempiam Vir DEI, Quoniam igitur gemini ſolis tam mira viſio conjungeretur adventui gemini hoſpitis, ſpiritus ad intra ſeſe recolligens Gregorio innuit: *Ecce iſti duo ſoles, & vera Mundi lumina!* Excepit itaque gaudens in Domum ſuam clariſsimos, chariſsimóſque

móſque lucis filios, qui ſuô ad Obacienſes ingreſſu cæleſtis viſitationis adferrent haud obſcura indicia.

Memorandus etiam hôc locô *B. Conradus*, *Cardinalis* & Epiſcopus *Portuenſis*, è Ciſtercio aſſumptus, qui Bononiæ aliquando commoratus, inviſit ibidem Divi Dominici alumnos, Sede, in Urbe illa recenter donatos: & ſiquidem novitatem Inſtituti non ſatis caperet, petijt inſtanter, in hac animi fluctuatione, lumen deſcendens deſuper: quid nempe in Eccleſia portenderet novitium hoc Religioſorum genus? Reſedit itaque in templi cathedra, poſtulavítque Codicem, qualem Fratres vellent. Exhibitus eſt liber Miſſalis: quem ille aliquantùm manibus prænſans, corde interim per tacita vota ſurgente ad DEUM, quatenùs per ſignum innueret, ad quid Ordo iſte veniſſet? Tum ſubitò clauſum volumen reſeravit, incidítque in paginam, cujus ſupremæ fronti inſcripta hæc verba: *Laudare, benedicere & prædicare.* Eô eventu, quaſi divinô oraculô admonitus, in Virorum amplexus ruit, & quandoquidem cœlô edocente nunc nôſſet novellæ Familiæ ſancta & Apoſtolica munia, gaudens atque exultans hæc inter amplexus ad Fratres: *Ego quidem tametſi alterius profeſſionis habitum extrinſecum fero, at veſtrum intùs, animô, indutus ſum, nec ambigere debetis, quin totus veſter ſim, Veſtri Ordinis ſum: Vobis me totâ devotione committo.* Exinde in Sanctam illam plantationem ſemper benevolus, ſemper beneficus Conradus noſter, quâ pollebat apud omnes authoritate, compenſavit deinceps officijs, quod nuperâ hæſitatione veluti fuerat neglectum. Annô 1226. in Germaniam Pontificius à latere Nuncius deſtinatus, in Concilio, quod *Coloniæ Agrippinæ* convocaverat, promulgavit in ea Synodo coràm Prælatis privilegia Papalia conceſſa Prædicatoribus, quorum vigore poſſent prædicare populis, & confeſſiones audire: cúmque nonnulli è Curatis querularentur, novos hos operarios mittere falcem in alienam meſſem, ardens zelô Conradus, quendam importuniùs id expoſtulantem ſic aggreſſus: *Quis eſt*, ait, *numerus hominum in Parochia tibi ſubditorum? Et ille*, *novem millia*, inquit: *Tunc conſignans ſe cruce Legatus*, *dixit*: *Quis es tu miſerrime*, *qui tot millibus ſolus ſufficis*, *debitam gubernationis curam impendere? Neſcis hominum perditiſſime*, *quia in illo debes* *tremen-*

Obijt B. Conradus Annô 1227.

Theodoricus de Alpodia Lib. 6. Vit. S. Domin. c. 7.

Cantiprat. L. 1 de Apibus cap. 9.

tremendo judicio ante tribunal Chriſti de his omnibus reſpondere. Et tu, ſi tales habes Vicarios, querularis, qui onus tuum gratìs relevent, cujus ſub pondere neſcius conquaſſaris? Quia igitur ex hac querela indignum te curâ omnimodè judicâſti, ideò privo te omni beneficiô Paſtorali. Videat Lector Virum è Ciſtercio zelantem pro Dominici alumnis, neque Coloniæ duntaxat, verùm *per univerſam Germaniam* (quod aſſerit Manriqueus ad annum 1226. *c.* 1. *n.* 11. ex Cantiprat: ibi cit:) divulgante indulta Apoſtolica, atque indultorum promovente efficaciam.

Annus porrò 1236. rursùs exhibuit nova beneficia; quibus noſtri devinxêre ſibi Prædicatores: *Joannes* namque Ciſtercienſium apud Italos *Abbas S. Pantaleonis*, de Conventûs ſui adſenſu conceſſit Dominicanæ Familiæ, in urbe *Luca* ad domicilium quoddam adſpiranti, *Eccleſiam S. Juliani cum clauſtro, dormitorio, & alijs officinis* eò pertinentibus: Item *Eccleſiam S. Bartholomæi*, & *Hoſpitale* eidem annexum, cum cæteris bonis intra urbis mœnia. Quæ donationes firmatæ Inſtrumentô publicô, nè periret beneficij tam cumulati memoria. Subſcribit Angelus huic Ciſtercienſium erga Prædicatores munificentiæ; ad annum 1236. *c.* 7. *n.* 12. gloſſam ſequentem: *ut palàm ſit, quàm ſinè æmulatione ageretur à noſtris, qui eos, quos participes functionum, & in cunctis Eccleſiæ miniſterijs velut additos ſocios experiebantur, non ſolùm non ab opere avertebant, aut retardabant, ſed promovebant ſemper, & velut ſucceſſores futuros, vel ex his, quæ ſibi demebant, accumulabant.* Cæterùm quòd aſſerit Angelus, Dominicanos fuiſſe Ciſtercienſium *Succeſſores*, innuit, *S. Inquiſitionis Tribunal*, per noſtros cœptum, continuatum deinceps per Prædicatores, quod jam nos fuſiùs ſupra in *Tit:* 24. deduximus. Cui rei illud inſuper addendum, quòd *Urbanus IV.* è Ciſtercio Pontifex, Annô 1261. *Inquiſitores* è Dominicana Familia donavit privilegiô (cujus initium, *ùt negotium*) abſolvendi ſe mutuò abſque recurſu ad Priores ſuos, ab excommunicatione, atque diſpenſandi in irregularitatibus.

Bullar: Rom. Tom. 1. pag. 158.

Et ſanè viguit affectûs viciſſitudo in ſanctiſsima Familia erga noſtros: Unde cùm *Annô* 1218. nonnulli è Prædicatoribus ſub Ordinis initium fluctuarent, incerti adhuc ac puſillanimes de plantationis novæ incrementis deliberata eſt ab illis primò,

ac

ac tandem etiam decreta tranſmigratio ad Inſtitutum Ciſtercienſe, ſibi in Parente Dominico tam præ cæteris familiare, jámque etiam tranſmigrandi facultas impetrata ab *Hugolino Cardinali* Legato. Quam rem eleganter penſat Angelus per hæc verba ad *annum* 1218. *c.* 10. *num.* 10. *Hac planè Ciſtercienſium illius ævi & prima & ſumma laus, quòd vel poſt centum & viginti annos adeò florerent, ut à diſcipulis & ſocijs S. Dominici, ipſô adhuc vivente, velut ſibi ſequendi, probari poſſent. Non dubito à noſtris repellendos, ſi de facto acceſſiſſent, pro reverentia Sancti, & Ordinis, quem ab initio promoviſſent, perſvaſâ ſibi in Eccleſiam utilitate. Sed gratulor tunc adhuc tales eſſe, quorum virilis ætas, adultáque non ſenioribus tantùm arrideret, verùm juvenibus, & ſub auſpicijs Dominici adulturis.*

Obijt B. Didacus Annô 1207.

Repetendus pariter hôc locô *B. Didacus de Azebes*, Oxomienſis Epiſcopus, ſuprà *Tit*: *XI.* à nobis laudatus; Illuſtriſſimi Parentis Dominici in ſpiritu Magiſter, plenus zelô Apoſtolicô, quô ante, ſed magìs poſt aſſumptum Ciſtercium æſtuavit. Epiſcopatu initiatus, Eccleſiam ſuam cæteroquin ſæcularem, ſub jugum Regulæ Divi Auguſtini adduxit, Dominicô ob virtutis præcipuè commendationem é Palentia adſcitô in Regulare Collegium, atque ordinatô Subpriore. Coaluêre utriuſque animi in intimam familiaritatem, alterô in alterius moribus ſuſpiciente ſanctitatis ſpecimina, magiſterij tamen prærogativâ ſtante penès Didacum. Cùm ſubinde Præſul illuſtris Romam eſſet aditurus, ſeu ab Innocentio evocatus, ſeu motu propriô commiſſæ ſibi Eccleſiæ negotia cum Pontifice pertractaturus, in itineris comitem ac ſolatium, Dominicum adlegit, cum quo viſitatâ Urbe, per Toloſates reverſurus ad ſedem ſuam, incidit in Albigenſes, atque etiam in Viros Apoſtolicos, qui è Ciſtercio aſſumpti hæreſim tunc oppugnabant. Indè *venerandum illud Sanctuarium totô Orbe percelebre*, (ſic Archicœnobium Ciſtercienſe vocat Angelus ad annum 1206. *c.* 1. *n.* 8.) adiens, viſâ loci Virorúmque florentiſſimâ ſanctimoniâ, Inſtituti noſtri habitum in Ciſtercio induit, atque cum habitu zelum adversùs heterodoxos: quod argutè notat *cit*: *Angelus*: *Sanctum ſcilicèt Epiſcopum non aliter, aut antea promoviſſe extirpationem hæreſum, atque hæreticorum impugnationem, quàm Ciſtercium aſſumpſerit: nec quid ab*

eo in hac cauſa factum eſſe, quod non Ciſtercio veniat referendum. Addiderim ego, nec priùs Didacum ſuaſiſſe Prædicatorij Ordinis novam plantationem, niſì poſteaquam ipſe Ciſtercio acceſſerit, ut planè novô titulô illuſtris Familiæ primitiæ ad Ciſtercij auſpicia referendæ ſint, quòd nempè Dominicus perlatus ad Toloſanos, ubi prædicationis opus tunc per noſtros fervebat adversùs Albigenſes, quòd ad Ciſtercij, & qui tunc Ordini præerat, *Arnaldi* Generalis, Supremi Inquiſitoris notitiam, atque amicitiam perductus, quòd ad inquiſitionis Sanctæ miniſterium admotus, quòd ad condendum novum in Eccleſia Inſtitutum, cujus præcipuum munus foret adversùs hæreſes Apoſtolica *prædicatio*, primis conſilijs exſtimulatus, totum hoc *Didaci* beneficiô factum eſt, Dominico veluti manuductum præbentis ad hæc & audenda & perficienda, adeò ut ſinè clariſſimo hoc Præſule Parens Sanctus fortè intrà Hiſpaniæ, atque Regularis ſuæ Oxomenſis Eccleſiæ terminos conſtanter delituiſſet, niſì Didacus Virum DEI eduxiſſet in aciem, & ſub Ciſtercij ſignis conſtitutum admoviſſet ad novæ cohortis deinceps à ſe colligendæ propoſita. Et ſic quidem Dominici *Parentem ſpiritualem*, DEI munere olim vendicavêre ſibi Ciſtercienſes noſtri. Nunc ejuſdem Sancti illuſtres *Parentes carnales*, *Felix Guzmannius*, & *Joanna*, ſpectandi etiam, quod ſanè mireris, in Ciſtercio apud Hiſpanos, in Cœnobio *S. Petri de Gumiele*, glorioſis tumulis ſimul reconditi, quaſi in beneficij monimentum, quòd Dominicus filius noſtris auſpicijs creverit in Gentem magnam, filiorum perenni ſucceſſione uſque ad ſæculi terminos duraturam. Recepêre quidem Dominicani Patres *Joannæ*, optimæ Matris oſſa, noſtrorum donatione tranſlata in *S. Pauli* templum *Pennafilenſe*; verùm *Felicis* Parentis exuviæ adhuc beant Ciſtercium, & quò minùs ſeu Prædicatorum ſtudijs, ſeu noſtrorum in Prædicatores repetendâ munificentiâ indè abſtrahi poſſint, in præfato Cœnobio noſtro de *Gumiele* occultæ & incognitæ: divisâ nempe inter utramque Familiam, Mellifluam ſcilicet & Dominicanam felicitate, utrinque habente aliquid, quod ſpectaret ad Dominicum, quandoquidem ad utroſque etiam ſpectaret ipſe Dominicus, ad Ciſtercienſes ob *Patrocinium* Sancto præſtitum, ad Prædicatores, ob *Parentelam*, quâ eſſent per Sanctum donati. Et Fratrem Ger-

Germanum in Ciſtercio habuit Patriarcha inclytus, *B. Mamertum*, Abbatem prænuncupati Cœnobij *de Gumiele* Abbatem, virtutes fraternas in amica, chariſſimáque Fratri ſuo Familia ardentiùs æmulantem, quòd nempe ſciret, gratum fore Dominico, aliquam ſanguinis ſui cognationem transfuſam eſſe in illud inſtitutum, unde ille Ordinis ſui primodia hauſerit. Poſt Mamerti beatum è carne exceſſum illuſtravêre reconditas in tumulo exuvias frequentia prodigia, ob quæ per Sanctæ Sedis decreta deinceps elevatæ ad cultûs publici ſolemnia. Neque diſcipulus ille, quem diligebat Dominicus, ille Poloniæ, ille Orbis Chriſtiani floridus Flos, Divus Confeſſor *Hiacynthus*, ſinè Ciſtercio aliquando floruit: aſſumptus nimirùm à *B. Vincentio* Cracovienſium glorioſo Antiſtite, ſubinde inter *Andreovienſes* noſtros ſub Mellifluis legibus conſummando, in Cathedralis ſuæ Eccleſiæ Canonicum: adeò ut priùs alumnus ille fuerit ac diſcipulus Vincentij, quàm filius ac ſocius Dominici. Manriqueus ad annum 1218. *c.* 7. *n.* 4. eleganter hoc ipſum expendit, aſſerítque id eveniſſe *fatali quâdam* (nota vocem) *fatali*, inquam, *noſtrorum propenſione in illud inſtitutum, cujus non ſolùm cunabula fovere, ſed prævenire datum; & quod magìs mirandum, præveniri: quippe non tantùm profeſſi, erga profeſſos; erga Prædicatores, Ciſtercienſes; ſed erga profeſſuros, profeſſuri etiam, cùm non cogitabant, profundebantur. Ità Dominicum Oxomenſis Didacus, Oxomenſi prabendâ, cùm neque Ciſtercium cogitâſſet, neque ille edendum fœtum concepiſſet: Ità Hiacynthum Vincentius Cracovienſis, Cracovienſi donavit, cùm neuter adhuc de deſerendo ſæculo, neuter de converſione deliberâſſet.* Ex ipſa deinde *Guzmanniorum* clariſſima progenie, quæ Dominicum Orbi dedit, tres illuſtriſſimæ Virgines ad inclyti Parthenonis noſtri *Huelgenſis* gubernacula aſſumptæ, electæque in Abbatiſſas, novis veluti ſurculis propagavêre Guzmanniorum cum Ciſtercio fœdera. Eæ fuêre *Mariæ* geminæ, & *Joanna*, ſingulæ cognomentô ac genere *Guzmanniæ*: prior illa Maria Regij Cœnobij *Antiſtita IV.* Maria altera, X*VI.* Tertia, quæ dicta Joanna, XX*III.* Et quidem etiam, & præcipuè hìc memorandus *Divus Thomas Aquinas*, Doctor Angelicus, Orbis Chriſtiani Sol, qui *Gregorij* X. imperiô deſtinatus ad Generale Concilium Lugdunenſe, cùm in itinere, morbô correptus ſubſiſtere cogeretur, ad *Foſſam Novam*, Ciſtercienſium

Circa Annum 1221.

Cœnobium apud Neapolitanos delatus eſt, ibíque puriſſimam animam inter Mellifluos alumnos exhalavit; explanatis priùs *Canticis*, quod noſtri à Sancto unicè rogaverant. Neque caſu id factum, quòd Angelicus Aquinas præ cæteris elegerit *Foſſa-Novenſes* noſtros, apud quos decumberet, imò & hominem exueret; verùm id ideò eveniſſe, colligo ex Manriqueo ad annum 1135. *c.* 9. *n.* 7. quòd Comites Aquinates, atque eapropter Divi Thomæ aſcendentes, eſſent Foſſæ-Novæ Fundatores, & Thomæ Parentes, atque etiam ipſe Doctor Sanctus, hæreditariô ſanguinis jure, Domûs illius Patroni. Ad clientes igitur portari voluit Patronus, curandus, atque etiam tandem contumulandus ab alumnis. Credunt nonnulli (quod obiter hìc noto) *Foſſam-Novam* eſſe locum illum, in quo fuerit *Forum Apij*, de quo in *Actibus Apoſtolorum.* Ibi ergo per tempus, quô à morbo aliquantùm reſpiraverat, Angelicâ pennâ ad Bernardi genium, celebre Salomonis epithalamium expoſuit: quo in labore & pennam tandem poſuit & vitam. *Theobaldus de Ceccano*, Illuſtris Campanus, 16. Foſſa-Novenſium Abbas, ac ſubinde per Gregorium X. S. R. E. creandus Cardinalis, caſtiſſimas Angelici Aquinatis exuvias tumulô reverentiſsimè clauſit, per annos complures à noſtris ſervandas inter prodigia. At quia pretioſum pignus repetendum timeretur à Dominicanis Patribus, quidam è Monachis communicatô inter ſe conſiliô tollentes oſſa ſacra è ſepulchro, aliò contulerunt, tutiùs, quia ignotiùs recondenda. Non probavit Doctor Sanctus pij furti religionem, eapropter Priori Foſſæ-Novæ (quem in ſomnis de admiſſa translatione ſeveriùs redarguerat) imperavit, ut aſportatæ ſuæ exuviæ quantocyùs reſtituerentur priſtinis loculis. Quæ revectæ cum reverentia, implevêre totum Cœnobium cœleſti odore, redditæ inibi tumulo, miraculis deinceps coruſcaturo. Et quidem rectè Doctoris Sancti mors fatorum benignitate in Foſſa-Nova decreta eſt, ut, ſiquidem olim Thomas in tenera ætate ſpiritum religionis inter Benedictinos Caſſinenſes hauſiſſet, illum rurſùs plenum gratiâ & veritate, inter Benedictinos Ciſtercienſes DEO redderet, ſociandum Angelis, quorum ſimilitudinem Angelicâ vitæ puritate, quoad viveret, præſetuliſſet. Inſerenda hôc locô illuſtria elogia, quibus Angelicus ornavit Doctorem Mellifluum, ſpeciali

ciali ſermone in Bernardi laudes conſcriptô, cui è Sacro Codice præfixum hoc pretioſum Thema: *Aurum & multitudo gemmarum, & vas pretioſum labia ſcientiæ.* Prov: cap: 20 Subinde è gemmarum analogia ad ſidera evolavit Angelicus Encomiaſtes, panegyrim proſecutus inſtitutâ Doctoris Melliflui comparatione cum Choris Angelicis: *Fuerunt*, inquit Thomas, *in eo*, nempe Bernardo, *novem gemmæ, de quibus dicitur: omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius &c.* Ezech: 28. c. *Lapides iſti ſignificant novem Ordines Angelorum, quibus dotatus B. Bernardus: qui habuit in ſe virtutes, & officia omnium novem Ordinum Angelorum.* Subſcribit Angelici Doctoris verbis parvulam gloſſam *Manriquez* noſter, & ipſe *Angelus*, ad annum 1153. *c.* 9. *n.* 4. *Sic D. Thomas in uno Bernardo agnoſcens velut collecta, quæ diſperſa in alijs; nec hominibus tantùm, verùm & Angelis, neque in uno tantùm aut altero, ſed cunctis ſimul.* Et quidem illis ipſis laudibus, quas illuſtris Doctor in Parentem Mellifluum congeſſit, nova etiam vincula exhibuit, ideò nempe Angelicâ ſimilitudine commendans Bernardi dignitatem, ut, quoniam ipſe pariter olim eſſet ab Eccleſia ſalutandus Vir & Doctor Angelicus, eâ nimirùm elogij conformitate propiùs atque intimiùs accederet ad Bernardi ſocietatem, quem ille nuper linguâ ſuâ & pennâ tantis affectibus atque encomijs Angelum pronunciâſſet, appellandus & ipſe Angelus & Angelicus deinceps, fortaſſe ex parte ideò, quoniam Angelicas in Bernardo dotes nemo rectiùs, nemo meliùs ſeu inſpicere, ſeu deprædicare valuerit, quàm qui Angelici Doctoris nomen & honorem cœlitùs obtinuiſſet per communicata lumina, & humanitùs tuliſſet per Pontificum & ſcholarum oracula.

Neque hic omittendus *Vincentius Ferrerius*, Patriâ Valentinus, 32. Abbas Populetanus, S. Theologiæ Magiſter, non [illegible] nominis duntaxat identitate, verùm inſuper ſanguinis cognatione, & quod utroque ſanctius, charitate eximiâ junctus *Divo Vincentio Ferrerio*, Dominicanæ Familiæ illuſtriſſimo Sideri: quídni enim Vincentius Prædicator, Vir ille Apoſtolicus & ſanctiſſimus in Vincentio noſtro & ſuo aliud tam amaverit, quàm virtutem, præcipuum Sanctorum ſtimulum, qui ad amandum illos impellat? *Sena* quoque Italiæ Urbs hìc collocanda, clara patrocinió *S. Galgani*, Ciſtercienſium alumni, & *Divæ*

Zzzzzzzzzz *Catha-*

Catharinæ ab illa ipſa urbe nuncupatæ *Senenſis*, Viraginis illuſtris è Familia Dominicana: quæ advocavit ſibi per publica vota Sanctorum hoc cœleſte *par* in perennes Patronos, utriuſque ſacrô Capite à corporibus piè avulsô, aſſumptô in patrocinij cùm per cives implorandi, tum per Divos exhibendi teſſeram ac argumentum: ut rursùs vel per exteros Sanctus Ciſtercij, jungeretur Sanctæ Dominicanæ, atque per Sanctum utrumque Ordo uterque ſibi: quod utinam & alumni utrinque proſequantur ſinè fine!

Cum AUGUSTINIANIS.

QUæ præceſſerunt cum *Præmonſtratenſibus* & *Prædicatoribus* vincula, hìc repetenda ſunt; quoniam cùm uterque Ordo ſub *Auguſtini* Parentis legibus militet, uterque *Auguſtinianus* dici debet; adeóque nexus, qui ſtringit *Norberti* & *Dominici* filios cum Ciſtercio, ſtringit ſimul Ciſtercium cum Auguſtino, & Magni Patriarchæ alumnis. Sunt quidem Auguſtiniani ſub uno ſupremo genere, variô ordine ac differentiâ inter ſe diſcreti: at nos hìc illam diverſitatem minùs attendentes, dabimus quædam in communi, dabimus etiam in particulari, quæ vel ipſi collegimus, vel aliunde accepimus, plura prorsùs daturi, ſi plura accepiſſemus. Et quidem in præſenti hac feſtinatione excuſandi ambo, quòd nempe brevis mora in culpa ſit, quæ utroſque, & me & exteros ab ulteriori vinculorum diſquiſitione abſtraxerit. Suppleat Lector benevolus, ſi quæ ſuppetunt ad præſens argumentum.

Atque in primis *Bernardus* ipſa hæc vincula auſpicetur, Magno *Aurelio*, Doctori Doctor, Sanctus Sancto, præcipuâ devotione addictus, qui (utì ex *Abaudunio Ord: FF. Min: Capucin: in præfat: ſuæ Theol:* refertur) aliquando ſub Divini Officij penſum, cùm Divi Auguſtini ſermones in choro legerentur, pietatis ardore exæſtuans, extra ſenſus abijt, vidítque in ecſtaſi, è S. Doctoris ore cum impetu copioſas undas erumpere, ſeſe diſpertientes in flumina, atque numerosô alveô Eccleſiam Sanctam uberrimè irrigare. Nemo capacior ad eructanda hæc ſacra fluenta, ac Aurelius: & nemo dignior, qui hanc fluentorum ſcaturiginem, Auguſtini labia, introſpiciat, quàm Bernar-

Bernardus, qui nempe è *Fontanis* ortus, ſuos etiam fontes, imò & flumina Aurelij torrentibus adjiciat, adaugeátque inundationem!

Doctiſſimus *Caramuel Comment: in Regul: S. Benedicti diſp:* 34. *n.* 344. novum mihi fontem aperit, in quo Bernardus noſter cum Auguſtini filijs confluit. Notat ille cit: locô, Parentem Mellifluum in *Serm:* 1. *de S. Andrea Apoſt:* inſigni elogiô recommendaviſſe alumnos Auguſtinianos, ſub typo & allegoria fluvij: *Fluvius quippe eſt*, ait Bernardus, *Prædicatorum Ordo.* Non potuit laudare Doctor Sanctus Dominici Parentis filios, qui necdum tum fuerant, Bernardô longè poſteriores: adeóque conficit Caramuel, vix poſſe textum expendi, ſi illi ſæculô, quô Sanctus vixit, negentur *Prædicatores & Apoſtoli Auguſtiniani.* Videas Bernardum de Fontanis & divinitùs aſſumptum ad ſpectaculum, in quo videret flumina ex Auguſtini pectore egredi, & cœlitùs ſtimulatum ad elogium, quô ſub fluvij imagine commendaret Auguſtini filios, egreſſos ſanè ex Magno Parente, non ſecùs, ac flumina ex immenſo mari. Cæterùm *ſanctitate & literis florere & prodeſſe ubique PP. Auguſtinianos*, aſſerit cit: Caramuel: ut quidem laus, quæ è Ciſtercij Patriarchæ calamo primùm ſcaturijt, ſubinde etiam per Ciſtercij Doctorem propalaretur.

Præter morem alioquin Doctori Mellifluo, cùm ſcriberet, cùm peroraret, allegare multùm Patrum, ſeu textus, ſeu nomina; at verò, quòd ſciam, Auguſtini nomen præ cæteris iterum iterúmque ſparſit per opera ſua, ſeu ſcilicet daturus pretium libris ab aureo Aurelij vocabulo, ſeu excitaturus in ſe ſuíſque, animi incendia, tanti, támque Seraphici Antiſtitis memoriâ. Et hinc eſt, quòd utriuſque Sancti Patris, Ambroſij atque Auguſtini ſolemnem jubilum, ac gratiarum carmen, *Te DEUM laudamus*, in choro aliquando inter animi ſcintillas intonans Bernardus, viſus ſit è labijs, unà cum verbis exhalare flammulas, haud ferè diſſimiles illis, quas pictorum penicilli è corde Divi Aurelij erumpentes adumbrant: ut planè per illam ignium ſacrorum ſimilitudinem, Magni Auguſtini æmulum haud obſcurè ſeſe probaverit Doctor Mellifluus. Hæc Bernardi erga Parentem Sanctum devotio: nec minor erga filios Sancti

familiaritas, præſertim erga *Hugonem* & *Richardum*, Regulares Canonicos, dictos *à S. Victore*, ſibi coævos, Viros cùm in Philoſophia, tum in Theologia ſummos. *Hugonem* appellat *Thomas Cantipratanus*, *lib*: 2. *Apum*, *cap*. 16. *pag*: 5. *Secundum Auguſtinum*, quòd ſcilicet *Secundus ab Auguſtino in ſcientia dictus ſit*: qui tamen in gravioribus Theologiæ difficultatibus ad Bernardum recurrens, enodari ſibi dubia ab eo petierit, ùt patet ex *epiſt*: 77. ſeu Tractatum dicere malis, atque etiam ex *epiſtola* 98. utraque perſcripta à Parente Mellifluo ad Hugonem, reſolvente utrobiq; propoſitas ſibi quæſtiones. Richardum econtra Bernardus conſuluit, ut nimirùm per mutua oracula ſeſe Viri illi Magni illuminarent, neque ſolus Bernardus Auguſtini filios erudiret, verùm & ab his erudiretur, quæ ipſa doctrinæ viciſſitudo fortiùs necteret utrinque Doctores Sanctos, quandoquidem alterutri nec ſoli oracula peterent, nec ſoli darent; ſed nunc conſulerent edocendi, nunc edocerent conſulti. Notat *Bellarminus Lib*: *de Script*: *Eccleſ*: ad ſæculum undecimum, Richardum fuiſſe *Bernardi amiciſſimum*: quod ſanè liquet è Tractatu, de dubijs quibuſdam tangentibus Perſonas in Divinis, ad Bernardum perſcripto, ubi ille hæc: *Quæris à me, mi Bernarde, quid mihi videatur de illa Auguſtini ſententia, in qua attribuitur Patri unitas, Filio æqualitas, Spiritui Sancto utriuſque concordia. Libenter aperio mihi alteri, quod ſentio, communicare volens, ſi quid rectè, vel ex quantulacunque parte ſapio: ſimul & corrigi ambigens, ſi quid aliter ſentio. Propria, ſi placet, ſingulorum conſideremus, & fortè eluceſcet, quod quæritur.* Quibus ſubſcribit Angelus ad annum 1140 *cap*: 9. *n*. 6. ſequentia: *Ità planè uterque eximiè docens, uterque docibilis, cùm charitate omnimodis unirentur, unde & ſe alterum Richardus Bernardum vocat, ſolô amore ſapientiæ dividebantur invicem correctores, & corrigendi.* Et rursùs *in Tract*: *de Verbo incarnato*, in fine cap: 1. *Hæc ſunt, quæ mihi exponenda proponis, & fatuitatem meam fatigare non erubeſcis.* Et iterum in Tractatûs allegati coronide: *Ecce de materia modica, ſed multùm profunda, dixi, quod potui, & quomodo potui, ſi inſipiens factus ſum, tu me coëgiſti.* Extant etiam Richardi *declarationes nonnullarum difficultatum Scripturæ, ad Bernardum Clara-Vallenſem*, in quibus familiari facetiâ eundem redarguit importuniùs conſulentem: *Fateor*, inquit, *jam non poſſum exactionis tuæ importunitatem æquanimiter tolerare, qui me cogis, non ſolùm mihi à te, verùm*

rùm etiam tibi à me propoſitas quæſtiones ſolvere. In quibus videat Lector Bernardi ingentem ſciendi ardorem, atque etiam, quod in Doctoribus pulchrum, in conſulente humilitatem, qui ſcilicet mallet ab alijs accipere ſenſa, quàm (tametſi potuerit) ferre & ſequi propria, aliena præferens ſuis, quod ſemper aſſuevit, atque etiam ultimis ſanctiſſimis tabulis moriens tranſcripſit pro hæreditate aſſumendum, ſervandúmque deinceps à filijs, nimirùm: *Minus ſemper ſenſui ſuo, quàm alterius ſe credidiſſe.* Videat econtra Richardum Bernardi precibus negare nihil, malléque ſe argui *de fatuitate, atque inſipientia* in reſpondendo, quàm amici poſtulatis minùs obtemperare. *In Teſtam: S. Bern: punct: 2.*

Poſt Bernardi cum Auguſtino & Auguſtinianis vincula, memorandus Venerabilis *Hugo Flaviguiacenſis*, Fontaneti Prior, Magni Aurelij cultor præcipuus, qui ardentiſſimis votis id unum ſemper poſtulabat à S. Patrono, ut in Feſti ſui ſolemnijs animam exhalaret, Advocati auſpicijs feliciùs evocandam è carne, atque evehendam ad Superos. Grata erant Auguſtino clientis chari fida obſequia, atque etiam hæc ipſa pia deſideria, quibus Hugo cuperet eâ die hominem exuere, quâ ipſe Doctor Sanctus, in tanti Patroni conſortio fidentior ſubiturus vultum ac tribunal Judicis. Hæ juges erant Hugonis ad Sanctum preces, ſortitæ tandem fauſtum eventum, cliente pijſſimè excedente in ipſa Divi Auguſtini feſtiva celebritate. Sed neque id ſinè Patroni præſentia, quod nocturnâ viſione oſtenſum cuidam Fontanetenſi Monacho, qui ſub migrationis tempus, quô Hugo feliciter conſummatus eſt, Candidatorum conſpexit fulgentia agmina, è cœlis ſeſe multâ hilaritate effundere, ordinatâque proceſſione magnificâ feſtinare ad Fontaneti Eccleſiam, in qua defuncti corpus pro more ſervabatur, contumulandum poſtridie. Collocaverant ſe glorioſi hoſpites circa emortui tumbam per circuitum, quos inter medius viſebatur Vir ſtaturâ ſublimis, veſtéque præ cæteris illuſtrior, qui ad Monachum ſpectatorem accedens, fari cæpit; at verò ille doceri priùs cupiens, quis eſſet apparatus ille admirabilis? qui Viri tantô candore, tantâque gloriâ conſpicui? & quíſnam ille ipſe, qui nempe veſtis, fulgoris, atque ſtaturæ prærogativâ inſignis, cæteros quaſi viſus adduxiſſe? Reſpondit ad hæc *Obijt circa Ann: 1190.*

Exord: Magn: Ciſt: cap: 24. & 25.

Sanctus: *Iſti, quos vides, Angeli DEI ſunt, & alij Sancti: Ego verò Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis: Noſtri adventûs cauſa eſt, ut animam hujus Fratris deducamus ad ſidera nobiſcum.* Quibus dictis ſublata eſt ſcena ac viſio, & Monachus totô pectore in jubilos effuſus, *glorificavit Dominum* (libet hæc loqui *Exordij* citati verbis) *ipſúmque Præſulem benedictum, intelligens nimirùm & ſciens, quia verè glorioſus apparet in conſpectu DEI ille Sacerdos magnus, ille Doctor Eccleſiæ, Doctor illuſtris, & excelſus in verbo gloriæ, Auguſtinus, qui devotum ſibi famulum in die feſtivitatis ejus aſſumptum, ſicut in vita fovere non deſijt, ità in morte ſuccurrere, & ſecum ad gloriam perducere non tardavit.* Habeat rursùs, quod opto intimis animi medullis, habeat ſemper Magnus Doctor & Patronus è Ciſtercio *Hugones* ſuos, atque inter Hugones etiam me Auguſtinum, quò indigniorem ex demeritis, hôc nomine, eò magìs indigum Sancti patrociniô: Habeat, inquam, qui ardeant amore, ferveant clientelâ erga glorioſum Eccleſiæ univerſæ, & clientum præprimis Advocatum, ut ſentiant Auguſtinum comitem in agone, poſt fata Ducem, ad tribunal defenſorem, & in gloria concivem!

Neque inter Ciſtercij & Auguſtini vincula omittendum illud, quòd in urbe Mediolanenſi noſtri felices ſint poſſeſſione horti & loci, in quo Sanctum Doctorem ſub arbore ficu è mærore & lucta animi proſtratum percutit Divina vox, *Tolle lege, Tolle lege*, eôque oraculô ad fidei ſanctæ unionem evocavit. Servet ſibi Ciſtercium, Magni Aurelij ſanctæ *converſionis* principia, & Doctor Sanctus nunquam non erit in ſuæ converſionis loco ad Ciſtercij Monachos *converſus*, amore, favore, patrocinio!

Eſt & ille non minimus Auguſtinum inter atque Ciſtercium nexus, quòd utriuſque auſpicijs ſuſcepti Apoſtolici labores adversùs *Manichæos*: per Auguſtinum quidem, cùm primitùs ſurgerent, & creſcerent; per Ciſtercium verò, cùm rursùs poſt ſæcula ſub *Albigenſium* nomine & involucro repullularent. Triumphavit Auguſtinus ſuô calamô, ſuô ingeniô, ſuô ore, & qui in omnibus his elucebat, triumphavit divinô ſuô zelô *Manem* Hæreſiarcham, & qui ab infauſto hoc patronymico ac Parente ſe nuncupabant *Manichæos*: atque emerſuros olim Sanctiſſimos

mos è Ciſtercio æmulatores docuit, triumphari deinceps poſſe, qui aliquando triumphati ſint, ſi Auguſtini novi, ſecundùm Magni illius Africani Hipponenſium Præſulis genium atque ideam, in apertam aciem cum monſtris denuò dimicaturi ſeſe effuderint. Sanè æmulatione pulcherrimâ erupêre è Ciſtercio Viri (quemadmodum *Tit*: 24. vidimus) qui Manichæos in Albigenſibus verbô & ferrô vincentes, Aurelij zelum rursùs per nova prædicationis incendia excitantes, quod optavit, quod fecit, ac perfecit Aurelius, repeterent denuò conflictum ſub primi Triumphatoris auſpicijs ac ſignis, novâ coronandum victoriâ, quam *cit*: *Tit*: jam fuſiùs expendimus: ut omninò per hos ipſos triumphos, Ciſtercienſes noſtri digniſſimè dicendi veniant *Alteri Auguſtini*, qui ad Auguſtini votum triumphârint Manem in Albigenſibus, & id quidem non ſinè Auguſtino, qui ſuô nomine, atque etiam ſuô zelô præliantibus adversùs hoſtes, quos ipſe primus oppugnaverit, exiſtimandus eſt, addidiſſe ante pugnam animos, in pugna vires, ac robur. Itaque quemadmodum gratulor, è Bernardi oraculo Magnum Hipponenſium Antiſtitem ſalutatum fuiſſe *validiſſimum hæreticorum Malleum*, ità plaudo, Bernardi alumnos rursùs, additô per DEUM, auctô per Auguſtinum pondere malleaviſſe ac fabricaviſſe ſupra dorſa, ſupra capita heterodoxorum, quæ prædicationis Apoſtolicæ aggravante mole tandem conquaſſaverint.

Porrò celebris illa controverſia, quam movent Auguſtiniani Patres, *Divum Guillelmum*, Aquitaniæ Ducem, à Bernardo Parente per prodigia converſum pertinere ad Auguſtini Patriarchæ gremium ac leges, vel ipsô controverſiæ nomine Ciſtercio eſt glorioſa, quòd amiciſſimi Patres Divi Auguſtini *Eremitæ*, dum Guillelmum à nobis repetunt, fateantur ſe eſſe à Sancto reformatos, atque eô reformationis titulô Guillelmum debere ad partes ſuas pertrahere. Admittimus hypotheſim Ciſtercio honorificam, reformatos nempe à Guillelmo Eremitas Auguſtinianos; at verò Guillelmum extra Divi Benedicti Inſtitutum extrahi non ſuſtinemus, intra quod collocatum gratulamur per Pontificum Bullas, quas *Tit*: 3. præter argumenta alia, ſuprà adduximus, quæ omnia Lector huc transferre poterit. Fuit Guillelmus Eremita ſui ævi ſanctiſſimus, &

quanquam ſub Benedicti legibus militaret, reformare tamen potuit Divi Auguſtini Eremitas, ſub id tempus, utì ex hiſtorijs edocemur, aliquantùm ab invicem & primævo vigore divulſos: potuit, inquam, & id quidem *quà Eremita*, ſub qua formalitate ille tunc per omnem Eccleſiam fuerat celeberrimus. Tametſi interea etiam nîl obſtare videatur, quò minùs Guillelmus *quà Benedictinus* reformare potuerit Divi Auguſtini alumnos, præſertim cùm illi ipſi Sancti Viri magiſterio ultrò ſe ſubmitterent; ſiquidem Bernardus multa etiam extra Ciſtercium reformavit in aulis, curijs, Eccleſijs, ídque ſive Poteſtate Pontificiâ, ſive reformandorum electione ſpontaneâ; cùm tamen Pater Sanctus nîl minùs fuerit, quàm aulicus, Canonicus, aut alterius cujuſpiam Inſtituti profeſſor. Paria militant pro Guillelmo, quem reformatio, ſeu à Papa, ſeu ab ipſis Auguſtinianis Viro Sancto ſponte oblata, fecit Auguſtinianum, directione ſcilicet, non profeſſione; quâ poſteriori ſi regulam ſpectes, fuit Benedictinus, ſi conſtitutiones, Ciſtercienſis. Dicendum itaque videtur, Guillelmum noſtrum, *geminæ prolis* glorioſum fuiſſe Parentem, *Auguſtinianorum Eremitarum*, quos ad priſtinũ obſervantiæ vigorem reduxerit, & *Guillelmitarum*, quos noviter ad Benedicti & Ciſtercij leges inſtituerit; à primis quidem nuncupandum Parentem titulô *reformationis*, ab alteris titulô *primævæ Inſtitutionis*. Quæ diſtinctio enervat authoritates in contrarium citari ſolitas. Mille namque adducat textus pars adverſa, per quos Guillelmitæ dicuntur Auguſtiniani, admittemus textus ſub diſtinctione, illos duntaxat Guillelmitas eſſe Auguſtinianos, qui à Guillelmo reformati ſint, magíſque in obſervantia regulæ Divi Auguſtini confirmati; non verò qui noviter ab ipſo ſint inſtituti; hi namque ſicut & Guillelmus ipſe, ex *regula* ad Benedictum ſpectant, ex *ſtatutis* ſuperaſſumptis ad Ciſtercium. Cæterùm per tot temporum revolutiones, Guillelmitas ex *prima Inſtitutione* potuiſſe ex uno, alteróve Coenobio, aut fortè etiam Provincia, accedere Guillelmitis *ex reformatione*, & econtra, non diffiteor; & id factum hactenus, interim ignoro; ex eo tamen, ſi fors eveniſſet, nequaquam evincitur, Guillelmitas illos alteros Auguſtinianos eſſe, tametſi hodie, datô caſu, forent: ab initio enim non fuit ſic. Quod Belgium attinet, quod Galliam, PP. Guillelmitæ *Ciſtercienſibus*

noſtris

noſtris (ùt habet Angelus ad annum 1134. *c.*2. *n.*6.) *hodie per omnia ſunt ſimiles, eôdem habitu, & eâdem regulâ utentes. Quin & Bernardum Parentem venerantur ſui Auctoris Magiſtrum, nec quotidianas preces, & quas horas Canonicas vocamus, recitant diverſas à Ciſtercienſibus.* Adducit inſuper locô cit: literas ad ſe ſuper hoc argumento è Belgio à Guillelmitis perſcriptas, quæ ſiquidem magnam lucem adferent præſenti controverſiæ, integræ hìc veniunt exhibendæ: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino Magiſtro Fratri Angelo Manrique, Generali Reformatori Ordinis Divi Patris noſtri Bernardi in Regnis Hiſpaniæ, atque in Academia Salmanticenſi, Sacræ Theologiæ publico, atque perpetuo Profeſſori. Reverendiſſime Pater, aliàs indicavimus affectum, quem noſter Sancti Guillelmi Ordo habet erga Ciſtercienſem, & præſertim Reformationem veſtram, cui R. V. D. prudenter, & dignè præeſt. Petiveramus à R. V. D. ut curaret in Belgio excudi Breviaria communi uſui Congregationis, & Ordinis, noſtri. Petiveramus etiam, ut Paternitates veſtræ officium noſtri Patroni, ſancti Guillelmi admitterent, quòd diſcipulus Sancti Patris Bernardi fuiſſet, & Ordinem noſtrum ſub veſtra regula inſtituiſſet, quódque nos officium veſtrum recitemus, & ùt Patrem, Sanctum Bernardum veneremur. Addideramus etiam prædictis, ùt R. V. D. procuraret Romæ indulgentias plenarias impetrari omnibus viſitantibus, Sanctorum Bernardi & Guillelmi diebus Feſtis Eccleſias Monaſteriorum Congregationis veſtræ, & Eremitarum S. Guillelmi, qui ambo militant ſub eodem inſtituto. Omnia hæc petijmus, ſed nullum indè habuimus reſponſum, quod ideò credimus accidiſſe, quòd litteræ amiſſæ ad manus veſtras non pervenerint. Hinc rursùs ſcribimus, & totius Ordinis nomine idem rogamus, quàm poſſumus humillimè, & enixiſſimè, offerentes, quantùm in nobis erit, dictam impreſſionem promovere, & mittere R. V. D. tot exemplaria, & in tali forma, quot & quali R. V. D. uobis præſcribet. Reſponsô nos petimus à R. V. D. dignari, ídque dirigi ad R. P. M. Chryſoſtomum Henriquez, eíque indicari, quid velit in hoc negotio fieri. Interim DEUM Optimum, maximum rogantes, ut R. V. D. in multos annos Eccleſiæ ſuæ, & nobis ſervet incolumem. Bruxellis quintô Januarij M. D. CXXVIII. Reverendiſſimæ Paternitati veſtræ addictiſſimi.* Videas in literis haud fruſtrà ſimul repeti Bernardi ac Guillelmi nomina, atque etiam commendari Parentis Mellifliui magiſterium, quô Guillelmus non modò reductus ad Eccleſiæ unionem, verùm inſuper inductus ad novæ Familiæ inſtitu-

ſtitutionem, quam quidem à Bernardo alienam condidiſſe, credendus vix eſt: quod ipſum notat *Angelus* ſuprà cit: de Guillelmitis Belgij, à quibus epiſtolam illam acceperat: *Ut non immeritò*, ſcribit ille num. 7. *liceat conjectari, hanc eſſe veram Guillelmi Ducis Sobolem, cui adeò Sanctus, quòd à Bernardo accepiſſet, atque ad ejus exemplar, nec leviter abolendum, communicaverit.* Quæ cùmità ſint, gratulandum eſt Ciſtercio, quòd Bernardi operâ Virum Eccleſiæ & Orbi dederit, & converſione & profeſſione Ciſtercienſem, Guillelmum loquor, cui ſanctiſſimum reformationis opus in acceptis referre debeant Auguſtiniani Eremitæ, quod ſanè vinculum tam illis ſalutare, quàm noſtris glorioſum, inter Inſtituti utriuſque, Melliflui & Auguſtiniani primos nexus accenſendum venit.

Et vincula mortales ſtringere ſolent, & beneficia: hinc Mecænatibus, qui gratias conceſſerunt, obſtrictos nos eſſe dicimus. Dedêre Ciſtercienſes noſtri Auguſtinianis beneficia, atque in beneficijs vincula, quibus Viros & amicos arctiùs ſibi devincirent. Prima quidem *Eugenius III.* Papa Ciſtercius, Annô 1147. cùm Pariſijs apud Ludovicum Regem moraretur, celeberrimam *S. Genovefæ Eccleſiam*, illuſtri nuncupatione dictam *Apoſtolicam*, Regiô adſenſu à Canonicis Sæcularibus transferens ad Canonicos Regulares ſub Divi Auguſtini legibus militantes. Quod beneficium ut etiam Bernardus faceret ex parte ſuum, Suggerio S. Dionyſij Abbati, de ſancta illa Genovefenſium metamorphoſi, cujus ille inter cæteros fuiſſet patronus, gratulatus eſt per epiſtolam, quam citat *Angelus* ad annum 1147. *c.* 1. *n.* 4. auſpicatus literas à DEI laudibus: *Benedictus DEUS*: inquit *qui in manu veſtra operatus eſt ſalutem in Eccleſia Sanctæ Genovefæ.* Et quidem quantò hæc Eccleſia illuſtrior, tantò donatio præcellentior, quæ ſanè ſit propenſionis noſtræ in ſanctiſſimam Familiam inſigne monimentum. Eugenium Papam præceſſerat *Hugo*, primus Pontigniaci Abbas (qui & deinde Antiſiodorenſis Epiſcopus) in Auguſtinianos Canonicos munificus, pro quibus ad inſtantiam Atonis Trecenſis Præſidis, & Theobaldi Comitis Annô 1132. Trecis *Eccleſiam* inſtituit *S. Lupi*, quam ſuô, id eſt, Ciſtercij auſpiciô deinceps occuparent. Et factum tum aliquid præter conſuetum, quandoquidem Hu-

go

go cum adjuncto è Clara-Valle ſocio, *Andrea de Baldi-Monte*, in noviter hac ordinata Eccleſia leges ferret, & conſtitutiones, quas deinceps ratas gratáſque habuerit Innocentius Papa per reſcriptum Pontificium, inſuper addens, ut Abbatibus noſtris de Clara-Valle & Pontigniaco pro tempore exiſtentibus, ambæ Canonicorum Regularium Eccleſiæ, illa nimirùm *S. Lupi*, quam noſtri inſtituerant, & alteram *S. Martini*, cui priorem illam noſtri ſubjecerant, in reformationis ſeu viſitationis eventu, ſubderentur, pro rerum exigentia & viſitandæ & reformandæ, non modò quòd Regulæ obſervantiam, atque Ordinis perſonas attinet; verùm etiam quod Prælatos ſeu Abbates ipſos concernit, *novô* (quemadmodum notat Angelus ad annum 1132. *c. 7. n. 3.*) *hactenùs exemplô, ut Monachi quaſi jure Ordinariô deſignarentur, Canonicis Regularibus præfuturi.*

Utriuſque, Eugenij ſcilicèt & Hugonis veſtigia ſecutus *Bernardus Gutierrez*, Hortenſis Cœnobij apud Hiſpanos *Abbas* inter Triennales XXIX. qui ſub Annum 1597. Monaſterium Sanctimonialium Augſtinianarum condidit in oppido *Medina de Pomar*. Reſumendi etiam hôc locô ex Eccleſia Mekelemburgenſi, aliiſque *Canonici Regulares Ciſtercienſes*, quos memoravimus ſuperiùs propè Tituli hujus initium, in parallela veluti linea conſiſtentes cum *Canonicis Regularibus Auguſtinianis*: quæ profectò nominis ſimilitudo, quanquam diverſa inter Inſtituta, novum vinculum exhibet, quô utriuſque Familiæ alumni, & hinc Auguſtinianæ, & indè Ciſtercienſis, ſub *Canonicorum Regularium* vocabulo & munio intimè cohæreant. Claudat interim, uſque dum magis edoceamur, hæc vincula *Benedictus* XII. Romanus è Ciſtercio Pontifex, qui Annô 1339. Ordini *Canonicorum Regularium* Divi Auguſtini majorem additurus ſplendorem, ſeu denuò reſtabiliturus priſtinum, ordinationes generales condidit 64. paragraphis diſtinctas, pro præfatæ glorioſæ Familiæ (ad quam ſe Papa noſter dicit, *gerere præcipua charitatis affectum*) ſanctiſſima reformatione. *Bull. quæ incipit: Ad decorem Bull. Rom.*

Cum FRANCISCANIS.

PRæcurrit Seraphicum Parentem, & Parentis Sancti illuſtrem Familiam Divus noſter *Joachimus* Curatij Abbas,

cognomentô, *Propheta*, præcurrit, inquam, non tempore duntâxat, ſed & vaticiniô, quadraginta annis glorioſiſſimum Patriarcham, antequam orbi innotuiſſet, vivis & genuinis ideis, quæ Franciſci vultum, quæ habitum, quæ ſtigmata exprimerent, additâ inſuper Sancti patriâ, propheticô ſpiritu prænuncians. Surgentem deinde Seraphicam Familiam Ordo Ciſtercius adeò habuit ſibi colligatam, ut ſub ejus primordia Divi Franciſci alumni ad noſtros commigrarent, velutì ad amicos & fratres, & viciſſim è noſtris ad ipſos; quanquam poſteriorum tranſitus tam frequens non fuerit, ac priorum ille, fuerit tamen: quod licèt deinceps ex parte Franciſcanorum querimoniæ, atque etiam qualisqualis offenſæ ſeminarium fuerit ac fomentum, ab initio attamen indicium fuit ac character mutui ad invicem vinculi, quô anhelantes ad operoſæ Marthæ laborioſa munia è Ciſtercio convolârint ad Seraphicos, & Seraphici aſpirantes ad Mariæ dulce otium, ſeſe contulerint ad Mellifluos. Augebatur tamen, ùt monui, magìs Ciſtercium per Seraphicos, quàm hi per Ciſtercium, & quidem Viris quò magìs illuſtribus, eò ex parte Seraphicorum ob diſpendium dolendis ampliùs, atque adeò repetendis. Quod ſubinde actum per reſcriptum Pontificium, quô à *Gregorio IX.* impoſitum noſtris, ut remitterent, qui ſolemni profeſſione ſeſe necdum Ciſtercio devoviſſent: atque etiam inhibitum. nè deinceps ullum abſque Sedis Apoſtolicæ indulgentia, ſeu Seraphici Ordinis adſenſu, ad gremium ſuum admitterent. Recitat Gregorij literas Angelus ad annum 1235. *cap.* 7. *n.* 2. in quibus Papa, quantumcunque minax, affectu tamen, quô ſemper proſecutus Ciſtercium, minas ſuas laudibus noſtris temperavit; priores illas ad partis inſtantiam, atque adeò alienô arbitriô, alteras ex proprio, quô erga nos flagrabat amore, effundens. Fateor, jurgium nos inter, illóſque fuiſſe, ſed jurgium inter
Geneſ. 13. c. fratres, quale ferè inter Abrahamum & Loth, pro gregibus utrinque ſuis zelantes; Seraphicis præſertim adhuc ſub initium puſillis ſanctâ ſolicitudine, metuentibus, nè per Ciſtercij incrementa, ipſi minuerentur. Itaque illa ipſa amborum, ſed magìs Seraphicorum ſolicitudo, non fuit tam vinculi ſolutio, quàm cautela, nè ſcilicèt per mutuos, magìs tamen per illorum ad nos tranſitus, & quidem per ſe ipſos, qui admiſſionem ultrò à nobis peterent, tandem laxaretur.

Vin-

Vinculum alterum lego apud *Angelum* noſtrum ad annum 1219. *c.* 2. ſolemne omninò, & quia vivente adhuc Parente Seraphicô glorioſum ampliùs Ciſtercio, ſumptum quidem ab imbecilli fœmineo ſexu, ſed ſanƈto, & ideò forti; quoniam mulier ſi ſanƈta, fortis. Surrexit Ordo Seraphicus per Virum & fœminam, *Franciſcum*, & *Claram*: zelô quidem perfeƈtionis haud inæquali, at verò per leges primùm diverſô; quandoquidem Franciſcus Viros per regulam propriam à ſe conditam, Sanƈtimoniales Sorores per Benediƈti Parentis leges, & Ciſtercij ſtatuta regeret: & Viros quidem per ſeipſum, Fœminas per Venerabilem Virum *Ambroſium* è Ciſtercio aſſumptum ad capeſſenda muliebria gubernacula, in quibus nempe Ciſtercienſes noſtri tot Parthenonum ſanƈtitatis famâ per Orbem florentium ſapientiſſimô præſidiô excellerent. Manriqueus *cit: locô* prolixè hoc argumentum pertraƈtat, è quo ſummatim hæc. Patriarcha Sanƈtiſſimus ſub Ordinis ſui glorioſa initia Viros ſolicitè inſtituens, minúſque patiens ſe diſtrahi per muliebre regimen, *Hugolino Cardinali*, deinde ſub nomine Gregorij IX. Romano Pontifici, ſibi, ſuíſque impensè ſemper faventi, primarum Virginum curam, à ſe in illuſtri Viragine *Clara*, Gentili ſua, feliciter cæptam, continuandam deinceps commendaverat, qui de conſilio *Honorij* Papæ novo Virgineo cætui Regulam Divi Benediƈti Parentis, additis quibuſdam ſtatutis ad Ciſtercij ſtylum atque obſervantiam ordinatis, præſcripſit. Et nè deeſſet regula viva, Præſes induſtrius, legúmque gnarus, evocavit ad Virginum ſuſcipiendum moderamen Virum è Ciſtercio, prudentiæ, ſanƈtimoniæque laude commendatiſſimum *Ambroſium* nomine, qui cum charaƈtere *Viſitatoris*, quoad vixit, Clariſſis præfuit, exigens à commiſſo grege vitam moréſque ad eam Ciſtercij normam, quam nempe *Honorius* Papa, atque *Hugolinus* primitùs tradiderant, quámque *Innocentius* Papa IV. deinceps rursùs novis literis, in quarum contextu eximiè collaudatæ Benediƈtinæ leges, ſcribit enim inter alia Innocentius *Regulam Beatiſſimi Benediƈti, in qua virtutum perfeƈtio, & ſumma direƈtio noſcitur inſtituta, quæ & à Sanƈtis Patribus à principio devotè ſuſcepta eſt: & ab Eccleſia Romana venerabiliter approbata, vobis tradimus obſervandam, &c.* Divæ *Claræ* ſocias Virgines, quas hodie *Clariſſas* dicimus (nomine videlicet Primæ Matris

Ccccccccccc tranſ-

tranſeunte in filias) primitùs ſub vocabulo *Damianitarum* celebrant Scriptores, loci nuncupatione deſumptâ in incolas, quandoquidem primus Sororum Conventus Aſſiſij collectus ſit in Eccleſia *S. Damiani*, unde vulgò dictæ *Damianitæ*, quod tandem nomen antiquatum eſt, *Claræ* illuſtri matronymicô prævalente loci vocabulô. Perſtitiſſe per annos complures ſub Benedicti atque Ciſtercij legibus, imò per *Ambroſium* noſtrum, etiam gubernaculis, perhibet Manriqueus ſuprà *cit: num:* 5. & quidem etiam poſt latam à Franciſco Patriarcha novam pro fœminis regulam. Quanquam enim ad illius obſervantiam illicò accesserint Virgines Aſſiſinates, Parentis Sancti præſentiâ invitatæ; per Orbem tamen reliquum lentâ metamorphoſi à prima Benedictina, Ciſterciáque obſervantia tranſitum fuit ad novam, quæ rerum plerumque conditio eſt, ut quibus jam ſatìs aſſuevimus, non illicò indè recedamus, ideis primis animum tenaciùs, preſſiúſque occupantibus. Utut tamen ea mutatio facta ſit, non poterit tamen ulla unquam ætas in Franciſcanorum Faſtis obliterare ingentem hanc gloriam, *Clariſſas* Virgines cæpiſſe per Ciſtercium, ſeu leges ſpectes, ſeu Rectorem, præiviſſéque Ambroſium, Virum inclytum, hodiernis Virginum memoratarum Moderatoribus, primi Ducis, primi Præſidis honore, in perenne nominis ſui monimentum ſibi reſervatô. Neque tamen Ciſtercij memoriæ penitùs abolitæ fuêre in Familia Seraphica: legimus adhuc in præſens noſtra apud *Clariſſas* veſtigia, quarum in Cœnobijs nonnullis Præſides Præfectæ citra morem inſtituti ſui non Quardianæ dicuntur, aut Cuſtodes, ſed *Abbatiſſæ*, quam nuncupationem ſortitæ ſub Benedictinis ac Mellifluis legibus, noluêre deinceps dimittere, in reverentiam obſervantiæ primævæ, ſub qua adoleviſſent; atque etiam poſteris ætatibus in teſtimonium, ut vel in inuſitato Abbatiſſarum vocabulo olim legerent Ciſtercij gratas reliquias æviternùm ſervari à Seraphicis alumnis.

Hæc à Ciſtercio Franciſcus, & Sancti Parentis Religioſæ Filiæ. Alia Sanctiſſimi Confeſſores, Divus *Antonius* Paduanus, atque *D. Antoninus*, jam recepti ad Superos, ut ſcilicet beneficium tum collatum eò eſſet illuſtrius: quorum prior ille Orbis Ortho-

Orthodoxi glorioſiſſimus Thaumaturgus, apotheoſeos ſuæ ab obitu patronum inter primos habuit è Ciſtercio. Cùm namque Vir DEI Paduæ Annô 1232. è carne exceſſiſſet ad Cœlites, numeroſiſque ad tumulum coruſcaret prodigijs, Paduani Cives tanto hoſpiti, ſacerrima oſſa ſua poſt tot terrarum ambages tandem in hac Urbe deponenti, procuraturi honores publicos, ſolicitavêre Legatos Apoſtolicos, tunc per turbatam à Friderico Cæſare Italiam, authoritate Pontificiâ circumferentes pacem, *Jacobum de Placentia*, Cardinalem Epiſcopum Præneſtinum, Virum Ciſtercium, & *Ottonem Blancum*, Titulô *S. Nicolai* in carcere Tulliano Cardinalem Diaconum, opportunè ſub id tempus Paduæ commorantes, quatenus & ipſi, & quidem præ cæteris, portenta, quæ hauſerant oculis, perſcriberent ad Curiam, tantorum Virorum teſtimonijs, precibúſque faciliùs permovendam, ut annueret. Necdum annus effluxerat à morte Sancti, adeóque feſtinanda nimiùm præter conſuetum videri potuit Antonij Apotheoſis; quandoquidem intrà tam breve ſpatium adſcribere quempiam Divorum cœtui, *rarum omninò*, (ùt aſſerit Angelus ad *annum* 1232. *c.* 1. *n.*6.) *& forſan ſinè exemplo, aut ſaltèm cum rariſſimo.* Quia tamen una totius Urbis Patavinæ, una Italiæ vox erat, ut *Antonius* Cœlitibus adnumeraretur: quòd nempe id viſus petere Sanctus ipſe, imò per Sanctum DEUS, in tot ſignis atque portentis: eapropter Legati, datis ad Gregorium Pontificem, aliiſque ad Cardinalium Collegium epiſtolis pervicêre feliciter, ut feſtinatô ſuper miraculis examine, tandem illuſtriſſimus Thaumaturgus annô necdum integrè evolutô, Sanctorum canoni inſertus, ſolemnem in univerſa Eccleſia cultum adeptus ſit. *Angelus cit: loc: num:* 9. probabile putat, affuiſſe utrumque Legatum Patavij, cùm pronunciatô jam prævìè per Papam oraculô, Canonizationis feſtum celeberrimè ageretur, atque etiam perſolviſſe novo Sancto primos honores recitatô officiô venerationi glorioſi Confeſſoris, cui ſcilicet nuper multâ inſtantiâ, atque etiam efficaciâ, illa cultûs publici ſolemnia à Sede Apoſtolica procuraviſſent: donandi rursùs à Patrono favoribus, cui & ipſi patrocinium tam devoti exhibuiſſent. Itaq; cùm neutiquam ſinè Ciſtercio in Seraphica Familia Patavina pietas olim cæperit, eadem non ſinè Ciſtercio perennabit; beneficij memoriâ toties

refricandâ, quoties inter calida vota Thaumaturgo Confeſſori honores hodie pendimus, olim per Ciſtercium non modò promotos, ſed inſuper feſtinatos, in qua feſtinatione, Ciſtercij ratio omninò habenda eſt potior, cujus munere & Divo cultus, & clientibus gratiæ ſimul ſunt acceleratæ. *Divi Antonini*, Florentinæ Urbis Archi-Epiſcopi apotheoſis pariter per Ciſtercium procurata eſt, *primo teſte* (quemadmodum perhibet Manriqueus in *Ser. Abb. Ciſt. Abb.* 41.) è noſtris evocatô *Converſô quôdam*, cui prima de ſancti gloria cælitùs facta fuerat revelatio: à quo Canonizationis negotium in Curia feliciter cæptum, deinceps per alumnos Seraphicos ex voto eſt abſolutum, Converſo, imò per Converſum Ciſtercio datô honore, quòd de Præſulis glorioſi apud Superos beatitudine & oracula à DEO acceperit, & oracula Romæ & Papæ dederit, per quæ clientes Seraphici publicum Sancti Antiſtitis cultum primùm ſolicitari potuerint. Gratulor etiam Divum *Bonaventuram*, Eccleſiæ Doctorem Seraphicum cum Ciſtercio colligatum per Bernardum: qui licèt in Theologia Myſtica poſt *Dionyſium Areopagitam* Summus, Magiſtrum ſe tamen in divinis illis ſtudijs habuiſſe profeſſus eſt Doctorem Mellifluum, è cujus floridis, ſuaviſſimíſque lucubrationibus mella favóſque copioſa dulcedine ille collegerit: *Audîſti ergo* (ſcribit contemplator Seraphicus *in meditat: de vit: Chriſti. cap.* 37.) *verba pulcherrima altiſſimè contemplantis, & orationis dulcedinem deguſtantis Bernardi. Rumina in ea, ſi vis, ut ſapiant tibi. Ideò autem libenter ipſius verba in hoc opuſculo interſero, & adduco, quia non ſolùm ſpiritualia ſunt, & cor penetrantia; ſed & decore plena, & ad DEI ſervitium excitantia.* Et mox de Parente Mellifluo: *Ipſe enim fuit eloquentiſſimus, & ſpiritu ſapientiæ plenus, & ſanctitate præclarus: quem te deſidero imitari, & ipſius monita, & verba opere exercere, propter quod ſæpè tibi ea propono.* Et tandem, quomodo ferè nos ſolemus, cum labores abſolvimus, acclamare laudem DEO, & Divæ Virgini: Sic Doctor Seraphicus, gnarus, quantùm deberet Bernardo ſuo & noſtro, Tractatûs ſui finem per hæc verba clauſit: *Deo gratiarum actio, & B. Bernardo, ſervo ejus dulci, & fideli!* Gratus ſcilicèt & Fonti, & rivulo, unde ad ſe multa arcana ſenſa emaverint.

Poſt *Sanctos*, Antonium, Antoninum, Bonaventuram, memoranda

moranda

moranda *Sanctia*, noſtra quidem profeſſione, ſed non minùs beneficiô atque affectu Seraphica, Virgo illuſtris apud Luſitanos, *Sanctij* Regis filia. Hæc ante aſſumptum Ciſtercium, *Annô* 1219. hoſpitiô ſuſcipiens Martyrum in Seraphico Ordine primitias (ſex illos Viros Apoſtolicos, quos Franciſcus Patriarcha ad prædicandam Sarracenis Chriſti fidem, ad *Marrochianos* deſtinaverat, annô ſequenti coronandos martyriô) meruit illâ ipsâ horâ, quâ gladiô jugulati agonem conſummârunt, intueri, ſibi, ſingulari DEI munere datos in glorioſum ſpectaculum, tenentes macheram recenti madentem ſacrô cruore, quâ à barbaro Marrochianorum Rege cæſi pro Chriſto occubuerint: pollicentes inſuper, Principis benefactricis juges ſeſe habituros apud DEUM memorias, quòd ſcilicet ipſa in novellam Franciſci Familiam propenſa ſemper, imò & officioſa, atque etiam benefica fuiſſet. Hæc ſe divinâ ordinatione nunciare juſſos, Sanctiæ ſuæ bene precari. Quibus dictis Martyres Sancti è Virginis conſpectu ad cœlos evolârunt. Quæ viſio quamvìs Sanctiæ adhuc ante Ciſtercium aſſumptum facta ſit, omitti tamen non potuit, quòd Virgo illuſtris jam tunc per pietatis exercitia ſeſe adaptaret ad Melliflui Inſtituti mox amplectendi tyrocinia. Sanctorum Martyrum exuviæ per prodigia collectæ, à Luſitanis Conimbricam advectæ ſunt, reponendæ ad *Eccleſiam S. Crucis.* Veruntamen nè ea Portugalliæ felicitas, Ciſtercium præteriret, Alfonſus Rex Seraphicis Sanctis conciliaturus cultum etiam intrà alumnos Mellifluos, unum integrum è Sacris corporibus unà cum capite ad *Lorbanienſem* noſtrum Parthenonem transferri imperavit, pignus noſtris gratiſſimum, quòd Virgines ſuſcipientes cum ingenti jubilo, gratias cecinêre DEO, quòd Regijs ſuffragijs dignæ judicatæ, per quas accreſceret glorioſiſſimis pro fide Athletis amplior cultus, atque etiam cum Seraphica Familia arctius vinculum, præſertim, quòd Ordo illuſtris optare videretur Martyrum ſuorum primitijs clientes è Ciſtercio, qui cæteroquin in vivos Seraphicos benefici, nunc à mortuis ac glorioſis deberent experiri gratias. Et ſanè prælaudata Princeps Sanctia, priùs in Franciſci alumnos munifica extitit, fundatô pro ijs Cœnobiô ad *Alenquerium* Annô 1217. quô ipsô etiam Annô *Cellarum* Parthenonem ad Conimbricam conſtruxit pro Ciſter-

cienſibus, conjungens tempore & beneficiô Inſtitutum utrumque: merita ſubinde Annô 1220. Martyrumglorioſam illam viſionem, cujus mox meminimus. Sed adhuc ampliùs ſibi Virgo illuſtris Familiam Seraphicam devinxit, cùm Annô 1221. ſolicitata per nuntios à *Ferdinando Caſtellæ* Rege ad connubium, Regium Thalamum Chriſto generosè poſthabens ad Ciſtercium convolavit, in *Cellenſi* Parthenone nuper à ſe fundato poſt aſſumptum habitum, votis religioſis initiata, Palatiô ſuô prævie donatô Franciſcanis, quod illi è Patronæ imperio transformârunt in Conventum, in quem Fratres è Cœnobio ad Alenquerium nuper erecto, tanquam è loco minùs ſalubri, ac inidoneo, ſeſe contulerunt. Debet profectò Familia Seraphica illam Illuſtriſſimæ Principis domum & Virgini, & Ciſtercio; quoniam Sanctia tum primùm eam donationem fecit, cùm jam decretô mundi, thalamíque effugiô, totô pectore Bernardum ſpiraret, in Ciſtercij veluti limine adhuc reſpiciens ad dilectos ſibi Franciſci Parentis alumnos, quos digniùs collocare vix poterat, quàm in aula à ſe habitata. Non omittendum hìc Virginis heroinæ reſponſum, quô nuptias Regias ſuadentibus, oppoſuit firmata ſemel ſervandæ pudicitiæ propoſita: Paſſuram ſe nempe faciliùs, ut in ardentem clibanum injiceretur, quàm admiſſuram ſe in minimo, quô per mortales aliquid committeretur in ſuam virginitatem, mille affectibus, votíſque jam DEO Sacram.

Neque ſola Sanctia è Ciſtercio Seraphicæ Familiæ patrociniô claruit: eſt præter Sanctiam etiam in Gallæcia Cœnobium noſtrum *Melonenſe*, intrà cujus terminos *gemina Collegia* habent Franciſcani Patres: unum in ſuburbio *Ripa avia*, alterum ad caſtrum *Vigo*, in loco per noſtros conceſſo: quæ ſanè Melliflui ſodalitij erga Patriarchæ Seraphici filios eſt munifica propenſio, ut non modò foveat, ſi ſubſidia petituri ad ſe accurrant, ſed inſuper intrà proprios limites inducat ultrò, donandos locô ac ſede, ac ſubinde habendos ùt Fratres ac domeſticos. *Obijt Annô 1374.* Memorandus hìc etiam Illuſtris *Petrus Roſenſis*; ſuprà *Tit*: 18. à nobis laudatus, è Monacho *Alto-Vadenſi*, indulgentiâ Pontificiâ, nè ſcilicet tunc *Roſea* in Bohemia *Stirps* deficeret, fæcundus conjux, & Regni Bohemiæ Supremus Camerarius, cujus auſpiciô

ſpiciô ac munere celeber ſurrexit Partheno Virginum Clariſſarum apud Crumlovienſes, qui hodiedum ſuperſtes, Roſenſium, ſed non minùs Ciſtercij memoriam præſefert; quoniam utrôque charactere inſignis *Petrus*, utriuſque pariter influxu munificus in Seraphicas Virgines, Cœnobium illud erexerat, tam ſcilicet Ciſtercienſis, quàm Roſenſis. Et quanquam ad tempus alienô arbitriô ductu, juſsúq; perſonam conjugis egerit, Ciſtercium tamen, quod ſemel aſſumpſit, in radice nunquam dimiſit: tandem iterum è conjugio & aula ſe Alto-vadum tranſferens, ibíque ſub humillimo Converſi ſchemate mundum, mundíque faſtum ludens, atque illudens. Quoniam igitur poſt aſſumptum jam ſemel Ciſtercium, illuſtris Princeps id Virgineum domicilium auſpicatus ſit, beneficium ſtat penes Ciſtercium, è cujus gremio fuit, qui beneficium contulit.

Non eſt Cœnobiorum *reformatio*, favor minor, quàm prima eorundem *formatio*, præſertim ſi prior illa non tam ad muros ſe extendat, quàm ad mores. *Nicolaus Peiſſer* Egranus (hodie *Peiſſeri* dicuntur *Bruſchij*) 39. Abbas de *Waldſaſſio*, Pontificiâ *Pij II.* authoritate, reformationis munus impendens utrique Cœnobio apud Egranos Virorum Virginúmque Inſtituti Seraphici, dedit utrique beneficium, ſi finem, ſi objectum, ſi delegantis, ſeu committentis celſitudinem ſpectes, ſupra primam Cœnobiorum fundationem illuſtre; quoniam ſupra omnes ſtructuræ lapides pretioſior longè ædificatio ſpiritûs.

Neque inter hæc vincula, omittenda Seraphici *Franciſci*, atque etiam Divæ *Idæ* noſtræ de *Lovanio*, & *S. Eliſabethæ* de *Spalbek* glorioſa 5. *ſtigmata* impreſſa divinitùs, quæ jam in utraque Virgine Sancta ſuperiùs *Tit*: 8. exhibuimus. Hæc ipſa amoris divini ſignacula priùs Salvator impreſſit Ciſtercio, quàm Franciſco, formans in Eliſabetha & Ida, veluti ideas quaſdam pro Parente Seraphico. Univoca ſanè eſt inter tres hos Divos ſimilitudo, atque ideò etiam univocum inter ipſos vinculum; at quia Sanctæ noſtræ Franciſcum anteceſſerint & tempore, & eximiô illo per Chriſtum conceſsô ſibi favore, primum ſimilitudinis, atque etiam vinculi lineamentum ac decus eſt penes Ciſtercium, quô ceu exemplari uſus Salvator, repetivit duntaxat favorem deinceps in Franciſco, cujus prototypon jam nuper in Ciſtercio formaverat.

Porrò etiam *Templarij* ſub Bernardi, Ciſterciiq; legibus olim militantes, analogiâ quâdam comparandi cum alumnis Seraphicis. Prima eorundem ſtatio ad Hieroſolymitanum *Templum*, unde & vocabulum traxerunt: primum munus, prima cura, Sacri Sepulchri, Terræque Sanctæ cuſtodia, atque peregrinantium ſecuritas. Sedent hodie, veluti templariorum locum occupantes, in Palæſtina, Domini cuſtodientes Sepulchrum, Filij Seraphici, locorúmque, quos ſacravêre Salvatoris veſtigia, multô zelô procurantes avitam religionem, atque id quidem ſervandæ peregrinorum pietati: à Templarijs diviſi tempore, non curâ & munere (ſi arma excipias) quæ ipſi utraque ſanctâ æmulatione adhuc proſequuntur. Quoniam igitur Templarij Seraphicos vix habuerint cuſtodiæ ſacræ ſocios, habuêre ſaltèm æmulos & ſucceſſores: quæ res inter utroſque, atque adeò inter Bernardi & Franciſci filios novi vinculi eſt imago & argumentum. Memorandus pariter hôc locô *Urbanus IV.* è Ciſtercio Pontifex Maximus, qui Annô 1263. Bullâ, quæ incipit, *Beata Clara*, pro Franciſcani Ordinis Sororibus inſtituit ſecundam Regulam, in 26. capita diſtinctam, vigore cujus Seraphicas alumnas per diverſas nuncupationes à ſe quaſi invicem diſſidentes, ſub unicam collegit nomenclaturam, ut nempe deinceps Ordinis *S. Claræ*, ſeu, ùt per matronymicum hodie loquimur, *Clariſſæ*. Repetitum in ea Conſtitutione, ſeu unionis Inſtrumento, *Abbatiſſarum* vocabulum, deſumptum olim, ùt præmonui, à Ciſtercio, quod perennare voluit, veluti immortale monimentum, quod Clariſſæ ſub Ciſtercij legibus aliquando cæpiſſent, ſervaturæ deinceps originis primæ veſtigium, ut præter morem Seraphicæ Familiæ, non Quardianas haberent, ſed Abbatiſſas.

Cum CARMELITIS.

Commendat antiquitas & Sanctitas Carmelum, Carmeliſque alumnos: ſed magis utroſque illuſtrat Virgo Parens, cùm degeret in terris, inter Montis Sancti religioſos incolas crebrò domeſtica, nunc ſuper cœlos glorioſa, Ordinis ſibi devinctiſſimi Mater & Domina. Carmelitarum Familia, prima DEIparæ Soboles Orientem docuit, eſſe obſequioſum Virgini, & co-

& colere Divam prinſquam eſſet, votis & cultu præcurrens Auroræ illuſtriſſimæ ortum, quæ illuminando Orbi Solem DEUM è ſinu ſuo foret effuſura. Carmeli decor, Virgo Sancta, & Virginis cultus, cæptus per Carmeli alumnos, totôque Oriente propagatus: quæ ſanè inclyti Inſtituti clariſſima eſt commendatio. At non minor Ciſtercij gloria, quòd Marianos amores ex Oriente tranſtulerit in Occidentem, *primus* omninò *Ordo*, qui apud Occidentales populos *Virginis Divæ auſpicijs* devotus ſurrexerit, lucem præferens Familijs cæteris, ut extenderent deinceps Mariana per nos cæpta auſpicia atque obſequia ampliùs, ſequentes exemplar, quod eiſdem in Ciſtercio monſtratum eſſet. Itaque ſtat par honor in Eccleſia utrique Inſtituto: Carmelitano, quod ſinè exemplo dicatum Virgini in Oriente: Ciſtercienſi, quod æquè ſinè exemplo devotum Virgini in Occidente: quæ ſanè utriuſque Familiæ lineæ ſeſe per Orbem longiſſimè extendentes tandem in Diva ſua, veluti in puncto coincidunt. Atque hæc apud Virginem glorioſa ſimultas Ciſtercium cum Carmelo ſtringit arctiſſimè, Mariæ beneficiô divellendum nunquam. Hic nexus utrinque primus, atque, ùt credo præcipuus.

Vinculum alterum exhibet *Angelus* ad annum 1205. *cap*: 6. *n.* 1. & 2. ex *Gunthero* ibidem citato. *Martinus* Abbas de Pariſio, Præſul Apoſtolicus, ſuprà *Tit*: *XI.* à nobis laudatus, vinculi occaſio: Orientales Principes, nexus Patroni. Cruciatæ Expeditionis, quam Annô 1202. *Innocentij III.* hortatu ac ſolicitudine Occidentales ſuſceperant in Oriente, à Teutonibus ſuis electus Dux Martinus noſter, ingenti zelô ac profectu Exercitum comitatus, Sanctas Eccleſiæ, Principúmque intentiones inſigniter promoverat. Expugnatâ ſubinde per noſtros *Conſtantinopoli*, cum ſacrarum Reliquiarum Theſauro, velutì in laborum ſuorum ſtipendium obtento, in Germaniam reverſurum ſolicitabant multâ prece *Orientales omnes Principes*, utì perhibet *cit*: *Manriquetus*, quatenùs Virum chariſſimum abſtraherent à concepto itinere, retinendum ampliùs in armorum Chriſtianorum fauſta auſpicia. *Wernerus* præcipuè illuſtris Princeps Præſulem per ampliſſima promiſſa aggreſſus, tentabat retardare feſtinantem: inter alia etiam pollicitus, pro-

curaturum ſe, ſi vellet, à Rege *Carmelum Montem*, quem ſibi, quem ſuis è Ciſtercio alumnis ſuſciperet, adaptarétque in domicilium. Donum ſanè ingens, Carmelus ipſe, acceſſurus haud dubiè Ciſtercio, ſi ità Martino placuiſſet. Et quia in magna hac re, in qua Principum ſuffragijs in Carmelitanæ Familiæ primam ſedem capeſſendam evocatus eſt Ordo Melliſluus, ſuſpecti videremur, ſi pro domo noſtra verbis loqueremur proprijs, audiendus Wernerus Princeps apud citatum ex *Angelo Guntherum*, Procerum nomine, hæc ſuadens, hæc ſpondens Martino: *Monebat eum* (Wernerus nempè) *ut ipſe rebus eiſdem* (quas theſauri locô copioſas ſecum Abbas attulerat) *Terram ſanctam devotè & humiliter honoraret: in qua etiam cum eis permanſurus, vel Epiſcopatum, vel quas vellet alias Eccleſiaſticas dignitates à Rege cæteríſque Principibus non recuſaret accipere. Quòd ſi ſecretiorem, & Monaſticæ profeſſioni magìs congruam vellet agere vitam, hoc quoque ipſe apud Regem, cui familiariſſimus erat, pro libito Abbatis pleniſſimè provideret. Eſt enim in partibus illis territorium, quod tam modernô uſu, quàm apud veteres ſcripturas, Mons Carmeli nominatur, locus omnibus bonis uberrimus, fertilis frugum, veſtitus optimè vinetis, oleis, & alijs arborum generibus eleganter conſitus, paſcuis etiam copioſis exuberans. In hoc monte tria ſunt Monachorum Cœnobia, diſtincta ab invicem, & latas poſſeſſiones habentia, quibus Cœnobijs, vel ſingulis uteretur; vel in unum redactis ipſe Abbas, & Dominus præſideret. At verè ſi magìs vellet ſui Ordinis Fratribus, quàm alijs præeſſe, Cœnobitæ illi ad alia loca ſatìs commodè transferrentur. Abbas verò aſſumptis ſui Ordinis hominibus, quibus vellet, & quantô vellet numerô totum præfati montis territorium, tam ipſe, quàm ejus ſucceſſores perpetuâ ditione, liberrimè poſſiderent. Poſtremò, ſi nihil horum acceptaret, acciperet à Rege, & Principibus tantam auri, argentíque pecuniam, quantam ipſe nunquam vel poſteri præſumerent, vel ſperarent; quam & commodiùs ſecum deferre, & ſecretiùs occultare, & eandem Eccleſiam ſuam ditare facili poſſet impendiô.* Poſt quæ *Angelus* Martini virtutem excellenter commendans, hæc ſubjungit *num.* 2. *Non miror hominem verè Religioſum, verè ſuæ profeſſionis amatorem, Epiſcopatus, dignitates Eccleſiaſticas, poſſeſſiones, pecunias, atque id genus alia contempſiſſe: at ſui Ordinis inſignem fundationem, quæ priſci Monachatûs primam originem, Carmelum, Prophetarum manſionem olim*

olim, aggregaret Ciſtercio, & Sanctos illos Teſtamenti antiqui Patres noſtris objiceret, reſpuiſſe conſtanter, ingentis (penè ſupra ſtatum mortalem) animi eſt, atque immunis ab omni etiam diſſimulata labe cupidinis. Talem ſe tamen præbuit Martinus noſter, quem neque propria commoda, nec, quæ per ſpeciem pietatis pleroſque fallunt, Religionis communia, ineſcare aliquatenus, aut à propoſito potuerunt retardare. Suſpicio ego commendóque eadem in Abbate Sancto, quæ Angelus: ſed præterea hoc præprimis extollo, Martinum à Principibus judicatum dignum, dignóſque per Martinum habitos Ciſtercij alumnos, quibus traderetur Carmelus, illa Palæſtinæ gloria, illud Ordinis ſacerrimi decus, illud Virginis, & Virginei cultûs ſacrarium: & quanquam donatio effectu caruerit, per nos ſtetit, quòd caruit, per nos cæteroquin firmanda ſi Martinus voluiſſet, qui ratus, ſatis gloriæ dediſſe Ciſtercio, habuiſſe aliquando Carmelum donatione, tametſi non poſſeſſione; quoniam ſcilicèt cuperet amiciſſimæ Carmelitarum Familiæ ſervare nominis, atque Ordinis ſui primam originem, quod beneficium memorare poſteri vix poſſint ſinè grati animi in Ciſtercium redhibitione. Et credo, ideò à Principibus electos Bernardi filios in Carmeli fortunatos cives, quoniam non minùs Mariæ fidos alumnos, ac Carmelitas, & ſiquidem probè nôſſent, haud ingratam ſe facturos rem Virgini, ſi his priores illi ſubſtituerentur, quandoquidem æquè ac unicè ad Divam pertinerent: quod rursùm firmat utrinque vinculum inter Mariæ clientes, tum primos in Oriente, tum primos in Occidente.

Nexum ſubinde ad invicem novum ſubminiſtravêre *Cyrillus* & *Joachimus*, Viri clari doctrinâ, clari ſanctimoniâ, & quod ambos fecerat ampliùs Orbi admirabiles, clari revelationibus, ac vaticiniјs: Prior ille origine Conſtantinopolitanus, munere Supremus Carmelitani Ordinis Generalis: Poſterior è Ciſtercio Abbas *Curatij* apud Siculos, ſub duodecimũ reparatæ Salutis ſæculum ambo ſibi coævi, & mutuâ charitate, mutuô honore ſe invicem reſpicientes. Commendat utrorumque prærogativas *Angelus* ad annum 1200. *cap.* 8. *num.* 3. *ut Joachim*, ſcribit ille, *Spiritus Propheticus, quô pollere credebatur, ità Cyrillum frequentes Angelorum viſitationes, revelationéſque admirandos reddebant cun-*

 ctis

ctis hominibus, velùt, quos nihil penitùs lateret. Frequentabantur, conſulebantúrque ſuper negotijs arduis: & quod mireris certè, quod ſuſpicias, non ab alijs, ſed à ſe ipſis, charitate inter eos non æmulante, prævalebat humilitas, & ſe uterque diſcipulum alterius, quamvis locô remoti, non tantùm non erubeſcebat, ſed prædicabat. Hæc *Angelus*, utriuſque reverens, & dilectionis mutuæ inter ſanctos, inter doctos illuſtris præco. Acceperat ſub id tempus Cyrillus è cælo *tabellas* plenas myſterijs, quas, ut foret de recondito ſenſu ſecurior, velutì è cortice evolvendas ad Joachimum tranſmiſit. Audi de his arcanis *Petrum, Epiſcopum Equilinum de Sanctis noviter canonizatis cap.* 3. citatum ab Angelo ſuperiùs allegato ità differentem: *Die quadam Miſſarum ſolemnia celebranti* (Cyrillo) *in nubecula Angelus apparens, virgam, & duas argenteas tabellas litteris Græcis, futuri ſtatum ſæculi continentes, attulit ſic loquens: Has tabulas miſit tibi DEUS omnipotens, tanquam familiari ſuo, & fideli præconi; & cùm Sacramenta compleveris, has ſcripturas tranſcribe in membrana: poſt hæc conflans tabellas, formabis eas in calicem, & thuribulum ad libanda, & adolenda in ara Sacrificii matutini: quas acceptas cum gratiarum actione, & reverentia non modica, Cyrillus Vir Sanctus, convocatis Fratribus, juxta præceptum Angeli tranſcriptas conflavit.* Non erat hæc viſio de phantaſmate aut illuſione ſuſpecta, quòd nempe Vir Sanctus cæleſtes tabulas in revelationis argumentum in altari videret relictas, quarum divina ænigmata quoniam percuperet enucleari, interpretationem petijt à Joachimo per epiſtolam, quam ex Manriqueo citato huc tranſcribere operæ pretium duxi, quòd Joachimi noſtri illuſtres laudes contineret, & Cyrilli in rebus tam arduis inſignem ad Abbatem ſanctum fiduciam, à quo edoceri vellet viſionis & myſterij genuina ſenſa, atque, quod hìc ſpectandum præprimis, utriuſque ad invicem familiaritatem, ac nexum. Itaque Cyrillus Joachimo, Vates Prophetæ, Carmelita Ciſtercienſi: *Domino, ac totius divinæ ſapientiæ ſeptiformi Columnæ Sancti Spiritûs, qui à Patre luminum ineffabiliter promanat, illuſtratione ſuffulto, Abbati Joachim, pauper Cyrillus Presbyter, Eremita Montis Carmeli, ſeipſum in Domino cum oratione, & obſecratione. Quod mihi detruſo pauperculo Dominus meus Chriſtus dignatus eſt aperire, tibi meo Patri ac Domino quem DEUS multâ ſapientiâ illuſtravit, referam plenô verbô, ut ſecundùm ſcientiam tibi datam, transmittas ad poſteros DEO devotos*

devotos & ſanctos tibi chariſſimos, illos potiſſimùm, qui ſacrarum ſcripturarum ſcientiam devotè, ac dulciter amplectuntur, & margaritas nôrunt à porcis ſubtrahere. Quæ futuris temporibus, Deô permittente, occurrent, prout inferiùs adnotata prætendunt, ut juxta ſolatia ſanctorum librorum, quibus Eccleſia indeſinenter reficitur, clariùs ſe habeant ab uno Magiſtro, qui cathedram habet de cœlo dignanter demiſſam. Hæc, inquam, mea verbula quodammodo neceſſaria, ùt ſum ratus, his ſermonibus Omnipotentis, à regalibus ſedibus mirè vectis, præmiſi, ut, quæ cœlitùs miſſa ſunt, clariùs per hæc præcedentia eluceſcant. Diligenter autem caveas, Lector doctiſſime, nè eloquiorum breviter traditorum veritas aliqualiter corrumpatur, aut calami pravitate vitietur; ſed, ſicut divinitùs ordinatiſſimè miſſa ſunt, itá à peritis Scriptoribus conſerventur. Supplico quoque tibi, Venerande Pater, cui caulas ſuarum ovium providè credidit Author Orbis, ut tu, qui ex fonte puriſſimo pectoris JESU Chriſti ſpiritum futurorum, & intelligentiam Scripturarum hauſiſſe cum Joanne videris, ſicut multorum relatione, & eloquiorum tuorum inſpectione percepi, ſuper hoc obſcuro Oraculo comentariolum digneris conficere: quid excelſus cœlorum Rex hôc compendiesô tractatulô voluerit intelligere: quatenùs abſcondita producas in lucem, & nubem nebuloſam profundiſſimi affatûs convertas in ſolem ſplendentem clariſſimi intellectûs. Accinxit ſe illicò Abbas Sanctus acceptis epiſtolis ad explanationis opus, & quô valuit prophetiæ divinô donô, tabellas expoſuit, quanquam rursùs vaticinia involvens vaticinijs, neque adeò clarus in declaratione, quod itá ſeu exigeret prophetiæ ratio, obſcura plerumque rebus, verbiſque, neque à non prophetis tam facilè intelligenda. Remiſſæ explicationi adjunxit epiſtolam ad Cyrillum Abbas, cujus hic tenor: *Stellæ manenti in ordine ſanctitatis, in formula honeſtatis, in nidulo parcitatis Orbem opacum deformem, & ſqualidum virtutibus illuſtranti, moribus informanti, exemplis ornanti, Cyrillo Presbytero in Monte Carmeli, Monte uberrimo, pauperi quidem ſuperfluis opibus hujus Mundi, quod bonum eſt; ſed diviti gratiâ JESU Chriſti, quod optimum eſt, & rarum: Joachim Abbas ſolùm nomine, ſed ethnicus opere, gratiam & gloriam. Chariſma cæleſte recipiens, quod miſiſti latore Teleſphorô, caſtô, fideli, ac devotô interprete, quoniam inveni, quantô geſtierim gaudiô, ipſe tibi litteris explicare nequiverim. Quis enim inſolitô munere à Rege Regum, & Domino Dominantium piè porrectô, non ducet medullitùs exultandum? Puto autem hunc ſtylum, novellè,*

ornatè, compendioſè, & obſcurè ſcriptum, ac cæleſti Doctori demiſſum, ut ipſe primùm oſtendas divitias plenitudinis ſcientiæ, tam futurorum, quàm præteritorum, quod ex multis alijs Scripturis collegimus. Proſequitur deinceps alia Joachimus, in omnibus, quod obſervat eit: *Angelus n.* 10. *ſive humilis, ſive cautus*, imò verò utrumque; quoniam res illæ divinæ aliô pactô vix poſſent tractari, nisì ſummâ animi demiſſione, & cautelâ humanam mentem continentem intra terminos ſuos, quos præterire aut ſupergredi haud prævaleat mortalis imbecillitas.

Et Illuſtriſſimus noſter *Caramuel*, ſi vel ſolum Viri nomen penſes, non ſinè *Carmelo* eſt; quid enim tam *Carmel*, quàm *Caramuel*? Aliquid deinde ſupra nomen ſuum Carmelo exhibuit Magnus Doctor in elegantiſſimo volumine, cui Titulus, *Caramuelis Dominicus*, aut ſi dicere mavis, *Caramuelis Carmelus*, neque enim ſolam in eo vitam Venerabilis P. *Dominici à JESU Maria* complexus, verùm in *ſuo illo Dominico* totam Dominici, & totam ſimul Carmeli imaginem expreſſit illuſtris Scriptor. Opus ſanè dignum Caramuele, dignum Carmelô, & dignum Dominicô, Virô plenô portentis, plenô virtutibus: qui extra Carmelum pingi meliùs vix potuit, vix voluit, quàm à Caramuele, gentili ſuo ſcholarum ac Ingeniorum oraculo. Notus quidem jam ante Caramuelem Dominicus in Orbe Auſtriaco, præſertim, quia præſentiâ ſuâ ſacer incentor Catholici & Cæſarei agminis in Albo-Monte ponè Pragam Divinâ & Marianâ virtute confundentis triumphantíſque hoſtes Ferdinandi Cæſaris ac Religionis; Sed magìs notus deinceps per Caramuelem, qui Dominicum è carne abeuntem ad Cælites, reſtituit Orbi Auſtriaco & Orbi Chriſtiano, cùm vitam & geſta Viri, Viennæ Auſtriæ Annô Domini 1655. typis evulgavit ſub Cæſareis auſpicijs: reddens Ferdinando III. Dominicum immortalem, nuper in mortali vita pro DEO & Cæſare immortalia patrantem. Habeat Auſtria, habeat Carmelus ſuum ſibi Dominicum, ſed per Caramuelem, atque ideò per Ciſtercium. Non ſanè modicum eſt hoc beneficium, quòd Carmelitani Ordinis Generalis, decus, ſplendor, flos, ſol, & portentum (hæc enim omnia, & longè majora Dominicus Carmelo ſuo) Caramuelis ingeniô ac labore rursùm vivat: & quia non modicum beneficium, non modicum etiam eſt hoc vinculum,

Car-

Carmelum inter & Ciſtercium, quod Ciſtercium dedit, Carmelus tulit. Video porrò in ipſo *Caramuelis Dominico* etiam *Bernardum* noſtrum novô nexu ex eo cohærentem cum Carmelo, quia multâ ſimilitudine cohæreat Dominico. Refert citatus Caramuel *Lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 293. *& ſeqq.* apparuiſſe aliquando Dominico, Chriſtum, DEIparam, *Bernardum*, *omnéſque illos Sanctos, quorum devotus erat* unà cum Curiæ ſupernæ multa frequentia. Auſcultabat Vir DEI cæleſtes Genios multa ad invicem diſſerentes de mortalium amoribus erga Reginam ſuam & Dominam. Inter cæteros Divæ clientes commendatus præcipuè Bernardus, Virgini præprimis charus. Tum ſermone deflectentes in præſentem Dominicum, ſiquidem ſcirent eum multâ cordis teneritudine dulciſſimæ Parenti affici, eum cum Bernardo componunt, qui nempe ſecundùm Mellei Doctoris exemplar cælitùs formatus, eadem nunc Virgini, quæ olim Bernardus, & cui Virgo eadem, quæ olim Bernardo deberet. Dum hæc inter ſe de utriuſque Mariani clientis prærogativis Cælites, Diva Parens velutì probatura, quæ illi æquiſſimè pronunciâſſent, hâc verborum divinâ illecebrâ fidum alumnum, ad ſe, ſuáque ubera invitavit: *Accede*, inquit, *Dominice, multa propter honorem meum, & ardua paſſe: Similis es Bernardo meo; & ego, qualis olim Bernardo, hodie ero tibi.* Dixit, & mammillam puriſſimam è pectore exerens, preménſque lacteũ ex ea liquorem in Viri labia effudit. *Nec putat* (ſubjungit Caramuel, *loc: cit:*) *imaginarium hunc favorem Dominicus, ſenſit enim ſuaviſſimi lactis dulcorem multô pòſt tempore, quòd non accidiſſet omninò, ſi favor fuiſſet cogitatus.* Reſumat unà mecum Lector, quæ ſuprà *Tit: IV. pag.* 91. dixi de Bernardi lactatione reali, non imaginaria, quæ ſanè novam lucem hìc obtinent; talis enim Bernardi illa lactatio, qualis hæc Dominici; hæc autem de mente Caramuelis vera fuit & phyſica: eapropter & illa Bernardi talis, qualis Dominici, realis nempe, quæ non ſolam mentem affecerit, ſed & os & labium. Et hoc quidem unum Dominici cum Bernardo vinculum auſpiciô Virginis. Superaddidit alterum Salvator, cum Dominicum amplexus adſtrinxit lateri, ſacerrimi vulneris purpuram inter delicias ſugentem. Hauſerat olim ex eodem lateris fonte cæleſte nectar Bernardus, fontis potúſque identitate, præter Virginis ubera, Dominici rursùs

ſanctiſſimus corrivalis. Hauſtô latere recepit ſe Vir DEI ad Virginem: cùm interim Chriſtus, filijs daturus & Matri; unde ampliùs deliciarentur, è ſpectaculo abijt. Itaque Diva invitatura magìs Dominicum ad intima cum Bernardo fœdera, juſſit, ut omnia ſua deſideria fidentiſſimè nunc panderet, adeſſe Virum, per quem Numini præſentarentur, atque eum ipſum Bernardum ſuum eſſe, qui *DEO à libellis* (ſic enim loquitur Caramuel, imò Virgo ipſa. *num:* 296.) amici intentiones veluti ex officio exequeretur. Addituram ſe Bernardi recommendationi è Matris affectu ac munere deſideratiſſimam apud DEUM interventu ſuô efficaciam. Cùm ecce Dominicus provocatus釋Maternô imperiô, & Bernardi promptitudine, libellum ſuum pugillarem evolvit, in quo omnes Ordinis ſui Benefactores conſignatos habebat, indies ex nomine recommendandos DEO, ſícque fidenter ad Divam & Sanctum: *Imploro, ut ad æternæ beatitudinis gloriam cum omnibus iſtis recipiar!* Subjungit Caramuel, *cit: num:* 296. vota & ſtimulos, quibus Carmelitano Ordini plures Mecœnates conciliet: *Ergo diſcamus nos*, ſcribit ille, *Bernardum colere, & toti Carmelo ſervire. Eſt à libellis Chriſto Melleus Doctor, & orationes noſtræ ejuſdem patrociniô commiſſæ; promoventur à Diva, & benignè expediuntur à Chriſto. Serviamus, quæſo, Carmelitis: magnum habent Patriarcham apud DEUM, nempe Dominicum, qui Ordini ſuo devotos proprijs codicillis inſeribit, interponítque Cælites, & Bernardum præcipuè (ſic enim juſſit Diva) ut eorundem nomina tranſcribantur in cælos, & gloriæ æternæ lauream immortalem obtineant.* Cùm hæc in Caramuele legerem, incaleſcens votis, gratulabar Dominico, quòd Bernardo noſtro tam devotus, & ſuam & Patronorum ſalutem Virginis juſſu procurandam voluerit per Ciſtercij Patriarcham. Sed & ampliùs gratulabar Bernardo, quòd Divæ auſpiciô & oraculô deſignatus Numinis *Referendarius* (ſic cum Aula loqui lubet) *intimus*, ac præcipuus, priùs vota ſupplicum ipſe audiat, referenda Majeſtati divinæ per ſe, neque caritura effectu, quod Virgo Mater ſpopondiſſet, quidquid Bernardus ad DEUM retulerit, promoturam ſe ad optatam efficaciam. Hi inter Bernardum & Dominicum, inter Ciſtercium & Carmelum pulcherrimè ſanè nexus ſtimulant utriuſque Inſtituti alumnos, ut ſua ſibi invicem communicent, quoniam ſic dulciſſima Parens, Regina Cælitum utriſ-

que

que juſſiſſet, primò quidem Dominico, ut ſe, ſuáque aperiret Bernardo; huic verò illô ipsô imperiô innuens, ut clientem, ut filium è Carmelo ſibi chariſſimum, quô valeret apud DEUM Referendarij munere, impendiò haberet recommendatum. Et agant id, quæſo, omnes, qui Dominici, qui Carmeli inſtitutum profitentur, agant, quod Dominicus; neque enim ſemel tantùm, ſed ſemper Bernardus *DEO eſt à libellis*: atque eapropter à ſupplicibus, & præſertim, qui è Carmelo ſibi recommendato accurrunt, inceſſanter adeundus, viam explicaturus ad Majeſtatem, apud quam potens eſt opere & ſermone!

Scripſit præterea *Caramuel* illuſtrium Virorum Virginúmque acta è Carmelo, illáque adnexuit *Dominici ſui* glorioſis factis, modicô compendiô multa complexus, *Lib.7.cap.*6. atque in primis Carmelitanæ Reformationis primordia per Seraphicam Matrem *Thereſiam de JESU*: Deinde vitam & virtutes, *Venerabilis P. Joannis à Cruce*: Venerabilis *P. Petri à Matre DEI*: Venerabilis *Matris Annæ de JESU*: Venerabilis *M. Annæ de S. Bartholomæo*: V. M. *Iſabellæ à S. Dominico*: Venerabilis *Fratris à Puero JESU*: V.P. *Nicolai à JESU Maria* ex Illuſtriſſima Familia *d'Oria*: Venerabilis *P. Franciſci à Sanctiſſimo Sacramento*: V. P. *Melchioris à Matre DEI*: V. P. *Ferdinandi à S. Maria*: V. P. *Joſephi de JESU Maria*: V. P. *Antonij à Matre DEI*. *Manriquems* noſter in Carmelum pariter officioſus ac pius, ad inſtantiam Sereniſſimæ Infantis Iſabellæ, Claræ, Eugeniæ, Belgarum Principis, conſcripſit vitam Venerabilis Matris *Annæ de JESU*, quæ Reformati Carmeli florentiſſimam obſervantiam transtulit è terris Hiſpanis ad Gallias. Porrò etiam *Chryſoſtomus Henriquez*, Mellifluæ Familiæ Hiſtoriographus, Ciſtercij laudes interpolavit pientiſſimô in Carmelum obſequiô, quatuor Tomis Hiſpanicô idiomate complexus vitam atque miracula illuſtriſſimæ Virginis *Annæ à S. Bartholomæo*, Seraphicæ Parentis Thereſiæ Filiæ, viarum individuæ comitis, ac ærumnarum ſociæ; è quo volumine ſynopſim ſuam vitæ ejuſdem Venerabilis Annæ congeſſit Caramuel. Commendandus hìc ampliùs idem *Chryſoſtomus*, quòd in Apologia (quam edidit pro *Benedicto XII.* Pontifice Maximo vindicando, tenendóque intra Ciſtercium, atque viciſſim *Benedicto* Pontifice altero, ejus nominis *Quinto*, ſubſtituendo

endo in locum Duodecimi, illóque tradendo Carmelitis) quòd, inquam, in illa Apologia Carmelitarum originem ſolidè anteferat univerſis novæ legis, Ordinibus, ad Eliæ nempe Prophetæ tempora, quem Carmeli, Carmelitarúmque Primum Parentem ibidem nervosè propugnat. Quod ſanè argumentum Sacerrimæ Religioni perhonorificum, quandoquidem tractari viderit à calamo Ciſtercio Vir è Carmelitana Familia eximius, *Daniel à Virgine*, plauſiſſe viſus eſt in ſua Vinea Carmeli *fol.* 107. Et quidem ſi ea res vinculum inter utroſque eſſe debeat, adducendus etiam hôc locô rursùs *Caramuel*, qui *Comment: in Regul. S. Bened: Diſp.* 34. *num.* 345. antequam *Dominicum* ſuum typis divulgâſſet, Carmelitarum vetuſtatem longiſſimè anticipavit, provehens eos ad Eliæ, & Eliſæi Parentelam, atque per tot jam retroactas ætates ſpiritûs fervoríſque intenſionem in Inſtituto ſancto egregiè commendans. Audi virum locô cit: *Carmelitani Ordinis Spiritus intenditur ſucceſſu temporis qui aliàs remitteretur, nisì DEUS illum manuteneret gratiâ particulari. Eliæ Inſtitutori ſucceſſit Eliſæus, cujus ſpiritus fuit duplò major. In gratiæ lege Hieroſolymitano Joanni Albertus, iſti Thereſia, fortè & Thereſiâ videbimus majores alios. Qui Carmelitarum Doctrinam admirari voluerit, legat Libros, quos temporibus varijs ediderunt; Complutenſi Philoſophico curſui, & Theologico Salmanticenſi Thomiſticæ ſententiæ aliàs probabiliores debent, quòd ſint inexpugnabiles, ſecuræ, & certæ.* Subſcribit deinde ibidem reſolutioni *Suarezianæ*, quam quia laudat, ſuam facit, ſimúlque cum graviſſimo Hiſpaniæ ac Societatis Doctore pro antiquitate Carmelitanæ Familiæ expreſsè pronunciat, quæ omninò per *Sixti IV. Joannis XXII. Julij III. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. Clementis VIII* Bullarum ſuarum Apoſtolica oracula ad Eliæ, Eliſæi, Prophetarúmque tempora, atque etiam ad Carmeli faſtigium, ſanctiſſimúmque ejus incolatum referenda ſit. Neque hìc prætereundus *Sebaſtianus de la Parra*, Hiſpanus, Carracetenſis Cœnobij alumnus, & intra Orbem Heſperium Reformati Ciſtercij Generalis Viſitator: qui edidit *Divæ Thereſiæ vitam*, Annô 1609. excuſam Salmanticæ, &, quia plauſum tulerat, Annô 1610, recuſam ibidem. Subinde laudes ejuſdem Seraphicæ Virginis varijs metris, hymníſque complexus eſt, quam ſacram Poëſim evulgavit Annô 1615. Tandem fervente in Divam cultu, *Officium integrum* de Seraphi-

ca

ca Parente collegit, quod, vigore Commiſſionis ſibi factæ ab Epiſcopo Salmanticenſi, revidit, lucéque publicâ dignum cenſuit Angelus noſter Manrique, & ipſe Thereſiæ, Carmelíque cultor eximius.

Cum SOCIETATE JESU.

POſt Mariæ filios, Carmelitas, dabo JESU ſocios, Jeſuitas: ſed neque hos ſinè vinculis, quorum jam ſuprà *Tit: VIII.* produxi ſub metaphoræ involucro: hìc ſinè tropo exhibebo quædam realia, pauca quidem, quæ rerum parcitas, neque Ciſtercij, neque mea, neque aliorum culpa eſt, ſed, quòd expectare plura non potui, juſſus feſtinare. Auſpicetur nexus iſtos Divo Ignatio Magnæ Societatis Parenti Maximo coævus, *Venerabilis P. Ludovicus de Eſtrada*, Abbas noſter de *Horta* *obijt Anno 1581.* apud Hiſpanos, Societatis Sanctæ Sanctus vindex, qui intimis viſceribus æſtuans ſuper Ignatij, ſociorúmque ærumnis, quòd Viri tanti, DEI munere tum ſurgentes in Eccleſiæ fulcimentum, indigniſſimè opprimerentur ab æmulis. Neque illum animi divinum impetum ad intrà continuit Ludovicus, verùm ultrò erumpentem, in *Apologiam* coordinavit, affectibus, verbíſque vehementer plangens ſuper puſilli gregis immerita calamitate. Recitat planctûs, doloris, atque ipſiuſmet Apologiæ fragmenta *Chriſtophorus Gomez* S. J. in *Elog. Societ. Part.* 1. *Claſ.* 7. *num.* 27. *Quibus*, inquit, *lachrymis illorum cæcitatem deplorabimus, qui privatim, ac publicè adversùs Societatem perſecutiones commovent? Hos ſanè lamentabatur Propheta, cùm dicebat: Væ vobis cæci, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & qui habetis lucem tenebras, & tenebras lucem! &c. Et infrà: Qui dixit Jeſuitas Lutheranos eſſe, inter fatuos planè, imò & Phraneticos annumerandus: Sicut enim lux opponitur tenebris, ita Jeſuitarum Inſtitutum Lutheranorum Inſtituto contradicit.* Et inter alia, quibus id probat latè æquè ac eruditè per utrorumque vitæ rationem diſcurrens ait: *Lutherani fide contenti, opera reſpuunt; Jeſuitæ verò charitatis operibus ferventes adeò ſunt, ut majori ex parte eos videas confeſſiones fidelium audientes, adminiſtrantes Eucharìſtiæ Sacramentum, odia componentes, infirmis ſervientes, verrentes hoſpitalia, moribundos adjuvantes, mortuos ſepelientes, in obedientiæ obſequium magnis laboribus peregrinantes, &c.*

Et poſt pauca: *Mihi in animum ſemper induxi, ſpecialem fructum à DEO intentum in hujus religionis fundatione alium non fuiſſe, quàm ut hôc novô ſubſidiô adversùs Lutheranam hæreſim militaret.* Et iterum: *Proh dolor! Quis tot fluenta haberet lachrymarum, quæ mundare poſſent maculam, aſſerentium, Jeſuitas in Lutheranorum grege annumerandos!* Et poſt plurima concludit: *Hinc infero, Pater mi Romane* (ad hunc epiſtolæ nomine Apologiam hanc conſcripſerat) *ingentem miſericordiam, quâ DEUS cum Societate Sanctâ uſus eſt: quámque ſi ei addicti bene perciperemus, non tantis premeremur anguſtijs, cum eam tot perſecutionibus ac calumnijs videamus exagitari. Hic enim ſtatus planè beatitudinis eſt: Beati, qui perſecutionem patiuntur, &c: Unde qui Societatem amamus ex animo (ſi adverſantium damnum non adeſſet) eam in hac ſua beatitudine gaudentem relinquere deberemus, cùm non inſtar homicidarum ac latronum ob propria flagitia, ſed ſicut hi, quos Chriſtus Beatos vocat, propter juſtitiam patiatur. Igitur Chriſti regulis ductus affirmo, ſi aliqua Reſpublica ſit, quæ beata in terris appellari poſſit, ea Societas eſt, quia hæc & injuriis laceſſita, & calumniis diffamata: & ſi ab hac beatitudine aliquantulùm recedant ſui, id cauſat animorum favor, quamvis negare non poſſum, ſpecialem DEI providentiam eſſe, eorum innocentiæ dari Patronos, nè perſecutione deficiant, quemadmodum eorum permittit infamiam, nè favore, & humano plauſu ſe extollant, &c.* Hæc ille Epiſtolâ ad Patrem Romanum apud Euſeb: in vita Beati Borgiæ, Lib: 2. cap: 31. à folio 169. ad folium 171. Hic Societatis genius, qui ferè olim Romanorum, fortia agere, & *dura pati*: quod quidem, præſertim in quantum ad alterum membrum, univerſaliter noto in omnium Ordinum primordiis; quoniam vix ulla Religioſa Familia vel olim vel hodie exorta mundo ſinè preſſura. Non Cœtuum duntaxat Sacrorum hoc fatum eſt, ſed ipſius Eccleſiæ, inter mille tribulationes primitùs enatæ: quod ſanè argumentum haberi debet futuræ firmitudinis, ſurgere ſcilicet per adverſa. Societatis tamen præprimis eſt ea ſors, ut quandoquidem primum nidulum ſuum collocârit in *Monte Martyrum* propè Pariſios, martyrij nomen & fatum ſibi pro teſſera aſſumpſiſſe ſit exiſtimanda. At verò poſſet fortè offendi Sancta Societas Ludovici noſtri gratulatione, cùm auſus eidem tum maximè applaudere, cùm eſſet

ſet eidem peſſimè; id namque eſt præter ſtylum ſæculi, plauſum dare tribulato. Verùm enim verò introſpexit altiùs Sapientiſſimus Præſul in Societatis arcana, leges, fata, quæ omnia ſignata crucibus; neque enim illa aliquando beatior, quàm cùm per adverſa agitaretur. Amavit Societatem Ludovicus, ùt ipſe confitetur, *ex animo*, & quia ſic amavit, non condoluit afflictis, ſed magìs affligentibus, quòd ſcilicet hi peccarent, illi verò beatificarentur. Et certè quis unquam rectè Beatis condoluit? Atque hæc incidenter, ut Lector videat, Ciſtercium nunquam non bene voluiſſe Societati; ſiquidem etiam cùm malè voluiſſe videretur, tum profectò eidem maximè bene voluit. Et hæc quidem in Epiſtola illa prima *Apologetica* Ludovicus: Eadem ferè ſpiritu vehementi in *Epiſtola* altera ad *Doctorem Torrenſem*, ſubinde Canarienſem Epiſcopum, pro Sanctæ Societatis fama, quæ impudentiſſimi cujuſdam obtrectatoris infami ac ſceleſtô ſcriptô, in manus Venerabilis Abbatis, ductu boni fati, devolutô, vehementer læſa, ſtimulavit Virum DEI, ut adversâ epiſtolâ expungeret affrictas calumnias, publicô rursùs encomiô commendans Ignatium cum Socijs, Sociorúmque novitium quidem, ſed Inſtitutum longè ſanctiſſimum, quod Roma non probaret modò, ſed amaret. Referuntur hæ Ludovici literæ in *vita S. Franc: Borgia*, ubi *ſuprà fol*: 75. Cùm ſubinde Patriarcha Sanctus exceſſiſſet è vita, erupit denuò in novos & amariſſimos queſtus Abbas noſter ſuper tanti Viri obitu, ſcripsítque, aut ſuum ſibi, aut certè filiorum Ignatij dolorem leniturus, Epiſtolam ad Socios *Septimancenſes*, plenam mœrore, ſed non minùs refertam Parentis Sancti, atque etiam Sanctæ ipſius Societatis laudibus longè clariſſimis, dignam haud dubiè (quod aſſerit Manriqueus in *Serie Abb: Hort: Trienn: XV.*) quæ Societatis Annalibus insereretur. Ejus argumentum recitat *Henriquens* in *Menol: Ciſt*: ad diem 2. Junij: atque etiam *Hiſt: Societ*: 1. *Part*: *Lib*: 16. *n*. 125. exhibendum hôc locô integrè. Exorſus itaque Ludovicus ab animi ſui conturbatione, quâ ſe ad communem Genti humanæ, Ignatij morte illatam cladem diù conſtitiſſe mutum, atque attonitum inſtar Jobi amicorum, ait, & profusè ſtuporem hominum deplorâſſe, qui quia non intelligunt, quanti referat, in terris ſupereſſe eximiâ præditos ſanctitate Viros, in eorum oc-

caſu minimè commoventur; Proſequitur ſubinde ingentes Ignatij Parentis ac Sanctæ Societatis laudes ſub figura grani Sinapis. Poſtremò obtrectatorum contra Societatem conſutatis calumnijs, ejúſque Inſtitutô non leviter explicatô, Socios adhortatur, ut Beati Ignatij veſtigia prementes, contra adverſarios, ſpe in DEO collocta, modeſtiâque ac ſilentiô dimicent. *In ſilentio, & ſpe*, inquit, *erit fortitudo veſtra: quoniam voluntas DEI eſt, ut benefacientes obmuteſcere faciatis hominum ignorantiam.* Addit, ſcriptam à ſe pro Societate Apologiam, & cur id ipſe diverſi Ordinis faciendum ſibi putârit, exponit, Epiſtolam claudit. Neque intra ſolas epiſtolas ſtetit Ludovici erga Ignatium, ſocióſque propenſio; verùm egreſſa in opus, unà cum effectu exhibuit Viris & amicis patrocinium reale ac ſolemne *Cæſar-Auguſtæ*, in quam Urbem ducturi coloniam, ſedéſque occupaturi, cùm reprimerentur à Primoribus populóque, Abbas noſter, quâ valuit dicendi energiâ, & quâ flagravit in Viros charitate, populares atque etiam Proceres è ſuggeſtu feliciter compoſuit, ut ad verbum Ludovici in Urbem *humiliter & gratanter* (ſic loquitur *Angelus* in cit: ſer: Abb: Hort:) ſuſciperentur. Eadem *Compluti* paſſa ab incolis Societas, eadem experta à Ludovico, qui velut communis, novi Agminis Advocatus, ſeſe ultrò offerebat, ultrò ingerebat (quod ſanè beneficium afflictis eſt longè dulciſſimum) ad teneræ plantationis fidam & ſolidam tutelam. Et quidem quod *Cæſar Auguſtam* attinet, addenda nova beneficij extenſio, Ciſtercio glorioſa; Non enim Ludovicus tantùm ſuô illô zelô, ac ſuadâ negotium compoſuit; verùm etiam Illuſtriſſimus Princeps *Ferdinandus*, Ferdinandi Catholici Regis ex Alphonſo Filio Nepos, è Monacho de *Petra* Archi-Epiſcopus ac Pro-Rex Cæſar-*Auguſtanus*, auctoritate ſuâ plurimùm contulit ad zeli, ſermoníſque Eſtradani efficaciam, ità ut Annô 1558 geminô per Ciſtercium obſequiô, & Ludovici nimirùm ardentiſſimô hortatu, & Ferdinandi ſacris ac Pro-regijs auſpicijs JESU Societas nuper æmulorum ſtudijs urbe ejecta, denuò cum ingenti reverentia adducta ſit.

obijt Neapoli Annô 1598.

Hæc pro Sancta Societate apud Hiſpanos Ludovicus & Ferdinandus: neque minora apud Polonos *Stanislaus Reſcius*, Abbas

Abbas Andreovienſis, Vir apud eam Gentem ingentis nominis, qui Sociorum JESU juſtas vindicias magnô animô in ſe ſuſcipiens, æmulorum impetum repreſſit doctiſſimô calamô, quem zelô divinô armatum generosè exeruit adversùs calumniatorum impudentiam, conſcriptô geminô opere, quô propugnata Societas, & Societatis innocentia abſterſis convitijs repoſita nativo decori. Operi priori hunc præfixit Titulum: *Liber pro defenſione Patrum Societatis JESU.* Poſteriori: *Spongia, quâ abſterguntur convitia, & maledicta Equitis Poloni contra Jeſuitas.* Quæ ipſa doctiſſima *Spongia* probis tam placuit, ut ter prælô recuſa, *Cracoviæ* Annô 1590. *Ingolſtadij* Annô 1591. & *Neapoli* Annô 1592. Authoris celebre nomen, zelúmque Sanctum, atque etiam Societatis vindicatam integritatem extra Polonias per reliquum Chriſtianum Orbem circumtúlerit. Hæc Societatis laus eò illuſtrior, quò illuſtrior Vir ille, qui laudes ſcripſit. Prætermiſeram ſeu fatô, ſeu caſu *Stanislaum Reſcium* in Superioribus Titulis, cujus tamen clariſſimum nomen, clariſſima munia, ac merita Titulos complures illuſtrare debuerint; nam & collocari poterat inter Viros Apoſtolicos, tum inter Legatos Regios, atque etiam inter Laureatos Doctores. Peccaverim ſanè in virum magnum, peccaverim in Ciſtercium peccatum grande, ſi tanti Doctoris, Præſulíſque elogia hìc non infererem. Neque ingratum id eſſe poterit Societati, quòd laudes Patroni nunquam ingratæ eſſe debeant clientibus: atque etiam quòd inter Ciſtercij & Societatis vincula par ſit hìc ratio utriuſque: & quandoquidem tam ego ſincerus ſim, ut Viros hìc exhibeam, qui laudavêre Societatem: integrum planè mihi erit, & Ciſtercij ipſiuſmet laudes divulgare, præſertim, ſi ideò *Reſcium* celebravero, ut exiſtimatio Societatis eò ſit plauſibilior; quoniam, ùt monui, laudis magnitudo deſumenda à magnitudine laudantis. Hæc incidenter, nunc ad rem ipſam. Recitat *Carolus de Viſch in ſua Biblioth. Script. Ciſt. Lit. S. pag.* 301. *è Simone Staranolſio, Centuriâ illuſt. Polon. Scriptorum*, illuſtris *Reſcij* noſtri magna elogia ac munia per hæc verba: *Religioſorum hominum in cœtu Stanislaus Reſcius, pius Abbas familiam ducat. Is Patriâ Poſnanienſis, à teneris ferè annis, in ſinu magni illius Cardinalis Hoſij educatus, bonos mores imbibit, illiúſque ipſius exemplô ad pietatem informatus, per omne tem-*

pus Concilij Tridentini (*quô ex omnibus Orbis partibus ſarcienda in Eccleſia Catholica concordia, praſtantiſſimi quique Theologi, pariter Antiſtites, à Principibus mittebantur*) *Secretarii titulô ornatus, in ejus familiaritate vixit Doctoris laureâ pòſt auctus: in Gallias ad Henricum Valeſium, Polonia Regem renuntiatum, legatio Roma obvenit, ut illi novam dignitatem nomine Cardinalis ſui gratularetur, fidémque ſimul, ſubjectionem ac ſalutem deferret. Indè reverſo* (*Deô ad altiora viam ſternente*) *Sigillatoris officium in Tribunali ſacra potentiaria commiſſum; ac tandem à Rege Stephano in Patriam revocato, Abbatia Sodalium ſacrorum Andreovienſium data. Quâ auctus, Legatum ad Gregorium XIII. & Sixtum V. Pontifices Maximos, Regis ſui ac Reipublica nomine, egit. Iterum juſſu Sereniſſimi Sigiſmundi III. ad Rempublicam Venetam, Ferdinandum Hetruria Ducem, in Regno Neapolitano, ac tandem ad Clementem VIII.* (*cui & obedientiam nomine ſua Majeſtatis fecit*) *in cauſa canonizationis Divi Hyacinthi plurimùm laboravit. Cúmque acerrimô eſſet ingeniô, & eximiâ animi magnitudine, inter tot negotia, tótque ſerias occupationes, ad hareſes clàm è Germania & Hungaria in Poloniam ſerpentes, reprimendas, cùm ingenii nervos, tum actiones omnes contulit.* Hæc Viſchius ex Staranolſio de Stanislao Reſcio.

Nunc rursùs à laudibus noſtris tranſeundum eſt ad laudes Societatis, quas angelicâ pennâ conſcripſit *Angelus* noſter *Manrique*, ſermone habitô Salmanticæ in Beatificatione Divi Ignatij Fundatoris Annô Domini 1610. quam etiam elegantem panegyrim Chriſtophorus Gomez inſeruit *Societatis elogiis, num.* 28. ubi Angelum noſtrum compellat *totius Regni Hiſpania fulgentiſſimum lumen*, ac verè *Cuſtodem Sancta Societatis Angelum*, vulgari linguâ, ſed non vulgari ſtylô, per Ignatij & Filiorum clariſſima encomia evolantem: è quibus hæc fragmenta ad præſentem locum deſumpta: *Aut fallor*, inquit, *aut nullus eſt, qui, ſi totius ſua vita curriculum attentè percurrat, aliquid Societati non debeat, hic Grammaticam, ille Theologiam, iſte conſilia, alter Sacramentorum frequentiam. In corde quiſque manum ſuam abſcondat, in quibus profeciſſe ſe agnoſcat, aperiat: aut certè mira obſequia, quibus quotidie Eccleſia DEI ſervit hac Sanctiſſima Familia, audire nè renuat. Paulus, qui hanc Societatis vineam plantavit, eſt Ignatius, Paulo converſione, operibus, ac virtutibus non impar. Apollo rigans,*

Mar-

Martyres ſunt, propriô venarum ſanguine vites ſuas irrigantes: DEUS autem (id eſt JESUS) incrementum dedit. Tantô ergo vineæ cultore nîl mirandum, quòd tam brevi tempore tantùm Sanctiſſima hæc planta creverit. Illa in omnibus Orbis Provincijs ac Regnis DEO inſervit, ideò juſtiſſimè per totum Orbem extenſa, &c. Hæc ille apud Lib: Feſtorum Salmanticenſium de eadem Beatif. fol. 162. & poſtea fol. 164. addit: *Miſſi dicuntur Apoſtoli ex ſua ratione formali (quomodo enim prædicabunt, niſì mittantur) quam formalem rationem inſeruit Ignatius Inſtituto ſuo ad tria communia omnibus Religionibus, quartô additô de Miſſionibus propriô votô, quô Miſſi convolant ſui ad plantandam ubique fidem, ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ad infidelium converſionem: Quis ergo dubitet, Societatem eſſe Apoſtolorum Ordinem? Ordines Sanctorum, Fundatores aliarum Religionum erexêre: Ordinem Evangelicorum pauperum S. Franciſcus: Eremitarum S. Auguſtinus: Doctorum, Prædicatorum ac Magiſtrorum S. Dominicus: Prophetarum Elias: Virginum Clara, cæteræque Religioſarum Fundatrices: Martyrum S. Bruno: Angelorum divinas laudes indeſinenter decantantium SS. Benedictus & Robertus: Apoſtolorum autem ſolus Ignatius. Sanctum enim, qui Religionem inſtituerit (quæ profiteatur de novo pergere ad Chriſti fidem plantandam) ego præter Ignatium nullum agnoſco, &c. Dum in mundo vixit* (ſubdit fol. 165.) *ex Apoſtolis ſuam Societatem formavit JESUS & inter plures diſcipulos, quos habuit, ſibi ſpecialiter elegit, quos Apoſtolos nominavit, Luc. 6. Idem etiam videtur ſervâſſe in ſacris Religionum nominibus imponendis, quæ quidem & Collegio Apoſtolorum, & Diſcipulorum Congregationi ſucceſſerunt, eorùmque prærogativis, & vitæ inſtituto: alia enim dicitur S. Franciſci, alia S. Dominici, alia Auguſtini, Brunonis alia, &c. Verùm enimverò quos Apoſtolos nominavit, elegit ſibi JESUS ſpecialiſſimè, nolens aliô nomine compellare, quàm ſuô: Societatem JESU. Quæ ergo harum omnium* (addit fol. 166.) *Religionum vobis videtur eſſe major? Ad opera reſpicite: aliæ Religiones profitentur, hæc vitam Doctorum, illa pauperum, hæc Martyrum, illa Virginum; Religio verò Societatis profitetur (& ex voto quidem) Apoſtolorum vitam, pergentium ad infidelium converſionem, quocunque placuerit Romano Pontifici. Ex quo patet* (infert jam cum D. Thoma) *quòd Apoſtoli ſunt omnibus alijs Sanctis quâcunque dignitate & prærogativâ ſive Virginitatis, ſive Martyrij præfulgeant, præferendi, &c.* Et poſteà fol. 167. *Reſpicite*, inquit, *ea omnia facinora, quæ à ſua fundatione patravit Societas, tot Idololatriarum*

trarum provincias ad Chriſti fidem converſas, tot hæreticorum oppida, obedientiæ Romani Pontificis jam penè ſubjecta, tot fidelium pueros benè educatos, tot Religiones ejus Seminarijs Juvenibus plenas, tot ſæculares Sacramentorum frequentiâ ferventes, tot in Sacram Scripturam Commentaria æquè docta ac acuta, tantam Theologiæ Scholaſticæ excellentiam (ut ſi inter diſcipulos annumeretur, qui ab alio diſcit, nullus hoc tempore Theologus reperiatur, qui Diſcipulus hujus Ordinis non ſit) tot inſuper libros reſpicite, quos in hac & alijs facultatibus conſcripſerunt, tantum ſanguinem pro fide fuſum, tot Sanctos, tot illuſtres Viros, &c. quæ omnia innumeris Societatem laudibus ornant. Et tandem fol. 172. uſque ad 174. concludit: *Hujus Ordinis profeſſio Martyres facit. Unde JESU Societatem, Martyrum Ordinem poſſumus appellare. Et quæ crux hujus Martyrij, rogas? Non alia, quàm abnegatio propriæ voluntatis; quam etſi aliæ profiteantur Religiones, in nulla ſtrictiùs, quàm in hac Familia, ſive id ſit ob ſpeciale Ejus regimen cum uno ſupremo Capite, ſive ob electionum defectum, ſive ob votum non admittendi dignitates, ſive ob alias occultas cauſas. Ego ſanè intelligo in propria abneganda voluntate nulli Religioni cedere JESU Societatem, & fortè paucæ in hoc illi æquantur. Hinc colligo Martyrij ejus crucem, ſecundùm illud Chriſti Domini, qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. Idque forſitan indicat crux illa, quâ cum idem Dominus apparuit Ignatio, id JESU Nomen dulciſſimum, quod hæc ſanctiſſima Religio pro ſigno ſuæ Nobilitatis habet. Si enim Ejus Religioſi cruces, ùt dicebamus, portant, in illis JESU nomen, ùt in proprio loco collocandum venit; Ubi enim JESUS Nazarenus, niſì in Cruce affixus? Felix millies Religio, quæ Nomen JESU utì proprium habet, ità Ejus crucem pro baculo, ipſum JESUM pro ſocio: Societas JESU!* Hæc Angelus noſter in ſummam Societatis, & Sociorum commendationem. Prolixæ ſanè laudes, & quas integras vix ego hìc dediſſem, niſì integras ante me pro Societatis gloria recitâſſet *Chriſtophorus Gomez* Societatis alumnus, ſuprà citatus. Non potui parvifacere elogia, quæ Societas ipſa in publico eo Gomezij opere viſa eſt feciſſe quàm maximè. Neque dixeris, panegyrim non eſſe *vinculum*, quale ego hìc intendo, hæc namque prærogativa danda *Angelo* noſtro, ut, quos laudat, vinciat: illuſtrium ſiquidem Virorum laudes, vincula ſunt, quibus ſtringantur, qui laudantur. Magna dixit de Societate *Angelus*, & quia Magnus, ideò panegyriſtis alijs præferendus; quoniam

niam ſicut non omnes Prophetæ, Doctoréſve, ità, & multò minùs quidem, nec omnes Angeli. Igitur qui aliàs Societatem laudant, homines ſunt, aut paulò, aut multò minorati ab Angelis; at verò Manriqueus noſter non eſt ſicut cæteri hominum: Angelum fert in nomine: neque in nomine tantùm, verùm & in intelligendi ſubtilitate ac ſublimitate. Fugiendum quandoque à laudibus humanis; ſed vix ab Angelicis. Angelus eſt, qui laudavit Societatem: pulchrum eſt, laudari ab ijs, qui aliquid ſupra homines cum Angelis habent commune.

Fuit præterea in præſenti elogiorum argumento facundus *Bernardus Lopez Suſarte*, Scriptor è Ciſtercio gravis, in Theſaur: Eccleſ: demonſtr: 8. fol. 259, col. 3. citatus in ijſdem Societatis elogijs, num: 29. ubi hæc ille: *Glorioſus*, inquit, *Benedictus ſpinas elegit, quas nudus pro lecto habuit: Sanctus Dominicus flagella, quibus carnem cruentabat: S. Franciſcus Chriſti ſtigmata in corpore ſuo portavit: Beatus verò Ignatius, etſi ſerus venerit, aſportavit tamen Crucis Titulum cum JESU nomine, quod per totum Orbem ſancti ac novi Apoſtoli Suæ Societatis maximè illuſtrârunt, bonum ſui odorem doctrinâ & exemplô ſpargentes, Evangeliíque balſamum vitæ diſpendiô ac martyriô per terram totam effundentes.* Cecinit etiam eleganti poëſi Illuſtriſſimi Patriarchæ Ignatij laudes *Sebaſtianus de la Parra*, Hiſp: Carracetenſis Aſceta, & Viſitator Generalis, per diverſa metra, latina atque Hiſpanica, prælô excuſa Annô 1610. quæ *laureata* appellat Viſchius in *Bibl: Ciſt: Lit: S. pag.* 297. Præterea Liber elogiorum Societatis JESU, *num.* 30. hæc encomia recitat, quæ eruditus ille Præſul in Lib. Feſtorum Salmanticen: de Beatif. S. Ignatij fol. 42. Col. 1. in glorioſam Societatis commendationem eſt profatus: Eſſe nimirùm illam, *Jeruſalem novam, Matrem illuſtrium Virorum, Deorúmque fortium, civitatem DEI, Mare immenſum doctrinæ cæleſtis, fontem amoris, pietatis, pœnitentiæ, meditationis altiſſimæ, mortificationis, ardentíſque zeli, ac demùm Templum fide, religione, modeſtiâ, amore ac ſcientiâ, velut lapidibus pretioſis conſtructum.* Neque prætereundus hôc locô doctiſſimus *Caramuel*, qui Comment: in Reg: S. Bened: diſt 34. num. 349. Societati, primi Anni ſæcularis ſolemnia feſtivis jubilis Annô 1640. agenti ità applauſit: Patribus Societatis ſæcularem ſolennitatem hôc Annô M. DC. XL. celebrantibus

 con-

congratulor verbis Melliflui mei Bernardi Serm: 1. in Pentecoſt: *Felices*, inquam, *Vos qui jam intrâſtis* (bis) *quinquageſimam requiei, & jubilæum annum.* Nec carpendus, qui verba Melliflui Doctoris uſurpo, cùm videatur eorundem prærogativas prævidiſſe, prædixiſſe, imò numerâſſe, nominâſſe, in Feſto S. Andreæ: *Illa clementiſſima tua pietas & benignitas adoranda*, ait, *delicias ſuas dicit eſſe cum filiis hominum. Iſti ſunt filii hominum, qui ſperaverunt ſub tegmine alarum tuarum, quos elegiſti de plebe, quorum lavisti pedes, quibus tuum ſpiritum infudiſti, qui adem tui nominis* (nempe JESU) *quadrigis Evangelicis per Orbem quadrifidum portaverunt.* Hæc Ciſtercium JESU Socijs: atque illi viciſſim alia Ciſtercio: *Claudius Aquaviva* præprimis, V. Societatis Præpoſitus Generalis, qui tam erat devotus Divæ Virgini, tam devotus Bernardo, Virginis alumno, ut non aliunde in rebus dubijs conſilia peteret, quàm ab illis, nunquam non expertus votorum ſuorum efficaciam, DEIparæ, & Melliflui Advocati auſpicijs ſemper procuratam. Quin imò, quòd *Claudius* aſſumptus ad generalia Societatis gubernacula, opus Virginis fuit, atque Bernardi. Lego id in Merlonis Horſtij introductione ad Divi Bernardi opera, citantis pro ſe *Joannem Bourgheſium* S. J. Theologum, & Librum, cui Titulus: *Societas JESU, DEIparæ Mariæ ſacra*, cap: 24. Dabo ſcenam hanc Mellifluo Parenti glorioſam verbis non meis, ſed Bourgheſij præfati, ut Ciſtercij beneficium commendet Scriptor non domeſticus: *Memini*, ait ille, *cùm Romæ non unus, neque dubius Auctor narraret, Everardô Mercurianô* (is fuit quartus Generalis Soc: JESU) *vitâ functô, cùm ad novi Præpoſiti creationem conventus haberetur, ac comitia de more celebrarentur: in iiſque inter Præpoſitos Provinciales extremum & ætate & ordine locum obtineret Pater Aquaviva; tamen unanimi ferè Patrum conſenſu delectum fuiſſe, non ſinè Numine, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ in eum propenſæ voluntatis aperta ſignificatione. Patrem certè Claudium Matthæum, Provinciæ Franciæ Provincialem, magnâ ſanctitate Virum, ferunt eâ, quæ præcedebat electionem, orationis horâ, intentiùs precantem, hoc cælitùs immiſſum habuiſſe viſum, quô ſanctiſſima DEI Mater, unà cum S. Bernardo Abbate Claræ Vallenſi ad ipſum Patrem Claudium Aquavivam de cælo delaberetur; tum velutì medium ab ijs aſſumptum, ad cæleſtem Chriſti Domini Salvatoris thronum fuiſſe deductum, illique cum prece & gratiâ oblatum, commenda-*

mendatione dignum, qui ſua Societatis hujus minima clavum teneret, ſummámque ejus locô ac nomine gereret Præfecturam, quibus benigniſſimô vultu Salvator annuerit, Patríque Aquaviva ſuam ſit elargitus benedictionem. Coluit certè Beatam Virginem, & S. Bernardum præcipuò cultu, eóſque in omni re dubia præcipuos ſenſit adjutores. Videat Lector, quid Bernardo debeat JESU Societas, cujus præprimis, cùm Virgine, ſuffragijs ſupremum Caput obtinuerit: inſpirante haud dubiè DEIparâ, atque Abbate Mellifluô, Electoribus Claudij virtutes, ſanctimoniam, doctrinam, ut electionem jam cœlitùs factam, divinitùs approbatam & ipſi proſequerentur, ſubſcribentes Virgini atque Bernardo, qui malè eligere haud potuerint. Et ſanè fuit *Claudius* deinceps non modò Melliflui Parentis cultor, quemadmodum hactenùs, verùm etiam Bernardeæ humilitatis æmulator eximius; ſicut namque Bernardus honorum Eccleſiaſticorum faſtigijs, Archi-Epiſcopatui Rhemenſi, Mediolanenſi, aliiſque modeſtiſſimô effugiô conſtanter ſe ſubtraxit, ità & Claudius Clementi VIII. Pontifici Maximo Archi-Epiſcopatum Neapolitanum propemodum obtrudenti, pari modeſtiâ, atque, cùm urgeretur, etiam inter lachrymas obluctatus eſt. Commendanda in Claudio erga Bernardum pietas, & commendanda etiam Bernardi erga Claudium cura & patrocinium: ſed magìs commendanda inter utroſque ſimilitudo, atque in ſimilitudine humilitas, quòd ambo infulis & cathedris digni, ambo infulas & Cathedras egregiâ animi demiſſione ſubterfugerint: Claudiô indignum exiſtimante, Sancti Abbatis implorare ſuffragia, & non imitari Sancti virtutes: atque Bernardô lubentiùs impertiente favores clienti, quò magìs ſibi per virtutem aſsimilatô, eò magìs charô. Ità quidem Bernardo noſtro affectus *Claudius*, neque aliter erga Bernardi mellea opera propenſus *B. Aloyſius Gonzaga*, Angelicâ puritate eximius adoleſcens, Societatis JESU pulcherrimum decus, cui pro lege fuit, quam ſibi præſcripſerat, quotidiana Bernardi lectio. Nulla unquam dies Aloyſio abijt, quâ non velutì caſtiſsima apicula ad Melliflui Abbatis eloquia ſuper mel dulcia evolârit, in ijſdem & Hyblam ſuam habiturus & Tempe, & mille in Tempe flores, favóſque. Neque corporis ſuprema ægritudo hanc legem ſolvit; cùm enim minùs prævaleret ipſe, juſsit ſocio, ut vice ſuâ fungere-

tur, prælegerétque ſibi quotidie aliquod fragmentum Sermonum Divi Bernardi, quos ſcripſit in Cantica, Sancti Doctoris verbis ſtimulans emigraturam animam, ut divinis amoribus incaleſcens, ad concupitos Sponſi in Patria amplexus ſeſe adaptaret: prorsùs ex Bernardi genio, qui eos in Cantica Sermones ùt plurimum etiam ſcripſerit, cùm ægrotaret, relegendos ab Aloyſio pariter ægrotante, fatô quôdam Sancti utriuſque admirabili, ut cùm corpore languerent quàm maximè, tum demum expeditiores forent ad dulcis epithalamij expendenda myſteria. Atque eapropter non unius duntaxat Pauli privilegium eſt, ut, cùm infirmaretur, eſſet fortior: Bernardum etiam atque Aloyſium ea commendat prærogativa, corpuſculô per morborum tormenta afflictô, cœlicis vacare amoribus, quibus Sponſus, quibus Sponſa in Canticis caſtiſsimè exarſerant ad invicem. Memorandus pariter dulci erga Parentem Mellifluum obſequiô *Theophilus Raynaudus* è S. *J.* qui eleganti opuſculô, quod in Bernardi, ac Ciſtercij commendationem compilavit, Doctoris Sancti laudes ſub allegoria *Apis Gallicanæ*, *Argumentoſæ*, & *Belligeræ*, doctiſsimè complexus eſt, floridô tam ſtylô, quàm affectu, quoniam inter apes, mella, favos loqui ille vix potuit ſinè floribus, ubi apes conſident, & flores colligunt.

Sed nunc recenſendum beneficium *Gedani* apud Boruſsios, quod quia Societati de præſenti dedit Ciſtercium, gaudeat utique Societas, quoniam & de præſenti gaudet Eccleſia, Societatis Magiſtra. Id præſtitit Reverendiſsimus, Ampliſsimus ac Eximius DD. *Michaël Antonius Hacki*, Abbas inclyti Cœnobij B. M. V. de Oliva, S. Theologiæ Doctor, Protonot: Apoſt: S. R. M. Polon: Intimus Cameræ Secretarius & Commiſſarius, Vir in Ciſtercio, atque etiam extra Ciſtercium magnus, linguarum notitiâ clariſsimus, arcanorum naturæ ſagaciſsimus Scrutator, de quo pulcherrima fama eam gloriam circumfert, vix eſſe in Scholis ſcientiam, vix in Europa linguam, quam non calleat: *Algabræ* præſertim peritus, in qua difficillima facultate habetur in Europa inter præcipuos. Vidi Virum *Premeti* in Polonia majori, & quantâ debui ſubmiſsione ſuſpexi. Septuagenariô, quod ſciam, jam major eſt, dignus omninò, qui per annorum centu-

centurias ſuperſtes, ſuâ longævitate Orbem beet! Is itaque Ampliſsimus Præſul munificentiæ ſuæ claritudinem ſcripturus in Faſtis Sociorum JESU, Gedani (Dantiſcum vulgò dicimus) Collegium pro Sancta Societate ſuis impendijs noſtrâ hâc ætate erexit, *ad ſtuporem hæreticorum*, utì memorant communicatæ à Societate notitiæ, quòd nempe illi viderent Abbatis faventiſsimi beneficia etiam extra Ciſtercium protendi, fatô Ciſtercij vetuſtô & communi, quòd ſcilicet à primo mox ſui ortu cum aliorum Ordinum incrementis ſeſe induſtriè ſemper occupaviſſet. Eſt quidem hoc ipſum mirabile hodie in oculis noſtris, quandoquidem præter morem, ut Ordines extravagentur extra gremium, & transferant ſumptus ac gratias ad Inſtitutum alienum, cùm ſe ſuáque curare ſoleant plerique. At verò qui ad extrà circumſpiciat, beneficiúmque, quale Olivanus Præſul circumferat, rarus erit.

Cum Ordine SS. TRINITATIS
Redemptionis Captivorum.

SAnctiſſimam hanc Familiam ideò ad Ciſtercium pertraho, quia unum è primis ejuſdem inſtitutoribus Bernardo & Claræ-Valli non mediocriter junctum comperio. Is *B. Felix*, olim *Hugo Valleſius*, Ranulphi Comitis, atque Eleonoræ, Theobaldi Bleſenſis, ſororis filius, quem unà cum *B. Joanne de Mata* ad progenerandam novam in Eccleſia Sobolem, Chriſtianis inter Saracenorum compedes & vincula gementibus aſportaturam ſolatia ac libertatem, divinitùs deſtinatum lego apud Angelum ad Annum 1127. *c.* 3. *n.* 10. quô annô natum perhibet *Hugonem* idem Author, móxque poſt ſacrum fontem à Matre delatum in Claram-Vallem, offerendum per manus Bernardi DEO, atque à Sancto muniendum benedictione. Crediderim id Eleonoram feciſſe divinô impulſu, ut nempe Bernardus, ille non modò unius Ciſtercij Pater, verùm & Religionum omnium inclytus Myſtagogus, animulæ illuſtris puſionis ad tantum opus jam cœlitùs præelecti, ſacerrimô illô portentoſæ ſuæ dexteræ ſignaculô ideas ſanctas imprimeret, faceretque ex *Hugone* jam tum *Fælicem*, ſeu nomen ſpectes, ſeu Religioſam novi & felicis Ordinis Parentelam. Quæ utique

(ſubjungit Angelus cit:) *Bernardo non exigua gloria eſt, tantum habuiſſe alumnum, ſive clientem, illuſtraturum Orbem, atque illud ſaculum miraculis & meritis, ſequentia repleturum glorioſâ prole.* Subinde cùm ad fortiorem ætatem acceſſiſſet Hugo, ſtimulos ad intrà ſentiens, feſtinavit ipſe ad Claram-Vallem, non modò jam benedicendus, ùt olim, verùm & imbuendus per *Bernardum* & *Henricum* (is erat Frater Regis Galliarum, tum ibidem Monachus) ſacratioribus ſenſis. Id rursùs tradendum ex Manriqueo ad Annum 1149. *cap*: 4. *n.* 12. verbis ejuſdem proprijs: *Frequentabat Bernardum Henricúmque* (Hugo) *atque ab illo auditurus verba vitæ, cum hoc aut collaturus, aut experturus, Claram-Vallem devotus inhabitabat: ut indè adoleſcentiam ordiretur, unde infantiam incepit: & qui recèns àblutus ſacrô fonte, Claram-Vallem delatus, primitias vitæ per Bernardum DEO ſacraverat, jam ſui compos, atque annos viriles dudum ingreſſus diſceret à Bernardo, qualiter incentiva carnis domaret: Diſceret à Sancta illa Congregatione regularia inſtituta; quæ poſtmodum doceret, dum filios propagaret per totum Orbem: ut verè credi poſſit, tradidiſſe olim ſuis præcepta, legéſque, juxtà exemplar, quod illi in Valle, ùt olim Moyſi in Monte, monſtratum fuit.* Itaque feliciſſimus ille Hugo priùs Magiſtros ſibi delegit, habuítque ex Clara-Valle, quàm ipſe erga ſuos noviter deinceps convocandos alumnos magiſteriô fungeretur: quæ res vinculi inſtar Hugonem unà cum Familia ſua non leviter adſtrinxit Ciſtercio.

Cum ORDINE B. *MARIÆ de*
MERCEDE Redemptionis Captivorum.

HOc ſacrum & glorioſum agmen, priori haud abſimile, Annô Domini 1218. ſuis auſpicijs collegit *Jacobus I. Aragonum Rex*, qui ſiquidem poſt inclytas de Sarracenis victorias, & glorioſa Regni gubernacula conſummatus tandem ſit intra Ciſtercium (quemadmodum ſuprà *Tit*: *XV.* pag. 401. diximus) hinc Familiam, quam Jacobus inſtituit, ad Ciſtercium refero. Concepit ille prima Ordinis plantandi ſemina, cùm nuper à Simone Comite Montfortio in ætate tenera detineretur in cuſtodia, malô ſuô jam doctior & promptior illis compati, qui fatô longè acerbiori gemerent Captivi ſub infidelium tyrannide. Has ideas tandem permovit ad felicem efficaciam Diva

Parens

Parens, unâ eadémque nocte, in cæleſtium agminum comitatu apparens *Jacobo* Regi, B. *Petro Nolaſco*, & Divo *Raymundo Pennafortio*, per diverſa domicilia tunc Barchinonæ habitantibus, eóſque ad eliberandos Chriſtianos, qui à Paganis attinerentur, fortiſſimè provocans, inſuper maternum ſuum pollicita ſubſidium in provehendo opere, fundandóque Inſtituto; ità enim ſe Matrem eſſe Redemptoris, ut ſimul ſit & redimendorum, & redimentium, & redemptorum Patrona & Advocata. Illuceſcente die, quæ erat 1. Auguſti, evocati feſtinanter ad aulam *Petrus* & *Raymundus*, cùm audirent à Rege narrari eadem, quæ ſibi eâ nocte eveniſſent, conclamatum eſt inter animi jubilos per Virginis auſpicia atque imperia in operis perurgendam efficaciam, quæ decimâ pòſt die in Divi Laurentij Solemnijs ſecuta Barchinonæ in Baſilica Cathedrali, apparatu Regiô, & numeroſiſſimâ populi frequentiâ augente actûs celebritatem, *Petrô Nolaſcô* conſtitutô novi Ordinis Primô Patre, Redemptore, Magiſtrô, cui ipſe Jacobus indumentis Regalibus, ac diademate cum Majeſtate conſpicuus, Regium ſignum, *ſcutum* nempe *cum barris rubeis*, *croceiſque coloris*, *cum cruce inſuper alba*, manu propriâ impoſuit. Acceſsêre illicò novæ Familiæ alumni complures, quos Rex complexus ùt Fratres, Familiares, filios, ad Regiam domum ſecum adduxit, eámque perpetuò ab illis incolendam ſolemni donatione conceſſit. Hæc Jacobus tum naſcenti glorioſo Ordini, cui tamen à ſe, quanquam Fundatoris titulô potuerit, nomen haud indidit, deſumendum ſcilicèt majori plauſu ab Auguſta Parente, cujus munere plantatio illa ſancta ſurrexiſſet, nuncupanda *B. MARIÆ de MERCEDE*. Hanc porrò progenitæ inclytæ ſobolis gloriam Jacobus Rex unà ſecum Ciſtercio intulit, intrà cujus gremium devixit. Eſt deinde inter *Bernardum*, atque *Petrum Nolaſcum* aliqua rerum dulciſſima ſimilitudo, quòd uterque cum apibus, favíſque quidpiam habeat commune, *Bernardus* quidem ex ſtyli dulcedine dictus *Mellifluus*; Petrus verò, quòd adhuc in lactentis olim manu *examen apum* tamdiu conſederit, quoaduſque favum fabricare potuerit. Quemadmodum igitur ipſa natura inter ſe conjunxit mella & Apes, ità apium, favorúmque dulcis quædam cognatio connexuit Bernardum & Nolaſcum, atque utriuſque Melliflui Parentis alumnos.

Cum Ordine BRIGITTINORUM, *ſeu* SALVATORIS.

ORdo *Brigittinorum*, qui & Ordo Salvatoris, per ipſam ſanctiſſimam Principem *Divam Brigittam*, multô vinculô cum Ciſtercio colligatus eſt. Et quidem vinculi principium ſancta ipſa, quæ *Alvaſtram*, Ciſtercienſium apud Suecos celebre olim Cœnobium ſuô incolatu frequenter & diu illuſtrans, divina illa lumina, quibus Salvatoris revelationibus aliquando claruit, non alibi tam excepit, quàm in Ciſtercio. A ſacris ei confeſſionibus, atque etiam deinceps revelationibus *B. Petrus Albaſtrenſis Prior*, qui Principis ſanctæ ſecreta cæleſtia per omnia noverat. Huic Orbis Chriſtianus debet *Revelationum Volumen*, quod ille arcanorum Sanctæ pleniſſimè conſcius, Salvatoris imperiô, idiomate latinô compilavit. Juvat hôc locô ſpectare (quandoquidem hoc inſigniter conducit ad Viri Beati commendationem) ipſam divinæ juſſionis ſcenam, quam adducit *Carolus de Viſch* in *ſua Bibl. Ciſt. Lit. P. pag.* 259. è cap. 48. Libri *Revelationum Extravag*: impreſſi Annô 1621. Antverpiæ, cum Pontificia, aliorúmque gravium Authorum approbatione: cui præfixum hoc Summarium: *Revelatio qualiter Chriſtus Dominum Petrum, tunc Subpriorem Alvaſtri, Conſcriptorem iſtarum Revelationum conſtituit, præmittendo rationem, quare iſta revelata ſunt.* Caput 48. *Orante B. Brigittâ, apparuit ei Chriſtus dicens: dic ex parte mea, Fratri Petro Subpriori, quòd ego ſum ſimilis Domino, cujus filij tenebantur captivi in duro cippo, qui miſit Legatos ſuos, ut filij liberarentur, & ut præcaverent alios, nè in manus inimicorum ſuorum inciderent, quos putabant amicos. Sic ego DEUS habeo multos filios, id eſt, Chriſtianos, qui graviſſimis laqueis diaboli tenentur, ideò ex charitate mitto eis verba oris mei, quæ per unam fœminam loquor. Audi igitur tu Frater Petre, illa, & ſcribe in lingua latina, verba, quæ ipſa tibi ex parte mea dicit, & dabo tibi pro qualibet Littera, non aurum, vel argentum, ſed Theſaurum, qui non veteraſcet. Quam revelationem ipſa Domina Brigitta notificavit ſtatim ex parte Chriſti eidem Priori, qui tunc erat Subprior. Ipſe autem volens deliberare ſuper hoc, ſtabat in ſero in Eccleſia, certando cogitationibus ſuis ſecum. Cùmque in fine ex humilitate deliberaret non aſſumere, neque ſcribere dictas revelationes divinas, reputans ſe ad talia indignum, & dubitans de illuſione diaboli,*

diaboli, tunc percuſſus fuit tali alapâ, divinâ percuſſione, quòd ſtatim cecidit quaſi mortuus, privatus officiô ſenſuum, & virium corporis, ſed tamen intellectus ſanus remanebat in mente ejus. Monachi igitur invenientes eum ſic in terra jacentem, apportaverunt eum ad cellam, & poſuerunt in lecto, & ſic jacuit per magnum ſpatium noctis quaſi ſemimortuus. Tandem diſpenſatione divinâ, occurrit ei in mente talis cogitatio: fortè, inquit, hæc patior, quia nolui obedire revelationi & præcepto ſancto mihi per Dominam Brigittam ex parte Chriſti dato: & dicebat in corde ſuo: ô Domine DEUS, ſi propter hoc eſt, parce mihi, quia ecce paratus ſum, & volo obedire & ſcribere omnia verba, quæ ipſa mihi dixerit ex parte tua. Tunc autem in eodem puncto, conſenſu factô in corde, ſtatim curatus eſt ſinè aliqua mora, & ivit ad Dominam Brigittam feſtinanter, & offerens ſe ad ſcripturam faciendam de omnibus revelationibus, ſicut ipſa diceret ei ex parte Chriſti. Item dixit Prior, quod poſteà audivit à Domina Brigitta, quôd Chriſtus dixit ei in alia revelatione, hæc verba: Ego percuſſi eum, quia nolebat obedire; & poſteà ſanavi eum, quia ego ſum medicus ille, qui ſanavi Tobiam, & Regem Iſraël. Dic ergò ei Aggredere, & volve, & revolve opus ſcripturarum verborum meorum, & ſcribe, quia dabo tibi adjutorem, Magiſtrum in lege mea: & ſcias pro certiſſimo, quia tale opus facere volo per verba mea, quæ tu ſcribis ab ore iſtius mulieris, unde potentes humiliabuntur, & ſapientes obmuteſcent. Nec credas à maligno ſpiritu iſta verba procedere, quæ hæc mulier tibi loquitur, quia ea, quæ tibi dico, operibus comprobabo. Et ſtatim Prior poſt hæc incepit ſcribere, & translatare omnes revelationes & viſiones divinas, datas ipſi Dominæ Brigittæ, juxta præceptum ejus; licèt aliquas ſcripſerit Dominus Petrus, conſocius ejus, & confeſſor, unà cum dicto Domino Priore, quando ipſe Prior non erat cum ea. Et dixit Prior, quòd poſteà ipſe ex præcepto Chriſti, ſequebatur eam, & fuit Confeſſor & Scriptor ejus in dictis revelationibus triginta annis, uſque ad mortem ipſius Dominæ Brigittæ: quas poſteà Chriſtus ante mortem ipſius præcepit dari Domino Alphonſo Hieremitæ Hiſpano, olim Epiſcopo Hiennenſi. Et tali modô iſti libri cæleſtium revelationum conſcripti ſunt. Hæc ibi. Viden', quæſitum, imò etiam *plagâ* (non quidem *peſſimâ*) ſed *optimâ vehementer*, compulſum à Chriſto Virum Ciſtercium, ut Brigittæ, ut Eccleſiæ obſequioſus, fidâ manu ac interpretatione conſignaret cæleſtia ſacramenta, quæ copioſâ luce ac viſione, glorioſa Princeps dictante

Cælô ac Salvatore, jugi cum Superis communione exciperet. Neque divinas háſce Revelationes duntaxat juſſus à Salvatore ſcribere Petrus noſter; verùm & *Regulam* ſanctam, quam hodie poſt approbationem Apoſtolicam obſervat *Ordo*, à ſupremo Dictatore nuncupatus, *Salvatoris*, ab Inſtitutrice dictus *Brigittinus*: quod rursùs è citato *Viſebio pag.* 261. hìc dandum eſt verbis præfatarum Revelat: Extravag: ubi hæc: *Summarium*: *Chriſtus per Sanctam Brigittam præcepit Priori Petro de Alvaſtro, ſcribere Regulam Sancti Salvatoris, &c.* Caput 45. *Filius DEI loquitur: Dic illi, quòd ſcribat Regulam à ſpiritu meo dictatum; ſed cave diligenter nè de ſpiritu tuo, aut minuas, aut addas, nisì ea quæ tibi à me dicuntur. Si verò Scriptor aliquid de Regulis Patrum addiderit, ubi materia congruere viderit, & attractum Spiritûs mei ſolitum ſibi adeſſe ſenſerit, non eſt mihi ingratum; nam Benedictus & Franciſcus, & alij Patres more apum, de Patribus ſuis, in regulis ſuis multa conſtituerunt, & gratum eſt mihi, quia ſpiritum meum habuerunt; & voluntas eorum erat ſecundùm voluntatem meam; ideò, quidquid ſtatuerunt, gratum eſt mihi.* Sic ordinatione divinâ cum Diva Principe omnia per ipſum hunc *Petrum* facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil. Subinde ſanctam comitatus in viſendis locis ſacris, reverentiam Matronæ auxit ſuô comitatu. Illâ tandem, in ipſo peregrinationis fervore, evocatâ ad beatitudinis æviternæ optatiſſimam Patriam, *Petrus* noſter ſacrum emortuæ corpuſculum per longa viarum incommoda advexit in Sueciam, unà cum ſuperſtite ac incolumi *B. Catharina*, defunctæ Principis Filia: Septentrioni ſuo geminum impendens beneficium, ut nimirùm Patria & ſanctæ Matris oſſa haberet poſt mortem, & ſanctæ filiæ præſentiam in vivis; felix ſanè utrobique, quòd nacta Patronam in tumulo, quæ poſſet gratias in clientes erogare, & Advocatam in oratorio, quæ vellet à Matre favores rogare.

Cæterùm & aliô duplici nexu cohæret Ciſtercium cum Diva Principe Brigitta: primô, quòd filius, *B. Benedictus*: ſecundô, quòd Maritus *B. Ulpho* conſummati in Ciſtercio, in Alvaſtra, quos inter Familiæ Mellifluæ illuſtres Principes laudavimus ſuprà *Tit*: 17. *pag.* 452. & *Tit.* 18. *pag.* 476. reſumendos ad hæc noſtra cum Brigittinis vincula.

Cum

Cum S. PHILIPPO NERIO,

Congregationis Oratorij Fundatore.

ÆStuavit ingenti zelô *Philippus* in procuranda animarum ſalute, qui etiam Virum ſanctum protraxiſſet ad remotiſſimas Indias, nisì ea propoſita Ciſterciô interprete mutâſſent Cælites Romam ingerentes pro Indijs. Id quô pactô evenerit, dabo è *Notit: Abb: Ciſt: Lib:* 7. *pag:* 7. *Jongelini* noſtri, citantis pro ſe *Antonium Gallonium*, Romanum, Oratorij Presbyterum. Cùm Vir ille Apoſtolicus multô animi ardore Annô 1557. ad infidelium converſionem aſpiraret, ídque ſalutare negotium per aſſidua vota multâ prece commendaret Cælitibus; ſenſit ſe ad intrà moveri divinitùs, ut ea ſuper re Virum quendam conſuleret è Divi Bernardi Sodalitio, ſanctimoniâ clarum, *Auguſtinum Ghettinum*, ſub id tempus, ad *Tres-Fontes* Priorem, à quo divinæ mentis arcana ac conſilia ſecurus exciperet, ac tutò ſequeretur. Fecit Philippus, quod ſuggeſtum cælitùs, atque Auguſtino intentiones, ac cor ſuum multâ ſinceritate integerrimè effundens, inſtanter ab eo petijt manuductum, & cæleſte lumen, an greſſum facere, an figere oporteret? Ivit Ghettinus noſter, oravítque: tum reverſus ad Philippum, oratorij ſancti reſponſa, velutì divina oracula avidiſſimè interea præſtolantem, hæc ferè ad ipſum: Apparuiſſe ſibi diſcipulum illum, qui ſupra Salvatoris ſinum olim recumbens cæleſtia arcana hauſiſſet, à quo juſſus eſſet hæc DEI nomine Philippo nunciare: Nolle DEUM, nolle Cælites; ut Româ excederet, quippe qui indias ſuas habiturus ſit in Urbe: ſatiùs ſanè, majoríque fructu propugnaturus domi pietatem, quàm apud exteros fidem. Non defuturos illi animi generoſo ardori occaſiones convertendi non tam infideles, quàm peccatores: neque minori meritô, quia non minori labore, poſteriores illos adducendos ad pœnitendum, quàm priores ad credendum. Neutiquam quærendos primò eſſe apud Indos, quos DEO, quos cælo Philippus lucrifaceret; reperiri inter Chriſtianos, oves exerrantes, ſegregandas ab hædis, & præſervandas à lupis. Itaque ſic eum velle domi manere Cælites; zelum namque illum, quem cæteroquin exerturus eſſet apud Indos, pari quoque ardore exercere eum poſſe apud Italos. Hæc ferè *Auguſtinus*,

ſtinus, divini conſilij tum Angelus ad Philippum, illicò multâ animi promptitudine concedentem in conſulentis ſententiam; quandoquidem & Romæ ille perſeveravit, &, quô flagrabat zelô, animarum lucra quàm plurima tulit. Videat Lector in re maxima, petita per Philippum è Ciſtercio conſilia, & id quidem divinô juſſu: ut nempè non alijs, quàm cæli auſpicijs inter utrumque firmaretur nexus. Neque tum adhuc, cùm Indias meditaretur, Familiam ſuam, quod ſciam, condiderat Sanctus, utì noto ex *Bullar. Rom.* in quo primò ad Annum 1575. refertur Congregationis Oratorij confirmatio Pontificia, facta per *Gregorium XIII.* Bullâ, quæ incipit: *Copioſus in miſericordia.* Itaque per Ciſtercium Philippus detentus Romæ, ſervatus ſimul per Ciſtercium plantando deinceps Inſtituto ſuo: quod ſanè ille glorioſum opus apud Indos vix perfeciſſet. Colligavit proinde hæc ipſa res non modò Ciſtercium & Philippum; verùm & Philippi filios atque alumnos, qui Italiam ſuô ortu haud illuſtrârint abſque Ciſtercio.

Habet præterea Ordo Ciſtercius in *Vitali Nerio*, Cœnobij Divi Bartholomæi de *bono ſolatio*, Abbate XXI. argumentum novi nexûs cum ſancto Fundatore, quòd nempè eadem *Neriana* apud Florentinos Familia & Philippum protulerit & Vitalem, *Nerium* utrumque, atque ideò participiô ſanguinis ad invicem junctos.

Cum Alijs ORDINIBUS.

TEtigiſſe intereà (quouſque ſcilicèt uberior notitia ad me pervenerit) adhuc hos pauculos, hôc locô ſufficiat: *Auguſtinianos recollectos*, *Trinitarios diſcalceatos*, *Clericòs minores*, *&* *Mercenarios reformatos*: quæ nova ſeu renovata Inſtituta cùm apud Hiſpanos ſub finem ſæculi quinti ſupra Milleſimum ſeſe erigerent, habuêre non leves æmulos, qui conceptos teneros fætus adhuc quaſi in ſemine extinguerent; at verò repreſſit acerrimè æmulorum ſtudia Reverendiſſimus noſter *Petrus de Lorca*, Vir in ſcholis celeberrimus, laudatus à nobis inter Doctores *Tit:* 20. *pag*: 563. qui doctiſſimâ ſuâ pennâ Apologiam congeſſit, exhibitam Supremo in Hiſpanijs Conſilio, in qua ille primævum Mellifluæ Familiæ zelum recentibus in ſe rursùs expreſſit

expreſſit coloribus, gloriæ profectò Ciſtercij nunquam emorituræ, quòd ſcilicèt à primis mox incunabulis, non minùs ſuis, quàm aliorum Ordinum ſtuderet incrementis, zelô inſuper pulcherrimô vindicias velut ex officio præſtans, ſi quandò Inſtituta cætera unde unde premerentur.

Cum Divo *Franciſco Saleſio*, atque ideò cum *Paulanis*, de quorum gremio Sanctus extitit, amicitiæ familiare vinculum, cùm viveret, habuit, *Petrus à S. Bernardo*, Fulienſis Reformationis in Gallijs. Et quoniam in vivis utrorumque animi coaluiſſent in dulce fædus, Petrus à Sancti Antiſtitis obitu doctâ ac prolixâ oratione funebri amici dulciſſimi manibus parentavit. Ejuſdem glorioſi Genevenſium Præſulis res præclarè geſtas, virtutéſque eximias, in peramplo volumine 6. libris diſpertito è prælo in lucem publicam eduxit *Joannes à S. Franciſco*, aliàs *Gulonius*, itidem Fulienſis, Vir multâ eruditione ac pietate longè præſtantiſſimus.

Cæterùm & præſenti Titulô memorandæ Sanctimoniales Virgines *de JESU* ſive *Jeſuatæ* in Urbe *Salmantina*, quæ Annô 1561. ultrò ſubdiderunt ſe noſtro in Hiſpanijs Generali Reformatori. Ad radicandum eo in Cœnobio Ciſtercium evocatæ fuêre alumnæ Inſtituti noſtri de *Bethlehem*, atque ſub gubernaculis *Eliſabethæ Guzmanniæ* Abbatiſſæ, in nova illa noſtra domo collocatæ: quâ acceſſione ceu radiô Mellifluа Familia rurſùs illuſtrata eſt, quòd nempè digna, quam eligerent, ambiréntque vel exteri.

Hæc interim de vinculis Ciſtercij cum Religioſis Ordinibus dicta & ſcripta ſufficiant. Dedi, quæ habui. Augeat, hos nexus Lector, & quò plura Ciſtercio dederit vincula, eò plura dabit beneficia, faciétque Ciſtercium omne novô Titulô ſibi devinctum.

SI Cœlum mortales ſpectent,
Orbis *punctum eſt*:
Si Ciſtercium Ordines Sacri,
Apis Punctum eſt:
Quídni enim apis rationem *puncti* in ſe habeat,
Quæ *pungit*, & *punctum facit*?
Api meæ hoc lemma ſubjungo:
Jungit, *dum pungit*:
In *puncto* enim reliquas Ordinum *lineas* ſimul *concentrat*.
Nihil unquam *expunxeris* ex hoc *puncto*, quàm *mella*;
Quis non *cum guſtu* lineas è *melle* ducat?
Nempe Ordo Ciſtercius
Miſcuit *Utile Dulci*.
Nemo è Ciſtercio traxerit lineam *non utilem*,
Nemo *non dulcem*.
Multa in Orbe *utilia*, ſed non *dulcia*:
Multa *dulcia*, ſed non *utilia*:
Tam nempe plerumque *diſpuncta*, *disjuncta* ſunt duo hæc,
Ut rarò in punctum coincidant,
Et *Utile*, & *Dulce*.
Unus penè Bernardus id privilegium uni Ciſtercio intulit,
Ut Ordo Ciſtercius Ordinibus cæteris
Et *Utilis* eſſet & *Dulcis!*
Scilicèt eam prærogativam à *melle* traxit,
In quo ipſa natura
Miſcuit *Utile Dulci*.
Sermo aliquantùm durus,
Difficilis, *facilis*, *jucundus*, *acerbus es idem*:
Eloquium dulce,
Utilis & *Dulcis* ſimul eſt Ciſtercius Ordo.
In priori metro *pugnant* & *pungunt* contraria,
In poſteriori ſibi invicem junguntur ſubordinata.
Pulchrius ſanè eſt, ac ſuavius,
Utile ſimul eſſe ac *Dulce*,
Quàm alterutrum habere, alterutrô carere.
Alterna Poëtarum gloria, Quòd

Quòd *aut prodeſſe velint, aut delectare Poëtæ.*
Simultanea Ciſtercij prærogativa,
Et velle *prodeſſe*, & velle *delectare*,
Id eſt,
Simul eſſe ſibi, ſimul eſſe alteri,
Et *Utile*, & *Dulce.*
Nimìs aſperè, nimìs barbarè de Ciſtercio ſentis,
Si Ciſtercium alterutrum negas
Aut *Dulce* ſinè utili, ant *Utile* ſinè Dulci,
Nemo ex hoc *puncto* hactenùs *puncturam* ſenſit:
Et quomodo ſentire poſſis punctum, quod non *pungit*, ſed *ungit*?
Ordo Ciſtercius *punctum* eſt ex *melle* conflatum,
Millies hoc punctum te *unget*, nè ſemel *punget.*
Dator hilaris, *dilectus* DEO,
Quin imò & *hominibus*,
Et inter homines ſacris *Ordinibus.*
Bis dat, qui *citò*, ter qui *hilariter*, millies qui *dulciter*,
Dulcis dator, qui *melleus* dator,
Millies dat, qui *melleè* dat:
Dedit Ciſtercium Familijs ſacris non tam *favores*, quàm *favos*,
Imò utroſque, & hos quidem in illis.
Gratiora ſunt beneficia,
Quæ & ex parte *dantis*, ſimúlque accipientis ſunt *dulciora.*
Vix Ordo *Melleus* beneficia cæteris dediſſe potuit,
Quin aliquid *ſui* (id eſt *mella*) dederit.
Vix Ordines alij beneficia à noſtro obtinuiſſe voluerint,
Quin ſimul favos ſenſerint.
Imbibita in Ciſtercij favoribus eſt dulcedo:
Non hauries illos ſinè iſta.
Hauriunt beneficia multi & ab hoc, & ab hac, & ab illa,
Utiliter quidem, ſed non *dulciter*,
Eò quòd in dantis ore, corde, manu,
Sæpiùs dulcedo deſit,
Id eſt, beneficij embamma.
Non bene is *ſapit*, cui *id ſapit*,
Quod ſinè condimento eſt.
Vulgus amicitias utilitate probat.
Scilicèt vulgare nimìs eſt ac plebejum,

Penſare beneficia utilitatis duntaxat bilance.
Supra vulgus *ſentit*,
Qui *utile* non *ſentit*, niſi *mixtum dulci*.
Veſtra eſt hæc felicitas, Ordines extra Ciſtercium ſacri,
Senſiſtis, tuliſtis à noſtris beneficia, id eſt, mella,
Utile ſcilicèt & *Dulce*.
Non *extorſiſtis* unquam à noſtris gratias,
Cùm noſtri *ultrò* vobis occurrerent *benefici*:
Et hoc quidem eſt dare *dulciter*,
Dare *ultrò*, *gratìs*, *libenter*.
Tuliſtis Carthuſienſes Vos à Ciſtercio *intima cum Bernardo vincula*:
Præmonſtratenſes, prima *loci Pramonſtrati auſpicia*,
Prædicatores, prima *Familia Veſtra lineamenta*,
Franciſcani, prima *Virginum Veſtrarum gubernacula*,
Auguſtiniani, nova *Eremitarum* veſtrorum ad virtutẽ *incitamenta*,
Jeſuitæ, *naſcentis* Veſtræ Societatis *patrocinia*,
Tuliſtis hæc omnia:
Nunc *Ordo* eſt in vobis *Ordines* inclyti:
Miſcete, *utile Dulci*,
Et reddite utrumque
Ordini vobis *utili* & *dulci*,
Et ità coincidetis in *unum* cum *Ciſtertio*
Punctum!

TITU-



A: Jahn oſſecy del: B.V. W. Scul Prago



Scala Milliarium.
Milliaria Geometrica, et Germanica Comunia 15 in uno Gradu
Milliaria Hungarica Maj: 10 in uno gradu
Milliaria Minora Germ: 24 in uno Gradu
BERNARDUS AUSTRIACUS.
POLONIÆ PARS
SAXONIÆ PARS
LUSATIA
SILESIA
BOHEMIA
MORAVIA
HUNGARIA
AUSTRIA
BAVARIÆ PARS
STIRIA
CARINTHIA
CARNIOLIA
TIROLIS
SCLAVONIA
RASCIA
TRANSILVANIÆ PARS
BOSNIÆ PARS
ITALIÆ PARS
GOLFO DI VENETIA
Praga
Vienna
Posonium
Buda
Strigonium
Agria
Alba Regalis
Inspruck
Trient
Verona
Venetus
Zagabria
Belgradum Alba Græca
Widinum
Danubius fluv:

fol 972


rium.
BERN
ARDUS
AUSTRIA
CUS.
Danubius fluvi
Alderspac
Cella Pri
BAV
RIA
Bistricia
TRAN
SILVA
NIÆ
PARS
TIR
OLIS
Insprug
Brixen
Trient
ITA
LIÆ
PARS
Vero na
S. Mariæ Magdalenæ
S. Abundus
Aqua frigida
Widinum.

TITULUS XXVIII. ET ULTIMUS.

CISTERCIENSIUM COENOBIA PER TERRAS AUSTRIACAS SIVE BERNARDUS AUSTRIACUS.

MIhi in præſenti idem eſt *Bernardus Auſtriacus*, quod *Ciſtercium Auſtriacum*: quanquam non diffitear, peculiari Titulô Bernardum noſtrum ad Auſtriam pertinere. Fuêre coævi *Leopoldus* & *Bernardus*, uterque Sanctus, uterque Orbis atque Eccleſiæ illuſtre jubar. Fuit Bernardo Patria, Burgundia, Leopoldo Auſtria: Et quamvis tum quidem Burgundia vix ſpectaverit ad Leopoldum Sanctum; hodie tamen plenitudini Tituli Auguſtiſſimi Leopoldi inſigne fragmentum abſtrahis, ſi Auſtriacum Cæſarem ſimul non ſalutas, ſimul non ſcribis *Burgundiæ Ducem.* Itaque ſi noſtrâ hâc ætate naſceretur Bernardus in ſuis illis *Fontanis* apud Burgundos, foret ſanè Auſtriacus, quandoquidem Auſtria Burgundiam, atque adeò Fontanas Bernardi natale ſolum hodie ſibi vendicat. Dedit Ciſtercio aliquid ſui Leopoldus ſanctus, filios, *Ottonem* atque *Conradum*, illum *Morimundi* in Gallijs, hunc in *S. Cruce* apud Auſtriacos Ciſtercij gremio adlectos, laudatos jam à nobis *Tit*: 18. *pag*: 466. & 67.

Nnnnnnnnnn 2 Et

Et dedit deinceps ſeipſum *Leopoldus*, ejus nominis VI. Auſtriæ & Styriæ Dux, poſitis gubernaculis tandem ſub Monachali profeſſione conſummatus in memorato *S. Crucis* Cœnobio, prout Tit: XVII. *pag.* 452. & 53. meminimus. Habet igitur *Ciſtercium* unde dicatur *Auſtriacum*, Princeps nempe Monachos ex clariſſima Auſtriacorum progenie. Et quídni memorandus etiam hôc locô Auguſtiſſimus Imperator *Carolus V.* Princeps Auſtriacus? qui (utì refert *Thuanus hiſt. Lib. XXI.*) poſt depoſita Imperij ac Hiſpaniarum gubernacula, in ſeceſſu illo Hieronymiano, in quo per biennium ante beatam migrationem, curis ſanctioribus animum ad ſuperna anhelantem occupabat, non aliô tum uſus eſt deſideriorum, igniúmque ſacrorum incentore, ac *Bernardô* Mellifluô, in cujus operibus perlegendis aſſiduus, mille exinde hauſit divina ſolatia: quô ſanè pactô quídni Cæſar Auſtriacus *Bernardum* ſuum & noſtrum rursùs fecerit *Auſtriacum*?

Alia Porrò hìc me movent, ut *Bernardum* dicam *Auſtriacum*, tot illuſtres nempe Domus, Mellifluæ Familiæ per Orbem Auſtriacum erectæ, quæ hodiedum magnô numerô ſuperſtites, quot lapides & ſaxa, tot ora habent & linguas, quibus Auguſtiſſimæ Genti digniſſimas grates acclamant, plauſúſque. Dabo è Provincijs ſingulis, quas hodie appellamus *hæreditarias*, Cœnobia Ordinis noſtri: dabo illa, quæ hodie ſuperſunt, atque etiam quæ injuriâ temporum periêre. Cæterùm, quod me hôc Titulô terret quàm maximè, eſt; quòd ſcilicèt in hac Cœnobiorum hiſtoria præter intentionem aliquantùm inæqualis, id eſt, in quibuſdam Monaſterijs ſterilis, in nonnullis fæcundus, tam eſſe cogar, quàm eſſe nolim: quâ ipſâ fortaſſe difformitate offendi aliqui poterunt; at ego veniam rogo, quam utique merui, quoniam culpâ non meâ talis eſſe invitus debeo, qualis hìc ſum. Et excuſandos ego quidem illos exiſtimo, qui ſua minùs communicavere, quandoquidem intentiones meas non malas non bene forſitan perſpectas habere illi potuerint: at verò magìs excuſandus ego, qui præter gloriam DEI, Eccleſiæ atque Ordinis noſtri ſacerrimi honorem, commendationémque Auguſtiſſimæ ac pientiſſimæ Domûs Auſtriacæ, Ciſtercio tam ſemper, tam munificè faventis, nullum

alium ſcopum præſenti Titulô præfixeram. Denique quemadmodum accepi, ità hìc reddo: etſi alicubi præter intentionem videar prolixior, id non tam factum arbitriô meô, quàm illorum qui mihi fidenter ſua innuebant. Acceſſi, fateor, ad hunc Titulum, velut ad tormentum, quandoquidem in hac rerum inæqualitate, ùt dixi, vix omnimodè evitandam ſperare potuerim quorundam offenſam: & quia ſincerus ſum, nolui hoc animi mei tormentum intrà me premere, verùm egeſſi in hanc chartam, me excuſans, quòd ſanè debui: neque tamen incuſans alios, quòd prorsùs non potui.

Quanquam autem ſola, ùt præmonui, Imperij Auſtriaci Cœnobia hic producturus ſim, ut nimirùm Orbis Chriſtianus videat Auguſtiſſimæ Stirpis in amando, ſervandóque Ciſtercio perennem ſolicitudinem; quia tamen haud ingratum fore Lectori exiſtimo, ad primos reſpicere fontes ac lineas, unde ſingulæ Ordinis univerſi coloniæ egreſſæ ſint, eapropter ſubordinationis ejuſmodi rationem breviter hôc locô expono.

Mellifluæ itaque Familiæ prima & communis omnium Mater *Archi-Cœnobium* eſt *Ciſtercienſe*, ubi Abbas Generalis reſidet. Primæ Ciſtercij Filiæ: *Firmitas*, *Pontigniacum*, *Clara-Vallis* & *Morimundus*: quorum Cœnobiorum Præſules dicuntur poſt Generalem *Abbates Primi*, non duntaxat Primogenituræ prærogativâ, verùm etiam, quòd, præter ſingulares favores à Summis Pontificibus, ijſdem impertitos, univerſus Ordo poſt Ciſtercij immediatam lineam, in alias præterea *quatuor lineas* ſectus ac coordinatus ſingula per totum Orbem Cœnobia referat ad maternitatem unius ex his. Videat Lector hanc ipſam genealogiæ ſeriem.

Ciſtercium Caput Ordinis, in Ducatu Burgundiæ, fundatur ab Odone, Provinciæ memoratæ Duce, Annô 1098. ſub 1. Abbate Divo Roberto. Hujus Monaſterij filiatio immediata extendit ſe per Regnum Galliæ, nec non per quædam Cœnobia Italiæ, Angliæ, Daniæ, &c.

Firmitas prima & immediata Ciſtercij filia, in Diæceſi Cabilonenſi apud Burgundos, fundatur Annô Chriſti 1113. à *Savarico*, ejúſque filio *Guillelmo*, Dominis de *Vergy*: cujus linea reſpicit Italiam, & aliqua etiam ex parte Galliam.

Pontigniacum, ſecunda & immediata Ciſtercij filia, quatuor leucis diſtans ab Urbe Antiſſiodoro, fundatur Annô Domini 1114. à *Theobaldo Campaniæ Comite*, in allodio Hildeberti Canonici Antiſſiodorenſis. Ejus linea extendit ſe in Galliam, Italiam, & Hungariam.

Clara-Vallis, tertia & immediata Ciſtercij filia, ad fluvium *Albam* in Comitatu Campaniæ, fundatur Annô reparatæ ſalutis 1115. à *Theobaldo Comite Campaniæ*, cujus Primus Abbas, prima & ſumma gloria, BERNARDUS, Mellifluus Eccleſiæ Doctor: ad cujus lineam ſpectant propè omnia Monaſteria Regnorum Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sveciæ, Norvvegiæ, Belgij: potiora Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ; nec non plura Hungariæ, Daniæ, aliorúmque Regnorum.

Morimundus, quarta & immediata Ciſtercij filia, in Baſſigneyo, Campaniæ Francicæ Regione, ad Lotharingiæ & Comitatûs Burgundiæ fines, fundatur Annô Incarnationis Dominicæ 1115. ab Odolrico de Agrimonte, ejúſque conjuge Adelina, Dominis de *Choiſeul*, de cujus linea ſunt omnia Monaſteria Regnorum Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæ, Miſniæ, Poloniæ, Auſtriæ, Saxoniæ, Bavariæ, Pomeraniæ, Mekelenburgi, Rugiæ, &c. Et plurima Regnorum Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, & Inſulæ Cypri; habétque ſub ſe quinque Equeſtres Militias Ciſtercienſes; nempe de Calatrava, Alcantara, de Avis, Monteſa, & de Chriſto: quibus addunt ſextam; Sanctorum Lazari & Mauritij in Sabaudia.

Operæ pretium duxi, poſt expoſitas primas Ciſtercij generationes, etiam genus, modúmque cæterarum deſcendentium ac ſubalternarum breviter explanare, cùm id prorsùs pro hoc Titulo perutile fore exiſtimem. Dicuntur itaque quædam Cœnobia *Matres*, & quædam *Filiæ*. Priora quidem Maternitatem indè ſortita ſunt, quòd primas colonias, ſive primum Religioſorum Conventum è gremio ſuo ad filialia Monaſteria emiſerint; poſteriora verò ex eo dicuntur filialia, quòd colonias ità emiſſas primitùs ſuſceperint. Sic v. g. Ebracum apud Francones eſt mater Lankheimij, quia primi Ciſtercienſes ex Ebraco in Lankheimium adducti fuêre. Et vi hujus gene-

generationis Abbas, qui filios emittit, vocatur *Pater Abbas*, ſeu, quod idem hodie ſonat, *Pater immediatus:* quod poſterius vocabulum uſurpamus ob diſtinctionem ab alijs Patribus, qui duntaxat ſunt Mediati. Ità v. g. Abbas de Morimundo, quà *Pater Morimundenſis ſuæ Lineæ* eſt Pater mediatus tantùm reſpectu Cœnobij Lankheimenſis, quia Lankheimium quà filia non immediatè Morimundum reſpicit, ſed Ebracum, & hôc primò mediante Morimundum. Paritas aliqua, ſi lubet, deſumenda eſt à generatione carnali: in qua per phraſim noſtram Ciſterciam Avi, proavi, atavi, nuncupandi veniunt Patres mediati; Pater verò generans, Pater immediatus: ità pariformiter in Ciſtercia Cœnobiorum geneſi.

Poteſt autem Monaſterium reſpectivè filia, fieri reſpectivè Mater, ſi rursùs fœtum, ac ſacram coloniam ex ſe emittat. Sic Plaſſium v.g. apud Bohemos, filia Lankheimij, neptis Ebraci, pro-neptis Morimundi, facta eſt deinceps Wellehradij Mater, Wizovitij avia; quia ſcilicet Ciſtercium genuit Morimundum; Morimundus autem genuit Ebracum, Ebracum autem genuit Lankheimium, Lankheimium autem genuit Plaſſium, Plaſſium autem genuit Wellehradium, Wellehradium autem genuit Wizovitium. Quæ porrò fuerit olim, aut ſit hodie poteſtas Patria Patrum Immediatorum in filias, id definiant alij; quandoquidem hìc interea ſufficere exiſtimem, expoſuiſſe ſeriem modúmque Ciſterciæ geneſeos, tametſi de juriſdictione, quæ ex ſimili geneſi cæteroquin profluere ſolet, hôc locô, quà Scriptor hiſtoricus nîl pronunciem. De Cœnobijs *Virginum* id hic obſervandum: Poſſe quidem Parthenonem unum conſtitui alterius Matrem, per actionem coloniæ virgineæ emiſſivam, imò & ſic in Ordine noſtro eveniſſe; at verò quandoquidem Sanctimonialibus præter impedimentum arctioris clauſuræ etiam alia obſtent, quò minùs domuum filialium ad extrà curam eâ libertate quemadmodum Viri gerere ùt plurimùm præpediantur, eapropter à Ciſtercij Patribus antiquitùs in ſupplementum atque adminiculum fœmineæ ejuſdem filiationis adſumpta eſt Virorum ſolicitudo, quibus, utpote ad extrà in ordine ad præſtanda Paternitatis ſeu Maternitatis conſveta munia magìs expeditis, per decreta Capituli Genera-

neralis demandata fuit poteſtas Patria, quâ erga filias ſibi commiſſas fungerentur. Et ità quidem Paternitas Virorum ad fœminas eſt una, velutì ex relationibus extrinſecùs advenientibus, nempe per Romæ aut Ciſtercij oracula; qualis non eſt Paternitas Virorum ad Viros, quæ in ipſa conſiſtit actione coloniæ virilis emiſſiva, habétque ſe velutì relationes intrinſecæ, quæ externis agentibus atque decretis haud indigent.

Hæc de Ciſtercij *Lineis* & generationibus incidenter, atque in præſenti materia ac Titulo utiliter: Nunc à lineis ad lineam. Priùs dabo Vicariatûs Bohemiæ Cœnobia (cui nimirum opuſculum hoc à me reverentiſſimè inſcriptum eſt) eô ordine, quô olim fundata: neque per hoc præjudicium ullum irrogare intendo quibuſdam Monaſterijs apud Auſtriacos, quæ tempore ac fundatione anteceſſerunt Sedlecium, atque Ciſtercium omne in Bohemia; verùm ea anticipatio præcisè facta eſt, quòd *Patronis debetur honor!*

SEDLECIUM.

SEdlecium, Ciſtercij primitiæ in Regno Bohemiæ, ſurrexit Annô Domini 1143. Fundatore *Miroslaô*, Viro illuſtri, è Primatibus Bohemiæ. Aſſertio hæc conformis non eſt *Hagecio*, & *Pontano* Scriptoribus Bohemis, qui Danielem, Pragenſem Epiſcopum Sedlecenſis Cœnobij Fundatorem conſtituunt. Sentiebam hucuſque quod illi, & quod communiter alij ex illis: erroneè quidem, ùt mox patebit, ſed citra culpam vel meam, vel aliorum, qui aliter de Sedlecio loqui non poterant, quàm quod acceperant. Recurri ego pro hoc Titulo ad loci Archivum, indè edocendus, ſi rectè ſentirent de Sedlecio *Hagecius*, *Pontanus*, & *Phœnix Bohemiæ?* An fortè emendandi? Communicata ſunt mihi fideliter, per quæ Scriptores illi, & vulgi ſenſa in quibuſdam corrigerentur. Primus itaque eſt, qui mutari debet in Hagecio & Pontano, Cœnobij Fundator, qui, ùt monui, non fuit Daniel Pragenſium Antiſtes; ſed *Miroslaus* è *primis Regni Proceribus*, utì evincit authenticum fundationis inſtrumentum, cujus deſumptum mihi inter cætera communicatum eſt. Is de conſenſu *Wladiſlai* Bohemorum Ducis, & *Ottonis* Pragenſis Epiſcopi, hortatu præterea *Henrici*, Mora-

Moravienſium, id eſt, Olomucenſium Antiſtitis, locum, nuncupatum *Sedlecz*, cum omnibus, quæ ad eum pertinebant, Ciſtercienſi novæ Coloniæ, è Waldſaſſenſi Cœnobio evocatæ, in perpetuum donavit, ſub primo loci Abbate *Horſislao*, non *Explodo* (ùt malè *Jongelinus* in *Notit. Abbat. Ciſt. Lib*: 5. *pag.* 4.) qui quidem Reginæ Judithæ favore Horſislao ſuccedere debuit; verùm ante tempus vitâ functus, exceſſit, non ſucceſſit. Primas poſſeſſiones, quas Miroslai donatione obtinuêre Sedlecenſes, recenſet præcitatum Fundationis Inſtrumentum, & nos ex inſtrumento: *Solnic*, *Hothovici*, *Podollani*, *cum omnibus appendicijs ſuis*, *Gradiſche cum aqua*, *pratis*, *&* *Sylva*, *Sdebudici*, *In Pobor curia & terra. Odolen & terra. Donati*, *Bilani*, *Jalciovici*, *Libenici*, *Hluſow*, *& Cacin cum omnibus attinentijs ſuis uſque ad rivulum*, *circa Borram Sylvam fluentem.* Hæc in re, nec minora in ſpe *Miroslaus* Sedlecio ſuo: intentus namque *totis viſceribus* illuſtri fundationi ad ſeros poſteros provehendæ, conſtituit, ut, quandoquidem præter filium unicum, hæredem alium tunc non haberet, ſi is, aut fortè deinceps ex alijs deſcendentibus nepotibus Succeſſores ſinè prole maſcula aliquando eſſent exceſſuri è vivis, tota quanta hæreditas devolveretur ad Eccleſiam Sedlecenſem. Miroslai exemplum ſecutus *Derſislaus* è ſorore cognatus, pariter, ſi nimirùm abſque filio vitâ defungi contingeret, Sedlecium advocans ad capeſſendam totam ſuam hæreditatem. Hæc illi tum pro Ciſtercio Viri inclyti, magìs certè ſoliciti propagare Bernardi Monaſticam ſobolem, quàm carnalem ſuam, daturi lubenter Mellifluis alumnis omnia, ſi modò per naturæ leges ea licuiſſet ſubtrahere hæredibus, quibus erant debitores ſecundùm carnem. De eventu utriuſque hujus poſthumæ donationis quamvìs plenè non conſtet; præſumptionem tamen probabilem faciunt Sedlecenſes, effectu ſuô nequaquam caruiſſe, eáque ipſa bona extinctis utrinque hæredibus ad Cœnobium tandem devoluta, injuriâ temporum per Regum abalienationes, atque oppignorationes factas præcipuè à Sigiſmundo Cæſare, Bohemiæ Rege, unà cum alijs poſſeſſionibus, Sedlecio rursùs fuiſſe ſubtracta.

Cæterùm Miroslai donationem confirmavêre *Uladislaus* Dux, *Otto* Pragenſis, & Henricus, Olomucenſis Epiſcopi, bene in

ne in literis confirmatorijs precantes illis, qui Sedlecio faverent, diris devoventes, qui adverſarentur. Virorum illuſtrium pro ſancta colonia zelus ſpectandus in verbis ipſis: *Nulli omninò hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel minuere, vel etiam ullatenùs invadere, vel ullis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, & illibata permaneant, tam ipſe locus, quàm poſſeſſiones, & omnia quæcunque illius loci* Eccleſia *ab initio liberè poſſedit, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Principum, oblatione Fidelium, ſeu alijs juſtis modis præſtante Dominô poterit adipiſci. Si qua igitur Eccleſiaſtica, ſæcularisve Perſona prædictam Eccleſiam, vel ejus poſſeſſiones inquietare tentaverit, ſecundò, tertióve commonita, ſi non congruâ ſatisfactione reſipuerit, ream ſe divino Judicio, & perpetratâ iniquitate recognoſcat. Cunctis autem ſæpè dictam Eccleſiam & ejus Poſſeſſiones tuentibus ſit Pax Domini noſtri JESU Chriſti, quatenùs & hìc fructus bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ Beatitudinis inveniant.* Surrexit itaque Sedlecium munificentiâ illuſtris *Miroslai*, hortatu *Henrici* Præſulis Olomucenſis, auctoritate Eccleſiaſticâ *Ottonis* Antiſtitis Pragenſis, atque Ducali *Uladislai* Principis, qui omnes id fundationis opus, ùt loquuntur literæ, *divinô amore inflammati* ingenti zelô promoverunt. Videas ad Ciſtercij in Bohemia fauſtas primitias concurriſſe poteſtatem ſacram politicámque, non permiſſivè duntaxat, & ſolius indulgentiâ facultatis, quod aliàs in uſu; verùm divinitùs ſtimulatæ, ipſæ per ſe urgentes opus glorioſum, & quò minùs illud modô quocunque impediretur, fulminantes offenſi Numinis diras in operis ſancti adverſarios.

Non ſatìs ego capio, è quo fonte *Hagecius* Sedlecij fundatorem hauſerit ſcripſerítque Danielem Pragenſem Epiſcopum, cùm contrarium, ùt vidimus, liqueat ex ipſis Fundationis literis. Niſì fortè opinione vulgi id factum ſit, quòd Daniel Cœnobij majorem Baſilicam, in qua non paucis annis deſudatum eſſe, ipſa ruderum amplitudo demonſtrat, tandem poſt Miroslai, atque Ottonis Epiſcopi obitum *fortaſſe* conſecraverit. Verùm id cum contextu Hagecij nequaquam cohæret; ille namque aſſerit, Danielem è Moravia, ab Henrico Olomucenſi Epiſcopo reducem, inſolitâ ſomnolentiâ correptum, è via regia

gia digreſſum aliquantùm pauſaviſſe inter grata arborum umbracula, eo ipſo in loco, ubi nunc ſtat Sedlecium, ea in feſtinatione non aliô utentem cervicali, quàm ephippiô ſuô: Ibi in ſomno divinitùs monitum, cùm evigilâſſet, juſſiſſe ſervis, ut notarent quietis locum, in quo illicò Cœnobium eſſet exſtructurus, cui ab ephippio, cervicali illo ſuo nomen accederet, à *Sedlo* (quod Bohemicum vocabulum latinis ſonat ephippium) nuncupandum *Sedlecium*. Addit idem Author, conſpexiſſe Antiſtitis Camerarios, Henricum & Rodek, qui interea apud Danielem excubias agebant, in os dormientis, & fortè tunc oſcitantis Heri ſui involaviſſe aviculam pulchrô candore conſpicuam, fulgentem roſtrô & alis, atque poſt dimidiæ horæ moram, è labijs velutì è nidulo ſuo rursùs egreſſam, neque ampliùs deinceps viſam, attonitis ad novitatem rei ſpectatoribus. Retuliſſe ſubinde illos Pragam reversô Epiſcopô viſionis portentum, quibus ipſe viciſſim expoſuit, quæ ad intrà ſub illud quietis tempus habuerit cæleſtia monita, juſſum ſe nempe Ciſtercij alumnis eo ipſo in loco exſtruere Cœnobium, quod & illicò auſpicatus ſit. Ità ferè Hagecius, & alij ex illo. Hæc ſanè non faciunt Danielem Eccleſiæ duntaxat conſecratorem, ùt nonnulli interpretantur, ſed & fundatorem: quod poſterius non cohæret cum literis fundationis, utì vidimus. Tentata eſt per quoſdam concordia, quæ tentanda ſemper, ſi poteſt, nè hiſtoriæ præſertim vetuſtæ omninò evacuentur. Admittunt illi recitatam viſionem; verùm quæ non contigerit Danieli Epiſcopo, ſed ipſi fundatori Miroslao, intra territorij ſui nemora aliquando ſuper ephippiũ quieſcenti: & quidem id veriſimile apparet, cùm adhuc exſtent rudera cujuſdam capellæ, ad inſtar ephippij à Miroslao conſtructæ, atque etiam in Fundationis Sedlecenſis literis non obſcurè innuatur viſio cœleſtis exhibita Fundatori per illa verba: Ipſum nempe fundationis opus cœpiſſe, *divinô monitum partim timore, partim amore.* Accedit, quòd in præcit: Inſtrumento hæc legantur: *Succedente ergo temporis opportunitate, Divinâ gratiâ auxiliante, fundata eſt in Sedlecz Eccleſia, Divino Servitio apta, & ei Ordini congrua.* Præceſſerat hæc verba jam tota ſubſtantia fundationis, adventus Fratrum ex Waldſaſſio, donatio loci, qui dicebatur Sedlecz, actualis coloniæ religioſæ introductio. Itaque palàm fit, priuſquam

 cœpta

cœpta atque erecta eſſet major Baſilica, quæ non ædificata aut perfecta ſtatim, ſed *ſuccedente tempore*, habuiſſe Fratres aliquod Sacellum, in quo divina peragerent: & quandoquidem alterius alicujus veſtigium ante majorem Eccleſiam non invenio, veriſimile exiſtimo, illud ipſum fuiſſe, quod Miroslaus ad ephippij figuram nuper conſtruxerat, ubi interim noſtri divino cultui vacârint. Porrò Cœnobij locum, priuſquam è Waldſaſſio Fratres evocarentur, jam nuncupatum fuiſſe *Sedlecz*, patet è fundationis literis: eapropter probabile fit, id nomen deſumptum à capellæ figura, quæ ephippium exhiberet, præſertim cùm aliud fundamentum vocabuli illius vix extet. Tenentes itaque viſionis, ſeu admonitionis Divinæ in Miroslao indicium, veſtigium Sacelli ad inſtar ephippij, conjecturam probabilem, quòd in ſacra illa æde noſtri ſub primum è Waldſaſſio eventum ad tempus Divina perſolverint, adlucet aliqua concordiæ ſpes, ſi nimirùm viſio transferatur à *Daniele* ad *Miroslaum.* Quod autem aſſerui, erectum eſſe à Fundatore Sacellum adhuc ante Ciſtercij adducendi conceptas intentiones, adeóque pro illa temporis differentia ac prioreitate videri poſſe, neque viſionem, neque capellam ſpectaviſſe Ciſtercium: fatebor id quidem, ex intentione videntis fortè ad nos non ſpectaviſſe, præſertim cùm noſtri in terris Bohemis ſub id tempus adhuc forent incogniti; pertinuiſſe autem ad nos ex intentione ipſiuſmet viſionis, quæ utique Melliflui Sodalitij ideas jam tum menti Miroslai ingeſſerit, quanquam aliquantò tardiùs ille ad Ciſtercium reſpexerit, & tum primùm, cùm nimirùm ad monita interna acceſſiſſent etiam monitores externi, divinô conſiliô ſtimulantes Virum, ut præter Sacellum illud DEO dicatum, etiam Servis DEI provideret de domicilio, quod ſat luculenter inſinuant fundationis literæ: *cùm ſæpiùs id à Sapientioribus, & ætate provectioribus audiviſſet* (Miroslaus ſcilicet) *ſinè cultu veræ Religionis nec charitatis unitate poſſe ſubſiſtere, nec DEO gratum exhiberi ſervitium, ſtatuit ſe Religioſas Perſonas diligere, & earum quieti auxiliante Dominô providere ... Delegit* ergo *de Ordine Ciſtercienſium aliquot Fratres Mediatores ſibi cum Chriſto procurare.* Videat Lector, DEUM, monitorum ab extrà miniſteriô vellicaviſſe aurem Miroslai, ut animum adverteret ad viſionem nuperam, Religioſæque coloniæ evocationem: Nec credo,

credo, caſu electum Ciſtercium, verùm divinô impulſu. Quòd autem Eccleſia illa major ad normam ephippij adaptata non ſit, quemadmodum capella, id evenit ob Ordinis contrariam ſeu legem, ſeu conſvetudinem, ſecundùm quam noſtræ Eccleſiæ, ùt plurimùm, in formam Crucis erigebantur: quod etiam patet in fundationis inſtrumento, ubi dicitur major illa Baſilica taliter fundata, ut eſſet *divino ſervitio apta, & ei Ordini* (nempe Ciſtercienſi) *congrua.* Ità tentata concordia *Hagecij* & præcitati Fundationis *Inſtrumenti*, neſcio, an in effectu procurata, quoniam id judicium penès Lectorem eſſe debet: mihi interim ſatìs ſit, facem ſubminiſtraviſſe, ut, qui volent, ampliùs in hac utrinque conciliatione progredi valeant.

Porrò Cœnobij magnificentiam perhibet *Chronicon Waldſaſſenſe* per hæc verba: *Sedlecio in ſtructuris non fuiſſe in Ordine Monaſterium ſecundum.* Id ſaxa clamant, & devaſtata ædes ſacra, luctuoſum Huſſitarum monimentum, jam per annos 279. ſinè tecto, ſinè fornice, aëris injurias perpeſſa: ità ut lapis omninò eſſe debeat, qui per hos Sanctuarij profanati lapides ad commiſerationis teneritudinem non moveatur, præſertim cùm penè viam regiam vaſtiſſima ea moles ultrò ſeſe ingerat viatoribus. Dixi jam *Tit: XXIV.* trecentos hoc Cœnobium Monachos conſtanter olim incoluiſſe, præter ducentos Converſos, curis æconomicis occupatos. Monachi perenni viciſſitudine Chorum in- & egredientes pſallebant diu noctúque diviſi per cohortes, ſacerrimas ſcilicèt agentes excubias pro Regni ſalute. Quæ chori perpetuitas pariter apud Luſitanos, ùt alibi monui, vigebat olim in Alcobacia, & veriſimiliùs, intrà Ciſtercium etiam alibi, pulcherrimâ Mellifluæ Familiæ commendatione, quòd cæleſtis curiæ ſpecimen quoddam in terris exhiberet, nunquam non laudans DEUM, quæ res beatiudinis quædam eſt imago ac prælibatio. Pro quinque Virorum centurijs, quanta, amabo fuiſſe debuerit ſtructuræ amplitudo? Vix ſanè hodie ſimile quod videt noſtra ætas, ut unam domum tot ſimul conſtanter incolant.

Cæterùm ipſe Virorum numerus magnitudinem arguit poſſeſſionum atque reddituum. Communicatus eſt mihi authenticus bonorum antiquitùs ad Sedlecium ſpectantium Ca-

Qqqqqqqqqq thalogus,

thalogus, qui olim hâc ipsâ ſerie ab Abbate Sedlecenſi Georgio, Annô Chriſti 1535. Ferdinando I. tum Bohemiæ Regi, ſubinde Romanorum Imperatori exhibitus eſt, dignus, qui Regem promoverit, & rursùs dignus, qui Lectorem promoveat ad compaſſionem. Neque enim, ùt communi jam opinione receptum eſt, ullum in Bohemia Ciſtercienſium Monaſterium tot poſſeſsiones aliquando habuit, ac Sedlecium: & nullum pariter è domeſticis noſtris Cœnobijs eſt, quod plura amiſerit, ac Sedlecium: idcircò dolor Sedlecenſium de amiſsis eò ſanè fit acerbior, quò ditionum deperditarum numerus fuerat auctior. Quæ etiam res me permovit, ut quanquam hôc Titulô in reliquis Cœnobijs à Dominiorum cathalogo percenſendo ùt plurimùm abſtinuerim; hìc tamen, ubi nempe comperi diſpendia notoriè cumulatoria, in doloris lenimentum (quoniam doloris ad extrà egeſtio, ejuſdem ad intrà eſt imminutio) præter conſuetum, eandem dominiorum ſeriem, prout mihi exhibita fuit, in terminis hôc locô producam. Quia autem cathalogi inſcriptio appellat ſupra *bona* duntaxat *authoritate Regum alienata*, idcircò conjecturam formo, præter enumeranda, adhuc alia habuiſſe Sedlecenſes. Itaque rem ipſam videamus.

Elenchus Bonorum Monaſterij B.V.M.

in Sedlecz, authoritate Regum alienatorum.

LOcus ipſe *Sedlecz* cum omnibus attinentijs. Solnicz. Hoſkowiczy. Podolany cum omnibus appendicijs. *Gradisko* cum aqua, pratis, & ſylva. Zdebudiczi. In Pobor Curia cum terra. *Odolen*, & terra. *Donati*. Bilany. Jalcziowicy. Lybeniczy. Hlyſow & Kaczin cum omnibus attinentijs uſque ad rivulum circa Borram ſylvam fluentem. *Pretboka* villa cum omnibus attinentijs. Podeſhaim Curia propè Greß ſita cum attinentijs. Bor ſylva inter Coloniam & Cziaslaviam ſita, cum pratis, paſcuis, & piſcationibus. Chleb / prædium propè Civitatem Neemburg. *Molendina* ſuper Albea Fluvium, & ſuper Civitate Colonia ſita. *Breſcban*, Villa. *Nova Villa*, Villa. Chrawan / Villa. Radhoſticz villa propè Coloniam, cum omnibus pertinentijs ex utraque parte Albeæ fluvij, ſecundùm longitudinem, & latitudinem prædictarum poſſeſſionum, unà cum Molendinis

lendinis. *Præpoſitura S. Martini* in Curim cum omnibus bonis & appertinentijs. Selakowicz / ſuper Albeam, oppidum. Dymokur juxta Podiebrad oppidum cum molendinis, juxta civitatem Neumburg ſuper Albeam ſita. Vgezd Curia. Hoffmarck Curia cum Domo ac pomario, balneo, & mola fullonum in Auſtria. Krywſudow Caſtrum cum villa ibidem. Villa, *Tres Villæ*, dicta. Selemicze/aliàs Selmicze / villa. Czernczin villa. Swogczitz villa. In Borowitz una agricultura medium laneum habens. *Lhota. Chyſna. Lhota* ſecunda. Budſitz. Lazyſtzie. Brzezyna. Czegeticz una agricultura, & unus laneus ſolvens in cenſu unam marcam ad idem Caſtrum Krywſudow. Herortz munitio cum villa. Slawnitz villa. *Nova villa.* Pawlow. Mikulaſſow. Dubec. Bonowec. Weſele. Bonkow / & Budiſſow ad eandem munitionem Herortz pertinentia cum piſcinis, molendinis, & alijs omnibus pertinentijs. Babicze / villa. Czerkowicze Curia & villa. Chotuſſicze Curia & villa. Grunta / villa. Dolany / Curia & villa. *Sanctus Jacobus*, Curia & villa. Tynec oppidum cum Jure Patronatûs. Kobylnicz Curia & villa. Owczary Caſtrum & curia propè Sedletz. Moraſchicze / villa. *Nova villa*, Caſtrum & Curia propè Monaſterium. Zbidlaw Caſtrum cum Curijs, villis, & alijs appertinentijs. Gezery / villa. Budiſſow Curia & villa. Czernicze / Curia & villa. Bieluſſicze / Curia & villa. Ziaky / Curia & villa. Zitenice / villa. Blary / villa. Chrczicze / inferior villa. Chrczicze ſuperior, Curia & villa. Chwaletice / Curia & villa. Dubecz / villa. Dobrynicze / villa. Hotkowicze / oppidum. Konkow / villa. Konowicze / Curia & villa. Whrobich / Curia, Molendinum, & lapicidium. Lhota / ſub ſylva Lipska, Caſtrum cum villa. Malegowicze / villa, *Nova villa*, & Owczáry / villæ poſt Coloniam. Ozzada / Curia. Sſeſtary / villa. Burſſowna / pratum ad Albeam. Zdanic / villa cum ſylva ad eam pertinente. Chwoſtan / villa cum duabus curijs ibidem. Polkyni / villa. Pawicz / villa. Jenkow. Bartusdorff. Longendorff. Hohenrein. Smilow. Bergmaiſtersdorff & Blumendorff circa Brodam Teutonicalem. Weletow / cum Jure Patronatûs ibidem. Pfaffendorff / cum omnibus appertinentijs, & molendinis factis & fiendis. Chotowicz/

wicz / villa cum ſuis pertinentijs. Trebuſchitz / Munitio, Curia cum omnibus appertinentijs / Jus Patronatûs in *Curim*, in *Czaslavia*, in *Colonia*, in *Gretz* in Pragenſi- & in *Gemnitz* & *Jermeritz* Olomucenſi Diæceſibus. Krakowan / caſtrum cum omnibus attinentijs. Tyrnow / Judicium cum Rzeczenow / villa. Labwietin / villa cum duobus laneis, taberna, ac telonio in aqua, & piſcatione in Albea. Horſan / cum poſſeſſione laneorum dictorum Civium ſub fovea in Poſtub / & foveas in Grellenort / Pigneri / Merbotonis / Weigmansdorffen cum omnibus laneis & fracturis ad ipſos ſpectantibus. Cogicz. Zaborſicz. Winarz Bona magna & ampla. *Mola* in utroque littore Albis fluvij infra oppidum Tinecz. Hohenredl cum annuis reditibus. Molendinum penès antiquam Coloniam cum omnibus attinentijs. Medij proventus Parochiarum in Gemnitz & Jermeritz ultra 40. Marcas argenti ſe extendentes. Maleſchow / fortalitium. Moczowitz / villa. Wilanecz / ſeu Wilancz villa. Atgen, Curia cum 4. vineis, aliiſque poſſeſſionibus ad Clauſtrum Neoburgum in Auſtria. Wislowicz, villa cum appertinentijs. *S. Catharina*, villa. *S. Nicolai*, villa, & *Roboſt*, villa. *Curia* in *platea fœni* ante portam Curimenſem in Chuttnis cum omnibus attinentijs. Bronkowitz. Michowitz / villa. Wiſſinecz / ſylva cum ſtagno & lacu ad Albeam. Tres lapides Sevi ex Colonia censûs annui & perpetui. Cenſus ex Domibus, Molendinis, Piſtrinis, Balneis infra limites argentifodinarum in Chuttnis. Urbura pecuniaria Metallorum in Montibus Chuttnis. Cenſus ex Huttis. Cenſus ex hortis penès lapideam ſemitam ſitis. Lanei / Abts-Lehen dicti, in Montanis Spitzenberg / & alibi in Montibus Chuttnis ſiti. Cenſus perpetuus annuus ex Stuba Balneali Erbuſſiana in Chuttnis. Cenſus annuus ex mola ad portam Boëmicalem. Cenſus annuus perpetuus ex hæreditatibus *Petri Delphini* in Chuttnis. Cenſus annuus perpetuus ex poſſeſſionibus *Henzlini Balneatoris* in Chuttnis. Cenſus annuus perpetuus ex villa Kothaiwicz. Proventus *ex* 160. *Capellis* in Montibus Chuttnis. Cenſus ex Curia; foro multiplici, Macellis, aliiſque officinis in Chuttnis. Cenſus annuus & perpetuus ex Curia in Taurgangk. Cenſus ex ſuburbio Hlauſſky. Cenſus ex valle & fovea Rucz-Kolmarck

marek ſuburbium Chuttnenſe. Krzeſeticze, Chraſt. Krupa / y s giným Zápiſy a Weſniczemi. Hucuſq; poſſeſſionum Sedlecenſium Cathalogus *Ferdinando I.* ùt dixi, exhibitus. Id hôc locô inſinuo, quod Prudentum judiciô deprehenſum eſt: ſi nimirùm hodiernâ ætate juxta ſtylum currentem taxandæ forent Cœnobij poſſeſsiones, facilè aſcenſuras eas in pretio ad quinque aut ſex Milliones. Et quidem hæc latifundia magna ex parte ſub initium ex ſylvarum horrore inculta, deinceps noſtrorum induſtriâ, atque etiam, quod Ciſtercienſes tunc ſolebant, propriô manuali labore, poſt evulſa arbuſta, multa fruge deinceps fæcundata, aucta etiam per viciniam villis & pagis, cui indita à noſtris Divorum nomina, ceu Patrocinia, *S. Jacobi*, *S. Nicolai*, *S. Catharinæ*, adhuc hodie perennat, juxta Sedlecium quidem, ſed extra Sedlecij poſſeſsiones. Diſperſa itaque nunc eſt ea Dominiorum amplitudo per poſſeſſores varios, portione minimâ relictâ Cœnobio: quod quidem factum culpâ non noſtrâ, ſed temporum, imò potiùs hæreſum, à quibus in Orbem Chriſtianum, ac præcipuè in Religioſa Inſtituta & Clauſtra panditur omne malum. Accumulavit præterea egregiè Sedlecij proventus *Argentea minera*, Annô 1237. à R. Patre *Antonio*, Loci Profeſſo, reperta (prout jam ſuperiùs *Tit*: XX*V.* meminimus) cujus auſpicijs ſurrexit celebris in Bohemia Civitas, *Kuttenberga*, quæ hodie fortè non eſſet, niſi olim bonô fatô argenteæ venæ per Ciſtercium Orbi Czechico detectæ fuiſſent.

Videndus nunc eſt Sedlecenſis Eccleſiæ Heroſtratus, quidam è Ziſkæ clientulis, ſed qui commiſſum ſacrilegium mox luit horridâ pœnâ. Prohibuerat ſub graviſſimæ animadverſionis comminatione prænuncupatus Huſſitici agminis nefarius dux atque anteſignanus, cùm nempe Annô 1421. 25. Aprilis ſervorum DEI cædes ſpirans in Cœnobium illud irruiſſet, nè Baſilica illa major mole, artéque ſumptuoſa ac admirabilis, ullius temerariô auſu cum reliqua domo arderet, quam ſervare optabat non tam DEO, aut DEI ſervis, quàm ſui, ſuorúmque defenſioni, utpote mox implendam terræ congerie, adaptandámque propugnaculo. Verùm Sacrilegi Ducis imperiò minùs obtemperans quidam è militibus, odiôque æſtuans in Sacra Catholica, petulantiſſimô ſcelere per injectas flammas corru-

pit pulcherrimam, Divæ Virgini, ſanctóque Joanni Baptiſtæ dicatam ædem. Quod flagitium cùm animi impetu amariſſimô ferret Ziſka, diſſimulavit aliquamdiu ex induſtria iræ jamjam foràs erupturæ fulmen ac tonitru, pollicitus, ſe egregium planè id facinus compenſaturum mercede dignâ, daturúmque viro, qui id ſibi beneficium præſtiterit, tantum auri & argenti, quantum per omnem vitam ſuam haberet ſatìs. Eâ Ducis ſponſione ſtimulatus infelix heroſtratus, proſilijt alacriter in medium, ſe Virum illum eſſe jactitans, qui glorioſô facinore præmium meruiſſet. Stetit promiſſis Ziska in omni terminorum rigore, ac horrore, feſtinatô namque imperiô liquari juſſit aurum atque argentum infundíque intrà ſceleſti incendiarij fauces, tormentô ſanè atrociſſimô, at verò digniſſimè meritô, quandoquidem idipſum promiſiſſet, daturum ſe illi auri argentíque vim tantam, ut per reliquam vitam ſuam haberet *ſatìs.* Horridum hoc *ſatìs pro peccatis* extinxit brevi, ſed immani fatô facinoroſum, nunquam fortè etiam in altero ſæculo pro peccatis paſſurum ſatìs, Divis è Ciſtercio Cælitibus exuſtæ ædis ſuæ æquiſſimam ultionem, ampliùs quàm Ziska, atque longiùs exacturis. Ità quidem enectus tum miſer, neque tamen eô ſuppliciô reparata Eccleſiæ damna, relictæ deinceps inter buſta. Acceſſit ad Baſilicæ conflagrationem, ſimul & devaſtio Cœnobij totalis, atque Religioſorum internecio ſacrilega. Duò è fratribus, & tertius Abbas loci, *Jacobus*, è communi clade ſe ſubduxerunt, victuri deinceps extra Sedlecium exules. Facilè fuit in ea rerum calamitate pro cujuſvis libidine occupare Cœnobij bona, ac poſſeſſiones, trucidatis ſeu profligatis illis, per quos alioquin manuteneri potuerint. Conquievit quidem tandem tempeſtas ſub Ladislao Rege, qui pientiſſimâ curâ ſolicitus de reſtaurandis reſtituendíſque Eccleſijs, cùm in itinere Pragam versùs incidiſſet in deſolatum Sedlecium, ſubſtitit turbatô animô, motúſque Domûs tam nuper inclytæ mæſtiſſimô ſpectaculô, oculis in cœlum ſublevatis altùm ingemuit, miſerandæ cladi amariſſimè illachrymatus. Et quandoquidem Principum commiſeratio abſque beneficio eſſe non debeat, reſtituit locum Ordini poſt annos deſolationis triginta tres, Introductô intra vaſta rudera *Theodoricô* Abbate exule, Annô Domini 1454. qui ſubinde vicinos quoſdam agros & hor-

& hortos ab injuſtis poſſeſſoribus vindicavit; verùm plura tentare aut perficere non valuit; quod per DEI & Regis gratiam intereà ſufficiat! Annô Chriſti 1478. *Wladislaus* Rex Georgij Podiebradij Succeſſor, ad inſtantiam *Jodoci* Sedlecenſium Abbatis XXXII. facultatem conceſſit, redimendi abrepta bona, séque in ea intromittendi. Spes quidem indè conceptæ magnæ; verùm præter ſpes, *exuſtum Malinum*, *olim populoſum oppidum*, ***unum miſerum***, ***& alterum medium pagellum***, obtentum nihil, quòd ſcilicèt facultate Regiâ noſtri uti vix potuerint abſque medijs: atque etiam ex parte altera quòd *Georgius Podiebradius* Rex Monaſterij ditiones in clientulos ſuos diſpertiendo, eas conſtituerit irredimibiles, quam adjectam à Georgio conditionem conſervaturos ſe, jurare compellebantur Reges poſteri: quod juramentum pariter præſtare debuit *Ferdinandus I. Cæſar*, cui Annô Domini 1534. Georgius XXXVI. Loci Abbas exhibuit omnia Sedlecenſis Cœnobij avita privilegia, impetravítque eorundẽ authenticam confirmationẽ: quam cùm Cæſar extraderet Abbati, motus dolore cordis intrinſecùs ſuper ærumnis ac calamitate Domûs olim florentiſſimæ ac religioſiſsimæ, juſſit ſibi exhiberi poſſeſſionũ omnium generalem ſeriem ſuperiùs recitatam. At rursùs hæſerunt intentiones optimæ, ſuffocatæ in executione. Eſt tamen id ſolatio Sedlecenſibus, quòd Regum ſuffragijs judicati omninò digni, qui reſtituerentur in integrum, quia nempe alienâ culpâ, & religionis causâ perpeſſi damna, id certè mererentur. Atque ut ſtimulô fortè urgerentur poſſeſſores reliqui, *Wladislaus* Rex Annô 1597. è Dominio Cameratico *Colinienſi & Hradiſtienſi* 100. ſexagenas groſs: Prag: censûs annui, & viginti vaſcula ſeu centenarios carpionum Cœnobio annuè extradendos gratiosè demandavit; verùm Regius iſte ſtimulus æmulationem apud alios minimè extorſit. Recollegit ſe tamen ſucceſſu temporis propriâ induſtriâ Sedlecium, ùtut potuit, ſiquidem ab extrà ampliora ſubſidia fruſtrà præſtolaretur, contentúmque etiam parvitate ſuâ reſtauravit collapſam domum; donec rursùs Annô 1618. in fatali illa Regni ac Religionis convulſione ab inſolente Milite plagam novam accepiſſet expoliatum denuò, & mobilibus omnibus, etiam ſacris integrè exutum. Annô ſubindè 1620. Abbate Bartholomæô ejectô in exilium, modicíſque poſſeſſionibus per novitios at-

que illegitimos Regni Directores Cuttnenſi Civitati pro 30000. Sexagen. Miſnens: divenditis, fatalia omnia parabantur Sedlecio, verùm *Ferdinandô II.* Cæſare hoſtes in Albo-Monte ponè Pragam glorioſiſſimè triumphante, reſpiravit illicò afflicta Domus, Cæſaris favore Ordini reſtituta vacua quidem mobilibus, chara tamen, quòd ad Patrum veſtigia permitterentur redire filij. Hinc illæ Sedlecenſium lachrymæ, totidem fontibus, quot ærumnis manantes, quòd iterum iterúmque excuſſi *ephippiô* illô ſuô *æquiſſimi ſeſſores*, ac *poſſeſſores*: Sed etiam hæc, inter ipſas lachrymas, ſolatia, quòd tot inter caſus ſe tamen ſemper recollegerint ad priſtinas illas ſuas ſedes, Cælô ac Ciſterciô tenente *ſtapedem*, quò faciliùs eluctarentur in illud ephippium, quô nomine ſuum Sedlecium inſigniretur.

Verùm ùt exiſtimo, ſatìs datum planctui, rerúmque viciſſitudini: reſpiciendum nunc eſt rursùs ad florentem ante devaſtationem Sedlecij ætatem: & præprimis ad *Pietatem Euchariſticam*, quæ ſanè ſi in Bohemia alicubi olim floruit, Sedlecio floris prærogativa concedenda eſt; quandoquidem jam ſub tempora *Urbani IV.* Papæ & Feſti *Corporis Chriſti* inſtituta prima ſolemnia, præcipuô fervore cultus Euchariſticus in hoc Cœnobio inſigniter viguerit, non quidem in Baſilica majori, (ubi diu noctúque non ceſſabatur à divinis laudibus, adeóque ob eam chori perpetuitatem vix alia pietas per advenientes ſæculares commodè exerceri poterat) verùm in Eccleſia alia, honori SS. *Apoſtolorum Philippi & Jacobi* erecta deſtinata præprimis animarum curæ, & Sacramentorum adminiſtrationi: in qua inter duo majora altaria ſtabat arca, in modum Sacri Sepulchri, ſervando Dominico Corpori adaptata. Imò antevertiſſe tempore Feſti Euchariſtici ſolemnia Sedlecenſes, jam ante Urbanum Papam Auguſtiſsimo Sacramento feſtivè devotos, liquet è Novitijs ad me directis; quanquàm non tantâ celebritate, ac populorum frequentiâ, quemadmodum poſt Feſti inſtitutionem. Et quidem poſt Urbani oracula pro Euchariſticis honoribus per univerſam Eccleſiam divulgata, tantis incrementis glorioſa illa devotio hôc locô adaucta eſt, ut propter cultores per agmina continuè accurrentes, adorationi publicæ ſemper expoſitum fuerit Sacramentum Venerabile

rabile. Idem fervor ſacrificantium, qui continuo ordine immolabant incruentam hoſtiam, abſconditi Numinis honori latreutico. *Wenceslaus II.* Bohemiæ Rex, cùm poſt aſſumpta Regni gubernacula, Cuttenbergam ſe contuliſſet, inſpecturus culturam Montium argentiferorum, atque ibi moras traheret longiores, per dies ſingulos ad Cœnobium deſcendit ingenti ardore adoraturus Sacramentum, neque citiùs indè diſceſſurus, nisì finitô Sacrificiô ultimô, nunquam non reportans uberrima animi ſolatia, velutì in pietatis exhibitæ ſancta ſtipendia. Regiô exemplô accenſi Cuttnenſes currebant poſt Wenceslai veſtigia frequentes, ordinatis etiam proceſſionibus Eucharistica ſolemnia ampliùs illuſtrantes. Atque ut celebriùs ea pietas ageretur, inſtituta ſubinde eſt communi Civium adſenſu ſolemniſſima ſupplicatio, è Civitate Cuttnenſi quotannis ſecundâ die Paſchatis deducenda Sedlecium: in qua metallorum foſſores, amicti veſte albâ lineâ, candidæ Ciſtercienſium cucullæ non abſimili, referrent eâ habitûs æmulatione, repertæ per nos mineræ, erectæque urbis auſpicia: atque perſolutis in Cœnobio Divinis Auguſtiſſimum Sacramentum comitarentur, deportandum per Cæmiterium. Quæ proceſſionis religio tantô fervore circa Annum 1304. à Cuttnenſibus cœpta, uſque hodie continuâ ſerie, annis hæreſeos exceptis, eôdem veſtis candore, & apparatûs celebritate conſtanter in præſens uſque perſiſtit. Visô tantô Cultorum ardore Joannes Pragenſium Archi-Epiſcopus Annô 1389. conceſſit omnibus & ſingulis, qui Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quinquies coràm Sacra Hoſtia, aut altari, ubi illa aſſervaretur, pro Regni pace oraverint, aut qui Sacramentum ipſum *ex cauſa fervidæ devotionis inſpexerint*, toties, quoties id præſtiterint, 40. dierum indulgentias. Collegit tandem Annô 1390. Euchariſticos cultores in novæ Societatis ſeu *Confraternitatis* vinculum præmemoratus Joannes Archi-Præſul Pragenſis, ſub nuncupatione *Corporis ſeu Sepulchri Domini*, fundatis tribus Miſſæ Sacrificijs per hebdomadas ſingulas coràm Sacra Hoſtia jugiter decantandis. Adauxit eam Confraternitatem inſigniter Summus Eccleſiæ Præſul *Bonifacius IX.* præter confirmationis Bullam, etiam in Bulla altera adjiciens novam Pontificiam gratiam, Annô Pontificatûs ſui ſextô, in qua *omnibus*

& ſingulis Chriſti fidelibus, qui prædictam Capellam Sanctorum Philippi & Jacobi, ſeu Arcam in modum Sepulchri Domini, in Feſto Corporis Chriſti à primis Veſperis uſque ad ſecundas, & per totam ejuſdem Octavam devotè viſitaverint, & quinquies Orationem Dominicam, cum totidem Salutationibus Angelicis, flexis genibus coràm Venerabili Hoſtia pro Regni pace oraverint, vel pro conſervatione ejuſdem Capellæ manus adjutrices porrexerint, Indulgentiam, quam habet Eccleſia S. Marci de Venetijs in Feſto Aſcenſionis Domini, conceſſit. Illud pariter in Bulla priori indulſerat Papa Confratribus, ut *quiſque in mortis articulo ſibi Sacerdotem quemcunque eligere poſſit, & ille authoritate Apoſtolicâ plenariam remiſſionem & Indulgentiam ipſi impertiri valeat.* Excivit florida illa loci religio, & pietas gratijs cùm divinis tum humanis coruſcans, ingentem prorsùs mortalium multitudinem, indies advolantium ad pendendum cultum DEO Euchariſtico, fundendáque præſenti Numini concepta vota. Et quidem id ardentiſſimis deſiderijs concupitum à ſingulis, ut etiam poſt fata eſſent Sedlecij, vel in tumulis gaudentes loci cœleſtibus favoribus. Hinc non modò è vicinia, verùm etiam à longè advecta indies ſingulos magnô numerô defunctorum corpora, in cæmiterio conſepelienda, quod tantæ multitudini anguſtum, ſubinde ampliatum eſt.

Spectatur hôc locô *Oſſarium* memorabile, quale vix in univerſa Europa, quod aſſerunt ij, qui provincias perluſtrârunt, Ingens in eo oſſium copia, coordinata per acervos, ùt traditio perhibet, Religioſi cujuſdam è Sedlecio, quod mireris, oculorum uſu privati, induſtriâ ac pietate aptiſſimè congeſtos, qui poſtquam opus abſolviſſet, in laboris ſancti mercedem divinô prodigiô videndi facultatem recepit. Neque oſſa omnia è terris eruta, atque in eos cumulos comportata ſunt: latent adhuc per Cæmiterij amplisſimum ambitum ſparſa propemodum infinita: quod colligere eſt ex defunctorum, atque hôc locô contumulatorum coactô computu, quorum numerus per ſolum Annum 1318. famæ & bellô Bohemiæ fatalem ad triginta millia excrevit. Accendebat, præter motiva alia, eligendæ apud Sedlecenſes ſepulturæ ardorem, Cæmiterij divinitùs commendata religio ac prærogativa, cujus nimirùm *Terra* omnium acclamatione diceretur *Sancta*, quandoquidem polle-

polleret vi prodigioſâ, intra 24. horas convertendi ſepulta corpora in pulverem & cinerem, ſolis oſsibus reſiduis, quæ tantâ illicò candebant albedine, quaſi integrô ſæculô intra terrena viſcera delituiſſent. Atque id prodigium novô aliô commendatum portentô, ut eorum corpora, qui in ſtatu gratiæ deceſsiſſent, per modicam illam moram, ùt dixi, in pulverem abſumerentur; eorum verò, qui extra illum gratiæ ſtatum defuncti eſſent, ordinariô modô & tempore corrumperentur. Video pro hac aſſertione in Notitijs mihi communicatis adduci *Kapiborskyum*, rerum Bohemicarum Scriptorem; ſed ampliùs communi hactenùs traditione id portentum firmatum eſt, mirabile ſanè in oculis noſtris, ſi curioſiùs ad Theologiæ leges reſpiciamus; verùm quandoquidem ego nolim miſcere Scholis Hiſtoriam, eapropter nudam duntaxat ſpeciem facti hôc locô exhibeo, facti autem rationem, modum, arcanum, Theologis diſquirenda defero. Fateor, heterogeneam hanc terræ virtutem magnam eſſe; ſed quæ neque ex parte Divinæ potentiæ, neque ex parte ſubjecti implicare videatur. Si prætereа alia quædam hìc obſtant, confido ea à Theologis expediri ſolvíque poſſe. Et hæc quidem prærogativa corporum, oſsiúmque: nec minor animarum; ſiquidem communi quaſi opinione receptum ſit, ſtando intra limites auctoritatis humanæ, omnes ſalvos eſſe, quibus in hac terra ſepulturæ, & tam celeris, per 24. horarum ſpatium, corruptionis obtigerit ſors ac felicitas: quod olim ſenſiſſe Patres ac Majores noſtros Sedlecenſes, palàm fit ex eo, quòd quamvìs inferiùs inter eam oſsium jam commendatam ordinatiſsimam congeriem aram collocârint, in qua incruentum ſacrificium pro defunctis haberi potuerit, ſimul tamen eorundem defunctorum reverentiæ ſacellum aliud ſatìs ſpatioſum Oſſario ſuperſtruxerint, dicatum honori Sanctorum Omnium, ornantes illud geminâ turriculâ, in qua olim noctu ardebant lampades, ſeu Divorum ibidem quieſcentium venerationi, ſeu advenarum ob nocturna pericula directioni accenſæ. Extinxit quidem ea pia lumina, Cœnobij ſacrilega per Huſsitas facta profanatio; at verò poſteaquam homines deſijſſent religioſâ luce ſplendoribus Sanctorum applaudere, vices ſupplevit Cælum, cùm crebrò viſi in ijſdem turribus emicare clariſsimis ſulgo-

ribus conſueti ignes atque etiam ipſum ſubtùs Oſſarium plurimô lumine, atque cæleſti flammâ velutì adere. Quin imò Beatæ animæ reviſentes oſſa ſua, olim ad gloriæ participium aſſumenda, conſpectæ ſunt Annô 1663. 16 Julij amictæ ſtolis albis, portantéſque luminaria, pulcherrimâ proceſſione, atque inter cæleſtes cantiones omne Cœmiterium circuire, & velutì invitare chara ſua corpuſcula ad beatitudinis communionem. Quale etiam ferè ſpectaculum cælitùs exhibitum, viſúmque à multis Annô 1657. die Auguſti vigeſimâ, in ipſis Melliflui Parentis noſtri ſolemnijs, cùm ſub illam ſacram noctem longiſſimus Candidatorum Spirituum ordo, aucturus quaſi Feſti celebritatem, in cucullis candidis, cum cereis & feſtivo cantu notatus ſit, loci ſanctimoniam per ea portenta commendare, attonitis interim, qui rem præſentes adſpexerant, neque primô intuitu viſionem ſatis capientibus, quòd ſcilicèt nunquam Sedlecij tot aliquando conſpexerint Religioſos conveniſſe. Hæc portionem claritas luculenter innuit loci, oſſiúmque ſacerrimam Religionem, adeò ut nefas ſit, aliquid indignum ſentire de utriſque, præſertim cùm illi, qui id fecerint, damnô ſuô correcti mitiùs & ſanctiùs deinceps ſenſerint de quieſcentium, hôc locô, æterna in cælis beatitudine. Celeberrimum ſuper hoc teſtimonium exhibuit *R. P. Rudolphus Reichenberger*, è Societ: JESU, in Collegio Cuttenbergenſi Concionator Germanicus, qui Annô 1657. ſecundâ feriâ Paſchæ, quâ ſolemnis Proceſſio à Cutnenſibus Sedlecium annuè deducitur, finitâ concione, quam Teutonicô idiomate in Sacello *OO. Sanctorum* ad populum declamavit, ſumptóque apud noſtros prandiô, cum ſocio ſuo, *Joanne* laico, Collegij Portario, ad ſacrum illud Oſſarium ſe contulit, cúmque ibidem inter familiaria colloquia ideæ tam Theologicæ quàm hiſtoricæ de ſalvandorum paucitate mentem Patris importuniùs pungerent, traherėntque propè in partem adverſam, quâ vix ſibi perſuaderet, ſalvatos omnes illos, quorum oſſa hìc quieſcerent, componens oſſa cum Theologia, cum hiſtoria, ad ſocium converſus inquit: *Quot, putas, ex his damnati ſunt?* Vix quæſtionem & verba obſolverat Rudolphus, cùm ecce per omnem ſpecum facta commotio, fragórque oſſium, & binus ictus lapidis horrendus, Rudolphum ad capeſſendum celere effugium com-

compulêre, qui cum Joanne ſuo per portam, non quâ intraverat, ſed per alteram è regione feſtinanter ſe proripiens, evaſit quidem, ſed horrore plenus: domum reversus, dans laudem DEO, & reverentiam loco ſancto, recenſuit, quid ſibi, quid ſocio evenerit: & proximâ recreationis die, cum Magiſtro *Joanne Scribonio* regreſſus Sedlecium, etiam noſtros, ad quos ea res potiſſimùm pertineret, eventum rei edocuit. Neque induci Rudolphus unquam deinceps potuit, ut, quanquam frequens hoſpes Sedlecium inviſeret, ad oſſarium vel pedem inferret, ſemper ante portam in genua devotiſſimè procumbens, proteſtánſque, indignum ſe eſſe, qui locum calcaret, ubi peccârit: agnoſcere ſe nunc atque etiam revereri in oſſibus iſtis DEUM, Cœlitéſque, quos ſibi in nuperæ culpæ ſuæ indulgentia propitios optaret. Sic Rudolphus bene & religiosè de glorioſa eorundem reſurrectione cogitans; nisì enim eos, qui Sedlecij in terram illam bonam, *Terram Sanctam* ceciderant, beatiſſimè reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare à mortuis veniam. Sancta ergo & ſalubris erat cogitatio à defunctis exorare, ut Rudolphus à peccato ſuo ſolveretur. Quanquam non adeò culpandus ille videatur ex eo, quòd fortè ignorans portenta & gratias loci, diſcurſum ſuum regulârit ſecundùm communes Theologiæ, & prædeſtinationis leges, fundatas nempe in Scriptura, atque etiam hiſtoria; contra quas quandoquidem non peccaverit Rudolphus, ſed duntaxat contra loci ſingulariſſimas, & quaſi extraordinarias prærogativas, quas vel non noviſſe, vel ſaltèm non adeò penetraviſſe exiſtimandus eſt. Cæterùm quantùm ego hìc culpam Rudolphi evacuo, tantùm ex adverſo oſſarij tam admirabilis religionem altiùs ſemper attollo: neque jota unum, aut apicem alioquin dicturus de Patris religioſiſſimi qualiquali delicto, nisì id conduceret ad oſſium, Cœlitúmque Sedlecenſium honorem, cui procurando vindicandóque adverſari, ex ratione glorioſi Inſtituti ſui, præſumendus non eſt Rudolphus. Peccavit etiam in hanc loci religionem domeſticus Cœnobij villicus, ſub Annum 1598. qui majori ſolicitudine proſpiciens ampliandæ rei œconomicæ, quàm ſervandæ loci venerationi, vidénſque cæmiterij terram aptam ferendis frugibus, importunô hortatu Abbatem Domûs 45.

Franciſcum, tandem induxit, ut, ſiquidem inculta illa ſterilitas nemini prodeſſet, ſuffiicerétque modica cæmiterij pars ſepeliendis tunc hominibus, facultatem indulſerit, aratrô adaptandi glebam ad progignendas deinceps ſegetes. Abſtraxerunt nonnulli virum ruralem per ſalutaria monita à damnabili opere, quô utique profanaretur loci ſanctitas: non ſanè id toleraturos Cœlites, propediem erupturos ad vindictam. At ille nîl motus híſce verbis, temerariè proſecutus eſt aratrô œconomicas illas ſuas ſpes & intentiones. Nocte inſequenti ſenſit homo miſerabilis monitorum vaticinia deplorandô effectu; compreſſus namque à ſpiritu quodam, bono, an malo, incertum, exhalavit paulò pòſt animam. * *Phœnix Bohemiæ reviviſcens* perhibet, eum mox in ipſo actuali rurali labore, cùm modicos ſulcos egeſſiſſet, pœnam luiſſe. Abbas, quanquam à propoſito deſiſtens, intrà anni ſpatium ſecutus villicum, vitam mortalem clauſit. Videat Lector & domeſticos pariter & exteros, atque utrorumque pœnas, qui nempe in ſacerrimum illud oſſarium ac cæmiterium quidpiam ſint auſi. Ideò autem exempla utrorumque hìc adduxi, nè exteros contingeret offendi, ſi domeſticos taceremus.

Porrò exhibendæ hôc locô inter Sedlecij prærogativas antiquiores, relationes *Paternitatis*, ac ſubinde etiam Jura *Patronatûs*. Paternitas quidem in ordine ad Viros triplex eſt, Prima reſpicit *Monaſterium S. Martini* (quod alij Præpoſituram vocant) in Urbe *Curimenſi*, prima omnium inter Bohemiæ Civitates, fundatum circa Annum Chriſti 1280. Altera *Aulam Regiam* fundatam Annô 1296. Tertia *Scalicium*, fundatum Annô 1357. Quarta Paternitas in ordine ad *Vetero-Brunenſem Regium Parthenonem* Annô 1325. Sedlecio acceſsit beneficiô Capituli Generalis, curam Virginum per decretum Abbati Loci demandantis. Nunc poſt Paternitates, recenſenda pariter *Jura Patronatûs* Eccleſiarum Parochialium in Civitatibus Regijs, *Curima*, *Czaslavia*, *Colonia*, & *Reginæ-Hradecio*, in Diœceſi Pragenſi: atque in *Gemnitz*, & *Gemeritz*, in Diœceſi Olomucenſi: quæ ea potiſsimùm de cauſa conceſſa Sedlecenſibus donatione Regum, ac de Ordinariorum conſenſu, quòd *illi ſeſe ultra vires omnibus exhiberent in hoſpitalitate liberales*, digni prorsùs, quibus alij

alij benefacerent, qui in univerſos, cum ſui etiam diſpendio tam eſſent propenſi. Accenſendum pariter his jus adminiſtrandi *Hoſpitalis Cuttnenſis* ante Portam Boëmicalem, quod cum Capituli Pragenſis conſenſu Cœnobio ceſsit *Ulricus*, Scholaſticus Eccleſiæ Pragenſis, Plebanus in Malin, ſubinde Monachus in Sedlecio, & Abbas decimus ſeptimus. Cujus etiam ceſsione per *Clementem VI.* Pontificem Maximum approbatâ *Capellas* infrà limites Parochiæ Malinenſis, in loco *Chuttna* dicto, occaſione inventæ argenteæ mineræ conſtructas, Sedlecium obtinuit. Notandum hôc locô, Malinenſem Parochiam olim fuiſſe inter præcipuas, ob inſignes ejuſdem proventus: neque à quocunque privato obtineri ſolitam: hinc eam cum diſpenſatione Apoſtolica petijt, atque obtinuit prælaudatus Ulricus, cui ſcilicèt Plebani ſeu Parochi Malinenſis munus ampliùs placuerat, quàm character titulúſque Scholaſtici nuper in Eccleſia Pragenſi: quâ mutatione haud dubiè meliorare voluiſſe conditionem ſuam præſumendus eſt. Pertinebant autem Malinium tanquam ad Matrem Juris Patronatûs Monaſterij omnes Capellæ ſeu Eccleſiæ totius Urbis Cuttenbergenſis, quarum adminiſtrandarum jura ſubinde, utì mox ſuprà innui, Ulricus Sedlecio præprimis totâ animi propenſione adfectus, ceſsit Abbati loci, contentus redditibus, quos perciperet ex ſola Eccleſia matrice Malinenſi. Quam ceſsionem ratam, gratámque habuit Capitulum Pragenſe, fungens interea munere Ordinarij, Joanne Epiſcopô ſub id tempus per Sedem Apoſtolicam ſuſpensô. Eandem pariter confirmavit Romanus Antiſtes *Innocentius IV.* Annô 1352. atque etiam *Carolus IV.* Cæſar & Rex Annô 1355. quorum Ordinariâ, Pontificiâ, Cæſareâ, Regiâque auctoritate noſtri ſtabiliti animarum Curati in prædictis Cuttnenſium templis atque Capellis. Attentavit quidem Benedictus de Zdanitz, Ulrici in Malinio Succeſſor, noſtros è poſſeſsione emovere, exhibitâ deſuper quærimoniâ in Curia Romana; at verò *Alexander V.* Annô Pontificatûs ſui primô, visô Sedlecenſium jûre, quod à nemine ipſi extorſiſſent, aut ullô malô dolô ſub-vel obreptitiè obtinuiſſent, utpotè quod ultrò ijſdem ceſsiſſet *Ulricus* Plebanus, quod etiam Ordinarius, quod *Innocentius* Anteceſſor, quod *Carolus* glorioſiſsimus Cæſar approbâſſent, novâ Bullâ æquiſsimos poſſeſſores rursùs con-

conſtabilivit. Unde deinceps pacificô gaudentes juris tantis fulcris firmati exercitiô, Sedlecenſes noſtri, pro omnibus Cuttnenſium Capellis atque Eccleſijs, ſimnl etiam pro Parochia Malinenſi Religioſos Curatos citra ullam oppoſitionem conſtanter expoſuerunt: è quorum numero Annô 1412. poſtremus extitit, Venerabilis P. Auguſtinus (ſuprà à nobis *Tit: XXIV.* laudatus) qui incidit in Huſſitarum illa fatalia diſturbia, Vir ingentis zeli, & gregis ſui Cuttenbergenſis cuſtos fidiſſimus. Excuſſit maleſanus ille turbo optimos Sedlecenſes è poſſeſſione, ſed non è jure, quod adhuc habere præſumuntur de quo in præſenti nihil. Neque hôc locô ſilentiô prætereunda ea immunitas, quam Sedlecenſibus indulſit *Joannes Luxemburgicus Bohemiæ Rex*, Annô Domini 1338. ut nimirùm *de Bonis, quæ per tres annos, & ſex ſeptimanas pacificè poſſideant, vel deinceps poſſederint, coram nullo Regni Judice, niſì Perſona ſua Regia, vel cui hoc ſpecialiter committeret reſpondere teneantur: irritum fore declarans, quidquid aliter à quoquam, etiam à Carolo Primogenito ſuo Marchione Moraviæ, fuerit attentatum.* Mitto privilegia alia, per quæ Reges Principéſque Religioſis Domibus ſolebant proſpicere de indemnitate, quandoquidem ea in Sedlecio magna quidem ſint, an non ſingularia, in alios etiam diſpertita.

Inter Cœnobij alumnos memorandi præcipuè *Heidenricus II.* ejuſdem Domûs Abbas XV. atque *Expoldus:* poſterior quidem, quia Regiô favore Vladislai & Gitkæ, ſeu Iudithæ Reginæ ad thronum *Epiſcopatûs Pragenſis* evocatus, quanquam ante conſecrationem defunctus: prior verò, quia inter Ordinis noſtri *Beatos*, ad diem 21. Menſis Auguſti adnumeratus ab Henriqueo. Præfuit clarisſimus Præſul per annos quadraginta duos, de Eccleſia, Rege, Regno, Ciſtercio quàm optimè meritus, ſed maximè de Sedlecio ſuo, quod auxit poſſeſsionibus, ac immunitatibus Regijs. Quantum Vir iſte magnus Bohemiæ præſtiterit in introducendo *Joanne Luxemburgico* in Eliſabethæ, Regiæ Principis, & Coronæ conſortem, diximus *Titulô XXV.*

Recenſenda hìc pariter gemina Sedlecij felicitas: prima, quòd *Jacobus* ejus nominis *II.* Domûs Abbas XXXVIII. circa Annũ 1560. non ſinè Numine Divûm in celebri illo *Oſſario* è latibulis, & arcanis loculis caſu fortuitô evolverit, eruerítque

decem

decem millia aureorum, quæ olim Anteceſſores in emergentem aliquando neceſsitatem repoſuerant, impendenda tunc opportunè in reſtaurationem Eccleſiæ, SS. Philippi & Jacobi ſacræque ſupellectilis, incendiô nuper abſumptæ. Felicitas altera, quòd Annô 1625. in Vigilia Aſſumptionis Divæ Parentis, per quendam è famulis rurali obſequio deſtinatis, fortè fortunâ repertum ſit in agrorum cultura propè Malin, intrà Cœnobij territorium, *aurum excretum in modum funiculorum*, quod qui invenit, abijt, & vendidit molitori, panem pro auro recipiens. Deprehensâ ſubinde inventoris ſimplicitate, reportata ſunt aurea illa fila *Aulam Regiam* ad Reverendiſſimum Dominum Viſitatorem Georgium Urat: quia tamen Sedlecium tunc poſt reſignationem *Bartholomæi* deſtitutum Abbate, alijs curis diſtraheretur, dilata interim ulteriora venarum aurearum ſcrutinia, ac tandem planè omiſſa. Ego hoc in partem optimi ominis adſumo, quòd ſcilicèt in Cœnobij Sedlecenſis propria gleba, & argenti & auri mineras è terræ fibris egeſſerit naturæ largiſſima bonitas, ſignatura quaſi aureis argenteiſque calculis Cœnobij fata nunquam futura tam ferrea, quin Cæli beneficiô, aurei, ſi non funes, certè *funiculi*, atque argentei, ſi non rami, certè *ramuſculi*, ſervandæ vetuſtiſſimæ ac religioſiſſimæ Domui ſeſe per temporum vices ſint exhibituri.

Hodie Sedlecio digniſſimè præeſt Reverendiſſimus D. D. *Henricus*, Profeſſus Sanctæ Coronæ, è Pragenſi Superioratu evocatus ad Cœnobij hujus gubernacula, Loci Abbas Sexageſimus Primus: cujus præclarâ induſtriâ, quemadmodum multa alia in hac domo, reſtaurata in meliùs, ità etiam præter omnium expectationem Baſilica Major, illud antiquitatis illuſtre monimentum, cujus devaſtationi tot jam per retroacta tempora illachrymati, accedente Patronorum pientiſſimô ſubſidiô nunc feliciſſimè incipit renovari, immortali Viri gloriâ, qui id tandem effecerit, quod omnes hactenùs optaverant! Cui ſicut *Velle* dedêre Cælites, ità & Eidem *perficere* dent utrique & Cælites & homines!

PLASSIUM.

PLaſſium Ciſtercia apud Bohemos plantatio, duobus à Pilſna, Civitate Regia, milliaribus diſtans, primordia ſua refert ad Annum reparatæ ſalutis 1146 ſi nempè Regias Fundatoris Vladislai literas attendamus: quanquam interea, ſi videlicèt ad primas domûs ideas, regíſque ſomnum, originarium Plaſsij auſpicium(de quo ſtatim) reſpiciamus, annus anterior pro primis illis intentionibus ac lineis collocari poſsit. Loci Fundator extitit *Wladiſlaus* Bohemiæ Rex, qui præviè, antequàm ſcilicèt Ciſtercium illuc introduxiſſet, Vallem illam amænisſimam, in qua modò Cœnobium conſiſtit, venandi delicijs pro tunc velutì à natura comparatam, ſæpè adire ſolitus eſt; Cùm itaque aliquando pro more Wladislaus ad locũ hunc cum parvo ſuorum comitatu excurriſſet, curarum in aulis enatarum tædia innoxiâ illâ animi voluptate aliquantiſper abſterſurus, accidit, ut agitatione laſſatus in illa ipſa Valle, cincta undique ſylvarum horrore jucundiſsimô, modicam capturus quietem, ſeſe feſtinatô miniſtrorum obſequiô collegerit ſuprà pallium ſuum, ſtratum in vicem lectuli in herba virenti, ſub tiliæ prægrandis ſuaviſsimo umbraculo. Fecerat quietem dulciorem ipſa fatigatio, ac ſolitudo. Excuſsô ſubinde ſomnô, nè fruſtrà id beneficium Regi dediſſet loci amænitas, illicò beneficij viciſsitudinem animô concipiens, deſtinavit vallem, unáque cum valle viciniam dicare Numini, & qui Cælitibus famularentur, DEI è Ciſtercio Servis. Et quoniam ad ſeros poſteros tranſire cuperet quietis illius dulcem memoriam, à pallio, cui indormîerat, erigendæ ſacræ Domûs nomenclaturam deſumpſit, à Bohemico vocabulo *Plaſst*, quod Pallium ſonat, nuncupandam, *Plaſſium*. Neque ſolam ſomni voluptatem Regi pro ſtimulo fuiſſe fundandi Cœnobij, veriſimile eſt; præſertim quòd evigilans abſque mora Ciſtercium, ſibi tum adhuc permodicè cognitum animô deſtinaviſſet ad ſacrum loci incolatum. Itaque, quemadmodum fert traditio, Wladislaum dormientem divinâ admonitum viſione, condendi à ſe Cœnobij architectonica in ſubſtrato pallio conſpexiſſe lineamenta, audiviſséque intra ſomni ſilentia, pſallentis Ciſtercij chorum Monaſticum. Acceleravit illicò Pragam reverſus Rex propoſita, quæ conceperat.

rat, primis loci colonijs evocatis è *Lankheimio*, Franconiæ Cœnobio, novæ cohortis duce Conradô, primô Plaſſenſium Abbate. Ità nimirùm, dum Wladislaus feras captat, divinâ ordinatione capitur ipſe: & quandoquidem ſe aliter è pallio illo ſuo, cui incubuerat, evolvere haud potuerit, *Pallium* dedit pro *pallio*, domum pro veſte, commutatione noſtris tam proficuâ, quàm gratâ: quanquam neque *pallium* illud priùs Ciſtercio & Plaſsio ſubtraxerit Rex, *præſidium* ſuum in tutelam eiſdem ampliſsimè ac perenniter explicans. Hinc Regia iſthæc fundatio per Wladislaum munificentiſſimè cœpta, deinceps Succeſſores Reges habuit Patronos, nunquam Plaſſio pallium ſuum, patrocinium ſuum ſubtrahentes, quòd ſcilicèt olim ortum ſub pallij Regij auſpicijs, per eadem etiam auſpicia deinceps deberet perennare. Illud hìc etiam noto Vallem Plaſſenſem jam antiquitùs, ante Regis ſomnum, & Ciſtercij adventum, nuncupatam *Plac* ſeu *Plaz*, eò, quòd intra montium utrinque ſurgentium intercapedinem ſeſe Vallis illa longô ſpatiô in planum protendat, vocabulô fortè deſumptô à Germanis, *qui Spatium Platz* dicunt: ubi etiam jam antea Rex prædium conſtruxerat, cujus in Regio Wladislai diplomate fit mentio. Interſecat Vallem rivulus, Bohemis Střzela / Germanis die Schnelle appellatus, qui Plaſſium in geminum Diſtrictum diſpertitur ac diſterminat, Pilſnenſem ſcilicèt & Rakonicenſem. Porrò inſinuatam mox nominis notionem ex eo addendam hìc cenſui, quòd veteres nonnunquam in Scriptis ſuis Cœnobium Plaſſenſe *Plac*, vel *Plaz*, atque etiam *Plaß* appellent.

Videndum nunc inſtrumentum, quô fundatio Monaſterij refertur. Igitur Wladislaus Rex: *Cùm omnes in Chriſto piè viventes debitô Divini præcepti tueantur, ut pauperes ejus, & maximè eos, qui ſpretâ omni terrenâ ambitione, ardentiori deſideriô amori DEI adhæſerint, fovere, amplecti, atque manutenere debeant: Specialiter tamen convenit eis, qui ex DEI largitate divitijs, honoribus, ac dignitatibus præ cæteris in hoc mundo locupletati, & adaucti ſunt, hujuſmodi Viros ſplendore ſanctæ vitæ nitentes, devotione bonæ converſationis probatos, ad laudem Divini nominis congregare, & per eos miſericordiam DEI implorando, veniam peccatorum ſperare. Unde ego Wladislaus gratiâ DEI Bohemorum Rex, cum ſocia thori mei Gertrude, ſub ob-*

tentu indulgentiæ peccatorum, ſimúlque deſideriô ſalutis æternæ accenſus, quoſdam Fratres, Viros probatæ & ſanctæ converſationis, fidei non fictæ cultores, à Sanctâ Matre eorum, Eccleſia Langheimenſi, piâ cordis devotione invitavi, & ut terra Bohemiæ Sanctitatis neceſſariâ cohabitatione illuſtraretur, & boni odoris aromatibus perfunderetur, devotiſſimâ petitione obtinui. Cunctis itaque veræ fidei cultoribus tam futuri, quàm præſentis temporis notum facio, quòd prænotatis Fratribus, tam ipſis, quàm eorum Succeſſoribus quoddam Patris mei prædium, quod Plac vocatur, cum omnibus ſuis attinentijs perpetuô jure poſſidendum contradidi. Ut autem abundantiori temporalium ſufficientiâ adjuti, ſecuriùs expeditiúſque DEO ſervientes, continuis orationibus vacarent, infrà notatas villas cum omnibus appenditijs, eiſdem DEI famulis addidi. Recitat deinde poſſeſſiones ac prædia: cùm rursùs: *Poteſtatis meæ quoque, & Domini Pragenſis Epiſcopi Ottonis authoritate hoc idem confirmo, quatenùs has præfatas poſſeſſiones, quas juſtè & canonicè ad uſum DEO militantibus dedi, ſed & aliàs, ſi quas deinceps daturus fuero, vel ſi quis in poſterum Succeſſorum meorum, ſeu aliorum Fidelium qualibet bona eis contulerit; ipſi, & qui poſt eos ſucceſſerint, firma & illibata poſſideant. Quòd ſi quæ in poſterum Eccleſiaſtica, ſæcuları́ſve perſona hanc meæ donationis dotem ſciens, inſtinctu diaboli violare, vel aliter, contra eorum voluntatem commutare tentaverit, ſecundò tertióve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, Eccleſiaſticæ diſtrictioni, & æternæ damnationi ſe ſubjacere noverit. Facta ſunt hæc Annô Dominicæ incarnationis* 1146. *Epact. VI. Concurſu I. Indictione XI. Annô verò Ducatûs mei V. Datum per manum D. Gervaſij Wiſſebradenſis Præpoſiti, & Cancellarij, Nonas Auguſti.* Hæc Wladislaus Fundator, quæ ſua erant, munificè conferens, quæ aliorum, liberaliter provocans, de utriſque ſapienter proſpiciens, nè quôquô modô ab extrà peſſumdarentur, ultrices è cælo iras in eorum cervices excivit, qui Regiæ Plaſſenſium Fundationi quidpiam fortè auſi ſubtrahere. Crevêre porrò inſigniter (quod viſus ſeu prævidiſſe, ſeu magìs optaviſſe Fundator Rex) Cœnobij Plaſſenſis poſſeſſiones per temporum incrementa, ut palàm fit è Cœnobitarum numero, quorum olim, quemadmodum Sedlecij, *quingenti* hôc locô vixiſſe traduntur, diſpertiti in Conventum duplicem, magnificè atque ampliſſimè extructum. Cæterùm Virorum converſatio Sancta Reges, Principéſque permovit, ut eoſdem peculiari ſemper affectu

atque

atque ſolicitudine adversùs æmulos contutati ſint. Inſpiciat, oro, Lector partem prvilegij, quòd Annô Domini 1200. conceſſit *Wenceslaus IV.* Bohemiæ Rex, ubi hæc: *Univerſis Suppanis & Militibus Regni noſtri gratiam & omne bonum. Univerſitatem veſtram volumus non latere, quòd Plaſſenſe Monaſterium à noſtris fundatum Progenitoribus, dotatum pariter ac ditatum, charitate præcipuâ præ omnibus Monaſterijs Regni Noſtri favorabiliùs diligentes, & diligentiùs confoventes, omnes eidem Monaſterio favorabiles & benignos ſinceriùs diligimus: Sicut & malefactores ejuſdem odiô proſequimur ampliori, &c.* Pro Plaſſenſium etiam ſuorum favore ſequens diploma Annô 1263. evulgavit Primislaus, Bohemiæ Rex, Auſtriæ Dux, Moraviæ Marchio: *Univerſis præſentem paginam inſpecturis in perpetuum. Regi Regum nos credimus complacere, ſi eos, qui ejus ſe ſpecialiter obſequijs devoverint, ab improborum & malignorum adinventionibus defenſamus. Cùm igitur Patris noſtri quondam Regis Bohemiæ veſtigijs inhærere ſalubriter debeamus; notum eſſe volumus tam præſentibus quàm futuris, quòd ſicut dictus Pater noſter homines improbos & malignos ad ſolam malitiam & menda ſapientes, ſuis machinationibus & judiciis minùs juſtis Eccleſiam Plaſſenſem & ſuos Fratres, nec non eorum homines ad judicia extraordinaria pertrahentes coërcuit, ſicut exegerunt eorum merita criminoſa; Ità & Nos nè tale aliquid à Noſtris Judicibus & beneficiariis in poſterum præſumatur, unde poſſit eorum Fratrum tranquillitas & pax perturbari, ut nec in Plſen, nec in Rakonik, nec in Miſa, nec in alio ullo loco coram quoquam ſæculari judicio: niſì coràm Abbate Loci, & coràm Noſtra Serenitate, aut coràm eo, cui Noſtras vices commiſerimus ſpeciales, valeant conveniri, authoritate præſentium magnificè indulgemus. Ut igitur, &c.* Idem rursùs *Primulaus* Annô Chriſti 1269. hæc Plaſsio ſuo: *Quamvis univerſos Religionum gradus, in quibus per virtutum ſtudia ad æterni Patris ſolium feliciter pertingitur, ſanctâque Mater Eccleſia, tanquam in odore ſuavitatis in filiorum operibus delectatur, favore noſtræ Regalis magnificentiæ generaliter proſequimur; tamen Fratres Ciſtercienſis Ordinis, qui in ſpiritu devotionis, humilitatis, & Religionis ac obſervantiæ Monaſticæ diſciplinæ Domino ſedulò famulantur, cæteris Ordinibus noſtra dilectio ſpecialiùs prætulit, & amavit, eoſdem Noſtris favoribus & convenientibus patrociniis tantò ampliùs reputantes, quantò in eis hoſpitalitatis, & alia charitatis opera per crebram exercitiorum evidentiam clariùs & uberiùs eluceſcunt. Eapropter ad notitiam omnium cupimus pervenire,*

quòd Nos affectum, quem ad Ordinem gerimus prælibatum, apparere cupientes evidentiùs operis in effectu: Monaſterium Plaß nominatum ejuſdem Ordinis, Pragenſis Diæceſis, ob reverentiam Glorioſæ Virginis, à qua plenitudo totius ſalutis & gratiæ emanavit, cujus eſt vocabulô inſignitum, Sereniſſimorum Progenitorum Noſtrorum, qui in eodem Monaſterio, quod ex ipſorum fundatione proceſſit, multis beneficiorum impenſionibus Regiæ liberalitatis inſignia reliquerunt, veſtigijs inhærendo, cum univerſis bonis ſuis pariter & in perſonis noſtram protectionem & gratiam recepimus ſpecialem. Præterea ut idem Monaſterium contra moleſtatorum preſſiones quaslibet & incurſus, noſtræ defenſionis præſidiô fortiùs muniatur, ſtatuimus & perpetuâ firmitate ſancimus, nè aliquis ex hominibus Regni Noſtri Fratres ſeu homines ejuſdem Monaſterii moleſtare præſumat, ipſos ad judicia extraordinaria pertrahendo, ſeu aliquatenùs in eoſdem exercendo judiciariam poteſtatem. Quin imò Fratres prædicti Monaſterii, & homines eorundem à judiciis in Plſen, Miſa, Rakonik, & aliorum locorum penitùs eximentes, eoſdem Abbatis Loci, ſeu Noſtræ Celſitudinis decernimus ſpecialiter judicio ſubiacere, &c. Paria pro Plaſſenſis Cœnobij immunitate ſancivêre ſucceſſivè decem Bohemiæ Reges, Religioſorum ſaluti atque indemnitati totô pectore intenti, quòd ſatìs nôſſent, híſce columnis ſuffulciri Regnorum felicitatem. Regijs exemplis ſtimulati Proceres alij Plaſſium pariter accumulaverunt novis poſſeſsionibus: Confirmavit authoritate Apoſtolicâ ditionum collectionem *Innocentius IV.* Pontifex Maximus Annô Chriſti 1250. Bullâ, quæ incipit: *Religioſam vitam*, ſub dato, Lugduni, 6. *Idus Octobris*, *Indict*: 9. Annô Pontificatûs ſui 8.

Perſtitit feliciter Domus hæc Regia uſque ad tempora Ziſkæ, ſcelesti Cœnobiorum buſtuarij, cùm vehementiſſimâ procellâ concuſſum eſt, ſub Annum incarnationis Dominicæ 1421. enectis gladiô, varióque martyrij genere Cœnobitis omnibus, atque ipsô Cœnobiô flammis ſacrilegis exuſtô. Tum eâ tempeſtate diſtractæ Monaſterij ditiones: pacatô deinceps aliquantùm Regnô reſtitutæ quidem per quædam fragmenta, villulas, pagos; at Dominij univerſalitate nunquam integrè coaleſcente, adeò ut afflicta Domus, olim quingentis Viris ſuſtentandis ſufficiens, poſt cladem Huſſiticam vix ſex aut ſeptem Religioſis, unáque & Abbati alimenta congrua præſtare

potue-

potuerit. Quò autem Cœnobij prædia in ea rerum ſacrarum ingenti prorsùs convulſione diſtracta ſint, non eſt hujus loci recenſere, quòd nempe non ſolius Plaſſij, ſed communis Religioſorum omnium hæc ipſa fuerit tum calamitas. Illud duntaxat hìc adjicio, Bona ex parte Kralovvitz & Katzerovv, lapſu temporis ſub certis modis & ad tempus obveniſſe Domino Floriano Griesbekio. Ità quidem per duo integra ſæcula vulnera ab Huſſitis inflicta graviſſimè perſensêre Plaſſenſes: donec Annô 1618 Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus *DD. Jaroslaus Comes à Martinitz*, ſubinde Supremus Regni Burggravius, in Bohemiæ diſturbio, quod excitaverat hæreſis, unà cum alijs Regni Miniſtris Pragæ è feneſtra Cancellariæ Caſtri Regij ejectus, DEíque præſentiſſimâ ope ſervatus in vivis, hoſtium inſidijs ſeſe tutò ac per prodigium eripiens, ſub larva peregrini ac rudis amictûs noctu per ſylvarum horrorem ad Plaſſenſis Monaſterij fidas latebras evaſiſſet incolumis: ubi cum gratulatione à noſtris agnitus ac ſuſceptus, obſequioſum omninò expertus eſt Plaſſium, ſolicitum nempe pro loci tenuitate, ut tantum Hoſpitem non abſque bono fatorum omine ad ſe delapſum ſervitij promptitudine omnimodis ſibi devinciret. Neque fefellit concepta ſpes Plaſſenſes; Jaroslaus namque cùm ſubinde poſt exactum ibi triduum ex illo clauſtrali latibulo, Plaſſenſium impendijs, equis, famulitiô Viennam ad Cæſarem ſeſe feliciter recepiſſet, recentis beneficij gratiſſimè memor, Auguſtiſſimum *Ferdinandum* non multò pòſt in *Albo-Monte* de æmulis ac hoſtibus cœlitùs triumphantem, interventu ſuô eò permovit, ut Caſtrum *Katzerow* unà cum pagis appendicibus à Griesbekianis hucuſque longô tempore poſſeſſum, Cœnobio poſtliminiò reſtitui clementiſsimè imperaverit. Extat in manibus Plaſſenſium Cæſareum diploma Ferdinandi II. ſuper hac reſtitutione confectum. Id addendum hìc, quòd cùm Cæſar in remunerationem ſervatæ fidelitatis dediſſet Martinicio optionem petendæ à ſe gratiæ, is oblatum ſibi favorem Cæſareum ingenti prorsùs gratitudine tranſtulerit in Plaſſenſes, quibus propitium animitùs optabat Cæſarem, quòd nempe contemptis periculis, in quæ ſe receptione ſui apertè conjecerant, fidem erga Regem ſuum inviolatam egregiè comprobârint. Complures quidem alios rogatos de præſtando

hoſpitio ac latibulo, ſed nullos æquè voluiſſe ex metu hæreticorum diſcrimen in ſe ſuſcipere, præter ſolos Plaſſenſes, cùm primùm hoſpitem agnoviſſent, ultrò occurrentes, & ſe ſuáque offerentes promptiſſimè ad nutus Illuſtriſſimi Exulis. Itaque, conficiebat ille, hos præ cæteris dignos, quos Cæſar remuneraretur: eíſque reſtitueret bona, uſui Griesbekianorum, & quorundam aliorum hucuſque conceſſa, & jamjam aliàs ad monaſterium plenè devolvenda, atque antiquitùs ad illud pertinentia. Hanc eſſe gratiam, quam ipſe à Cæſare expeteret. Et ſanè effecit ex voto fortunatus Orator, quod poſtulaverat. Ità quidem fortunata Plaſſio, albôque lapillô ſignanda illa dies, quæ Martinitzium hoſpitem advexit, hoſpitij præſtiti mercedem tanti beneficij refuſione prorsùs & longiſſimè ultra debitum rependentem. Neque id ſinè Cæſare præſtitit Jaroslaus, quòd ſcilicèt omnis illa hoſpitalitatis promptitudo à noſtris Martinitzio exhibita, in Cæſarem quoque redundârit, cui grata omniò eſſe debuerit Miniſtri tam fidi tutela, ac noſtrum qualecunque obſequium. Reſpiravit Plaſsium Katzerovij & aliorum bonorum peramplâ acceſsione ad ſpem primævi vigoris, quem ſanè Auguſtiſsimæ Domui Auſtriacæ debet, atque Excellentiſsimæ Familiæ Martinitzianæ, cui utrique æviternâ ac ſubmiſsiſsimâ gratitudine perſiſtet devinctum. Porrò beneficium utrumque, & illud nempe primum *Wladislai* Fundatoris, & hoc alterum *Ferdinandi* Reſtitutoris, ſimúlque Jaroslai Procuratoris in Plaſſenſi Abbatia, frequentiori reminiſcentiæ gratiſsimè refricandæ, in duplici tabula eleganti penicillô expreſſum eſt, ut nimirùm alumni Plaſſenſes cùm ad dexteram ſe vertunt, incidant in fundationem primam; cùm ad ſiniſtram, repetant fundationi veluti ſuppar beneficium: quod quia à Ferdinando Cæſare Auſtriaco conceſſum eſt, facit novô titulô Plaſsium, atque etiam *Ciſtercium*, *Bernardúmque Auſtriacum.*

Plaſsij, *Matris*, fæcunditas quaternâ ſobole felix, genuit 1. *Gredicz*, ſeu Cœnobium *Gradecenſe* in Diſtrictu Boleslavienſi apud Bohemos, quod turbine Huſſiticô olim dejectum, recolligere ſe ampliùs haud potuit ad Ciſtercij gremium: extátque hodie inter ditiones Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D.D. Erneſti

Erneſti Comitis à Waldſtein, ſub nnncupatione Germanica reſpiciente antiqua Ciſtercij tempora, München-Gratz. Alterum Plaſsij filiale Cœnobium, *Welebradium*, exoritur Orbi Annô Domini 1202. apud Moravos propè Hungariæ confinia, hodie adhuc ſuperſtes, de quo infrà. Tertiam Plaſſenſium Filiam in eadem moravia à Wenceslao Bohemiæ Rege fundatam, quæ aliàs nuncupabatur *Thronus Regis*, extinxit calamitas temporum. Quartam Filiam, *Sanctam* nimirùm *Coronam* apud Bohemos, primâ quidem generatione orbi dedit *Sancta Crux* in Auſtria; at verò quandoquidem factâ Cœnobij deſolatione ſub Annum 1281. ad inſtantiam Regis ac Reginæ Bohemiæ, atque etiam Capituli Generalis, eô Annô in Ciſtercio celebrati adſenſu ac definitione Plaſsium adſumptum ſit in maternam prærogativam, eapropter hâc ipsâ adoptione poſteris temporibus uſque ad hæc noſtra S. Corona Plaſsium ùt Matrem conſtanter reſpexit. Memoranda hôc locô etiam Plaſſenſium Præpoſitura *ad S. M. Magdalenam Bohemo-Lippæ*, quæ ad Abbates de Plaſsio pertinet: unde illi in ſcuto *duplex pedum* gerunt, quorum alterum, quod ſciam, habent, quâ Lippenſes Præpoſiti. Hodie præfatam Divæ Pænitentis Eccleſiam de Præſulum Plaſſenſium permiſsione adminiſtrant RR. PP. Auguſtiniani Bohemo Lippenſes.

Cæterùm Manriqueus ad Annum 1145. *cap.* 10. *n.* 2. memorat Commiſsionem geminam Pontificiam ab *Innocentio IV.* per Apoſtolicas literas impoſitam Abbati Plaſſenſi: quarum prior fuerat, poteſtas convocandi omnes Præfectos Sacerrimi Ordinis Benedictinorum per Diæceſes Olomucenſem & Pragenſem ad Capitulum Provinciale, illiſque per annos ſingulos præſidendi. Qui ſanè favor per Plaſsium Ciſtercio univerſo glorioſus, etiam reduci poterit ad Titulum præcedentem, ubi de connexione aliorum Ordinum cum Mellifluo. Commiſsio altera ab *Innocentio* delegata Abbati de Plaſsio, fuit facultas reſtituendi auctoritate Apoſtolicâ Olomucenſem Epiſcopum per injuriam depoſitum, atque procurandi idonea media ad Eundem in dignitate manutenendum.

Inter loci Abbates video in *Notitiis Abbat:* Ciſt: à *Jongelino* præcipuè commendari *Georgium Waſmutium*, 54. Plaſſenſium

Præſulem, natione Marchiacum, ad quem duplex extat Matthiæ Cæſaris epiſtola, quâ Waſmutij fidam aſsiſtentiam interpellavit Imperator, impendendam in propugnatione Urbis Pilſnanæ adversùs *Palatini* aſſeclas, & *Mansfeldiana* Caſtra. Obſecutus promptiſsimè ijs imperijs Abbas, ſe unà cum Georgio Steinio Cœnobij Suppriore, è Plaſsio Plſnam tranſtulit, ære, atque etiam obſequiô perſonali adversùs hoſtes fidelem Urbem tutatus: inſtitutus inſuper tormentorum bellicorum director ac Magiſter, quam artem jam olim in ſæculo calluerat. Præſulis egregij labores ſtrenuos, fidémq; Cæſari ſuo ſervatam publicô inſtrumentô commendavêre Pilſnenſes.

Noſtrâ hâc ætate Plaſsium illuſtravit nuper Annô 1699: 18. Julij in Domino defunctus Reverendiſsimus D.D. *Andreas Troier*, Loci Abbas 59. doctrinâ, rerum agendarum prudentiâ, zelôque celebris, è Cathedra Theologicâ Archi-Epiſcopalis Collegij Pragenſis, & Divi Bernardi Superioratu aſſumptus ad clavum Abbatialem, ac ſubinde per Bohemiam, Moraviam, ac utramque Luſatiam acclamatus Viſitator ac Vicarius Generalis, Vir omni laude eò dignior, quò ſuperior. Qui hodie Cœnobio digniſsimè præeſt, Reverendiſsimus D.D. *Eugenius* Tittl (meus nuper in Archi-Epiſcopali Pragenſi ſtudio per curſum Theologicum Collega, nunc Patronus Obſervandiſsimus) Andreæ Succeſſor, è Prioratu evectus ad Infulæ honores, vel ipsô nomine ſuô, ſuorum eſt bonus *Genius*: cui pa-
Matth. 25. riter illô nominis ſui biſyllabô feſtivè acclamandum ſit: *Euge! Euge!* Quoniam vox iſta, vox collaudantis eſt, atque evocantis ad præmium, quod *Eugenius* meruit, nuper in Prioratûs munere ſuper pauca fidelis, nunc in Abbatiali prærogativa conſtitutus ſuper multa. Neque Præſulis Ampliſsimi agnomen (*Tittl*, ſive *Titul*) vacuum laude eſt; quandoquidem nuper gradatim per *Titulos* aſcendenti, nunc verò faſtigium, & munerum plenitudinem adepto, cum plauſu inſcribendum venit: *Pleno Titulo!* Vivat ad plenitudinem temporis *Eugenius Titulus*! & qui nunc eſt plenus Titulô, tandem fiat plenus ævo! Quouſque audiat à Domino: *Eugeni! Euge veni!*

OSSE-

OSSECUM.

OSSECUM, Ciſtercia Virorum Domus, in diſtrictu & Diœceſi Litomericenſi duabus horis à Regia Civitate Pontenſi diſtans, ſita ad radicem montium, qui veluti interjecta clauſtra Bohemiam ſejungunt à Miſnia, *Fundatorem Primum* habuit illuſtrem Comitem *Joannem Milgoſt.* De induſtria addidi, fundatorem *primum*; nam fundationis primæ translatione de loco in locum, facta eſt ſimul acceſſio novorum fundatorum. Id autem ſic evenit. Fundare cœperat Annô Domini 1193. prælaudatus Milgoſtius in prædio ſuo *Maſcow* propè Cadanam Civitatem Regiam in Circulo Zatecenſi Cœnobium Divæ Virgini, Ciſtercij alumnis evocatis è Waldiaſsio. Subſtitit ibidem nova fratrum colonia annis ſex, confirmante coloniæ primordia *Henricô*, Bohemiæ ſimul Duce atque Epiſcopô, qui nuper inter Divi Norberti Sionæos alumnos Pragæ per vota ſolemnia ſe DEO ſacraverat: quô pactô Fundatio hæc noſtra mox in ſui exortu Candidiſsimæ Familiæ, ac præprimis celeberrimo Monti Sion colligata fuit: & quia deinceps, cùm ab Ordine excidiſſet, rursùs per Sionæum Abbatem, B. *Joannem Loëlium*, in Ordinem reponi cœperit, utì infrà dicemus, hinc dulcis & grata Strahoviæ memoria nullô unquam tempore excidet Oſſecij alumnis. Hæc incidenter: nunc ad lineam. Quoniam autem adverteret Milgoſtius, dolerétque, Maſcovium, locum minùs eſſe idoneum noſtris, tranſegit cum Zlavvcone, illuſtri Bilinenſium Comite, effecítque, ut Annô Chriſti 1196. ſub primo Abbate Ruthardo fundationem ille tranſtulerit in prædium ſuum *Ozzek*, *locum* (quemadmodùm perhibent fundationis literæ) *ad omnem Monaſticæ conſtructionis ſitum, peramœnum.* Itaque ſi fundationis prima exordia ſpectes, ſolus tunc Patroni & Fundatoris nomen meruit *Milgoſtius*: Si fundationis translationem, & quaſi fundationem ſecundam, Confundatoris gloriam ſimul obtinuit *Zlawco.* Cæterùm Cœnobij nuncupatio, quod ſciam, deſumpta à loco poſteriori, *Ozzek*: & credo alteram illam priorem, ubi per ſexennium noſtri ſubſtitêre, æque acceptam à prædio *Maſcow*, adeóque fundationem, quæ ſubinde dicta fuit *Oſſecenſis*, primitùs appella-

tam fuiſſe Maſcovienſem. Fortaſſe primam locò, cùm adhuc prædium eſſet, nomenclaturam dedêre (ut nempè *Ozzekum* diceretur) illuſtres *Milites de Ozza*, Domûs benefactores, quorum ſepulchralia ſaxa paſsim hodiedum ſpectantur in Cœnobij Eccleſia, ac ambitu: quanquam alij, locò *Ozzek*, *Woſſek* ſeu Wozzek ſcribant trahántque vocabuli iſtius originem è Bohemico idiomate, quô per *Wozzek*, idem ſignificatur, quod *caſio*, ſive ſylvæ, arborúmque exciſio, teutonicè, ein Haw/ quaſi condendo Oſſeco, ſeu Woſſeco ſylva exciſa fuiſſet. Per nos cuivis ſtet ſua ſentiendi libertas.

Acceſsêre deinceps primis Fundatoribus per nova beneficia Mecænates etiam alij, Zlavvconis Fratres germani, illuſtris Comes *Grebis*, Supremus Regni Camerarius, Vir in diebus ſuis potentiſsimus, atque *Borſo de Riſemburg*, eorúmque filij ac hæredes. Porrò *Ottocarus* inter Bohemiæ Reges III. nonnulla etiam de ſuis adjiciens, cæteráque confirmans, in privilegio Regio, cujus initium: *Quanquam ordinatione*, Oſſecenſe Cœnobium *ſub defenſione protectionis Regiæ* conſtituit Annô Domini 1203. Hinc factum arbitror, ut vulgò Ottocarus Rex Oſſecij Fundator habitus ſit; verùm is ſenſus vulgi præjudicare non debet *Milgoſto*, ac *Zlawconi*, quibus utriſque primæ Fundationis prærogativa æquiſsimè deferenda eſt: quanquam interea etiam ipſum Ottokarum inter Oſſecij præcipuos Fautores ac Benefactores ſummâ animi gratitudine accenſeamus, & id quidem non ſolô *confirmationis* aut *protectionis Regiæ* titulô, verùm etiam inſignium privilegiorum Cœnobio indultorum intuitu, ſcilicèt, quòd nulla ſublimis, humilíſve perſona in Monaſterij ſubditos aut loca ullam jurisdictionem exerceret, quandoquidem ea exerceri duntaxat debeat per noſtros: quòd deinde noſtri immunes à communibus terræ collectis, atque jure vectigalium, quæ cæteroquin pendere ſolebant exeuntes in Copwitz: quòd per omnia Cœnobij prædia noſtri Regiô favore exempti à Berna, nunquam ab Ottokaro, nunquam à Poſteris Regibus, ùt ipſe quidem in literis optaverat, in perpetuum repetenda: quòd aucti prædiô ad Regem pertinente in Hoſnitz: quòd donati teloniô nonæ ſeptimanæ in Coppitz, & dimidiô teloniô totius anni in ſemita Clauſtro proxima: quòd in prædictis duabus

vijs

vijs liberi in perpetuum à pendendo telonio pro re quacunque & quantumcunque: quòd item immunes à telonij exactione in foro Bilinenſi, atque in ſingulis ipſius Provinciæ foris: quòd noſtri conſtituti Judices per omne ſuum Dominium, etiam in cauſis criminalibus, ac capitalibus: quam nempe *Judicii Regii executionem ſuper univerſos homines noſtra prædia habitantes*, *remiſerat* Rex *Abbati & Fratribus de Oſſeco*, *ob honorem & reverentiam Summi Judicis.* Quos Regios favores tandem concludit Ottokarus in privilegio, quod incipit: *Glorioſum eſt*: *Hæ ſunt itaque donationes! hæ libertates! hæ conſolationes, quibus ego Ottokarus, Boëmorum Rex Tertius, & peccatorum primus, pauperibus Chriſti in Oſſek benefacere dignum duxi, ut eorum orationibus liberer & conſoler in die Judicii.* Hæc Ottokarus Oſſeco per literas Regias: unde licèt Cœnobij Fundator non extiterit: Regiæ tamen confirmationis, aſſumptionis ſub Regiam tutelam, munificentiæ, ac quod in his, & ex his penſandum dulciùs, ſingularis propenſionis, ac amoris titulô, Fundatoribus veluti ſuppar prorsùs cenſeri debeat. Et quidem Regiam Ottokari Annô 1108. præſentiam inter favoris præcipui argumenta numerant Oſſecenſes, quòd ſurgentem tum Eccleſiæ ampliſſimæ molem, cujus fundamenta eô annô jacta ſunt, præſentiæ ſuæ perſonalis auſpiciô, boni veluti ominis felici auguriô ſignârit Rex ipſe. Emendandus itaque, ſeu, quod mitiùs, explicandus Author *Ciſt*: *Phœn*: *reviviſc*: *in Boh*: qui Ottokarum Oſſecij Fundatorem conſtituit, ſcilicet in ſenſu jam prædictô. Sed aliud præterea me movet in præcit: Authore, quod duos Ottokaros inter ſe, atque adeò fundationis tempus novô errore confuderit, Ottokarum, illum Belæ & Stephani Hungariæ Regum inclytum Victorem, conſtituens Oſſecij primum Conditorem, occaſione *Sacerrimi Indicis*, *Dominici Præcurſoris* inter hoſtium ſpolia reperti, pro quo, in Bohemiam redux Cœnobium hoc noſtrum extrui fecerit. Triumphavit Hungaros Ottokarus Annô Domini 1260. Surrexit Oſſecum Annô 1193. triumphum antevertens annis ſexaginta ſeptem: Non potuit illa victoria eſſe mater Oſſecij, Oſſecô, tantô temporis intervallô, poſterior. Itaq; alius Ottokarus dandus eſt, qui nimirùm *quaſi fundavit Oſſecum* (conſultò aſſerui, *quaſi fundavit*, ob mox dicta) & alius, qui devicit Belam & Stephanum: & prior quidem ille fuit Ottokarus inter

Reges quartus, qui obijt Annô 1231. poſterior inter Reges ſextus, qui in prælio cum Rudolpho Cæſare habito, occubuit Annô Domini 1280. Fatemur ab altero hoc Ottokaro circa Annum Chriſti 1261. Indicem Joannæum perlatum eſſe ad Cœnobium, non primò à ſe fundatum, ſed jam dudum per alios fundatum. Eſt tamen præter ingens beneficium *Sacerrimi Digiti Joannæi*, Ottokari hujus memoria apud Oſſecenſes in benedictione, quippe à faventiſſimo Rege ſex privilegijs, quorum originalia adhuc extant, per intervalla gratiosè donatos: in quorum quarto gratias ab Anteceſſoribus ſuis collatas liberaliſſimè confirmat, & exemplô Avi ſui Cœnobium ſub Regiæ protectionis præſidium rursùs advocat. Sunt in eo laudes Ciſtercij, atque etiam laudes Oſſecij, quandoquidem Rex Ciſtercij prærogativas commendârit in Oſſeco: *Quamvis* ſcribit *Ottocarus: univerſos Religionum Gradus, in quibus per virtutum ſtudia ad æterni Patris ſolium feliciter pertingitur, ſanctáque Mater Eccleſia, tanquam in odore ſuavitatis, in Filiorum operibus delectatur, favore Noſtræ regalis Magnificentiæ generaliter proſequimur, Fratres tamen Ciſtercienſis Ordinis, qui in ſpiritu devotionis & humilitatis ac rigoris obſervantia Monaſtica diſciplina Domino ſedulò famulantur, cæteris Ordinibus noſtra dilectio, ſpecialiùs & prætulit, & amavit, eoſdem Noſtris favoribus, & beneficiorum perceptionibus digniores tantò ampliùs reputantes, quantò in eiſdem hoſpitalitatis, & alia charitatis opera per crebram exercitiorum evidentiam clariùs ac uberiùs eluceſcunt. Eapropter ad notitiam omnium cupimus pervenire: quòd Nos affectum, quem ad Ordinem gerimus prælibatum, apparere cupientes evidentiùs operis in effectum: Monaſterium ejuſdem Ordinis, ſitum in prædio Oſſek Pragenſis Diœceſis, ob reverentiam Glorioſæ Virginis, à qua plenitudo totius ſalutis & gratiæ emanavit, cujus eſt vocabulô inſignitum, favore proſequimur gratiosô, &c.* Dedêre etiam Oſſeco noſtro privilegia, *Wenceslai*, ejus nominis primus & ſecundus, Bohemiæ Reges, ille duo, hic unum. *Joannes* præcipuè Lucenburgicus Bohemiæ & Poloniæ Rex, ingenti prorsùs ſolicitudine Cœnobij proſperitatem procuravit, privilegijs diverſis numerô viginti, Oſſeco, ſeu ad noſtrorum preces, ſeu motu propriô impenſis: quorum nonnulla tangunt immunitates judicij per Abbatem & Conventum exercendi in omnibus omninò cauſis, etiam criminalibus; aliqua exemptionem exhibent ab one-

oneribus publicis, tributis, collectis. Illud quod Annô 1330. à Sereniſſimo Lucenburgico emanavit, noſtris jus, libertatemque conceſſit, poſſidendi domos ac areas Pragæ, Ponti, atque in alijs quibuſvis Civitatibus Regijs, quas aut ære ſuô ſibi comparaverint, aut quæ viâ donationis, aliâve ad ſe devolutæ ſint, aſque omni dationis, ſolutionis, contributionis onere. Neque *Skyrla* noſtra hìc prætereunda, olim oppidum, cui idem *Joannes* Rex privilegij ad Annum 1341. impertiti vigore indulſit, ut noſtrorum arbitratu ac beneficiô, poſitô oppidi vocabulô Civitatis munitæ nomen ac jura adſumere valeat, illud Skyrlanis de Regiæ benevolentiæ plenitudine adjiciens, ut omnibus illis libertatibus atque immunitatibus gaudere debeat; quibus cæteroquin aliæ Civitates Regni gaudere dignoſcuntur, deſignatâ præterea Feriâ tertiâ per hebdomadas ſingulas pro foro publico rerum quarumcunque venalium. Porrò *Carolus IV.* Cæſar antequam Regni Imperiíque habenas ſuſcepiſſet, adhuc dum Moraviæ Marchio, duplici etiam diplomate gratias impertivit Oſſeco: Subinde Rex & Cæſar acclamatus. Poſt cladem Huſsiticam *Wladislaus* Rex Annô Domini 1494. per literas Regias, quarum initium: *Quod rogavit Nos Abbas*, plenariam noſtris facultatem conceſsit, reluendi, redimendíque bona, alienô arbitriô Cœnobio ſubtracta.

Neque *Bullarum Pontificiarum* auctoritas ac fulcimentum Oſſeco defuit. Sic *Innocentius III.* Bullâ, quæ incipit, *Solet annuere*, editâ Annô Domini 1208. primitias poſſeſſionum, villarum, pagorúmque Eccleſiæ noſtræ conceſſorum de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine confirmavit. Idem Papa Annô Pontificatûs ſui decimô, de dato 3. *Nonas Aprilis*, ad Archi-Epiſcopum Moguntinenſem Apoſtolicas perſcripſit literas, quarum initium: *Non abſque dolore cordis*, in quibus ſeverô imperiô Archi-Præſulem conſtrinxit, ut vigili ſolicitudine omnimodis intenderet defenſando, ſervandóque Oſſeco, nè ſub preſſura ſeu reali, ſeu perſonali quacunque tandem, & cujuscunque gemeret: excommunicationis, aliarúmque pœnarum Eccleſiaſticarum comminatione circumſcribens æmulorum caſtigandam audaciam, ſeu jam cum diſpendio à noſtris expertam, ſeu quæ deinceps inferenda formidaretur. Subinde *Gregorius IX.* Annô

Pontificatûs ſui tertiô, ſub Beati Petri, ſuámque Protectionem Apoſtolicam Oſſecenſe Cœnobium ſuſcepit, confirmavítque quæ Anteceſſor Innocentius, aliíque Pontifices bona omnia, quæ ſub naſcentis Domûs primordia, atque etiam deinceps acceſſiſſent, *Bullâ*, quæ incipit, *cùm à Nobis*, de dato *Peruſij*, *decimô Calendas Junij.* Atque etiam *Alexander IV.* erga Oſſecam gratioſus, Annô Pontificatûs ſui ſeptimô, *omnes libertates & immunitates, à Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus ſuis Monaſterio noſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus & Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter nobis indultas Auctoritate Apoſtolicâ confirmavit* : Bullâ, cujus initium, *Cùm à Nobis*, de dato *Laterani*, *ſextô idus Januarij.* Porrò *Joannes XXII.* Pontificatûs ſui Annô ſeptimô ad *Miſnenſem*, *Awenburgenſem*, ac *Wiſſegradenſem*, Pragenſis Diœceſis Eccleſiarum *Decanos*; literas dedit, quarum initium: *Militanti Eccleſiæ*, quibus jubet, ut quandoquidem noſtri ob gravamina, quibus tum divexabantur, magnis queſtibus Apoſtolicum præſidium interpellaviſſent, tres illi Viri Eccleſiaſtici tanquàm Pontificij Conſervatores ac Judices, omni conatu procurarent, nè quôquô modô Abbas ac Conventus Oſſecenſis deinceps, ſeu à poteſtate Eccleſiaſtica, ſeu laica in libera & quieta Dominij ſui poſſeſſione perturbaretur, datâ facultatis plenitudine, compellendi, compeſcendíque refractarios per cenſuras Eccleſiaſticas, ferendas auctoritate Apoſtolicâ, à quibus appellari haud poſſit, evocandíque brachij ſæcularis ſubſidium, ſi aliter de pace & juſtitia Oſſeco providere illi non valerent: De dato, *Avenione*, *tertiô Idus Octobris.* Aucturus etiam loci religionem *Honorius III.* Annô Pontificatûs ſui quintô, Sacras Oſſecenſibus Reliquias transmiſit SS. MM. *Coſmæ*, *Sebaſtiani*, & *Fabiani Cypriani*, ac *B. Petronillæ* Virginis, aliorúmque Sanctorum, conſuetas indulgentias impertiens ijs, qui in die dedicationis Eccleſiam devotè viſitaverint, adjunctis Literis Apoſtolicis, ſub dato *Laterani*, 11. *Calendas Maij.*

Præter ſubſidij Apoſtolici fulcra, etiam Pragenſium Antiſtes *Daniel*, quà Diæceſanus fundationem publicô inſtrumentô confirmavit, quod confecit Annô Domini 1209. in ipſo Cœnobio, tertiô Nonas Septembris, die benedictionis Cæmeterij,

meterij, & conſecrationis Altaris Apoſtolorum Petri & Pauli: ſignanter innuens, cur ipſe ſuâ quoque auctoritate ſurgentis Domûs auſpicia conſolidârit, quia nempe Apoſtolicæ Innocentij, & Regiæ Ottokari prævie jam exhibitæ confirmationi accedere pariter debuerit Ordinaria ſeu Diæceſana, ut *fieret indiſſolubilis quodammodo triplex funiculus.* In Epiſtolæ citatæ coronide collegit, ſuſcepitque *Daniel* ſub peculiarem protectionem Pragenſis Epiſcopatûs Cœnobij *res & Perſonas*, & diſtrictam pronunciat ſententiam: *ut quæcunque Eccleſiaſtica, ſæcularisſve Perſona, ſi quis etiam de Fundatoribus Oſſecenſium terminos coarctare, prædia ſpoliare, vel tollere, ſubſtantiam diſtrahere, Perſonas moleſtare tentaverit: authoritate DEI Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, B. Mariæ ſemper Virginis, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, anathema ſit: ita ut neque ſepulturam cum Fidelibus, niſi reſipuerit, mereatur.* Hæc *Daniel* Pragenſis Antiſtes pro loci immunitate: alia Pragenſis Suffraganeus, Fr. *Przibislaus Sathavonis* Ord: FF. Minorum, qui Annô Domini 1342. Cœnobium inviſens, omnibus & ſingulis per diverſa Anni Feſta in literis expreſſa Capellas in Ozzek, nimirum *S. MARIÆ*, *S. Wenceslai*, & SS. *Evangeliſtarum;* nec non & Capellam *SS. decem millium Militum Martyrum*, & *SS. Dionyſij*, *Sociorumque* Ejus, devotè ac ſecundùm Eccleſiæ ſtylum viſitantibus, 40. dierum indulgentias in perpetuum conceſſit Cæterùm quæ pariter commendabant vetuſtam loci Religionem, erant Sacræ Cœlitum exuviæ: *Divi Joannis Baptiſtæ Index*, qui etiamnum extat: *Caput S. Ignatij Epiſcopi & Martyris*, quod Romam tandem perlatum eſt: *Capita tria*, de *Legione Thebæa*, aliáque numeroſa ſacra Oſſa, quæ in præſens uſque adſervantur: de quibus fuſiùs ſuprà *Tit:*24. diſſeruimus. Invenio præterea in Cœnobij Archivo literas Michaëlis Abbatis, Antonij Prioris, Laurentij Supprioris, totiúſque Conventûs Oſſecenſis, quibus Annô 1492. conteſtatum faciunt, Abbatem & Conventum de Veteri-Cella in vicina Miſnia habere *certa Xenia cum Sanctorum Reliquijs decorata*, iiſdem in vicem pignoris à noſtris extradita. Fuerint ſanè (quemadmodum ex circumſtantijs colligunt Oſſecenſes) ſacræ illæ exuviæ, atque etiam ipſæ exuviarum thecæ inſignes valde; at verò ſolô nomine obiter nobis notæ. Non conſtat, an pignus per noſtros deinceps redemptum ſit, præ-

ſertim cùm illæ Reliquiæ, ſeu *Xenia ſic decorata*, hodie Oſſecij non compareant: unde probabile ſit, unà cum Veteri-Cella, per Lutherana diſturbia ab Ordine avulſa ſimul periiſſe.

Jura Patronatûs Oſſecũ olim habuit etiã extra Cœnobij territoriũ: ac primò quidem in *Civitate Schlakenwerdenſi*, hodie pertinente ad Sereniſſimã Ducem *Franciſcã Sibillã Auguſtam* Saxo-Lauenburgenſem, Sereniſſimi Marchionis *Ludovici* Badenſis, Supremi Cæſarei ac inclyti Belli Ducis Conjugem: quod patet è Regijs Ottokari literis, Annô 1272. evulgatis, ubi aſſerit Rex, jus illud *ab antiquo* ſpectaviſſe ad Abbatem de Oſſeco, ſéque id de novo confirmare, inhiberéque omnibus & ſingulis, nè quis ſub qualicunque demum obtentu quidpiam adversùs illud attentaret. Contulit autem illud ipſum Oſſeco noſtro *Boguslaus*, Zlavvconis Bilinenſis Comitis, ſecundi Fundatoris Filius. Extat inſtrumentum præſentationis factæ Joanni, Pragenſi Epiſcopo, ab Abbate Domûs noſtræ *Theoderico*, ad Annum Chriſti 1269. De Parochia in *Saydow* habentur literæ *Aberti* Miſnenſis Epiſcopi, quas dedit Annô Domini 1300. ubi ille hæc: *Recognoſcimus præſentibus proteſtantes, quòd ab olim, & antiqua, ac approbata conſuetudine Abbas & Conventus in Oſſek Ciſterc: Ordinis, Diœceſis Prag: Parochiam in Saydowe, noſtra Diœceſis, eô jure poſſederunt, quòd Virum idoneum in eadem perpetuum Vicarium ſubſtituerunt, quod jus admittimus, & præſentibus noſtrâ authoritate confirmamus.* Sub Annum 1317. *Witigo* itidem Miſnenſium Epiſcopus, in datis publicis literis ſub dato Idibus Maij, luculenter fatetur, prædictam Eccleſiam Parochialem in Saydovv *ad Abbatem & Conventum in Oſſek pertinere.* Quoad jus Patronatûs in *Pirnis*, Civitate Miſniæ ad Albim, extat diploma Regium Joannis Lucenburgici, cujus initium: *Ob datoris gratiarum* &c. ubi hæc: *Ut pro noſtra ſalute & ſtatu, ac Succeſſibus noſtris proſperis in vita & in morte DEUM continuis exorent deprecationibus* (Abbas ſcilicet & Conventus de Oſſeco) *Jus Patronatûs Eccleſiæ Parochialis in Pirnis damus & tradimus, ac ipſe Monaſterio in perpetuum incorporamus: omne jus, quod Nobis, hæredibus, & Succeſſoribus Noſtris in jure Patronatûs ejuſdem Eccleſiæ competit, in dictos Abbatem, Conventum, ac Monaſteriũ pleniter transfundentes: & volentes: quod ipſe Abbas & Conventus de dicta Eccleſia Parochiali, Plebanô, qui nunc eſt, decedente, vel etiã cedente voluntariè,*

tariè, de eadem diſponant, ordinent, & faciant jugiter, quidquid eis pro utilitate, commodo, & profectu Monaſterij ipſius videbitur utiliùs expedire. Quam juris Regij intra Oſſecij privilegia incorporationem, ratam pariter deinceps habuit *Carolus IV.* Cæſar, adhuc dum Moraviæ Marchio. Hodie quia Miſnia eſt ſinè Roma, ideò Oſſecum eſt ſinè Pirnis; jure tamen penes Oſſecenſes perſeverante in radice, quod vel ipſi Pirnenſes agnoviſſe videntur, cùm moniti aliquando à Reverendiſſimo Domino Laurentio Abbate & Viſitatore, quòd ſcilicet in Archivo ſuo repererit, Parochialem Eccleſiam Pirnenſem, donatione Regia Joannis Lucenburgici ad Oſſecenſem adminiſtrationem pertinere, confeſſi ſunt, & non negaverunt, ſolam ferè in contrarium adducentes Religionis difformitatem. Fiat, oro! unum rursùs ovile, & unus Paſtor, & haud dubiè eô eventu Pirnæ redibunt poſtliminiò ad Oſſecum.

Crevit porrò Oſſecum per temporum intervalla, Regum, Procerum, atque etiam privatorum donationibus: nec non acceſſione villarum, pagorúmque ſeu pretiô, ſeu induſtriâ propriâ comparatorum. Turbavit tamen ea Cœnobij incrementa, & bona fata, primò belli calamitas, quâ ad Annum Chriſti 1278. poſt factam militarem expilationem, incendiô devaſtatum eſt: Subinde Annô Domini 1341. caſu fortuitô rursùs conflagravit: porrò ſub Huſſitarum tempeſtatem denuò flammâ & Cœnobitarum cæde everſum eſt: Suecis deinde diutinô bellô Bohemiæ incubantibus *Panirius*, Suecorum Dux Annô 1640. illud magna ex parte rursùs excuſſit: Tandem Annô 1646. 23. Maij domeſticorum incuriâ Eccleſia unà cum Organo, campanis, & ſacra ſupellectile denuò incendiô deperijt. Neque in procella Huſſitica, calamitoſa ea ſors ædes duntaxat afflavit atque incolas; verùm etiam graſſata per Cœnobij poſſeſſiones ac prædia, ea aliqua ex parte antiquis poſſeſſoribus abſtraxit, Sigiſmundô Cæſare, & Bohemiæ Rege, quandoquidem neceſſitate ad id audendum perurgeretur, quibuſdam è Nobilibus concedente Cœnobij villas in vicem ſtipendij. Et quanquam Cæſar ductus religione, ac conſcientiæ ſtimulis, deindè revocârit factas à ſe elargitiones; Georgius tamen Podiebradius Succeſſor Rex, hæreſeos Patronus, eas rursùs

novâ lege conſtabilivit, præpediens, nè Cæſaris pœnitudine in favorem ſuum uſi Ordines Religioſi, ſeſe intromitterent in amiſſa dominia. Impetravêre tum Oſſecenſes noſtri ſub Abbate Joanne peculiare decretum â *Rudolpho*, Epiſcopo Wratiſlavienſi, Pauli II. Papæ ad Bohemiam, Poloniam, Gentéſque alias Legato à latere, cujus vigore *Cæſarea* illa *Sigiſmundi revocatio*, auctoritate Apoſtolicâ per Nuncium eſt confirmata, impoſitáque ab Eodem commiſſio ſpecialis Præpoſito Eccleſiæ Pragenſis, quatenùs pro viribus coërceret injuſtos poſſeſſionum noſtrarum uſurpatores. Ità quidem tum noſtri tam ſoliciti de amiſſis, ut ea reciperent, quàm cauti de præſentibus, nè perderent; tametſi conatus ille prior, quòd ſciam, efficaciam ſuam ex voto non adeò habuerit, ac alter ille poſterior: quod quidem interea in illa rerum, ac præcipuè Religionis convulſione, abundè fuerit noſtris, & ingentis inſtar beneficij.

At verò quanquam Oſſecenſes tot inter temporum viciſſitudines crebrâ jactarentur calamitate, tolerabile tamen fuit omne id, quidquid eouſque perpeſſi ſunt, ſi reſpiciamus ad Annum Domini 1580. quô omninò ſedibus ſuis inter lamenta exuti, fuêre juſſi migrare aliò, Monaſteriô ad ſuſtentationem menſæ Archi-Epiſcopalis Pragenſis pleniſsimè devolutô. Id factum prorsùs iniuriâ temporum; neque enim alium quempiam hac in re accuſare auſim: non *Rudolphum* Cæſarem, qui id à Papa rogaverat: non *Gregorium XIII.* Pontificem Maximum, qui id indulſerat: non Pragenſes Archi-Præſules, novos, per tanta auſpicia, Oſſecæ Dominos. Sed ſi aliquorum culpa eſt, ea Cœnobii iactura, non ſanè tam aliorum, quàm privatorum cenſeri debet, qui fortè ob ſpem privati lucri Cæſarem, Pontificem, Archi-Epiſcopum minùs ſincerè de Oſſeca edocuerint. Neque id quidem meruêre Oſſecenſes noſtri, non ſuô vitiô, ſed alienâ offensâ, indigni, qui Oſſecam tenerent. Sic ſentire doceor à Celſiſsimo ac Reverendiſsimo Principe, pientiſsimæ memoriæ *B. Joanne Lohelio*, Pragenſium Archi-Præſule, Candidiſsimæ Familiæ Præmonſtratenſis inclyto ſidere, Illuſtris Eccleſiæ Teplenſis nuper Novitio, ac per emiſſam profeſsionem alumno, ſubinde in Regio Sionæo Cœnobio Pragæ Abbate celeberrimo, qui ad Eccleſiaſticum illud

Bohe-

Bohemorum faſtigium favore Matthiæ Cæſaris quàm digniſſimè evectus, illicò timidiſſimâ ſolicitudine diploma *Gregorij XIII.* evolvit, ſcrutatus fontes, cur Ciſtercio ademptum Oſſecum? Cúmque graviſſimæ illius metamorphoſeos haud comperiret argumenta coràm DEO convicentia, imô pectore ingemuit: & ſiquidem ea in re ſilere, piaculo ſibi duceret, zelô exulceratus pennam ſumpſit, animíque ſui ſenſa in prolixa epiſtola Annô Domini 1614. Summo Pontifici *Paulo V.* tranſcripſit, quæ omninò plena eſt lamentis ſuper Oſſecæ noſtræ immerita metamorphoſi: digna omninò, quam Oſſecenſes omnes intra intima mentis arcana ſummâ religione reponant, aureíſque typis Orbi conſignent. Dabo ejuſdem quædam fragmenta, ea præcipuè, quæ ad rem noſtram. Itaque poſt adoratos Sanctitatis Suæ pedes, expoſitúmque epiſtolæ argumentum, cùm primùm in diplomatis Pontificij nomen incidiſſet, cujus vigore Oſſecum ſubtractum Ordini: *Visô*, inquit Religioſiſſimus Antiſtes, *præfatô diplomate, ac diligenter inſpectô, Beatiſſime Pater, inhorruerunt pili Capitis mei, & verebar vindicem Præpotentis manum, ſi audire ſaltèm placentia vellem, videre autem errores renuerem. Timor & tremor venerunt ſuper me, quòd Monaſteriorum redditus in Familia mea neceſſitates translaturus, jam ætate gravis vocer, qui omne vitæ tempus his reſtituendis (cum DEO loquor) impendi, cùm interim præclariſſima Monaſteriorum ædificia, jam deſerta, rimas agant; Et DEI conſvetis laudibus non ſinè bonorum ſcandalo ſuppreſſis, non ſit, qui veniat ad ſolennitates eorum. Re bene, multúmque deliberatâ, totum ad Sanctitatem Veſtram humillimè referendum putavi, ſi fortè aliæ rationes, ejuſdem authoritate interveniente, componi poſſint, quibus Pragenſis Archi-Epiſcopus hunc præclariſſimum Eccleſiaſticæ dignitatis gradum tueatur, & Monaſteria juxta Sanctiſſimam Fundatorum voluntatem, Religioni probatiſſimæ reddantur. Eius porrò ſi ſpes nulla ſuperſit, malim ego exauctoratus penuriam pati, quàm animæ pernicioſiſſimo laqueo implicatus, abundare. Scio quidem, & ùt obedientiſſimum Filium decet Sanctæ Sedis, humillimè profiteor, Pontificem Maximum, Chriſti in terris Summum Vicarium quidvis poſſe, ſed dum narrationibus minùs certis Sanctitatem Veſtram acquieviſſe, oculatus ipſe ego teſtis adverto; quidni verear, nè veniens, iudicata, & iuſtitias reiudicaturus Juſtus Judex, me durè increpet, quòd velut canis mutus confuſionem in Domo, & hæreditate Domini*

Communicata ex Archivo Straovienſi.

 mini

mini advertens, latrare neglexerim? aut propter pugillum hordei, & fragmen panis cum iniqua agentibus portionem meam ponere deliberârim? Et poſt pauca: *Indulgeat clementiſſimus JESUS Dominus noſter his, qui alienæ rei ſuccenſi deſideriô, mentiri ſpiritui ſancto (à quo Summi Pontifices poſiti ſunt regere Eccleſiam DEI) non erubuerunt. Cùm interim Crucifixi Servatoris hæreditas diſtrahitur, nec ſit, qui corde recogitet. Propitius ſit mihi DEUS, nè (ſciens, quòd à momento pendet æternitas, nec delinquentibus parcit, qui terribilis eſt in conſiliis ſuper filios hominum) uſurus alienô, manus & pedes ligatus projici in gehennam, & tenebras exteriores, irati Judicis decretô jubear. Nunquid autem ego plenitudinem poteſtatis Divi Petri, Apoſtolorum Principis Legitimi Succeſſoris reſtringo, aut in dubium voco? Nullâ parte. Sed vereor, nè diſpenſatio hæc in diſſipationem divinæ laudis ac gloriæ in terris conſcripta in cæleſtibus non probetur. Nec judicium Sanctæ Sedis culpo (certus, quòd ſublimiori huic poteſtati, omnis poteſtas in terra, diviniori ſe decreto ſubmittat) ſed his compatior, qui relatione minùs probâ Chriſtum Domini traducere præſumpſerunt.* Proſequitur deinde recenſere, quô pactô noſtri diſpendium Cœnobij paſſi, non demeritô ſuô, ſed nonnullorum perſecutione: aſſerítque, vidiſſe olim ſe ipſum *ſex aut ſeptem* de Oſſecenſi gremio *Religioſos*, qui ſublatô Abbate, ſub abalienationis tempus è Monaſterio infeliciter ſint aliò educti, deinceps extra matrem ſuam mæſtiſſimè circumportantes fatale exilium. Tum ille rursùs: *Ego quidem ſic mecum deliberavi, quòd quantumcunque glorioſis titulis ſublimatus, anima mea periculô delectari nolim. Sed tam diu Sanctitatis veſtræ pedibus, humillimè ſupplicando advolvi, donec vel ab Officio hoc Eccleſiaſticæ dignitatis (quod ſicut onus grave gravatum eſt ſuper me, & conſcientiam premit) me abſolvat: vel alias rationes (quas Ipſe DEô inſpirante nunc proferam) authoritate ſuâ probet, & in feliciſſimos ſucceſſus adjuvet.* Subinſinuat deinde, quatuor Anteceſſores ſuos Oſſecij poſſeſſione non adeò extitiſſe felices. *Jam Quintus ego*, proſequitur Lohelius, *in hac nova novitiæ Succeſſionis ſerie, quaſi tumentes fluctus ſuper me, adventum Domini præſtolor. Verè, Beatiſſime Pater, ſi parvitatis meæ vocem Sanctitas Veſtra audire non dedignatur, diſpenſatio hæc non in gloriam DEI proficit. Vereor ego Sanctiſſimum Patrem Bernardum, nè contra me, pro Religione ſua ſanctiſſima interpellet; fulget enim in hoc Regno ſignis & miraculis, nec inultum patitur,*

tur, ſi quid in hæredum ſuorum opprobrium contingat. Exempla ſunt recentia, & illuſtria in oculis noſtris, Illuſtriſſimorum Procerum ſermone vulgata, non in Archi-Epiſcopis ſolùm obſervata, ſed & in alijs Regni primoribus, ac Nobilibus. Docet deinceps modum, quô aliter ſubveniri poſſit Pragenſi Metropolitano, per reluitionem nempe cujuſdam dominij in Moravia pro viginti quinque millibus ab Archi-Epiſcopatu olim in hypothecam dati, quòd ſecundùm temporis currentis rationem, centum fermè millibus, aut paulò minùs pro tunc æſtimaretur. Illud itaque de conſenſu Pontificio ſe redempturum, exhibitâ priori ſummâ, per Regnum & præcipuè per Ciſtercium à ſe colligenda pro quo nuper datum in hypothecam. *Si enim quoquô modô* (proſequitur candidiſſimæ mentis & veſtis Antiſtes) *per me indignum redimi oppignorata poterunt, glorioſum Eeeleſiæ accidet, cùm, approbante & decernente Sanctitate Veſtrâ, Religioni Ciſtercienſium Monaſterium Oſſeeenſe reddetur. Sileo animarum multarum commoda, quæ bonis redemptis, pariter ſanâ doctrinâ redimi ex hæreſeos laqueo, & ſervitute diaboli in libertatem Chriſti poterunt. Cæterùm duo ſunt, quæ ſanctitatem veſtram in præſens humillimè oro. Unum, ut clementiſſimè decernat, quid interim, dum in colligenda pecuniarum ſumma rationes conquiro, ſinè conſcientiæ vulnere me facere velit. Nam cùm ſæpè dicta diſpenſatio narrationibus, me teſte, non æquis malè firmetur, & exempla Prædeceſſorum meorum, manifeſtum, cui immergor, periculum clament, vix (niſì veniâ iterum ad tempus breve ab eo, cui ligandi & ſolvendi poteſtas permittitur, impetratâ) impunitatem mihi polliceri auſim. Dico autem ad tempus breve, & Sanctitatem Veſtram iterum atque iterum rogo humillimè, nè indefinitum decernat, quod & poſteris in laqueum ſervetur, ſi meditatum à me opus, interveniente morte non conſummetur. Alterum eſt, ut Sanctitas Veſtra paternè neceſſitatibus omnium Eccleſiarum providens, Religionis Sanctiſſimæ Ciſtercienſium Præſides animet, & ab omni Simoniæ ſpecie vel noxa abſolvat, ſi pactô hoc interveniente collectas fecerint, ut pecuniæ à me præſtandæ partem tribuant. Ego enim inops & pauper ſum, & vix hactenùs invenio, quod fame & frigore pereuntibus dividam, non permiſſurus facilè, ut plures in auxilium convenirent, ſi in otioſos theſauros collectæ divitiæ & facultates ſufficerent, nedum enim pecunias, ſed & ſangvinem & vitam dare DEI amore ac fideliſſimi Servi*

Eius, Divi Bernardi reverentia velim. Ordo, quod poteſt contribuat, Ego interim & alios tam pio operi non defuturos, mihi firmiſſimè perſvadeo. Atque hae quidem ſunt, Beatiſſime Pater, quæ brevibus, neceſſitatis & periculi magnitudine penſata, etſi longiori aliquantulum epiſtolâ, ſcribenda videbantur, Sanctitatem Veſtram per Domini Noſtri JEſu Chriſti pretioſum Sanguinem rogo, & per Judicium illud ſtrictiſſimum, quô iuſtitias iudicabit, & admotis etiam lucernis errores noſtros diſquiret, ut preces has, ſupplicationéſque meas non averſetur, nec præſumptuoſum me æſtimet, dum iaculô timoris Domini transfixus ingemiſco. Ultimam diem opperior (integris quamvìs DEI beneficiô viribus) iam ſexagenarius & ultrà. Nihil aliud meditor, quàm, quâ ratione Miſericordiſſimi Domini mei JEſu Chriſti miſericordiâ, paratum cœleſtis gloriæ, & gaudii locum inveniam, &c. de dato Pragæ, poſtridie Kal: Januarij, Annô 1614. Hæc Antiſtes zelantiſſimus, magnis ſtimulis perurgens Ciſtercij negotium, illuſtrem Cathedram ſuam deſerere paratus magìs, quàm Oſſecum videre à Mellifluis incolis deſertum: terribili tubâ percellens eorum animos ac pectora, qui titulis fortè in conſpectu tremendi Judicis non adeò æquis, Crucifixi Salvatoris hæreditatem hodie poſſident. Non diſcuſſit pientiſſimus Lohelius poſſeſſionis motiva, duntaxat juxta apices legum humanarum, è quibus in præſenti hoc noſtro caſu ipſa æquitas emicare videbatur; verùm altiùs progreſſus, DEI judicia, profundam illam abyſſum, juſtitiæ humanæ è diametro oppoſuit: & quia poſſeſſio ſua in Oſſek excentrare ſibi videretur ab amuſſi æquitatis divinæ, horrore ſacrô plenus interpellavit ſummum in terris Tribunal, Chriſti Vicarium; ut nempe melioribus ideis nunc imbutus, pacta reſcinderet, quæ ſupernis regulis, factâ diſcuſſione, non ampliùs cohærerent. Atque utinam agerent id pariter illi, quod Lohelius, qui Eccleſiarum, ac Cœnobiorum prædia fundóſque, ſi terrena hæc ſpectemus, conſcientiâ tranquillâ ſecuri tenent, lineáſque non è terra ſolùm, verùm & è Cælo ducerent ad poſſeſſionis ſuæ titulum aut punctum: ſanè non tot hodie ſacerrimæ & antiquiſſimæ domus inter confuſa rudera forent à Religioſis incolis, ac divinis laudibus deſertæ! A votis ad Lohelium me rursùs transfero. Sint igitur Principi Religioſiſſimo ab univerſa clientela Oſſecenſi grates & laudes immortales, quòd reſtitutionis opus tantô in Curia Romana zelô proſecutus ſit! Vinculum

culum certè hoc eſt pulcherrimum, quô Magnus Lohelius Ciſtercium ac Præmonſtratum æviternum colligavit: Et quanquam interciſæ aliquantùm illæ ſpes & intentiones ſinè effectu hæſerint, ob inteſtina Regni diffidia, optimo Principe interim è curis & meritis evolante ad Cælites; primitiæ attamen beneficij, quod Oſſecum hodie ſentit, Candidiſsimo Lohelio debentur, qui primum negotij lapidem motu propriô primus moverit, & quidem eo in loco, quô Eccleſiæ Sanctæ omnis vertitur cardo. Succeſsit in Cathedra Pragenſi Lohelio Eminentiſsimus Antiſtes Erneſtus Adalbertus *Harrachius*, S. R. E. *Cardinalis* Presbyter, Princeps, perennibus Bohemiæ amoribus longè digniſsimus, qui pacatô Regnô reſumens Prædeceſſoris ſui curas ſanctiſsimas, curiam tandem utramque, Pontificiam, Cæſareámque eò permovit, ut poſtliminiò Oſſecum rediret ad Ciſtercium. Itaque Annô Domini 1626. Urbani VIII. Pontificis, ac Ferdinandi II. Cæſaris auctoritate, & præprimis Cardinalis Harrachij ſolicitudine ac impulſu, introducti denuò in avitas Oſſecij ſedes Melliflui alumni, ipsô Purpuratô Principe, quò inveſtitura eſſet illuſtrior, è vicino ſuo Schvvatecio aſcendente Oſſecam, præſentéſque Viros Ciſtercios in omne Cœnobij jus, dominium, poſſeſsionémque pleniſsimè intromittente. Vivit etiamnum penès Cœnobium probus quidam Senecio, octuagenariô jam major, qui ùt puer reſtitutionis ejuſmodi actui interfuit, cujus relatione didici, Principis Eminentiſsimi juſſu in argumentum publicum celebratæ per ſe inveſtituræ, ſuccenſam quandam vetuſtam caſam arſiſſe, noſtrorum ingenti plauſu, quòd ſcilicèt per eos ignes viſus ipſe applauſiſſe Oſſeco Cardinalis, inter reſtitutionis ſolemnia palàm & cum reverentia profeſſus, dediſſe ſe id beneficium præcipuè Melliflui Parentis honori, à quo apud DEUM rursùs patrocinium optet atque expectet. Micat etiamnum illa flamma, Purpurati Præſulis imperiô atque auſpiciô excitata, in Oſſecenſium animis, toties gratiſsimô ardore erga beneficentiſsimum Principem incaleſcentibus, quoties reminiſcentiæ fomite denuò ſuccenditur. Det, oro, gloriæ ſupernæ lucem, pro flamma, & flammæ argumento, Pater luminum, Antiſtiti clariſsimo, idque Bernardi interventu, cui filios ac domum in terris reſtituit! Illud de dominio Archi-

Epiſcopali apud Moravos in hypothecam dato, ac rursùs per Lohelium jam olim redimendo, notare incidenter hìc lubet, noſtrâ hâc tandem ætate per Celſiſsimum Principem Joannem Joſephum è Comitibus de Breüner, actualem Pragenſium Archi-Præſulem, abſolutas eſſe intentiones & vota Lohelij, neque id ſinè Lohelio, qui haud dubiè apud Cælites, quorum conſortiô perfrui pijſsimè creditur, pro Cathedra ſua ſolicitus, Oſſecij felix diſpendium ſuô interventu reſtauraverit poſſeſsionis avitæ novâ acceſsione. Ubi pariter memorandum venit, capitalem illam ipſam ſummam, quàm ſæpè laudatus Lohelius pro dominij hypothecati reluitione, præcipuè à Ciſtercij Præſulibus colligere meditabatur, tandem poſt reſtitutam ab Eminentiſsimo Cardinali Harrachio Oſſecam, ab Aula-Regienſi Cœnobio intereà perſolutam fuiſſe, donec Oſſeca ſeſe aliquantùm recolligens, ſucceſsivis ſolutionibus, quanquam ægrè, rursùs illam totam Aulæ-Regiæ refudiſſet, ſícque opus ſuæ redemptionis ex parte feliciter ipſa perfeciſſet. Cæterùm id ferè omiſiſſem, quod traditione ad nos perlatum eſt: eô ſcilicèt tempore, cùm ſub Archi-Epiſcopis ſtaret Oſſeca, viſos eſſe non rarò Ciſtercios alumnos in clauſtro, ante vetuſtam Divæ Virginis iconem genuflexos, cùm tamen nemo noſtrorum cæteroquin tum ibidem moraretur. Creditum eſt, Cælites fuiſſe, olim Oſſecæ domeſticos, quos Virgo miſiſſet, nè domus ſibi ſua à charis filijs omninò relinqueretur deſerta. Extat etiamnum DEIparæ illa imago depicta ſupra murum, ad gradus, ubi è dormitorio ad ambitum deſcenditur, vetuſtatem multam præſeferens: ſubtùs quàm lapides duo excavati produnt luculenta genuum indicia: unde veriſimile fit, eô locô antiquos Oſſecij alumnos Divam ſuam coluiſſe frequenti pietate, poſteris deinceps tradendâ per relicta veſtigia, ad Mariani cultûs ampliora incitamenta.

Cœnobij gubernacula manſêre poſt reſtitutionem ſub Viſitatorum Bohemiæ præſidio uſque ad Annum 1650. quô Reverendiſſimus D. D. Laurentius Scipio è gremio aſſumptus ad infulæ honores, poſt recuperationem primus reſidentialis Abbas, Jubilæi anni, qui tum agebatur, bonô auguriô, jubili argumentum filijs attulit. Sub cujus induſtrio regimine ad decoris

coris & floris priſtini celebritatem proſperè reducta eſt Oſſeca. Qui ſubinde etiam auctus Vicariali ac Viſitatoris charactere perfunctus eſt utrôque munere diu & feliciter, conſummatus inter filiorum amplexus Annô Domini 1691. ætatis ſuæ octuageſimô, Abbatiæ quadrageſimô primô. Cujus digniſsimus Succeſſor, Reverendiſsimus D. D. Benedictus, nuper Pragæ in Archi-Epiſcopali Collegio Philoſophiæ Profeſſor, ad Divum Bernardum Superior, ac ſubinde Regij Brunenſis Parthenonis Præpoſitus, Annô 1691. nonâ Septembris ad Abbatialia, ac tandem Annô 1699. ſextâ Octobris, cùm paulò ante è Vicariatûs nomine Ciſtercium deputatus à Generali Capitulo rediiſſet, ad Ordinis Provincialia gubernacula evectus, per filiorum ac clientum vota vivat publico bono longævè ac proſperè! Impoſuit eidem, ſimúlque & Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D. Joanni Chryſoſtomo Gninsky, Abbati de Vangroveco, per Polonias Commiſſario Generali, Præſuli Doctiſſimo, ac Ordinis zelantiſſimo, Illuſtriſſimus P. Generalis Annô labente commiſſionem Premetenſem in Polonia Majori. Reverendiſſimi Domini Benedicti induſtriâ ac benedictione novam jam formam induit Oſſeca, induétque deinceps ſeu ædificiorum veterum reſtauratione, ſeu novorum erectione.

Porrò in partem optimi fati ego accipio, vix eſſe extra Regni Metropolim, Cœnobium, tam crebrâ Archi Epiſcoporum Pragenſium præſentiâ fortunatum, ac Oſſecenſe noſtrum. Sic Eminentiſſimus Princeps Cardinalis Harrachius, non minùs poſt, quàm ante factam reſtitutionem Oſſecæ frequens: Sic Principes Succeſſores Celſiſſimi, Matthæus Ferdinandus à Bilenberg, Joannes Fridericus è Comitibus de Waldſtein, Joannes Joſephus è Comitibus de Breüner, qui poſterior nunc gloriosè præſidet, iterum iterúmque à clientibus ſuis Oſſecenſibus ſalutati gratioſiſsimi Hoſpites, intulêre devinctiſsimæ Domui ſuâ præſentiâ fauſtiſsima præſagia. Et ea quidem hoſpitum Celſiſsimorum felicitas Oſſeco obvenit beneficiô vicini Svatecij, dominij ad Archi-Epiſcopos pertinentis. At verò Celſiſsimum Principem Joannem Fridericum Comitem Waldſteinium non ſola Svatecij, verùm ampliùs Duxovij, Civitatis ſuæ hæreditariæ ac reſidentialis propinquitas Oſſecum ſæpiùs

invitavit. Cùm modernum Sacrorum in Bohemia Supremum Præſidem Joannem Joſephum primâ vice lætô jubilô ac humili obſequiô ſuſciperent Oſſecenſes, candidis cucullis, longô ordine ad Eccleſiæ oſtium eidem obvij, movit ea monaſtici obſequij religio Antiſtitem, ut in Oſſecij ſolatia pronunciaret: Si Anteceſſores ſui non præripuiſſent ſibi id beneficium, reſtituturum ſe nunc velle, pari, ac illi, favore, Oſſecum Bernardi alumnis. Inclinent reverentiſsimè capita ſua Reverendiſsimo Principi pro beneficij ratihabitione Clientes Oſſecani, quibus vel ſola Principis benefaciendi voluntas, ingens eſt beneficium.

Cæterùm Oſſecum præprimis commendat ſitûs, proſpectûſque longè elegantiſsimi quàm plurima voluptas; non enim inventus eſt ſimilis illi per ſingula Vicariatûs Cœnobia. Stant à tergo Occidentem ac Miſniam versùs longiſsimô ordine montes præalti, vulgò das Hohe Gebürge: ab Oriente per interjectæ planitiei jucundam ac ſpatioſam intercapedinem (in cujus quaſi meditullio Duxovium Civitas ſedet) ſeſe ad oculorum oblectamenta objiciunt Montes alij, vulgò, das Mittel Gebürge: ad Meridiem Pontenſis vicinia, aliáque remotiora loca in ſcenam gratiſsimam prodeunt: ad Septentrionem obtutus per multa ſpatia ac milliaria delicioſiſsimè rapitur, tandémque ad promontoria è longinquo eminentia terminatur. In Divi Joannis Baptiſtæ pervigilio ea ſitûs prærogativa potiſsimam voluptatem indulget, cùm ſub nocturnam caliginem feſtivi ignes per omnem viciniam emicant, ſpectaculô ferè haud diſsimili, quale *Barclaius* in aurea ſua *Argenide Lib*: 1. *cap*: 3. exhibet, cùm in Poliarchi cladem accenſas de noctu fatales flammas adducit, in Siciliæ jugis, collibúſque undique collucentes, nisì quòd ignes illi Siculi Poliarcho interitum tum portenderint; hi verò noſtri Sanctiſsimi Præcurſoris cunas & Genethlion illuſtrent. Hæſi nonnunquam uſque fermè ad noctis medium, Flammarum hinc indè tantô numerô in vicinis, remotíſque montibus ſurgentium ſucceſsivos ortus, atque eorundem ſenſim cadentium ſuprema ac dubia lumina ingenti prorsùs voluptate intuitus. Porrò etiam Oſſeca noſtra felix eſt è vicina *Teplicenſi* Civitate, ob celeberrimas ac ſaluberrimas

berrimas *Thermas*, conſtanter ibidem erumpentes. Diſtat Teplicium à Cœnobio noſtro duarum horarum ſpatiô, loci beneficiô nunquam ſatìs æſtimandô, cùm naturæ inſigne id donum, in calidis illis fontibus, valetudini curandæ uberrimè propinatum, Oſſecenſes noſtri propè domeſticum habeant, quod interea exteri multis incommodis atque impendijs à longinquo quærere debeant.

Quod Cœnobij ſtructuram attinet, Eccleſia quoad utraque latera è mero ſecto lapide ſtat à fundatione: cujus fornix per temporum injurias ex parte vitium paſſus, recenti labore reſtauratus eſt. Ambitus integer (cui, ſeu amplitudinem ſeu longitudinem ſpectes, paucos ſimiles repereris) Domus item Capitularis, Refectorium, gratiſsimam fundationis primæ vetuſtatem præſeferunt. Pendent in ambitu præfato oſſa grandia (ſcapula & coſta) quæ vulgus Gygantum dicit. Cœnobij Patroni Tutelares præter Divinam Puerperam, coluntur Glorioſi Apoſtoli *Petrus* & *Paulus*, Divus *Joannes Baptiſta*, Inclytus Chriſti Martyr *Sebaſtianus*, novô rursùs Sacramentô ſub tempus contagij in opem ac tutelam ab Oſſecenſibus advocatus, Divus *Procopius* Abbas & Confeſſor, nuperrimè primò adversùs grandinem, frugibus toties in hac vicinia antehac fatalem, electus Patronus, cujus dies, (quarta Julij) ſolemnis Oſſeco eſt, ac feſtum fori, ſupplicatione publicâ è Parochiali Eccleſia ad Eccleſiam Cœnobij ad pendendum ſancto cultum annuè procedente. Et notatum, à quo tempore Confeſſor glorioſus in agrorum Tutelarem per vota imploratus eſt, nunquam ampliùs grandine, quæ tamen eouſque quotannis fermè deſævierat, concuſsas terræ fruges, ſub Sancti Abbatis curatela felices ac tutas. Floruit inter loci Abbates Illuſtris Zlavvco, Abbas III. ſubinde Pruſsiæ Epiſcopus, de quo dictum eſt *Tit:* XI. *pag:* 296. Floreat! opto, *Oſſecum* deinceps, & tantâ vigeat felicitatis *integritate*, ut neque *os comminuatur ex eo*!

WALDSASSIUM.

NOn pertinet quidem ad Terras Auſtriacas hæc inclyta domus, verùm ad Palatinatum Superiorem; quia tamen Oſſecij noſtri Mater eſt, eapropter id dandum filiæ, & filiæ alumno,

lumno, ut ſaltèm velutì per Parentheſim Matri poſsit eſſe ſuâ pennâ devotus atque obſequioſus. Quanquam aliâ etiam ratione Waldſaſſium ad hunc locum referendum ſit, quippe (utì perhibet *Balbinus Bob: Sanct: L.* 1. §. 25. *pag.* 38. ex Caſparo Bruſchio) quod *multis titulis Bohemiæ conjunctum*, *Reges quoque noſtros Jure clientelæ reſpexerit*: omnéſque Cœnobij hujus incolæ *præter Latinam & Germanicam, etiam Bohemicam olim calluerint.* Verùm hæc alij motiva diſquirant, me una præprimis erga Matrem reverentia, amórque impulit, ut de Oſſeco Filia quædam hactenùs prolocutus, de Matre deinceps ſilere haud poſſim, haud velim.

Waldſaſsij itaque Fundator *Theobaldus* Marchio *Vohenburgenſis*, & Nariſcorum terræ Dominus: Annus Fundationis poſt Chriſtum natum Milleſimus centeſimus, trigeſimus quartus: Mater, *Wolkenroda* in partibus Thuringiæ: Primus novelli gregis Pater & Paſtor, *Gerwicus* è Dominis de Wolmundſtein Weſtphalus. Neque id ſinè præcurrente fato, cujus quidem ſeriem in compendio ſic habe. Coaluerat Theobaldus Marchio in adoleſcentiæ vigore cum Gervvico, jùvene armis ſtrenuo in fædus intimum. Amorum utrinque ſtimulus, armorum utrinque uſus, atque par utriuſque indoles. Frequentabant poſt pacta, ambo ſimul pro more ætatis illius, torneamenta, undique victoriam circumferentes, ac nominis ſui pulcherrimam famam, amicitiâ per temporum incrementa ſemper altiùs utrinque radicatâ. Accidit divinô haud dubiè conſiliô, ut aliquando in congreſſu quodam Gervicus in Theobaldum ſuum, tum ob mutata ex induſtria ſigna differentialia non cognitum, fortiſsimo impetu irruens, haſtam in amici Principis guttur lethali penè vulnere contorſerit. Deprehenſô inter lamenta errore, exhorruit ad caſum Gervicus, & quoniam chari ſodalis dolore ac fatô ipſe ultra modum angeretur, poſuit infauſta arma, nunquam deinceps reſumenda, Sibergenſe Benedictinorum Cœnobium illicò ingreſſus. Marchio è vulnere convaleſcens, cùm è Matrimonij vinculo expedire ſe non poſſet, Reichenbachenſe Monaſterium pro ijſdem Benedictinis extruxit. Ità quidem tum ſeparati ab invicem, divinâ ordinatione rursùs ſe viſuri. Pernoctavit ſub id tempus apud

Sibur-

Siburgenſes *Chuno*, deſignatus Ratisbonenſium Epiſcopus, è Pariſienſi Academia redux, & quoniam delectaretur Gervici ſibi miniſtrantis affabili morum ſuavitate, petijt Virum, abduxítque ſecum quamvis invitum Ratisbonam. At verò ille clauſtri ac ſolitudinis aſſuetior atque amantior, cùm in Epiſcopali curia tempus aliquantum exegiſſet, importunâ prece literas à Chunone obtinuit, quarum vigore locum aliquem ſolitarium per totam Diœceſim diſquirere poſſet atque eligere. Digreſſus itaque cum nonnullis ejuſdem propoſiti ſodalibus poſt longa eremi ſcrutinia, tandem in locum quendam incidit, modicô nunc intervallô diſtantem à Cœnobio vulgò Kölnergrün/ nuncupatum, ibíque conſedit, parte ſylvæ in omen & auſpicium novi incolatûs per ſocios reciſâ. Cùm id ageret Gervicus, fati divinioris impulſu evenit, ut Theobaldus die quâdam venandi voluptate è vicina ſua Urbe Egrenſi abductus, in illa eremi abdita penetraret, qui videns exciſa arbuſta, atque etiam erecta mapalia non modicè indignatus eſt, quòd id citra imperium ſuum aut aſſenſum contigiſſet. Cùm ecce prodeunt è latebris Viri Sancti, facultatem Epiſcopalem in ſcriptis exhibentes Principi; at verò ille ex motu animi minùs ad literas attendens, Viros ipſos verbis aggreditur: qui eſſent, quâ oriundi gente aut Patriâ, quô conſiliô huc conveniſſent? Tum Gervicus nomen ſuum ingenuè confeſſus, vehementi admiratione Theobaldum perculit, qui illicò ex equo deſiliens, & colli cicatricem è vulnere perſiſtentem Gervico exhibens, multâ ſuavitate ſeſe in amici amplexus demiſit, blandè excuſans, quòd primô congreſſu ignotum ſibi Sodalem fidiſſimum duriùs aliquantò habuiſſet: ſimúlque ſpondens, compenſaturum ſe liberaliter admiſſum illum errorem: quod & mox præſtitit; conceſſit namque eidem tantum ſpatium de illo ipſo nemore, quantum integræ diei itinere emetiri Guerricus poſſet. Tum quidem majori libertate in erigendis illis ſuis tugurijs progreſſi ſunt. At verò cùm die quâdam ſociorum unus in denſa arbuſta ampliùs penetraviſſet, fluviolum in amæna valle reperit, nuncupatum *Wondrebe*, fertilem piſcibus, quos veſte in modum retis complicatâ copioſos extraxit, ſociíſque attulit, invitans, ut ſedes eò transferrent. Suaſit & perſuaſit facilè felix piſcator. Itaque excedentes è loco priore, ad vallem

illam tantopere ſibi commendatam ſeſe collocârunt: & quia in *ſylva ſimul conſediſſent*, locum illum novum non *Waldſaxen*, ùt quidam erroneè, ſed Waldſaſſen nuncupaverunt. Necdum Sociorum illud ſacrum agmen Ciſtercio erat initiatum, quod tunc è fama Bernardi Parentis per Orbem celebre, traxit Gervicum in Claram-Vallem, petiturum colonias ab Abbate Melliſluo. Obtendit Bernardus exhauſtam per tot jam alias colonias domum ſuam, minùs poſſe dare Waldſaſſio ſanctam ſobolem, tradidit tamen ei Ciſtercij habitum, propriâque indutum cucullâ cum conſolatione aliò direxit. Ille è Valle digreſſus, divertit tandem ad Thuringiæ Cœnobium Wolkenrodenſe, unde Ciſtercij ſementem in tribus duntaxat Viris ſecum abduxit, junxítque cæteris, eâ ſociorum acceſſione jam Ciſtercienſibus: è quibus *Wigandus*, præſtans reliquis religione ac fervore, novæ familiæ inſtitutus Prior novitium gregem pavit ſanctiſſimè. Quæ Waldſaſſij primordia illuſtrata cæleſti portentô, cùm namque ad preces nocturnas nocte quâdam ſurgerent Viri illi ſancti, circumfulſit illos, locúmque omnem ſuperna claritas, viſíque in ſplendoribus ſanctorum longô ordine procedere Cælites, cleri ad inſtar; fulgidum proceſſionis ordinem claudente quôdam, Pontificali amictu inſigni, qui poſtquam reverentiſſimô aliorum miniſteriô aram ſolemni ritu dedicaviſſet, blandô imperiô Wigandum evocavit hærentem intra vepres, ſacrôque ſpectantem horrore divinam ſcenam, atque hæc ad ipſum: *Nè terrearis*, inquit, *Ego ſum Evangeliſta Joannes, miſſus à Domino hanc aram mihi, & Ei, quam in Cruce mihi commendavit, Matri Ejus & Virgini dedicare.* Adjecítque, divinæ ſervitutis religionem hoc in loco fore florentiſſimam: Per adverſa tamen ſolidè exercendos Waldſaſsij incolas; id enim bonorum omnium commune fatum eſſe, ut per multas tribulationes viam ſibi ad gloriæ immortalitatem ſternerent. Poſt quæ oracula illuſtris ſcena ſublata eſt. At ex adverſo, horridô perculſi ſpectaculô Wigandus ſociíque conſpexêre luporum, agmen ingens, qui mæſtiſsimô ejulatu turbavêre attonitos auditores, modicíque temporis lamentô per horrorem è faucibus egeſtô diſparuêre. Creditum eſt, dæmonum fuiſſe catervam, cæleſtibus portentis indignantium. Exijt utriuſque viſionis fama per vicinos populos: unde erigendo

Cœno-

Cœnobio larga ſubſidia paſsim comportata à fidelibus. Acceſsêre deinceps è Wolkenroda, Matre, plures Ciſtercij alumni: quare utrinque aucta domus, incrementa ſpiritualia exhibenti bus noſtris, temporalia præſtantibus ab extrà ſæcularibus. Eccleſia Major dedicata eſt Annô Domini 1179. ab Epiſcopo Ratisbonenſi, *Chunone II.* neque id ſinè fauſtis, quia Cæſareis auſpicijs; *Fridericus* namque *Barbaroſſa* Imperator, Theobaldi Marchionis præfati filiam Adelheydem, puellam formâ, virtutéque admodum præſtantem ad conjugij fædera expetens, nuptiarum ſolemnia in Egrana Urbe, duabus horis Waldſaſſiô diſtante, apparatu Regiô celebravit. Data Cæſari à Marchione pro filiæ dote Civitas Egrana, viciniâ, atque adeò etiam Waldſaſſiô translatô in ſupremam Ejuſdem ditionem. Unde ex illo tempore hæc domus Cæſarem ſemper reſpexit tanquam immediatum Dominum ac Advocatum: quanquam lapſu temporis ſub Annum 1411. Protectores etiam acceperit Principes Palatinos Rheni; quorum tamen tutela Waldſaſſio infauſta extitit, ùt infrà dicemus. Interfuit poſt hymenæi apud Egranos exacta feſta Fridericus Imperator Eccleſiæ Waldſaſſenſis dedicationi, ſuâque præſentiâ attulit Imperiali Cœnobio Imperialia auſpicia: quare deinceps Abbates Waldſaſſenſes, quemadmodum perhibet Jongelinus *Lib.* 3. *pag.* 5. *Notit: Abb: Imperij Principibus* adnumerati fuêre.

Numerus præterea in Waldſaſſio ex eo felix eſt, ac fortunatus, quòd hæc Domus in univerſo Ciſtercio ſit *ovis centeſima.* Ejus porrò fæcunditas ad tres filias ſeſe protendit, *Brunbachium* in Franconia, *Sedlecium*, & *Oſſecum* in Bohemia. Floruêre hoc in loco Viri Sancti, floruêre & in Viris portenta: quorum illud percelebre, quòd moniti ferè ſemper Waldſaſſenſes per ſonitum è Reliquiarum ſacrario auditum, cùm obitus cuiquam è gremio inſtaret: multiplicatis ictibus, ſi fortè plures forent diſceſſuri, adeò ut è ſonitûs numero, numerus quoque conſummandorum deſumeretur, ingenti morientium felicitate ac ſolamine, quòd nunquam fatô improvisô abriperentur. Neque ea mortis imminentis indicia exhibita duntaxat è præfato ſacrario; verùm etiam per Virum quendam Aſcetam, zelô monaſticô, ac religionis obſervantiâ conſpicuum, nomine *Joannem*

nem Carthuſienſem, per integros 49. annos functum apud Waldſaſſenſes *Cantoris* officiô, qui divinô munere ordinarius Fratrum vates monebat velutì ex officio illos, quos revelationis beneficiô, brevì deceſſuros cognoverat, quatenùs ſe ad beatam migrationem in tempore compararent. Memorandus pariter inter Domûs Viros illuſtres, Venerabilis *Rudigerus*, Waldſaſſij quondam Prior, DEIparæ cultor eximius, qui adhucdum Frater, juſſus ſermonem declamare in Capitulo, cùm ad eam functionem immodicè trepidaret, confugit ad DEIparam Virginem, eloquium expeditum ac dulce poſtulans à Matre Verbi. Non paſſa eſt anxium oratorem fruſtrà oraviſſe Auguſta Parens: prævenit ſermonis tempus; cùm namque die quâdam pauſaret Rudigerus in lectulo ſuo, meditaturus dicenda, viſa eſt ſibi dormienti apparere glorioſa Virgo, velutì ante lectulum reſidens, puerúmque JESUM lactans. Tum abſtrahens puſio corallina labella à lacteis fontibus, quaſi rogaret, quaſi imperaret, Matri dixit: *Mater dilecta da etiam Monacho illi.* Compreſſit illicò mammillam Virgo, & lacteô liquore humectavit dormientis labia. Divina ea dulcedine ſolutus ſopor eſt, & Rudigerus ex eo tempore in perorando facundior, qualis antea minùs fuerat, toties dulciſſimè placuit, quoties declamavit, quandoquidem ſcilicèt Virgo haud gratìs Viri ora irrigâſſet.

Mitto alia. Ad clades tranſeo, quibus concuſſum, vaſtatúmque Waldſaſſium. Exarſerat, poſt obitum Georgij, utriuſque Bavariæ Ducis, bellum atrox Annô Domini 1504. inter Albertum Monacenſem, & Rupertum Georgij Ducis generum, Philippi Senioris Comitis Palatini filium, quod geſtum ferè quadrienniô damnis utrinque non modicis: & ſiquidem hæc domus pertineret ad Palatinorum tutelam, eô nomine partem etiam belli cladíſque ipſa ſenſit, ab adverſo Palatinis Milite Brandeburgico quartâ Menſis Auguſti fædiſſimè vaſtata. Compoſitâ ſubinde pace reſpiravit quidem Cœnobium ad tempus ab ijs malis; verùm non multò pòſt longè vehementiùs afflictum, tandémque planè ſubtractum eſt Ordini. Atque ſuprema hæc Waldſaſsij calamitas ex una emerſit hæreſi. Poſteaquam enim ſub Annum Chriſti 1520. Ludovicus, ejus nominis quartus, Elector Palatinus, ejuratâ Româ publicè Hei-

delbergæ profeſſus eſſet Lutheranum dogma, totô pectore id unum verſare cœpit, quô pactô per avitæ Religionis excidia procuraret novitiæ hæreſis incrementa. Primæ itaque ad defectionem tentatæ domus Religioſæ, præcipua Romanæ Eccleſiæ fulcimenta, quas inter Waldſaſſium quia præemineret, inſultus fortiores tulit, Abbate Georgiô ſub prætextu *læſæ tutelæ* evocatô Ambergam, ibidémque conjectô in carcerem, ut vel ſic abſente Paſtore grex facili negotiô diſtraheretur in partes. Tulit caſum fortiſſimè Præſul innoxius ac religioſiſſimus, poſt annum dimidium dimiſſus quidem è cuſtodiæ ſqualore, non tamen ad gregem ſuum redire permiſſus, ſed ad Walderbacenſes noſtros, planè ſub id tempus Patre orbatos, ubi grataneter ſuſceptus eſt in Abbatem. Solicitati ſubinde liberiùs Waldſaſſenſes, ut tranſirent ad Lutheri caſtra, peſsimos illos ſtimulos ſemper repreſsêre quàm generoſiſsimè. Una orbitas affligebat filios: eapropter quatenùs ſecuritati ſuæ in tempore conſulerent, itum eſt ab omnibus in ſententiam, ut à *Carolo V.* Cæſare pientiſsimo atque potentiſsimo peteretur Moderator quiſpiam religione atque auctoritate præſtans, cujus auſpicijs ulteriores violenti impetus à Waldſaſsio retunderentur, reſervatô interim ſibi liberæ electionis jure, uſque ad tempora pacatiora. Datus eſt à Carolo Cæſare in Cœnobij Adminiſtratorem ac Protectorem Reverendiſsimus D. D. *Joannes à Wetze*, Archi-Epiſcopus Lundenſis in Regno Daniæ, & Epiſcopus Conſtantienſis, Orator Cæſareus, ac Conſiliarius præcipuus, ſub quo per annos undecim ſervatum feliciter Waldſaſſium. Succeſsit ei ad Conventualium inſtantiam *Joannes Rudolphus à Wetze*, Archi-Epiſcopi Nepos, Vir Eccleſiaſticus, J. U. Doctor, vivente adhuc Antiſtite Adminiſtratore, poſtulatus in Coadjutorem: atque ſubinde demortuô Archi-Præſule, etiam aſſumptus in Adminiſtratorem. Is Prædeceſſoris ſui veſtigia ac ſtudia multô quidem eſt zelô æmulatus, at non eôdem effectu, quô ille; ſiquidem deerat Viro, cæteroquin clariſsimo, character muneris cujuſpiam illuſtrioris, cujus beneficiô adverſi motus faciliùs comprimerentur. Ea enim tum erat temporum calamitas, ut qui vi præpolleret, prævaleret & jure, atque inversô Religionis ſtatu, inverſum *jus* eſſet *vis*. Itaque cùm ſub Annum 1556. Otto Henricus novus Palatinus Elector aſperioribus

rioribus ſtimulis perurgeret Religioſos Cætus ad defectionem, reſtitit inter cæteros inſigniter *Rudolphus*, Waldſaſsij Adminiſtrator: quapropter ab exulcerato Ottone quemadmodùm nuper Abbas Georgius, tractus eſt Ambergam ad arctiſſimam cuſtodiam. Conceptæ interea novæ pro Cœnobijs ideæ ac leges à Sectarijs, proculcatâ omni locorum ſacrorum immunitate ac reverentiâ; diſtracta Eccleſiaſtica ſupellex, admiſſi Viri fæminæque promiſcuè in Religioſa clauſtra, abrogatæ Eccleſiaſticæ cæremoniæ, intruſi miniſtelli novi Evangelij in animarum curam, interdictæ divinæ in choro laudes: atque hæc omnia, aliáque tentata adversùs Inſtituta Religioſa, ut ſcilicèt Principes ijs artibus excuterent avitos poſſeſſores, involaturi illicò in derelictas ditiones: qui fuit præcipuus Procerum ſcopus. Redditus quidem eſt Rudolphus Waldſaſſio, ſed per eas leges deformi, Aſcetis ad alia loca Catholica jam diſperſis, pauculis duntaxat in Cœnobij confinijs in Adminiſtratoris ſolatium clàm hærentibus, atque meliora fata gemitus inter & lachrymas præſtolantibus. Obijt interea Otto Elector, ſucceſsítque eidem Fridericus: cui Frater germanus erat *Richardus* Princeps Catholicus, Moguntinæ & Argentinenſis Eccleſiarum Præpoſitus. Is Annô Domini 1560 à Friderico Waldſaſſij gubernacula petijt atque obtinuit: Rudolphô medullitùs gratulante de fauſta ſpe, ſub Principis Catholici auſpicijs allucescente. At verò præter expectationem languidè rem Catholicam in Waldſaſsio procuravit Richardus, fortè jam in animi latebris talis, qualis poſteà foris apparuit, Lutheri aſſecla. Sub regiminis ſui primordia paſſus quidem pauculos è Religioſis intra Cœnobij latibula clàm morari; at non auſos operari ſacris: qui tamen non multò pòſt acerbiſsimâ hæreticorum indignatione ſubinde migrare compulſi, nè ab offenſa ac irritata plebe trucidarentur, à fideli quodam ſervulo, Cœnobij rem œconomicam tum procurante ſeorſim per alternas vices in vaſe clandeſtinè evecti fuêre. Quos deinceps ſecutus Rudolphus ipſe, ex tædio, quòd nollet ampliùs hæreticis convivere, atque etiam ob invidiam, quâ indignè à Sectarijs premebatur, Waldſaſsium inter profunda ad vindices Cælites ſuſpiria tandem deſeruit. Bini è Waldſaſsij Patribus ad Fahrenbergenſis Montis præalti, ſub id tempus ad Cœnobium

bium pertinentis, tutiores aliquantùm latebras ſeſe contulerant, crebrò exinde gemitu ad deſolatam domum ſuam reſpicientes, atque è montis ſacello ad ſereniora tempora jugi prece ac deſideriô anhelantes. Repertæ ſunt hæ ipſæ Waldſaſſij reliquiæ, gemini hi aſcetæ inter arbuſta & ſylvæ horrorem violentô fatô enecti, neque veriſimiliter ab alijs, quàm à fidei ac Cœnobitarum adverſarijs. Atque hæc quidem deploranda calamitas Waldſaſſium abſtraxit Ciſtercio, nullô ſanè aliô noſtrorum vitiô, nisì quòd nollent juxta Lutheri genium poſitô cucullô ad damnandæ libertatis communionem ſacrilegô facinore ſeſe aggregare: quod ſanè argumentum eſt ingentis gloriæ, quam ampliſſimam meruêre alumni Waldſaſſenſes, tot inter adverſa ſervantes fidem & vota Numini. Noto ego hìc ſignanter, *Tutelæ* nomen Waldſaſſio fuiſſe fatale; non enim alios tam habuit adverſarios, qui totô conatu Cœnobium cuperent evertere, quàm Principes Palatinos, quà hæreticos, ſub tutelæ ſpecie nîl minùs exhibentes, quàm tutelam: Quod etiamnum fatum nonnunquam & alios premit, ſub tutorum ac tutelæ fuco aliquando longè infeliciores, quàm ſi nunquam tutelæ nomen noviſſent.

Sed nunc ad fauſtiora animum intendamus, quô nempè pactô Waldſaſſium Ciſtercio denuò ſit reſtitutum. Id quidem factum auſpicijs *Maximiliani* Sereniſsimi Bavarorum Ducis, Auſtriacæ Domûs Hannibalis, & fidei ſanctæ invictiſsimi vindicis, qui ab Auguſtiſſimo Cæſare Ferdinando II. Annô 1623. pridie nonas Martij Ratisbonæ poſt exauctoratum Fridericum Palatinum adſumptus in ſeptem Virorum coronam, & S. R. I. Dapiferum, ſubinde Annô 1628. in mercedem ſubſidij ingentibus impendijs Ferdinando præſtiti, Palatinatum Superiorem hæreditariô iure obtinuit. Ità rursùs ad Principem Catholicum redijt Waldſaſsium, Provinciæ illius illuſtris portio. Neque tamen citiùs Monaſterium Ordini reſtitutum eſt, donec Maximilianus æquiſsimô jure factos in bellum ſumptus è Cœnobiorum proventibus denuò extraxiſſet: Tum demum ſub Annum 1652. Sereniſsimus Elector præſente Sereniſsimâ Conjuge, *Annâ Mariâ*, Domino Martino Abbati Fürſtenfeldenſi, in paucis ſibi dilecto, clementiſsimè ſpopondit, ceſſurum ſe

 brevì,

brevì, utì quidem Ipſe in animo dudum decreverat, Monaſteria Ordini. At verò ante decreti ac promiſsi eventum è vita mortali exceſsit Maximilianus, Martinô deinceps apud Viduam Electricem multâ inſtantiâ ſolicitante, quod tam religiosè promiſerat Elector Dux; qui induſtrius Præſul tandem effecit, ut Annô 1661. 13. Novembris Monachium convocarentur Religionum Præſides, cum quibus de Monaſteriorum extraditione tractaretur. Obtinuit ille tunc, quod hactenùs unicè optaverat, Waldſaſsium, rursùs uniendum Ciſtercio: Unde etiam illô adhuc annô noſtri poſtliminiò in locum hunc introducti, Sereniſsimæ atque Electoralis Domûs Bavaricæ favoribus, antiquas ſedes rursùs occupavêre, datô *Campo Principum* honore, ut deinceps ob fauſtam eam regenerationem Mater eſſet Waldſaſsij. Gubernacula Domûs penès *Superiorem* perſtitêre, reſervante ſibi Abbatialis nominis ac muneris prærogativam Reverendiſsimô Præſule Fürſtenfeldenſi: donec ante annos, quod ſciam, duodecim electionis Canonicæ ſuffragijs in loci Abbatem reſidentialem digniſsimè adſumptus eſſet Reverendiſsimus D. D. *Albertus Hauſner*, Profeſſus è Campo-Principum, cui ſuperi omnia fauſta.

Non eſt in his Waldſaſsij memorijs tacenda res hodie rara, *Jubilæum* nempè *triplex* prælaudati Reverendiſsimi D. D. Abbatis Martini, *Profeſſionis* nimirum, *Sacerdotij* atque *Abbatiæ*. Neque id omittendum, quòd dum Venerabilis hic Præſul anniverſarium electionis ſuæ Abbatialis ante Annos quinquaginta factæ diem inter filiorum plauſus Annô 1690. quintâ Februarij celebraret, fauſtô omine ad eum ipſum inſulæ quinquagenariæ jubilum Auguſtiſsimos Hoſpites, *Leopoldum I.* Cæſarem, Auguſtam *Eleonoram* Imperatricem, ſimúlque & Auguſtum Romanorum Regem *Joſephum I.* è Coronationis ſolemniis Auguſtæ Vindelicorum celebratis, appuliſſe, noctéque in Campo-Principum apud noſtros exactâ, manè ſacrificio Miſſæ ter jubilati Antiſtitis ipsâ anniverſariâ, ùt dixi, electionis die, interfuiſſe. Neque annum illum ſupergreſſus eſt Martinus, vitâ tandem poſt tot jubilos gloriosè defunctus.

Cæterùm plaudo ego Waldſaſsio, quòd Ciſtercio reſtitutum ſit, induſtriâ Præſulis per tot jubilos fortunati. Ferat, opto,

opto, etiam Jubilæa multa Martini jubilati auſpicijs Waldſaſſenſis Domus! Et id quidem potiſsimùm per vota Oſſecij, id eſt, filiæ ſuæ! Et ſanè ignoro, utrum ampliùs gratulandum Matri, quòd receperit filiam; aut filiæ, quòd receperit Matrem; utraque enim avulſa ab Ordine, utraque Ordini reddita eſt. At verò quoniam par fuit utriuſque calamitas, par etiam utriuſque ſit jubilus: & jubilent ambæ DEO, cujus munere nunc ſunt, quòd ſunt, & quod ſunt!

WELLEHRADIUM.

Wellehradium, olim apud Moravos Urbis Regiæ, hodie Ciſtercienſis Cœnobij nomen, utrobique celebre. Quod Urbem attinet, plangenda illa eſt Virgilij metro: -- *Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens*
Gloria Teucrorum. *Lib. 2. Æneid.*

Tam ſcilicèt reliqua ferè omnia præter unum nomen, famámque periêre, ut hódierni velutì per conjecturas divinare debeant, quô locô, & quàm amplô Wellehradium, Civitas illa illuſtris, Regum Marcomanniæ, inclyta & vaſtiſsima Sedes, Archi-Præſulum clariſsima Metropolis, aliquando ſteterit. Sic humana omnia, etiam ſumma cadunt, ut nè quidem, ubi ſteterint, aut perſæpè, an ſteterint, à poſteris noſcantur. In hac ipſa Urbe Chriſtianæ fidei primitias ſuſcepit Moravia per Divos Antiſtites *Cyrillum & Methudium*, Patriâ Theſſalonicenſes, ambos ſucceſſivè Wellehradenſis Cathedræ Sanctiſſimos Archi-Præſules, quorum Apoſtolicô zelô Svvatoplucus potentiſsimus Marcomannorum Rex ad Chriſtiana ſacra, ſacríſque undis ablutus eſt, ſub decurſum ſæculi Noni à partu Virgineo. Attulerant illi unà ſecum è Cherſoneſo Pontica Corpus glorioſiſſimi Papæ & Martyris *Clementis*, quod velutì Apoſtolatûs ſui cæleſte Palladium primò quidem collocârunt Wellehradij, ubi Svvatopluci Regis favore conſederant, ſubinde cùm allaturi fidei lumina ad vicinos Bohemos commigrarent, ſacratiſſimum illud pignus ſecum adſportaverunt. Hinc factum exiſtimat Reverendiſſimus Peſſina in *Mart. Morav. Lib. 2. cap. 5. pag.* 153. ut *quacunque Cyrillus*, Reliquiarum earundem ſanctus portitor, *iter per Bohemiam tenuit, maximè verò, ubi divertens ali-*

quamdiu ſubſtitit, adium ſacrarum ſub Ejuſdem ſancti nomine, aliqua principia jecerit. Quæ res in confeſſo eſt in Eccleſijs, cùm Pragæ, tum per reliquum Regnum Ejuſdem Sancti Pontificis honori erectis. Magna quidem hæc fuit Moraviæ, Bohemiæque felicitas, ſed admodum brevis, Cyrillô deinceps S. Clementis exuvias Romam ad Nicolaum I. Pontificem deferente. Conquievêre illæ tamen præ cæteris locis diutiùs Wellehradij: adeóque loci iſtius prærogativa eſt duplex, quòd nempe inter Gentes Slavicas quietis ac depoſitionis primordia, atque ea quidem per tempus longius pro lipſanis ſuis ibidem elegerit Beatiſſimus Chriſti Martyr Clemens. Extat hodie in Eccleſia Cœnobij Wellehradenſis eidem Divo Pontifici ſacrum Sacellum, Veſtigium veluti Clementini apud Wellehradenſes cultûs. Atque hæc quidem de Urbe. Pauca nunc, quæ accepi de ipſo *Monaſterio*, Urbis nomen ideò ſibi vendicante, quòd (uti cenſet *Peſſina cit: Lib:* 1. *cap.* 6.) *eo ipſo in loco*, aut *non procul indè* ſitum ſit, ubi Wellehradenſis Civitas olim ſteterat. Ego Wellehradium Cœnobium, Phœnicem dixerim, non quidem tam mole ſuâ, quam religione exhibentem quædam Wellehradenſis Urbis indicia ac monimenta. Inſtar portenti eſt, è tam vaſtæ Urbis ampliſſimis reliquijs nè hodie quidem ſupereſſe veſtigia ruderum, ità ut ſolâ quaſi animi imagine ex hiſtorijs deſumptâ extare videatur Magnifica Civitas Wellehradenſis. Cæterùm accepi à Wellehradenſibus, non pridem inventum eſſe in vicina Cœnobij ſylva ſaxum ſepulchrale, cui inter cætera inſculpti antiqui characteres: *Civis Wellehradenſis*: adeò de Wellehradio Urbe, ſi quæ fortè ſuperſunt, è tumulis erui debent.

Fundavit inclytum hoc Cœnobium *Wladislaus* Moraviæ Marchio, circa Annum Domini 1202. ùt tradunt Wellehradenſes in notitijs ad me directis, aut circa Annum Chriſti 1204. ùt habet Peſſina *cit. loc: pag:* 77. primâ coloniâ evocatâ è Plaſſio, de linea morimundenſi. Proſecuti ſunt Religioſiſſima Wladislai initia Succeſſores Marchiones, Regéſque Bohemiæ, à quibus cum per adjectas poſſeſſiones, tum per indultas immunitates accumulata Wellehradenſis Domus, incrementa acceſſu temporum ſemper ſumpſit ampliora. Ottocarus præ-

ſertim

ſertim Bohemiæ Rex novellam Wladislai Marchionis plantationem in protectionis Regiæ celſitudinem evehens, peculiari diplomate (quod integrum recitat Jongelinus *Notit: Abb: Lib: 5. pag.* 44.) eandem auctoritate ſuâ confirmavit Annô Domini 1228. Verùm quòd idem Author ità per alios edoctus aſſerit, fundatum nempe Wellehradium Annô 1228. id neque cohæret cum Peſſina, neque cum Wellehradenſi traditione; utriuſque enim ſuffragante adſenſu, Cœnobij fundatio ad ſæculi tertij ſupra decimum initia refertur. Et quanquam Ottocarus in literis aſſerere videatur, *conſtruxiſſe*, *ditâſſe*, atque *dotâſſe* ſe Wellehradium; ſimul tamen ibidem profitetur, *Wladislai fratris ſuis impenſis atque expenſis* illud priùs eſſe *fundatum atque ædificatum.* Prius namque eſt, domum fundari, quàm ditari, aut dotari. Quòd autem aſſerat Ottocarus, *conſtruxiſſe* ſe Wellehradium, id veriſimiliter ad ædificij augmentum referri debet, cui ſemper addi aliquid poteſt. Accedit, quòd id diploma Rex divulgaverit annis ſex à morte fratris elapſis, liberiùs tunc ſibi fraternô jure uſurpans Confundatoris prærogativam, quandoquidem pios Wladislai conatus multâ induſtriâ ille proſequeretur, ſuſceptô in *Regiam tutelam* Cœnobiô *ſuóſque* in Regno *hæredes*, *ac Succeſſores* conſtituens Wellehradenſium *tutores, ac defenſores*: quemadmodum etiam nuper Oſſecij fecerat idem Ottocarus, quod licèt fundatum per Milgoſtum & Slavconem Comites, advocavit tamen in protectionem ſuam Regiam, eô titulô, per vulgi labium & ſtylum nuncupatus communiter Oſſecij Fundator. Ità ferè actum Wellehradij, eôdem Ottocarô per Confirmationis impertitæ, atque etiam oblatæ tutelæ titulos, jus ſibi, non quâ fundatoris, ſed quà Protectoris vendicante. Porrò *ad Cœnobij* hujus *fundationem* (utì refert Balbinus *Boh: Sanct: Lib:* 1. §. 39. *pag:* 60.) *plurimùm contulerat B. Andreas* Pragenſium Epiſcopus, Eccleſiaſticæ immunitatis vindex acerrimus, cujus corpus ab obitu ex Italia, ubi devixit, Wellehradium devectum, ibidem inter charos alumnos conquieſcit.

Accrevêre per temporum intervalla Wellehradio, variô dominij genere pagi in Moravia, atque etiam in Sileſia complures, è quibus tamen non paucos rursùs eidem abſtraxit in-

juria temporum. Primo Domûs Abbati, nomen *Tecelinus*, quale Bernardi Parens habuit, eô feliciſſimæ Paternitatis præſagiô fauſta quæque portendentis Cœnobio. Loci Abbatem inter Moraviæ Prælatos Regulares cùm in Provinciæ Comitijs, tum in alijs publicis Conventibus, quod ait *Peſſina cit*: tenere Primatum, nuncuparíque *Primum* Moraviæ *Prælatum*, dixi ſuperiùs *Tit*: 23. Maternitatis prærogativam in hac Domo commendat *Wizovicium*, apud eoſdem Moravos Virorum Abbatia, Wellehradij filia, de qua paulò infrà inter Cœnobia deſolata. Cœnobio nunc digniſſimè præeſt Reverendiſſimus D. D. *Florianus*, non ſinè floridi regiminis omine è Prioratu adſumptus ad clavum, cui cælites nunquam non flores, florida gubernacula, fata, tempora!

NOVA CELLA.

NOva-Cella, Domus Ciſtercia in inferiori Luſatia, quàm Annô Domini 1228. condidit illuſtris *Henricus*, Miſniæ ac Luſatiæ Marchio, Thuringiæ Landgravius, evocatis colonijs è *Veteri-Cella* Miſniæ Cœnobio, unde & vocabulum à Matre translatum ad filiam, ut ſcilicèt Cella Mater diceretur *Vetus*, & Cella filia nuncuparerur *Nova*. Jongelinus in *Notit: Abbat: Ciſt. Lib.* 3.*pag*. 66. refert Novæ-Cellæ fundationem ad Annum 1230. at verò à Reverendiſſimo Domino Loci Abbate doceor bienniô antevertere tempus. Et quidem ſub ipſas regiminis ſui primitias præſens Cœnobium erexerat Henricus, inde nempe ſumpturus fauſta dominatûs ſui auſpicia, vetuſto Principum more, ut felicitatis haud dubia omina caperent à Religioſis domicilijs, quibus gubernaculorum ſuorum primordia ſacrârint, non cupientes ſanè priùs regere, quàm erigere; ideò in regendo deinceps per DEUM felices, quia in erigendo priùs fuerint erga Eccleſiam munifici. Condi voluit ab obitu Fundator Marchio in Domo, quàm condidit, unà cum illuſtri Conjuge ſua *Conſtantia*, Leopoldi, agnomentô *Glorioſi*, Auſtriæ Ducis filia: unde videat Lector, vel à fundationisprimordijs Auſtriaci nominis felicitatem Novæ-Cellæ velutì per prima ſemina in Conſtantia Auſtriaca fuiſſe implantatam, neque hodie illam florere poſſe, ſinè Conſtantiæ atque Auſtriæ beneficio; Domus

mus enim hæc Ciſtercia, quæ non ſinè Conſtantia Auſtriaca olim ſurrexit, hodie ſinè Auſtria non ſtat, Auguſtiſſimis ex Auſtria Imperatoribus *ſupremâ Tutelâ* præſidiô Domum per *Conſtantiam* olim factam ſuam, conſtanter fortitérque defenſantibus: eapropter ſeu prima ſpectes, ſeu poſteriora hæc Novæ-Cellæ tempora & fata, deprehendes eam utrôque titulô Auſtriacam eſſe, rectéque hôc locô augere atque ornare *Bernardi Auſtriaci* gloriam.

Auctæ ſunt deinceps Cœnobij poſſeſſiones etiam domeſticorum induſtriâ, atque ſimul *Marchionum Brandeburgicorum* donatione munificâ: quos proinde, poſt Henricum Fundatorem, Neo-cellenſes alumni gratiſſimâ recolunt reminiſcentiâ. Loci Eccleſiam ritu ſolemni conſecravit Illuſtris Præſul, Paulus, Epiſcopus Tyberienſis, per Miſnenſem ac Wratislavienſem Diæceſes Vicarius Generalis, perpetuis in conſecrationis collatæ monimentum conceſſis 40. dierum indulgentijs, pro omnibus feſtivitatibus Domini, Divæ Virginis, Apoſtolorum, OO. SS. nec non SS. Benedicti & Bernardi, atque etiam pro anniverſaria dedicationis die.

Stetit Nova-Cella titulô filiationis ſub Abbatum de Veteri-Cella, Paternitatis relatione uſque ad Lutherana diſturbia, præſedítque in Abbatialibus electionibus conſtanter Vetero-Cellanus Abbas, tanquam Pater immediatus. At quia ultra Annum 1537, (quô de more viduatæ domui Paternâ auctoritate, de novo Abbate, Nicolao, providiſſe legitur) nulla ejuſmodi præſidentia ampliùs memoratur, inde veriſimile fit, circa ea tempora, aut non longè poſt Veterem Cellam, eheu! juxta novi Lutherani dogmatis leges, Principum arbitriô avulſam eſſe à Ciſtercio & Roma, quemadmodum & uſque in præſens eſt prophanatâ loci religione. Electionis (cujus jam meminimus) inſtrumento ultimo hunc titulum præfixerat Vetero-Cellanus Abbas: *Nos Fr. Paulus, Abbas in Veteri-Cella Ord. Ciſt. in Miſnenſi Diœceſi, Reverendiſſimi Domini Ciſtercii, totiuſque Generalis Capituli noſtri per Miſniam, Thuringiam, Saxoniam, Bohemiam, Moraviam, Sileſiam & Luſatiam Commiſſarius, Pater Immediatus V. Monaſterii de Nova-Cella &c. Notum facimus, &c.*

Adſumpti olim è Nova. Cella Abbates non pauci in *Intima Conſilia* à Marchionibus Brandeburgicis: de nomine ad me perlati ſunt, *Lucas*, *Nicolaus*, *Bartholomæus*: atque poſt hos inter illuſtria elogia memorandus Reverendiſſimus Dominus *Bernardus L. B. de Schrattenbach*, Sereniſsimi Electoris Saxoniæ Joannis Georgij II. Conſiliarius Intimus.

Porrò Neo-Cellenſium *Regalia* ac *Juriſdictionalia*, qualia per reliquum Vicariatum noſtrum, quod ſciam, in nullo Cœnobio ſimilia, quia eximia, dabo verbis ac terminis ipſiuſmet Reverendiſsimi Domini, Abbatis loci, eadem ad me gratioſè perſcribentis. Habet itaque Monaſterium Neo-Cellenſe: *Conſiſtorium*: *baſſam & altam juriſdictionem*, *à qua in criminalibus non appellatur*: *Curiam Feudalem*, in qua comparere obligati Barones & Equites: *Jus vectigalis & telonii*: *In Diatis primam ſeſſionem & votum &c. Et hæc omnia in viridi obſervantia.* Quæ ſanè res digna admiratione, præclara hæc jura vel in hæreticorum meditullio ſervari inconvulſa. Eſt namque Neo Cellenſe Dominiũ, ſi pauculas propè Cœnobium ſitas domos excipias, totum Lutheri ſenſis imbutum: neque reliqua Principum ac Civitatum circumpoſita vicinia alias leges ſequitur, quàm à Romana amuſsi alienas: adeóque inſtar portenti haberi debet, in generali Religionis apud Germanos diluvio, procellis omnibus ſupernataviſſe hanc Ciſtercij tabulam, in qua ſanctæ fidei glorioſæ reliquiæ per noſtros ſervatæ ſint. Verùm hoc opus dexteræ Excelſi, è ſublimi protendentis ſalutarem opem: atque etiam poſt DEUM, hoc opus Auguſtiſsimæ ac pientiſsimæ Domûs Auſtriacæ, peculiari ac perenni tutelâ Romana ac Ciſtercia ſacra in Nova-Cella manutenentis.

Cæterùm pertinebat olim ad hanc etiam Domum *Præpoſitura* & Jus Patronatûs in oppido Beskavv; at verò de utriuſque reſtitutione à Rudolpho II Ferdinando II. & III. Auſtriacis Imperatoribus, iteratò interpellati Marchiones Brandeburgici, necdum hactenùs id præſtiterunt in effectu. Hodie Cœnobio digniſsimè præſidet Reverendiſsimus D.D. *Petrus*, electus è gremio, Prioris antehac functus officiô, quem ultrà *Annos Petri*, Cælites iterum iterúmque quàm longiſsimè provehant!

ZARA,

ZARA,
SIVE
FONS S. MARIÆ.

ZARA, Diœceſis Pragenſis, in diſtrictu Czaslavienſi, aliàs de ſtylo Ciſtercij, *Fons S. Mariæ*; ſed priori vocabulo ex vicina Civitate Zarenſi hodie magìs nota Domus, quàm poſteriori: Surrexit Annô Domini 1234. (utì è continua traditione, ac tabula geneſeos Archi Cœnobij Ciſtercienſis conſtat) in ipſis Moraviæ Bohemiæque conterminijs, rivulô interſecante utramque Patriam, ità ut pars Zaræ (ubi Cœnobium, Eccleſia, Abbatia) pertineat ad Bohemiam, pars altera immediatè quaſi contigua (ubi ædes œconomicæ) ad Moraviam. Fundator Domûs, Illuſtris *D. Boczko*, Comes de Bernek, Baro de Kunſtat, Caſtellanus Znoymenſis, de Conthoralis ſuæ Euphemiæ, filiorúmque Smilonis & Gebhardi ſive Georgij conſenſu. Prima Virorum colonia deducta è Cœnobio Viridis-Montis; ſeu Nepomucenſi, de linea Morimundi. In novæ Familiæ patrocinium advocatus è Cælitibus poſt DEUM & Divam, glorioſus Chriſti Confeſſor, Divus *Nicolaus* Epiſcopus, cujus honori Zarenſes hodiedum multâ celebritate præter Feſti ſolemnia per integram Octavam ſunt devoti. Ratam habuit Bozkonis fundationem Annô Domini 1251. *Ottocarus* Premislaus Bohemiæ Rex, atque ſubinde etiam *Carolus IV.* Cæſar. Notio nominis (*Fontis S. Mariæ*) hauſta è fonte & Mari, MARIA; Traditione enim habetur, Divam Parentem primo Fundatori Boczkoni ſpectandam ſeſe exhibuiſſe ſupra Fontem, eo ipſo in loco, ubi nunc in ambitu è regione Refectorij *Fons* deſignatur. Eam viſionem, traditionémque firmant ſigilla Conventûs vetuſta & nova, Almæ Virginis ſupra fontem conſidentis ſimulachrum præſeferentia.

Continuavêre Boczkonis Fundatoris munificentiam filij ejus ac Nepotes, longô ordine novis donis Zaram accumulantes. Exhibuit olim hanc ſcenam vetuſta pictura in Cœnobij Eccleſia, intra Presbyterium, meridiem versùs, ubi præter Boczkonem, duodecim alij hæredes Kunſtadiani ante DEIpa-

ræ thronum adgeniculati viſebantur: ſubter quam picturam intra muri cavitatem ſepultura erat eorundem Fundatorum. Versùs Aquilonem in eodem Presbyterio peculiaribus loculis, ſeu cryptâ conduntur oſſa *Illuſtrium Baronum* de *Laichtenburg*, ſeu de Lippa, qui auxerunt Cœnobij dotem liberali adjectione plurium villarum. Præcipui eorum recenſentur *Zwilo* & *Henricus*, quorum donatione Zara obtinuit *Præpoſituram* in Chotěboř/ cum jure Patronatûs ipſius Eccleſiæ, & pago Heinrichsdorff, tertia parte telonij & decimæ ex aurifodinis in Bela & Broda: útque foret hæc conceſſio firmiſſimi roboris, confirmaverunt illam *Joannes* Epiſcopus Pragenſis, & *Guido* S. R. E. Presbyter Cardinalis & Legatus, Annô Domini 1267. At verò tempeſtas Huſſitica deinceps noſtros è Præpoſitura ejecit, ſolô pagô Heinrichsdorff Zaræ relictô. Eſt præterea in Cœnobij Eccleſia crypta alia in Capella ad latus presbyterij versùs Aquilonem, in qua reconditi conquinſcunt Illuſtres Domini *Barones* de Mezriz / ob nonnullarum poſſeſſionum elargitionem inter loci Benefactores adnumerati. Igitur primordia Zaræ debentur Dominis de *Kunſtadt*, qui & dicuntur Domini de *Podiebrad*; incrementa poſt eoſdem Podiebradios, Baronibus de *Leichtemburg* & *Lippa*: ſimúlque etiam Baronibus de *Mezeriz* & *Pernſtein*. Quæ omnia illuſtrium Virorum ac Mecænatum beneficia confirmavêre Bohemiæ Reges, Marchiones Moraviæ, ſummíque Eccleſiæ Præſules, præſertim *Gregorius Papa* IX. & *Joannes* XXI. ſuſcipientes Zaram ſub BB. Petri & Pauli, & ſuam Pontificiam protectionem.

Et floruit inclyta Domus religionis odore, per duo facilè ſæcula: uſque dum communi Cœnobiorum ac deplorandô fatô per Thaboritas poſt exceſſum etiam Ziſkæ Ducis, barbarè tumultuantes, everſum eſt, aſcetis ferrô atque incendiô enectis. Reſtauratam tandem lego Zaram per Illuſtrem Bohemiæ Regem *Georgium Podiebradium*, qui fuerat de Fundatorum progenie, ac linea Domini Boczkonis, introductis denuò Monachis unà cum Abbate, atque bonis integrè reſtitutis. Expunxit ſanè ex parte Georgius Zaræ, quod alibi in Ciſtercienſium apud Bohemos Cœnobia peccaverat: poſſeſſionum ſcilicèt fragmenta illis ſeu ſubtrahens, ſeu ſubtracta retinens, aut

aut in alios diſpenſans; at verò poſſeſſiones integras, neque imminutas Zarenſibus reddens. Extollunt id beneficium mirificè, & quidem pro merito, Georgij Regis Nepotes, S. R. Imperij Principes ac Duces, Münſterbergenſes, Albertus, Georgius, Carolus; Fratres, de linea Fundatorum illuſtriſſimi deſcendentes, in dato Zarenſibus privilegio: ubi poſt lamenta ſuper Cœnobij deſolatione, hæc illi: *Nec quis Fundatorum repertus, qui tantam laudabilis fundationis ruinam protexiſſet, aut pro reſtauratione atque recuperatione Patrimonii Chriſti manus porrexiſſet adjutrices; ſolùm ille quondam Magnificus Georgius Baro de Kunſtadt & Podiebrad, poſtea Rex Bohemiæ factus, Dominus & Avus noſter præcariſſimus, tanta Prædeceſſorum & Progenitorum ſuorum laudabilis fundationis ruina condolens, poſt plurimorum annorum ſpatium, modô & viâ, quibus poterat, quæſivit dictum Monaſterium cum ſuis bonis, è manibus minùs juſtè poſſidentium, & turpiter utentium eruere, & ad laudem divini cultûs, honorémque Sanctiſſimæ & glorioſiſſimæ Ejus Genitricis Virginis MARIÆ ſemper intactæ recuperare, & eidem Monaſterio, Abbate cum Fratribus introductis, & tanquam à Novo Fundatore & Recuperatore locatis, & inſtitutis reſtituere & incorporare, quod in re præſtitit.* Has Avo ſuo laudes dedêre illuſtres Principes; neque minores Eidem, unâque & dignas grates alumni Zarenſes, Georgij Regis, novi Fundatoris ſui munere hodie felices ac ſuperſtites. Porrò non contentus inclytus Rex antiquas Zarenſibus ſuis reddidiſſe ſedes, inſuper à *Pio II.* Romano Pontifice Annô Domini 1462. novo Abbati Joanni ac Succeſſoribus impetravit *Uſum Pontificalium.*

Itaque noſtri poſtliminiò Zaram reducti, velutì recompenſaturi, quod hactenùs neglexerant, ingenti ardore interruptas DEI laudes reſumpſerunt: adeò ut præcitatus *Pius II.* Papa Apoſtolicô elogiô Viros de præclaro illo zelo recommendârit. Floruit & viguit Zara deinceps poſt ſuperatos turbines pacata, præprimis ſub Abbate *Vito*, Præſule longè præſtantiſſimo, quem Münſterbergenſes Duces, Cœnobij Fundatores, *Parentis locô* habuêre. Liquet clarè Principum erga Antiſtitem propenſio è literis ad eum perſcriptis, ubi hæc: *Nos Principes Münſterbergenſes, in altiorem ſtatum, ùt puta, Ducalem Celſitudinem, Divinâ favente clementiâ erecti & ſublimati, nolumus & vos expertem fore,*

imò potiùs Ejuſdem participem efficere volentes: Vobis antedicto Vito Abbati ſæpiùs memorati Monaſterij, ob ſingularem virtutum veſtrarum præſtantiam, animíque conſtantiam annulum Aureum ex aurifodinis noſtris in Reichenſtein, in quo Aquila Ducatûs Münſterbergenſis clypeum ſeu clenodium Dominorum de Kunſtadt in pectore geſtans, ſupra clypeum verò infula Pontificalis cum Baculo Paſtorali exſculpta ſunt, dono mittimus, & dirigimus annuentes: ut & vos & poſteri veſtri Abbates dicti Monaſterii ejuſmodi clenodijs in eodem exſculptis, & cerâ rubeâ, præcipuè tamen in cauſis ſuis privatis liberè poſſint & valeant uti & frui in perpetuum. Tumulum inclyti Præſulis ante gradum Presbyterij inſtravit marmore filiorum gratitudo, cum glorioſa epigraphe: *Alter Fundator.*

Poſt *Viti* obitum continuata eſt Domûs proſperitas in ſtatu utroque per Abbates complures uſque ad Annũ Domini 1590. cùm ecce rursùs diſſidiô & hæreſi turbari diſtrahíque cœpit Orbis Auſtriacus; quæ mala potiſſimùm ſenſêre Religioſi, atque etiam Zarenſes noſtri, infeſtatione Adverſariorum numerô ità diminuti, ut Annô Chriſti 1601. vix ſeptem ſupereſſent afflictæ Domûs incolæ, Abbate *Gallô* tum etiam ad cladis & calamitatis augmentum per mortem ſublatô. Eâ re invitatus Eminentiſſimus *Cardinalis* Princeps à *Ditrichſtein*, Epiſcopus Olomucenſis, Summum Pontificem *Clementem VIII.* eò permovit, ut Cœnobium Zarenſe Menſæ ſuæ Epiſcopali adjunctum ſit: cujus ille poſſeſſionem (finitô juris ſtrepitu, & initâ cum Ordine concordiâ) tandem adivit Annô Domini 1614. Cœnobitarum reliquijs aliò collocatis, & nè domus ſacra ſinè conſuetis DEI laudibus eſſet, in locum Ciſtercienſium evocatis *Patribus Franciſcanis*, qui ab Anno 1614. ibidem perſtitêre uſque ad annum 1638. Ita ferè ſors una & eadem Oſſecam Ciſtercio abſtraxit & Zaram, utramque ad gubernacula Præſulum; illam quidem Pragenſis, hanc Olomucenſis: utramque olim redituram ad gremium, ſed tardiùs aliquantò Zaram, quia & tardiùs avulſam. Non habuêre tamen Seraphici Cantores & alumni pacificam in Zara poſſeſſionem, infeſtati jugiter à noſtris DEI nutu ad amiſſam domum è vita altera redire permiſſis. Res ſanè eſt pro Ciſtercio pulchra ac memorabilis, probata hactenùs fideli ac communi traditione, de qua fusè

per

per Viros fide dignos edoctus, pro meo, Ciſtercienſium, ac præprimis Zarenſium ſolatiô, hæc ſcribo. Viſi frequenter noſtri (cùm tamen cæteroquin nemo eorum ampliùs adeſſet) in Eccleſia, Refectorio, aliiſque locis Regularibus, amarô ſeverôque improperiô, ceu imperiô novis incolis datô: *Cedite noſtris, cedite noſtris!* Terrebant hæc oſtenta optimos Patres perquam vehementer, cùm ſcilicèt ſeu chorum ingreſſuri, jam deprehenderent noſtros ibidem conſiſtentes, imò & cantantes, ſeu acceſſuri ad refectionem, viderent noſtros, præoccupatis jam ſedibus, menſæ accumbentes. Quin imò fama eſt, nonnunquam deperditos cibos occultâ vi abſtractos, quibus Seraphici Patres reficiendi erant. Et quidem hæc omnia noſtris, deinceps per ipſos Patres Franciſcanos fideliſsimè atque ultrò relata fuêre. Forment nunc ex his portentis Theologi ſibi ideas, gratum nempe haud eſſe DEO, ſi citra Fundatorum mentem, Cœnobia à Familia, cui primitùs extructa ſunt, transferantur ad aliam quamcunque, tametſi æquè florentem ac celebrem, & fortè præſtantem eadem, quæ prior illa, cui fundatio facta fuerat. Sunt arctâ quidem viciſſitudine ſibi ad invicem colligati alumni Mellifluì, ac Seraphici, quod Superiori Titulô ad ſolatium vidimus; at verò cùm Ciſtercienſium poſſeſſiones alienis auſpicijs occupant Franciſcani, offenduntur noſtri, atque per prodigium, id eſt, divinâ voluntate è tumulis regreſſi ceſſionem imperant vel amicis. Porrò ſeveræ illæ voces: *Cedite noſtris*, prolatæ à Ciſtercienſibus Zaræ, etiam extra Zaram Orbem Chriſtianum pervadunt, atque percellunt, ubi demum citrà Ciſtercij ſeu adſenſum, ſeu culpam, Domus Ciſterciæ occupantur ab exteris. Juxta æquitatis leges impendere debes *cuique ſuum*, & impertiri etiam potes *cuique tuum*: at verò alienum alteri dare, nec potes, nec debes. Et quanquam Romani Pontifices (per quos fortè te excuſaveris) pro ſupremo ſuo jure, quô in Orbe Chriſtiano funguntur, transferre ab Inſtituto ad Inſtitutum Cœnobia valeant; id tamen pro ſumma æquitate, quâ Eccleſiam gubernant, facere non ſolent: & ſi faciunt, alienô ductu atque arbitriô id præſtant, minùs facturi, ſi ita non duxiſſes. Stant in *Scrinio* Pontificij *pectoris* pulcherrimô ordine inſculptæ Eccleſiæ leges generales; at verò peculiaria Cœnobiorum quorumvis jura citra culpam

Pontifices ignorare poſſunt & ſolent: ac proinde quidquid hac in parte agunt, alienô conſiliô ac ſuaſu id agunt, & ratio facti ſtat penès conſulentem. Nôrunt ſanè, & nôrunt quàm optimè Sapientiſsimi Romanæ Cathedræ Antiſtites, quid in Eccleſia meruerint Viri Ciſtercij, quos meritorum intuitu tantis olim favoribus accumulârint, adeóque tam facilè præſumendi non ſunt quidpiam aliquando voluiſſe decernere in præjudicium Familiæ ſibi chariſsimæ, tantíſque in Vinea Domini laboribus defunctæ, & cujus conſervationem, reſtaurationem, reformationem, defenſionem per tot Apoſtolicas Bullas ipſimet Paternâ ſuâ ſolicitudine, motu propriô, atque ex certa ſcientia, ſingularíque animi propenſione omnimodis uſque in præſens viſi ſint ſemper procuraviſſe. Neque ego hâc ipsâ Pontificum Romanorum excuſatione alium quempiam, præter unam temporum injuriam ac calamitatem, accuſare vel velim, vel audeam. Scio ego, ſcio Fatum Ciſtercij, imò Orbis eſſe, per adverſa jactari; at non everti. Conditio virtutis eſt, pati. Non utique offendimur, quòd patimur. Nihil Bernardo noſtro tam propinquum, tam amicum, tam intimum, quàm crux, ſpinæ, mallei, flagra, quæ Parenti Mellifluo jugiter inter amplexus hærent. Amaverit ſanè, quod ita cordi ſuo adſtrinxerit. Neque è Ciſtercio filij ſinè cruce, quia non ſinè Bernardo: atque eapropter ſi quid temporis vitiô tolerant, ad Patris genium æquanimiter tolerant; ſublevandi rursùs temporum beneficiô, quæ ex merito præſtolantur felicia. Hæc incidenter. Nunc iterum ad Zaram poſt annorum viginti quatuor intervallum révolutam ad Ordinem revertamur: quod quidem ita evenit. Commutaverat Eminentiſsimus Cardinalis Dietrichſteinius de Summi Pontificis conſenſu Cœnobium Zarenſe, tanquàm à Menſa Epiſcopali longiùs diſſitum, cum hæreditario ſuo dominio *Kropin*: illud inſerens Familiæ ſuæ, hoc adjungens Epiſcopatui Olomucenſi. Poſt obitum itaque prætacti Cardinalis Zarenſe Dominium jure hæreditariô adiverat Celſiſſimus Princeps Maximilianus de Dietrichſtein: qui impulſu haud dubiè ſupernô, ad noſtrorum, ac præcipuè Reverendiſſimi Domini Joannis Greiffenfels, Oſſecij, Wellehradij & Aulæ-Regiæ Abbatis, nec non Viſitatoris ac Vicarij Generalis plurimam inſtantiam paſſus eſt de Auguſtiſſimi

ſtiſſimi Cæſaris clementiſſimo annutu, pro numerata pecuniæ ſumma, è Vicariatûs Cœnobijs collecta, ſibi avelli, atque Ordini denuò reſtitui, adductis illicò Annô Domini 1638. Ciſtercij alumnis, qui avitas ſedes dimiſſis Franciſcanis Patribus æquiſſimè occuparent. Manſit Domûs regimen ſinè reſidentiali Abbate penès Provinciæ Viſitatores, uſque ad R. D. Hilgerum Burghoffium, qui characterem Abbatis Zarenſis obtinuerat. Quô è vivis ereptô procuranda Zara commiſſa eſt R. D. Viſitatori, Laurentio, Abbati de Oſſecò, ſimúlque alijs duobus Abbatibus de Sedlecio, & Wellehradio: donec Annô 1676. de adſenſu Illuſtriſſimi P. Generalis per viam ſcrutinij in Abbatē electus eſſet R. D. Benedictus, Altovadenſis Cœnobij Profeſſus, ac tum actualis Prior, ſubinde etiam acclamatus Provinciæ Viſitator Generalis, cujus inſigni induſtriâ Zara (quamvis tunc incendiô fortuitô conflagrâſſet) ad priſtinum decus DEI munere egregiè reſpiravit. Reverendiſſimus D. D. Succeſſor *Edmundus Bagnerius*, nuper Tiſchnovienſium Præpoſitus, electus è gremio, qui nunç digniſſimè præeſt, Benedicti prædeceſſoris intentiones in reſtauranda domo internâ externáque operosè proſequitur: Cui in *Zara* ſeu *Sara* ſua, olim *Centenario* Cælites, opto, *riſum* faciant! Habet Abbas Zarenſis locum ac ſuffragium inter Moraviæ Prælatos in Comitijs Provincialibus. Cæterùm pro Domûs iſtius gloria memorandi Præſules gemini, Epiſcopalibus Infulis conſpicui: *Joannes Theodoricus* Epiſcopus *Nazaretenſis*, creatus Annô 1412. per Joannem XXIII. Pontificem Maximum: & *Wenceslaus*, Suffraganeus Olomucenſis, & Epiſcopus *Nicopolitanus*, ambo è Zarenſi gremio evocati. Geneſ. 21. cap.

ALTO-VADUM.

A*Lto-Vadum*, Roſenſium Principum illuſtre apud Bohemos monimentum, duobus à Crumlovio Civitate milliaribus diſſitum, ſurrexit Annô Domini 1259. munificentiâ Petri Wokonis Urſini de Roſenberg, Regni Bohemiæ Mareſchalli. Unde hæc ipſa Domus ob Roſea hæc primordia conſtanter deinceps ad Roſenſium tutelam reſpexit, experta efficaciter ab inclytis Fundatoribus ac Patronis non minùs ſubſidium,

quàm præſidium; hæc enim duo præſtare alumnis ac clientibus debent, quicunque *tutelæ* nomen in ſe ſuſceperunt, nè ratio nominis ab ipſo nomine diſſideat. Fuit Alto-Vadenſe Cœnobium Roſenſium Dynaſtarum ordinarium ſepulchretum dixerim, an Roſetum? in quo Flores omnes è ſtirpe Roſea decidentes, Noſtri contumulavêre. Inter illuſtres Principum Fundatorum Conthorales, quæ pariter hôc locô ſepultæ, memorantur: *Catharina* Erici Ducis Brunſvvicenſis filia: *Sophia*, filia Joachimi Electoris Brandeburgici: *Hedwigis* Duciſſa Magno-Gloggovienſis, aliæque Matronæ inclytæ. Balbinus in *Epitom. rer: Bohem: Lib.* 3. *cap.* 15. *pag.* 285. refert, Alto-vadi in grandi Camera ſub Choro Eccleſiæ, quaſi pro ſenatu in ſellis conſidere Roſenſes Proceres mortuos, imò meras mortes, veſtibus & carnibus longâ ætate amiſſis: quemadmodum ferè Bruſchius *Cent:* 1. *Monaſt: Germ:* recenſet de *Welſorum* Sueviæ Regulorum ſepultura in *Monaſterio Vinearum* Ordinis S. Benedicti in Germania, qui ſimili ferè ſitu, quô Roſenſes Alto-vadi, in ſedibus pauſantes conquieſcunt.

Cæterùm id hìc de *Roſenſium* Proſapia incidenter noto, non excreviſſe hanc illuſtrem ſtirpem è Bohemorum gremio, verùm olim, cùm bellis premeretur Italia, è Romana Urbe ac Nobilitate importatam fuiſſe his plagis, non quidem ſub *Roſenſium*, ſed *Urſinorum* nuncupatione: qui primùm, cum ad Bohemiæ confinia acceſſiſſent, à Bohemis accepti ùt hoſtes, ſubinde admiſſi ùt cives, donatíque parte Provinciæ, quam ſub ingreſſum occupâſſent: ubi in edito monte ad præterfluentem Moldavam Caſtrum extruxêre, quòd *Roſenberg*, ſive *Montem Roſarum* nuncupavêre, & ìd quidem in memoriam Montis-Roſarum, qui ponè Romam ad Urſinorum ditiones ſpectaverat. Hinc ab hac ipſa Arce (quæ hodiedum extat, mediô milliari ab Alto-vado diſsita) ſumptum novum Gentis illuſtris vocabulum, dictáque deinceps vulgò *Roſenbergenſis*, ſive *Roſenſis*. Debet Bohemia Urſinis Roſenſibus non modica ex parte terræ culturam, Civitatúmque ac pagorum complurium prima auſpicia. Familiæ Gentilitius clypeus *Roſam* exhibuit, non unam illam quidem, verùm, cùm ſtirps ob magnitudinem in lineas diſcinderetur, *quintuplicem*: quarum una fuit *Roſa Aurea* in clypeo

peo cæruleo: altera, *Roſa alba* in clypeo rubro: Tertia, *Roſa Cærulea* in clypeo aureo: quarta, *Roſa nigra* in clypeo albo: quinta, *Roſa Rubra* in clypeo Albo: & quidem poſterior hæc Roſa, inſigne erat Principis Gubernatoris Domûs Roſenbergicæ, cui parebant *Roſenberg*, Wittinghauſen, & *Crumlovium*: atque ab hac Roſenſium linea Roſam rubram in candido campo geſtantium, quod ſciam, deſcenderunt Fundatores Altovadenſes. Stirpis illuſtriſſimæ incrementa, muniáque cùm politica, tum ſacra fusè recenſent Hiſtorici, qnibus memorandis, in his Ciſtercij rebus, vacare non libet. Nunc à Roſenſium in Bohemia origine ad Altovadi primordia revertamur.

Primæ Domûs coloniæ adductæ è Cœnobio *Hilarienſi* apud Auſtriacos, *Ottone*, novæ cohortis conſtitutô Abbate. Alluit Alto-vadum *Moldava* fluvius, margaritarum in ea vicinia geneſi celeber, è quarum candido ac pretioſo fulgore, nonnullas ſacras pro Eccleſia veſtes ornavêre Roſenſes, eáſque Cœnobio contulêre. Lego ad Annum 1260. huic plantationi præter Roſenſium tutelam, acceſſiſſe etiam ſupremam Ottokari *Protectionem Regiam*. Notio nominis, cur ſcilicèt hæc ipſa Domus nuncupata, *Alto-Vadum*, ſumpta à prodigio. Extat hodiedum apud Altovadenſes *Divæ Annæ* Sacellum, jam ante Cœnobij fabricam celebre peregrinantium cultu ac frequentiâ, quod multa ſylvarum denſitas ambiverat undique. Ad illud etiam profecturus aliquando Petrus Woko de Roſis, Fundator, tentavit, quod ante ſolebat frequenter, in ſuorum comitatu cum equo transvadare Muldavam amnem. At præter expectationem intumuêre undæ, vadúmque tunc profundiùs merſerant. Itaque Princeps cùm videret ſe abſtrahi in manifeſta vitæ diſcrimina, in ipſo aquarum algore, vehementiſſimè incaleſcens, Cælitum opem inter ſuſpiria fortiſſimè provocabat, nuncupatô votô, compenſaturum ſe liberaliſſimè id beneficium, quod nunc peteret à Superis, extructurúmque Adjutori DEO Cœnobium, ubi perennes laudes eidem perſolverentur. Cùm hæc cogitaret, hæc ſponderet Princeps, divinô munere factum eſt, ut vadum illud, quod ſeſe tantô tumore in altum erexerat, rursùs quaſi momentô ſeſe demitteret, ſubſidente, unà cum flumine, ulteriori diſcrimine, ità

ut Petrus cum comitatu, multâ undâ, ac trepidatione horrens, madénſque, incolumis tandem ad oppoſitam ripam emerſerit. Acceleravit ille voti efficaciam, quandoquidem & Cælites acceleraviſſent opem, extruxítque Cœnobium, quod ab hoc eventu dictum *Altum-Vadum*, ſeu *Altovadum.* Extat uſque in præſens illa ipſa Divæ Annæ ædicula, ad quam Princeps Petrus peregrinationem ſuſceperat, & quemadmodum olim, ita & hodie (utì perhibet Jongelinus *Notit: Abbat: Lib:* 5. *pag.* 17.) cæleſtibus claret beneficijs, quæ præſertim ſentiunt fæminæ parturientes, imploratô Divæ Annæ patrociniô, inter ipſas partûs preſſuras, faciles ac felices. Commendaverat præterea olim Sacelli hujus religionem *Imago Virginis Doloroſæ* geſtantis maternô gremiô Salvatorem è Cruce depoſitum: ad quam (utì traditione compertum) in morbis recurrentes, reportavêre morborum curatelas. Ad Mariani iſtius cultûs amplius incitamentum Sbinco Pragenſium Archi-Epiſcopus, 40. dierum indulgentias ijs conceſſit, qui certas à ſe injunctas preces coràm Divæ Icone oraverint toties, quoties: De dato Crumlovij, Annô Domini 1411. 17. Februarij. In qua etiam epiſtola idem Archi-Præſul totidem dierum indulgentias ijs eſt impertitus, qui pro Roſenbergicis Dynaſtis Alto-Vadi tumulatis, ſemel orationem Dominicam, atque Angelicam Salutationem ante quodlibet altare in dicto Monaſterio piè perſolverint, toties, quoties. Illud in primis pro reverentia Alto-Vadi notatum lego, Novitios abſque cauſa legitima inde regreſſos ad ſæculum, divinâ velutì ultione multatos infauſtâ, malâque morte, quòd ſcilicèt hac ſacra in Domo bene vivere noluiſſent. Porrò duorum Roſenſium Principum in Alto-Vado Monachatum invenio in M. S. Codice Monaſterij Altovadenſis, *Petri* nimirùm, & *Henrici*; quorum poſterior Prioris officiô ibidem functus eſt. Petrum jam ſuprà *Tit:* 18. inter Ciſtercios Principes adduximus. Ambo diſpenſatione Pontificiâ è clauſtro ad conjugium extracti propagârunt Roſenſium ſtirpem, tum ob defectum hæredis virilis periclitantem.

Confirmavêre Alto-Vadenſium Fundationem *Martinus IV. Papa*, atque *Joannes* Pragenſis Epiſcopus, & ſubinde etiam *Carolus IV.* Cæſar, ampliſſimô deſuper datô diplomate, in quo inſignes

inſignes Cœnobio ille conceſſit immunitates; atque id quidem ea de cauſa: *Ut* nimirùm *Miſſarum, orationum, ſuffragiorum, cæterorúmque operum charitatis, quæ in dicto contigerint fieri Monaſterio, eſſet unà cum Illuſtriſſima Blanca, Conjuge ſua, particeps & conſors*, Idem pariter *Carolus* Cæſar, atque etiam *Ludovicus* Hungarorum Rex, *Nicolaus* Patriarcha Aquilejenſis, & *Erneſtus* Archi-Epiſcopus Pragenſis, numeroſas Alto-Vadenſibus donavêre Sanctorum Reliquias, quas Catharina de Roſenberg in tabula pretioſa in modum Roſæ cryſtallinæ adaptata reverentiſſimè recondidit. *Pontificalium* uſus, quanquam hodie Abbatibus plerúmque communis, olim tamen non ſimul omnibus, ſed diviſim, ac per peculiares Pontificum Bullas concedebatur: quem etiam per ſpeciale diploma ad inſtantiam Henrici de Roſemberg Annô 1403. Ottoni Abbati Alto-Vadenſi, ac Succeſſoribus conceſſit *Bonifacius* IX. Papa: in quo pariter Apoſtolico Brevi idem Pontifex Abbatibus de Alto-Vado facultatem indulſit conſecrandi & benedicendi calices & altaria, item reconciliandi Eccleſias & cæmiteria, ſanguinis & ſeminis effuſione polluta: de dato Romæ apud S. Petrum.

Non tetigit, quod mireris, hanc Domum procella Huſſitica, ex eo, quòd Ziſka maleſani agminis Dux Roſenſes Proceres in terris Bohemis tum potentiſſimos nollet laceſſere, qui armatâ jugiter ſolicitudine, ſervandæ chariſſimæ Domui ſuæ fortiſſimè intendebant. Itaque præ cæteris feliciori, quia Roſeô fatô, inter quingentorum Cœnobiorum flammis exuſtorum buſta & cineres, ſervata in flore eſt: digna omninò, cui nulla deinceps noceret calamitas, cui vel Ziſka peperciſſet. Annô Domini 1611 extinctâ lineâ Roſenſium Principum in Petro Urſino à Roſis, de conſenſu Auguſtiſſimi Cæſaris Rudolphi II. tutela Cœnobij devoluta eſt ad illuſtrem Comitem de Serin, progenitum ex Eva Roſenbergica, ejúſque hæredes, qui vigore teſtamenti Roſenſibus in ditione Crumlovienſi ſucceſſerant. Cæteras Dominiorum Roſenſium metamorphoſes interea hìc ſileo.

Memorabile eſt, quod accepi de Alto-Vadenſium *Sale perpetuo*, per Rudolphum II. mox laudatum Auſtriacum Imperatorem ijſdem donato. Diverterat aliquando (ùt fert traditio)

ad hoc Cœnobium Rudolphus, noctem unam cum ſuis ibidem exacturus: & quia ob aquæ præterlabentis blandum ſuſurrium, manè præter ſolitum, longè diutiùs, quàm ipſe quidem exiſtimaverat, ſomnum protraxerat, nè ea ſoporis ſuavitas ſibi fruſtrà inter Alumnos Altovadenſes obveniſſet, optionem illis dedit petendi, quem vellent, favorem Cæſareum. Petita eſt omnium ſuffragijs à Rudolpho certa & annua pro Cœnobio Regij ſalis quantitas, atque etiam obtenta, ſub Georgio Taxero, Abbate Domûs XXVII. Perſtat beneficium Cæſareum Regiúmque in præſens uſque, Altovadô ſentiente Cæſaris Rudolphi affectum cum emolumento feliciter. Sanè non fuêre ſinè ſale, qui ſalem ſic petiverant. Dormiverat Cæſar etiam alibi; at nullibi dulciùs & diutiùs, ac in Altovado: eapropter, quod aliàs vix fecit, pro ſomno ſtipendium ſolvit, ídque perpetuum, quoniam Regum beneficia decet eſſe perennia. Sit, oro, Auguſtiſsimo Largitori, Ciſtercij, ac præſertim Altovadi auſpicijs, votis, precibus, pro perenni munere quies inter Cælites etiam perennis, non modò noctis unius, ſed diei nunquam occaſuræ!

Cæterùm adversùs Cœnobij æmulos, quorum fortè infeſtatione, bona Domûs forent abſtrahenda, *Petrus Roſenſis* Annô Domini 1500. horridas fulminavit diras, neque pœnas duntaxat temporaneas, verùm & gehennæ tormenta in ſolemni inſtrumento, quod deſuper confici juſſerat, per ſeveriſſimas imprecationes in eoſdem contorquens. Extat præterea Inſtrumentum aliud, quô idem *Petrus*, ultimus Roſenſium Princeps Annô Chriſti 1597. 8. Auguſti univerſa Altovadenſium privilegia authenticè confirmavit, è quo fragmenta quædam hic exhibeo. Itaque ille: *Nos Wock Urſinus de Roſemberg, &c. cum electis, non cum reprobis, poſt præſentis vitæ calamitates, ſortem noſtram ſtatuere cupientes, penſatâ etiam religiosâ vitâ, & morum honeſtate Venerabilis Patris Michaëlis Fabritij, Abbatis Monaſterij Fundationis noſtræ Altovadenſis, ſincerè nobis dilecti, omniúmque Fratrum ejus, eodem in Monaſterio piè ac religiosè Omnipotenti DEO, die noctéque Famulantium, motu propriô, non per errorem, aut improvidè, ſed deliberatô animô, ſanô etiam Amicorum, & fidelium noſtrorum accedente conſiliô, & ex certa noſtra ſcientia ipſis Abbati, & Fratribus, totique Conventui*

tui Monaſterij Fundationis noſtræ Altovadenſis præfati, præſentibus & futuris in poſterum bene providere cupientes, pro ſingulari illa, quâ erga idem Monaſterium, ſeu Majorum noſtrorum ſepulturam affecti ſumus devotione, propensâque voluntate & gratia, omnes & ſingulas litteras, Gratias, donationes, conceſſiones, fundationes, poſſeſſiones, exemptiones, libertates, immunitates, prærogativas, laudabiles conſuetudines, indulta, privilegia, jura, & alia omnia (quô tandem illa titulô, vel nomine gaudeant, aut cenſeantur) quæcunque hactenùs Abbates & Conventus dicti Monaſterij ab Illuſtriſſimis Progenitoribus Noſtris, aliiſque quibuscunque & quâvis authoritate dignitatéque fungentibus Perſonis habuerunt, & obtinuerunt, approbamus, ratificamus, innovamus, & tenore præſentium gratiosè confirmamus: non ſecùs ac ſi à Nobis ipſis illa omnia & ſingula impetrata, donata, conceſſáque fuiſſent, ac eſſent: ſupplentes omnem Juris vel facti defectum, ſi quis in præmiſſis omnibus ex defectu verborum, vel obſcuritate ſententiarum, aut ſolennitatis alicujus omiſſa, quôquô modô repertus fuerit. Subinde immunitates atque libertates fusè enumerat, quas Alto-Vadenſibus ſe concedere aſſerit, *habitô reſpectu ad glorioſam claræ memoriæ omnium ferè Progenitorum ſuorum ibidem in Chriſto quieſcentium ſepulturam, ut dictum Monaſterium indies tantò majora accipiat incrementa, Religioſique homines Regi Cœleſti illic commilitantes, tantò liberiùs, ac devotiùs pacis Authori nocte diéque preces fundere poſſint, quantò magìs ab exterioribus proteguntur tumultibus, & gratâ pacis tranquillitate lætantur.* Et infrà: *Concedimus inſuper antedicto Abbati, & Conventui, & harum ſerie liberum eis facimus, ut ubicunque in fundis Monaſterij, & quotiescunque eis placuerit, ſylvas eradicare, prædia, villas piſcinas, molendina, praxatoria, & tabernas pro utilitate Monaſterij erigere, ædificare, reparare, & eis abſque ullo impedimento aut contradictione Succeſſorum noſtrorum liberè utì ac frui, cereviſiam coquere, & coqui facere, eandem liberè vendere, ac diſtrahere licitè poſſint, ac valeant. Decernimus itaque, & tenore præſentium declaramus, hanc eſſe noſtram expreſſam, ratam, firmam, ac ultimam voluntatem: & quemadmodum nos hanc noſtram conceſſionem, ratificationem, approbationem, innovationem, & confirmationem, quoad vixerimus, firmiter tuituros, conſervaturos, ac manutenturos, promittimus, ita & hæredes, Succeſſores, Poſteróſque noſtros, omnes & ſingulos, ſpecialiter verò Dominiorum ac Territoriorum noſtrorum Crumlovienſis, Roſenſis, ac cæterorum futuros) ſive hæreditariô jure, ſive aliô quôvis Titulô) Poſſeſſores, ſub indignationis*

nis divinæ, ac æternæ maledictionis pœna obligamus, obſtringimus, ac obligatos, obſtrictóſque eſſe volumus; ut poſtquam ex hoc ſæculo, Deô vocante, ad æternam beatitudinem commigraverimus, in perpetuum Noſtri memoriam, in primis autem ad ejuſdem DEI gloriam, & honorem, præmiſſis omnibus acquieſcant, ſatisfaciant, & quæque rata & firma habeant, inviolabiliter conſervent, tueantur, ac manuteneant, nec ullô modô, ullâve in re ijs contraveniant, aut ſæpè dictum Abbatem & Conventum, quò minùs ijs omnibus licitè, pacificè, & liberè uti, frui, & gaudere poſſint, impediant, turbent, ac moleſtent. Tandem Cæſaream, Regiámque Majeſtatem ſubmiſsè obteſtatur, quatenùs hoc confirmationis Inſtrumentum ad Tabulas Regni referri poſſit. Viden' Illuſtriſſimi Principis ingentem, & prorsùs patriam pro chariſſima ſibi Domo Altovadenſi ſolicitudinem, quâ futuris, etiam extra Roſeam ſtirpem hæredibus imprimeret Urſinorum Procerum pulcherrimas ideas, ſervandi, tutandíque Cœnobij, ſibi, ſuíſque ſemper tam dilecti, quod nempe Romanæ Nobilitatis inclyti Principes Urſini, pro Mauſolæis tantô annorum tractu ſibi delegiſſent.

Pertinent Altovadum *Jura Patronatûs* Eccleſiarum cùm intra, tum extra Cœnobij Dominium complura, neque, quod ſciam, ullibi per Vicariatum noſtrum tot, quot hôc locô, quæ Beneficia Regularia ſunt, domeſticâ Alto-Vadenſium adminiſtratione provideri ſolita. Abbas Loci inter Regni Prælatos Comitia frequentat. Conflagravit 18. Junij, Annô 1690. caſu fortuitô hoc Cœnobium, quod denuò reſtauratum, poſt extinctos Roſenſes, Superi tueantur! Clavum Domûs hodie tenet Reverendiſſimus D. D. *Stanilaus*, meus nuper per Curſum ſtudij Theologici Pragæ Collega, nunc Patronus Obſervandiſsimus, è loci gremio, ac Supprioratu ad infulæ prærogativam digniſsimè evectus: cui faventiſsimi Cælites per mea vota indulgeant, ut quidquid in *Roſenſi* hoc *Cœnobio* calcaverit, *Roſa fiat!*

SANCTA CORONA.

S*ancta Corona*, Fundatio Regia, vicina Alto-Vado, dicta etiam *Spinea*, imò per vulgi licentiam etiam *Aurea*: quæ nuncupatio poſterior præſertim in idiomate Theutonico hodie evaſit

ſit communior; vix enim eſt, qui S. Coronam aliter nunc appellet, quàm Gulden-Kron. Votum Regium, atque inclyta ex voto victoria, gemina fuêre auſpicia conditæ *Coronæ Sanctæ*. Eventum rei ex Dubravio, Lupacio, Balbino, aliiſque Scriptoribus in compendio ſic accipe. Hungariæ Rex *Bela*, cum filio ſuo *Stephano* evocatis in ſuppetias Ruſsis, Bulgaris, Wallachis, aliiſque, ducenta peditum, totidémque Equitum millia Annô Domini 1260 collegerat. Quibus copijs Styriam contra pacta pacis ingreſſus eſt: Auſtriam etiam propediem hoſtiliter invaſurus. Occurrit Belæ *Ottocarus*, Bohemorum Rex V, cognomentô *Magnus*, ſeu *Victorioſus*, cui tum Auſtria parebat, cum Exercitu, viribus quidem inferiori, at ſuperiori, cauſæ æquitate. Locus congreſsûs, Auſtriæ & Moraviæ conterminia ad fluvium Teyſam. Ibi viſâ hoſtium multitudine, Ottocarus totô animô reſpexit ad Cælites, quos in adjutorium ſibi ſuiſque evocavit, emiſsô votô, ſi ſupernâ ope adversùs fæderis violatores victoriâ potiretur, erecturum ſe in triumphi monimentum, celebre Cœnobium, in quo Ciſtercienſes alumni perennes Numini laudes, gratéſque forent decantaturi. Convenerant interea Partes de decem dierum inducijs, intra quod tempus nihil tentandum utrinque. At verò malô dolô Bela poſtridie per nocturnas inſidias Ottocarum ex improviſo aggreſſus eſt: qui vota ſua multò animi fervore reſumens, Superis commendavit prælij eventum. Neque defuêre advocati è Cælo Adjutores; viſi ſunt namque à quibuſdam Bohemorum Tutelares Patroni, Divi, *Wenceslaus*, *Vitus*, *Procopius*, *Adalbertus* cum *quinque Fratribus*, è nubibus adfeſtinare in Ottocari ſuppetias: ſimúlque per omne prælij tempus conſpecta eſt ſupra Regium Divi Wenceslai principale vexillum Aquila, portentosô candore nives exuperante conſpicua, quæ ſenſim protectrices alas ſuas explicabat ampliùs, quouſque tandem univerſum Exercitum ſubter illas collegiſſet. His Cælitum auſpicijs triumphatus Bela cum fæderatis, caſtríſque exutus, ingloriô effugiô vitam ſolam abſtulit, ſpolijs ingentibus Victori Ottocaro poſt ſe relictis. Hoſtium per noſtros cæſorum vis tanta, ut cadavera in Teyſam conjecta aſſurgerent in pontem, per quem triumphatores Bohemi, Auſtriacíque tranſeuntes, partam cælitùs victoriam ſparsâ latiſsimè cæde proſequerentur. Reverſus

ſus ſubinde ad Bohemiam Ottocarus Rex, victoriæ univerſæ ſeriem ad Alexandrum Papam IV, perſcripſit, & DEI Adjutoris brachium ſuper ſe ſuóſque per portenta extentum magnificè extollens, inter animi gratiſsimos jubilos acclamavit in Numinis laudes: votíque reus, ut feſtinatâ erga DEUM & Cælites gratitudine ampliùs divulgaret datum deſuper beneficium, promiſſam Ciſterciæ Familiæ Domum illicò, id eſt Annô reſtauratæ ſalutis 1263 ad Moldavæ ripam in Valle peramæna, medij milliaris intercapedine, diſtante à Crumlovio, auſpicatus eſt, adjectis fauſtæ fundationi ampliſsimis poſſeſsionibus, quæ Occidentem versùs uſque Prachaticium, ad meridiem uſque ad metas Teutoniæ ſeſe extenderint. Confectæ ſuper his literæ Regiæ ac publicæ, in quarum prima fronte votum ſuum expreſsit Ottocarus, adſumptis in teſtes Epiſcopis Pragenſi & Olomucenſi, itémque Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitô & Decanô, aliiſque Regni Proceribus. Nuncupatum eſt Cœnobium voluntate Regis, erga Spineam Salvatoris Coronam reverentiſsimi, *Sancta*, ſeu *Spinea Corona.* Coloniæ evocatæ è Cœnobio S. *Crucis* apud Auſtriacos. Neque crediderim, id factum ſinè Numine Divûm, quòd ſcilicèt Crux ſancta, & Corona ſancta titulô Paſsionis Dominicæ conjungi ad invicem debuerint.

Inter cæteras, quas Cœnobio Coronenſi contulit poſſeſſiones Ottocarus Rex, in fundationis inſtrumento, peculiari ratione commendantur *duæ vineæ* in Ducatu Auſtriæ: quas ideò Ciſterciæ apud Bohemos fundationi Ille adjecerat, quòd nempe per Bohemiæ Regem Exercitúmque vindicata aliquando ſit Auſtria & Styria. Audi Regem: *Et ut memoria in poſterum Noſtri commendabilis habeatur, videlicèt, quòd pro defenſione terrarum Auſtriæ & Styriæ, contra frequentes inſultus Paganorum, & Hungarorum, Perſonam noſtram cum hominibus noſtris expoſuerimus, & cum rebus omnibus terras noſtras, duas vineas in Auſtria, quæ ad nos pro pecunia devenerunt, tradimus Monaſterio noſtro antedicto.* Addit deinceps eidem Cœnobio per Auſtriæ ſervatæ auſpicia primitùs erecto alias ex Auſtria immunitates: *Præterea*, inquit Ottocarus Fundator, *eandem libertatem & gratiam, quam habent clauſtra Ciſtercienſis Ordinis in Auſtria conſtituta, in ſalibus, vino, & omnibus victualibus*

bus ſuis per Danubium, & per terram ſinè multa, quietè & liberè deducendis, dedimus noſtro Clauſtro. Tradita etiam Coronenſibus Regiâ donatione *Domus in ſuburbio Pragenſis Caſtri liberè & quietè perpetuò poſſidenda.* Porrò in præfato Fundationis Inſtrumento aſſerit Rex: *Eâ quôque plenâ libertate & jurisdictione, quâ Nos, & Progenitores noſtri ipſum prædium poſſedimus, ſinè qualibet diminutione contulimus Monaſterio memorato, volentes ipſum ab omni exactione, & vexatione Judicum, Monetariorum, Teloniariorum, ſeu qualibet violentorum inſectatione eſſe liberum, & immune: Unde ſtatuimus, ut nullus Judicum, Monetariorum, ſeu quorumlibet villicorum & officialium noſtrorum in prædijs præfati Monaſterij, juris quippiam ſibi audeat vendicare, vel violentiæ aliquid attentare, ſed ſi fur, vel quilibet ſceleratus in bonis & prædijs Cœnobij fuerit deprehenſus, per Judicem proprium, prout ipſius exegerint ſcelera, puniatur.* Quod poſterius jus pœnale ſeu gladij rursùs confirmavit *Wenceslaus* Rex, Ottocari Fundatoris filius Annô 1284, *ut* nimirùm *ſubditi Monaſterij Sanctæ Coronæ delinquentes, ad nullum judicium trahi, & corâm nullo conveniri valeant, ſed à Rege, vel Beneficiarijs Pragenſibus, idque in Praga, aut à proprio Judice Monaſterij tantùm citentur, & puniantur.* Quod pariter novis literis Regijs conſtabilivit *Carolus IV* Cæſar Annô Domini 1348. Neque abſolutâ jam Cœnobij fundatione, otioſa ſtetit Ottocari Fundatoris munifica in S. Coronam ſuam propenſio, *Netolicenſi* dominiô unà cum ipſo oppido deinceps Coronenſibus donatô. Quam donationem confirmavêre *Wenceslaus* filius Rex, atque *Carolus* IV Cæſar: qui poſterior ſuperaddidit telonium in *Hirzow* cum omnibus juribus ſuis per noſtros perpetuò poſſidendum.

Cæterùm poſt Fundatorem Regem, memorandi inclyti Benefactores gemini: Nobiliſſimus *Hirzo de Klingenberg*, & illuſtris D. *Bavarus de Bawörow*, Bohemi Equites: quorum hic per *Tabulas Regni* ſex pagos, alter ille, primò quidem hortatu Ottocari Fandatoris pagos 14. ab obitu ſuo ad S. Coronam devolvendos, atque rursùs alios octo per ultimam voluntatis ſuæ ordinationem Cœnobio conceſſit, ſepultus poſt fata in Monaſterij Capitulo. Ratas, gratáſque habuêre has ipſas donationes Bohemiæ Reges, *Hirzonis Klingenbergij* quidem Ottocarus, Wenceslaus, Carolus IV, Wenceslaus Caroli filius; *Bavari*

 verò,

verò, Joannes Lucenburgicus, Carolus IV Cæſar, Wenceslaus Cæſaris filius, datis deſuper authenticis literis, quas *Majeſtales* vocant. Acceſſit ad Privilegia Regia Confirmatio quoque Pontificia *Joannis* XXII, qui Annô Domini 1328 Sanctam Coronam, ejúſq; poſſeſſiones ſub Apoſtolicam ſuam protectionem advocavit, juribus omnibus per Reges, Principéſque collatis, de poteſtatis ſuæ plenitudine confirmatis. Conſtabilivit pariter Cœnobij libertates atq; exemptiones *Gregorius* Papa IX, Bullâ plumbeâ Annô Domini 1379. deſuper eidem conceſsâ. Porrò *Bonifacius* IX. Annô Chriſti 1400 Coronenſib9 incorporavit Parochias, *Netolicenſem*, *Czernicenſem*, *Cajovienſem*, *Polcticenſem*, & *Chalſchinenſem*: ità ut proventus exinde obvenirent Cœnobio, & ipſæ Eccleſiæ ex Abbatis arbitrio per Religioſos adminiſtrarentur. Hodie Netolicenſis, injuriâ temporum avulſa eſt. Et quidem dominij avulſio deploranda ampliùs, quæ quidem ſic evenit. Impetraverat à Wladislao Rege Petrus Senior de Roſis complures Cœnobij poſſeſſiones, primò quidem uſurpandas ad dies vitæ, ſubindè per novas Regias literas, uſque ad Maſculinæ lineæ Roſenſium interitum; at verò reſipuit Petrus in tempore, ſolemnitérque ante ſupremam luctam factæ ſibi donationi renunciavit, confectis deſuper literis Annô 1521. quarum argumentum in Bohemo idiomate recitat *cit. Phœnicis* Author. Inſuper in teſtamento hæredes ſuos Roſenſes graviſſimè obſtrinxit, ut redderent, quæ ipſe Coronenſibus ſubtraxiſſet. Verùm hæc Viri vota atque imperia caruêre effectu, Roſenſibus per alia effugia manutenentibus poſſeſſionem, ſubindéque à Ferdinando I. Cæſare literas novas impetrantibus, per quas in occupatis ſemel bonis ſtabilirentur, uſque dum maſculini hæredes è Roſea progenie deficerent. Et ſanè (utì ſupra jam dixi) ſub elabentis ſæculi initium, Annô Domini 1611 decidit ultimus Roſenſium ſurculus ſinè virili germine in Petro Urſino de Roſis, eôque eventu Roſenſium dominia ad alias demum ſtirpes tranſiêre: neque tamen (quod decreverant Wladislaus Rex, & Ferdinandus Cæſar, quod nuper unis votis optaverant, ac ſpoſponderant Roſenſes omnes) Coronenſium poſſeſsiones, utì quidem conventum erat, poſtliminiò ſaltem ad Cœnobium rediêre: noſtris uſque in præſens præſtolantibus decretorum atque pactorum æquiſsimam efficaciam; at præter

ter vota & jura de bonis amiſsis, vix habentibus quid ultrà. Præeſt nunc Cœnobio Regio Reverendiſsimus D. D. *Matthias Alexius Ungarus*, è gremio ante annos facilè 32. digniſsimè aſſumptus, meritis non minùs gravis, qnàm annis, cujus celeberrima pietas apud DEUM nota & homines, Virum undíque circumfert cum encomijs. Verùm modeſtia optimi Præſulis me cohibet, nè ultra in laudibus ejus progrediar. Unum opto, ut de Fratrum ſuorum, atque etiam de meis annis, eidem Juppiter augeat annos! Per annorum enim incrementa creſcet Matthiæ tum *Corona* in terris, tum *Corona* in Cælis!

AULA REGIA.

AULA-REGIA, ipsô hoc nomine cunas ſuas loquitur, Regum filia, atque alumna, Fundata à Wenceslao, IV Bohemiæ Rege, Annô Domini 1296, hortatu præcipuè *Theodorici* Waldſaſſenſium Abbatis, Conſiliarij atque Compatris Regij, nuper ex Oſſeca noſtra ad eam Præfecturam evocati: quâ magnificâ æde Wenceslaus votum DEO ſolvit, quod nuper per atroces inſidias ad cædem quæſitus, DEO voverat. Æneæ Sylvij, in Pontificatu nuncupati *Pij II.* oraculô inclyta hæc Domus, *Cœnobiorum* quoddam fuit *miraculum.* Variâ autem metamorphoſi hic ipſe locus tandem ad Ciſtercienſes pervenit. Primò namque pertinuit ad Virum Equeſtrem *de Zbraslaw*, qui villam ibidem conſtruxerat: Inde viâ teſtamenti ad Canonicos Pragenſes tranſijt, qui factâ commutatione pro pago Butovvicze, villam Zbraslavv ceſsêre Regi Ottocaro, à quo utpote è ſitu loci, venandi delicijs peridonea, adaptata eſt in Venationis Regiæ domicilium. Vulgus adhuc hodie circumfert idiomate Bohemicô primi dominij memoriam, cùm Aula-Regienſe Cœnobium, *Zbraslaw* appellat: quanquam vocabulum poſterius, quô per Ottocarum in venationum *Aulam-Regiam* commutatum eſt, in præſens apud Hiſtoricos prævaleat. Neque ſolâ Regis voluntate, aut noſtrorum arbitriô hic locus deſtinatus fuit ad Ciſtercij incolatum, ſed prorsùs divinô nutu. Dederat enim optionem Wenceslaus Abbati de Sedlecio, & qui cum eo advenerant, Fratribus, deligendi ſibi è tribus locum unum, conceſsâ per triduum deliberandi morâ: cùm interea Rex ipſe, ut omninò cæleſtibus auſpicijs ea res ageretur,

in Feſto Divi Stanislai Epiſcopi & Martyris, per omnes Eccleſias, Miſſam de Spiritu S. dici juberet. Elapsô triduô noſtrorum ſuffragijs petita à Rege eſt Villa *Sbraslaw*, ſeu (quod tunc vocabnlum erat magìs plauſibile) *Aula-Regia*, atque etiam, tametſi contranitentibus quibuſdam ex Aulicis, ex voto obtenta. Cùm illicò miſsi operarij ingenti numerô ad auſpicandam Cœnobij fabricam: quorum pars magna, ſponte ſuâ, ex uno pietatis ſtimulo abſque ulla mercede locabat operas, exſolvendas olim omninò largiùs à Retributore DEO, quàm nunc à Rege. Annô ſubſequente, qui fuit reparatæ Salutis 1297, poſtridie à Coronationis Suæ Solemnijs Wenceslaus cum illuſtri Principum, Procerúmque frequentia Aulam Regiam advenit, ibíque unà cum Archi-Epiſcopo Moguntino, atque Conrado, primo loci Abbate, pro Eccleſia nova lapidem fundamentalem poſuit, Archi-Præſule in loco Majoris aræ Pontificalem Miſſam celebrante: Subindéque ſeptuaginta è Sedlecio Ciſtercienſes alumnos introduxit, quibus memoratus Conradus, nuper Offecij Abbas, cum imperio præfectus eſt. Tum ad inclytæ feſtivitatis augmentum ducenti & quadraginta è ſola Bohemorum Nobilitate, præter numeroſos Exteros, ad Equeſtres honores à Rege ſolemni ritu creati atque aſſumpti, novi honoris acceſsione, ſurgentis celeberrimæ fabricæ illuſtria primordia magnificè illuſtrârunt.

Quod Aulæ-Regiæ præcipuè commendat *Æneas Sylvius cap.* 36. ampliſsimus ambitus eſt, cujus hodiedum non ſinè dolore ſpectantur veſtigia, *in cujus lateribus* (verba ſunt Illuſtriſsimi Sylvij) *vetus novúmque Teſtamentum, ab initio Geneſis uſque ad Apocalypſin Joannis, literis Majuſculis in tabulis ſcriptum continebatur, notis, quò altiùs irent, paulatim creſcentibus, ità ut à ſummo uſque deorſum facilis lectio præberetur.* Auxit ſubinde Wenceslai filia *Eliſabetha*, Joannis Lucemburgici Regia conjux, Caroli IV. Mater, Aula-Regienſem Eccleſiam ad plagam meridionalem, novem ad latera elegantiſſimis ſacellis, quæ ex mente Balbini in *Boh: Sanct: Lib*: 2. *Tit*: 30, *totidem templa* videri poterant.

Diploma Fundationis Regiæ præter Civitates *Wilhelmswerdam*, ſive Uſci, & *Landskronam*, duos ſupra ſeptuaginta pagos, villáſque nominetenùs exhibet, quas Wenceslaus Aulæ-Regiæ dona-

donaverat, additô jure gladij per omne Cœnobij territorium, atque etiam conceſsâ immunitate à pendendis telonijs Regijs. Poſt enumeratos pagos ac poſſeſſiones ſubjungit Rex: *Cum omnibus illis quæ ab antiquo ad ipſum Diſtrictum Landeſcbronenſem pertinuerunt, cum hominibus, vineis, agris cultis & incultis, montibus, planis, ſylvis, pratis, paſcuis, piſcationibus, aquis, aquarúmve decurſibus, cum omni jure & jurisdictione, proventibus, utilitatibus, & aliis pertinentiis univerſis.* Præterea in iiſdem etiam Regijs literis inſignes Mellifluæ Familiæ laudes ſparſit Wenceslaus, è quibus hæc: . . *ut qui mundanorum actuum, curarúmque mundialium occupatione impliciti, ex noſtris DEO placere actibus non valemus, virorum ſibi placentium, quos vitæ perfectio, ſanctæque converſationis ſplendor irradiat, interceſſionum, aſſiduarúmque orationum quæramus ſuffragia, eorúmque nos precibus ac meritis commendemus. Eapropter tenore præſentium noverint Univerſi, quòd nos Religioſorum Virorum, beatámque vitam in Ciſtercienſis Ordinis obſervatione gerentium, piarum orationum, interventionúmque apud DEUM, continuum habere participium cupientes, in Bonis noſtris Regalibus in Bohemia, vulgariter nuncupatis Zbraslaw, Monaſterium Fratrum Ordinis Ciſtercienſium, cui nomen, AULA REGIA, impoſuimus, ad laudem DEI & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, noſtræque ac Progenitorum noſtrorum memoriæ recolendæ, animarúmque ſalutem, pro Congregatione Fratrum dicti Ciſtercienſis Ordinis ibidem manſura perpetuò, duximus conſtruendum.* In Diplomate alio, quod Annô 1336, in die S. Viti Martyris Aula-Regenſibus conceſſerat Rex Joannes Lucenburgicus habetur: Cœnobio de Aula Regia Wenceslaum Regem Fundatorem *pro dote* contuliſſe & donaviſſe: *Caſtrum Landsberg cum quatuor Oppidis forenſibus, cum quinquaginta & pluribus villis, cum decem & octo Eccleſiis Parochialibus, cum Sylvis, agris, aquis pluribus: ità quòd ex magnitudine ejuſdem hæreditatis Præpoſitura facta fuit, & Rector ejuſdem, Præpoſitus nominatus.*

Cæterùm ad rem noſtram notat Author *Phœn: Ciſt: Boh: pag:* 43. Aulam-Regiam ex eo participium ſingulare habere cum Auguſtiſſima Domo Auſtriaca, quòd nempè fnndata à Rudolphi I. Imperatoris Genero, cui Ille Juditham filiam ſuam in conjugem dederat. Fuerat porrò inclyta hæc Domus, ſi quæ unquam aliàs, uſque dum per Huſſitas everteretur, Bohe-

miæ Regibus præprimis in delicijs atque amoribus, quod ſuperiùs *Tit*: 23. annotaveram: Neque alibi poſt fata recondi tam illi optabant, quàm in Regia ſua Aula, in vivis tantoperè à ſe amata. Hinc inibi contumulati fuêre: *Wenceslaus II.* Fundator, *Wenceslaus III.* Fundatoris filius, ambo Bohemiæ Reges: *Joannes & Guttha* Wenceslai Fundatoris Regiæ proles: *Ottocarus*, Joannis Lucenburgici, Regis Filius, *Margareta* Wenceslai Regis filia, conthoralis Boleslai, Ducis Lignicenſis apud Sileſios, unà cum filiolo ſuo *Nicolao*: *Eliſabetha* filia, Joannis Regis: *Eliſabetha* Regina Bohemiæ, conjux Joannis Lucenburgici: *Wenceslaus IV*, Cæſar, Caroli IV Cæſaris filius. De DEIparæ Imagine, quam Wenceslaus Rex Fundator Cœnobio donaverat, dictum eſt *Tit*: 24. Quemadmodum etiam de Abbate Aula-Regienſi, qui unus fuit è præcipuis, cujus operâ Joannes Lucenburgicus ad capeſſendum Bohemiæ diadema eſt adſcitus, *Titulô* 25. jam diſſeruimus.

Porrò quanta fuerit primorum Aula-Regienſium ſanctimonia, perſpicuum fit è *Phœnic: Ciſt: Boh: Notis: Abb: Jongelini*, *L.* 5. *pag.* 29. *& Balb: Boh: Sanct: L.* 2. *Tit.* 28: qui tres Authores è *Chronicis Aula-Reg: cap.* 18, unô labiô commendant Domûs pietatem. Dabo illam hìc totidem verbis, quandoquidem ad dulce conducat animi oblectamentum, ſpectare in ſcena antiquitatem ſuíſmet coloribus. Itaque Chronici citati Author: *In principio*, inquit, *fundationis Monaſterii B. Virginis in Aula-Regia, DEUS ibidem multa oſtendere dignatus eſt miracula, quorum quædam in prima parte Chronicæ per me ſuperiùs ſunt ſignata. Plura tamen ſunt nobiſcum miracula perpetrata, quæ devotio Monachorum obticet, & ſupprimit, eò quòd in humilitatis latibulis gradum figit. Ego ipſe quibuſdam meis familiaribus occultè mihi aliqua ſua miracula referentibus, ſæpè dixi: ut mihi relata, etiam alijs in publico ad DEI gloriam revelarent. Qui reſponderunt: quòd gloria DEI, & gloriatio eorum eſſet teſtimonium conſcientiæ ſuæ, & timerent, quòd in revelatione talium ſecretorum illorum, quæ DEI deberet eſſe gloria, eis forſitan fieret ignominia, & ruina. Deprædari, inquiunt, deſiderat, qui Theſaurum publicè in via portat. Quantum autem ipſi mei Fratres in laude hominum delectentur, patuit mihi ex quorundam relationibus Seniorum. Quâdam vice de via & labore veneram, & in quodam loco quaſi ſolitarius reſide-*

reſidebam. Acceſſerunt tunc ad me duo ex Senioribus humiliter, & petitâ loquendi licentiâ ſic dixerunt: Bone Pater, dicitur in Conventu, quòd vos Filios nos veſtros multùm habeatis in audientia aliorum hominum de virtutibus commendatos, & ipſis eam, quam abſcondimus, gratiam publicetis: Sic agite, ut & noſtra devotio homines lateat, & pateat ſoli DEO. Hôc auditô, ego corde gratulando ſubriſi, & ad horam ſubticui, delectatus fui cognoſcendo devotionis evidens argumentum, & conſideravi dilucidè, quòd cor humile verbum bonum, & pium eloquium eructaret, nec audebam hujuſcemodi devotionis ſpem extinguere, ſed incepi illud dictum Evangelicum allegare: Luceat, inquam, lux veſtra coràm hominibus, ut glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt: & adjeci, permittite me chariſſimi Fratres, de vobis, ſicut & de aliis Religioſis perſonis loqui ad profectum ſæcularium, vera & ædificatoria in publico: veſtra tamen ſemper intentio maneat in occulto. Nec ex hoc veſtra merces apud DEUM minuitur, ſi per veſtra exempla, in aliis hominibus devotio augmentatur. Nec idcircò vos laudo tantùm, ut detractionis vitium non incurram: ſed ut faciam, ſicut eſtis, DEO & hominibus vos dilectos. Dilectus quippe à DEO & hominibus eſt, cujus memoria in benedictione eſt. Eiſdem quoque Fratribus tunc dixi, & adhuc dico cum B. Hieronymo: etiam adjuratus, Chriſti præconia non tacebo. Præſtant etiam mihi noſtri Fratres ſuæ devotionis & humilitatis teſtimonium, quòd in injunctis ſibi non libenter ſtant officiis, & exterioribus invitiſſimè negotiis implicantur: ità quòd apud plures ipſorum officium quaſi martyrium reputatur. Habent tamen patientiam propter obedientiam, & conſcientiam in labore. Et licèt quidam graviter portent officium, nihil tamen ducunt in opere negligendo. Hæ planè genuinæ primævi Ciſtercij ideæ, vel ducentis jam & ampliùs annis à Ciſtercio condito in Bohemia vigentes, ſcilicèt, ſanctitatem ſic colere, ut tamen ſimul omni ſtudiô id unum procuraretur, nè in publicum emergeret vel ſolum ſanctitatis nomen. Quæ ratio eſt, utì toties jam innui, quòd multa hodie de Ciſtercio lateant glorioſa, quæ nunc cum plauſu ſcriberentur. Producit deinde Author cit: Chronici, Petrus Abbas, inter alia *Auream Virgulam*, inſtar catenulæ ab Angelo ſuprà infirmitorium è nubibus protenſam, quam viderat Fr: Michaël, inter alios complures ægrotos aliquando ibidem decumbens: quicunque autem è languentibus illâ virgulâ deſignati fuiſſent, feliciter conſummati emigravêre ad bravium.

Everſa eſt Aula-Regia Annô Domini 1420, decimâ Menſis Auguſti, Huſſitarum inſaniâ, ipsô Ziſkâ Duce præſente, Mauſolæa Regum perfracta, Sanctorum Reliquiæ ſacrilegè proculcatæ, Eccleſiaſtica ſupellex direpta, Cœnobitæ trucidati, ædes ſuccenſæ: & pulcherrima loci facies mæſtô ſqualore ad horrorem fædata. Longiſſimô deinceps intervallô vix aliquantùm reſpiravit, tantis procellis quaſſata Domus; quoniam non ad intra duntaxat, verùm etiam Cœnobiorum tunc communi fatô, ad extra in dominijs perpeſſa damnum irreparabile, recolligere ſe nunquam potuit ad vires primævas, poſſeſſionibus undique per Regnum diſperſis. Neque unam tantùm hanc tempeſtatem tulit Aula-Regia, verùm turbo ſæpiùs adversùs illam recruduit. Annô namque 1611, & 12, Hungarorum in Bohemiam irruptionibus rursùs divexata eſt. Subinde Annô 1618, inteſtini belli flammâ vaſtante Regnum, exuta bonis; at denuò Annô poſteriori per Ferdinandum II. Cæſarem reſtituta in integrum, quemadmodum fuerat mox ante memoratum bellum inteſtinū. Porrò cùm ſub Annū 1631 Elector Saxoniæ Pragâ potiretur, militari ſtylô Aula-Regia munita eſt, atque eâ re tantùm non everſa: ſpoliata ſimul à vicinis incolis: Annô Domini 1639 Panirij Snecorum Belli Ducis juſſu incenſa, ex parte conflagravit. Et quis tandem ſingulos Domûs Regiæ caſus, & fata infanda recenſeat? Mirum eſt, ſupereſſe hodie Aulam-Regiam: Verùm id beneficium illa debet Anguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ, cujus munere poſt tot clades, pro rerum temporúmq; modulo ſuperſtes, deinceps floreat! Interim totis viribus oro, optóque, ut Domus hæc inclyta, per tot Regia auſpicia effecta *Aula-Regia*, ſemper ſit plena *aurâ Regiâ*: quoniam ſi à Regibus dicenda veniat *Regia*, ab *aura* nuncupanda erit *Aurea.* Fuit olim ob pacis ibidem iteratò procuſa fædera Aula-Regia, *Fæderis area*; ſit etiam, & ſit rursùs *Domus Aurea!* Hodie Aulæ-Regiæ ad Abbatialem clavum ſedet Reverendiſſimus D. D. *Wolffgangus*, è gremio digniſſimè electus, ante infulam Pragæ in Archi-Epiſcopali Collegio Philoſophiæ Profeſſor, ac ſubinde Tiſchnovicenſis Parthenonis Præpoſitus: cui è Moldavæ, atque Beraunæ fluviorum Aulæ-Regiæ gemina *confluentia*, opto cæleſtium terreſtriúmque bonorum omnimodam *affluentiam!*

SCALI-

SCALICIUM.

SCalicium aliàs nuncupatum ad *Gratiam B.V. MARIÆ*, Annô Domini 1357. in Diæceſi Pragenſi fundavit *Theodoricus* dictus *de Cagelmind*, alumnus Ciſtercienſis Cœnobij *de Lenin* in Marchia Brandeburgica, ſubinde Caroli IV. Cæſaris favore Epiſcopus Mindenſis, Præpoſitus in Wiſſehrad, Regni Bohemiæ Cancellarius, Magdeburgenſium Archi-Epiſcopus, primô loci Abbate Nicolaô cum Fratrum colonia evocatis è Sedlecio. Approbaverunt eam fundationem *Carolus IV* Cæſar, *Innocentius IV* Papa, & *Arneſtus* Pragenſis Archi-Præſul, ſinguli per peculiaria diplomata, quorum Originalia Sedlecij adſervantur, unà cum literis ipſiuſmet Cagelmindi Fundatoris: eorundem tranſumpta recitantur in *Nom: Abbat: Ciſt: Jongelini Lib:* 5. *pag:* 35. Quod attinet Caroli Cæſaris ſigillum, illud Regijs literis non appenſum eſt in plumbo, aut cera, ſed *Aureâ* expreſſum *Bullâ*. Spopondit in ijs Imperator, aucturum ſe pro viribus novellam Theodorici fundationem; quod & in effectu præſtitit, comparatis quibuſdam villis, & fundis, iiſque in Scalicium translatis. Addidit inſuper præter Confirmationem Regiam, ſe Monaſterium Scalicenſe *cum omnibus perſonis, hominibus, & prædiis, poſſeſſionibus, villis, curiis, juribus, terris, rebus, & pertinentiis in ſuam Regni, & Coronæ Boëmiæ, nec non hæredum & Succeſſorum ſuorum Boëmiæ Regum ſpecialem protectionem recipere, decernendo, & Regiô ſtatuendo edictô, quòd ipſum Monaſterium cum hominibus, bonis, juribus, ac pertinentiis ſuis omnibus & ſingulis, ab omnibus oppreſſionibus, muneribus, angariis, perangariis, exactionibus, ſteüris, expeditionibus, vecturis, talliis, collectis, ſubſidiis, oneribus, & quibuscunque aliis gravaminibus realibus, perſonalibus, ſive mixtis, quibuscunque ſoleant appellari nominibus, perpetuô tempore immune ſit, liberum penitùs & exemptum.* Adjunxit præterea jus, quod vocamus gladij: atque etiam, *quòd ſi in bonis Scalicenſis Cœnobii Montana aut mineras quorumcunque metallorum ſuboriri contingeret aut inveniri, quòd tunc ipſum Monaſterium omnibus privilegiis, juribus, libertatibus, gratiis, immunitatibus, & conceſſionibus per omnia gaudeat, quibus Monaſterium Sedlecenſe ex donatione Regum Bohemiæ, ex privilegiis, ſeu jure, vel gratia fretum eſt hactenùs, ſeu fruitur in præſenti; quæ quidem privilegia, jura, libertates, & gratias ad præfatum Mona-*

ſterium ad inſtar dicti Sedlecenſis Monaſterii extendi voluit, & in Abbatem & Conventum ejuſdem Monaſterii, & eorum Succeſſores, ad Gratiam B. Virginis, auctoritate Regiâ prorogari, &c. Cur Cæſar tantâ ſolicitudine Scalicio proſpexerit, liquet è citatis literis Regijs, ubi Carolus hæc: *Nos igitur ob reverentiam Omnipotentis DEI, & intemeratæ Virginis Matris Ejus, cujus gratioſô vocabulô Monaſterium prædictum gratioſiùs inſignitur, habitô reſpectu ad multiplices labores, quibus præfatus Theodoricus Mindenſis Epiſcopus, Conſiliarius noſter, in noſtris obſequiis, & procuratione honoris & ſtatûs, fideli, & indefeſſô ſtudiô deſudavit, & adhuc inceſſanter non deſinit deſudare, ut devotis ejus affectibus noſtrô etiam reſpondeatur affectu, &c.*

Porrò *Innocentius* Papa in literis confirmatorijs indulgentias conceſſit viſitantibus Scalicenſem Eccleſiam pro diverſis Anni feſtivitatibus, & quidem id ex eo, *ut* nimirùm *Chriſti fideles eò libentiùs causâ devotionis ad eandem confluant, quô uberiùs donô cæleſtis gratiæ ibidem conſpexerint ſe refectos.* Non abſolvit Theodoricus Fundator Cœnobij atque Eccleſiæ fabricam, continuandam à *Carolo IV*, atque etiam *à Wenceslao* Caroli filio, qui poſterior per edictum Regium, Scalicenſe Cœnobium ab omnibus tributis atque oneribus publicis, Regi cæteroquin pendendis, ad viginti annos ideò integerrimè exemit, ut nempe illæ collectæ cederent in favorem ſtructuræ Scalicenſis: adjecit præterea de ſuo idem Wenceslaus, tum adhuc Carolum Parentem illô zelô præſeferens, quatuor Marchas Montanas Denariorum groſſorum Prag: per hebdomadas ſingulas de Urbura Montium in Cuttnis, vel in hujus defectu, è Camera Regia perſolvendas, uſque ad ſtructuræ totalem conſummationem. Pollicitatus etiam interpoſitô verbô Regiô, collaturum ſe Cœnobio Scalicenſi proventus, ut quinquaginta inde Presbyteri ejuſdem Ordinis ad proſequendum divini cultûs augmentum ibidem ali poſſint. Hæc Ciſtercio Wenceslaus, tum certè necdum malus, & quæ argumenta ſint indolis ſanè optimæ, ſi modò à bono tramite ille deinceps aliorum vitiô non exerraviſſet.

Senſit ab Huſſitarum ferocia communem ſacrarum ædium cladem Scalicium Annô 1421, ſub quinto Domûs Abbate, Emerico, enectis Religioſis, flammâ exuſtum, Bonis ſpoliô pro hære-

hæreticorum libidine direptis. Poſt quæ mala, ſecuta deſolatio ſtetit per annos complures in loco Sancto, donec Georgius Podiebradius Rex Joanni de Wogslavvitz Cœnobij rudera cum adjuncto prædio, ſub titulo pignoris conceſſiſſet, quam oppignorationem Wladislaus Rex confirmavit. Bonô ſubinde fatô Regis utriuſque literæ, oppignoratitiæ, & pignoris ratificatoriæ, ad manus Guillelmi Zub de Landſtein devenêre, qui religioſiſſimè commotus ſuper Domûs deſolatione, accedente etiam caſu, quòd integer ovium grex noctis unius intervallô intra clauſtri loca regularia ſtabulatus, latente vi peremptus ſit, confuſa rudera, prout acceperat, unà cum prædicta villa Ordini reddidit, advocatô in loci poſſeſſionem Abbate Sedlecenſi: quam Landſteinij ceſſionem confirmavit Vladislaus Rex Annô Domini 1481. Introductus ſubinde in ipſa Domûs rudera à Sedlecenſi Patre immediato, Abbas loci IV, Joannes, quem alij ſeptem deinceps ſubſecuti ſunt. At verò cùm res anguſta domi obſtaret Abbatiali prærogativæ dignè ſervandæ, poſt decimum tertium loci Abbatem, Jacobum, Annô Chriſti 1550 fatis defunctum, Pater Abbas de Sedlecio ob tenuitatem reddituum, penè vacuum Abbatis nomen, ſimúlque localia pro Benefactoribus ſuffragiorum onera è Scalicio interea tranſtulit Sedlecium, uſque ad tempora & fata aliquando meliora. Nuperis annis inter Domûs deplorandas reliquias Sacellum Divæ Virgini erexêre Sedlecenſes, atque etiam Domicilium pro Sacerdote Religioſo, qui jugi ſacrificiô ſanctiſſimam loci religionem per modicas velutì ſcintillas ex parte reſtauraret. Id ut fieret, monuêre prævìè ſpiritus per ſigna diverſa, præprimis ſub finem Anni 1684, & initium ſubſequentis, cùm geminæ Campanulæ (quarum uſus ad Sacramenti in Miſſa elevationem) per dies, pérque noctes crebriùs à villæ domeſticis audirentur. Acceptum id pro omine, velle DEUM poſtliminiò Scalicium redire ſacrorum uſum atque exercitium. Moneat, utinam, ah! moneat hic ipſe portentoſus ſonitus præſertim illos, qui tenendo Domûs prædia, fundóſque, in cauſa ſunt, nè divina ſervitus pleniùs Scalicium revocetur! Cæterùm de Fundatore Theodorico res curioſa circumfertur, quam tacere hìc non poſſum. Intelligo namque illum ipſum fuiſſe, qui ante infulas & Epiſcopatus, Curiæ cui-

 dam

dam à Carolo IV Cæſare in Germania præfectus, cùm rei œconomicæ adminiſtratione ſedulò fideliterque occuparetur, illâ ipsâ fidelitate invidiam in ſe commovit & odia multorum, qui criminationibus auſi proſcindere Virum, quòd peſſimè atque indignè eô munere fungeretur. Obruit itaque aliquando Cæſar, cùm Germaniam viſitaret, Theodoricum inopinatô adventu, viſurus num vera eſſent, quæ ſibi de Viro eſſent relata. Non erat penus inſtructa pro tanto Hoſpite: igitur œconomicô ingeniô emendavit Theodoricus illum defectũ; mutilari namque feſtinanter fecit porcorum gregem ſat numeroſum caudis atque auriculis, quas, præter paucula alia, quæ ad manum erant, in diverſa ciborum genera brevì diſtribuens, ad menſam Cæſarem evocavit, qui cum Aulicis cum guſtu refectus, petivit à Theodorico epularum rationem, artémque, unde nempe illæ morâ tam modicâ, & tantô quidem numerô conquiſitæ? Adduxit is Cæſarem ad feneſtram, unde proſpectus erat in ſubjectam aream, ubi ſtabatporcorum ille grex mutilus, atque hæc ferè ad ipſum: hanc vivam ſuam penum fuiſſe, unde ſinè omni ferè œconomico diſpendio tot fercula extraxiſſet. Laudavit Virum Cæſar, ex eô eventu idoneum ratus ad majora, evexítque non multò pòſt ad Epiſcopatum Mindenſem. Hæc de Theodorico *Jongelinus in Notit: Abb: Ciſt: Lib: 3. pag:* 67. & Memorabilia mihi è Sedlecio communicata.

TISCHNOVIUM.

T*Iſchnovium* Partheno Ciſtercius ac Regius apud Moravos, aliàs, *Porta-Cœli:* prius vocabulum ſortitus à vicino Oppido, Tiſchnovio, alterum à Fundatrice *Conſtantia*, Regina Bohemiæ pientiſſima, Premislai Regis conthorali, ſurrexit Annô Domini 1234, prout exhibet fundationis inſtrumentum, datum à Premislao Marchione Moraviæ, & Wenceslao Rege Bohemiæ, Conſtantiæ filijs. Indultæ in citatis literis Cœnobio immunitates: *ut* nimirum *omnes ejus poſſeſſiones jam habitæ & habendæ in Moravia conſtitutæ ab omni genere tributorum, vectigalium, collectarum, aliarumque omnium exactionum ſint abſolutæ; neque ullus pro caſtrorum ædificatione vel reædificatione, ſive pro aliqua ingruenti expeditione homines Monaſterij audeat inquietare. Cæterùm* (proſequitur

quitur Primislaus fundationis diploma) *ut omnia breviter comprehendamus, omne jus, quod ſpectat ad uſus Principum, eidem Monaſterio remittimus, ut plenâ & perfectâ gaudeat libertate: nec ullus & novas conditiones audeat imponere, vel ejus jura mutare.* Interpellata deinde à Marchione Roberti Olomucenſis Epiſcopi ſacra auctoritas, quatenùs adversùs privilegiorum Tiſchnovienſi Parthenoni conceſſorum violatores, diſtrictione cenſuræ Eccleſiaſticæ procederet, Succeſſorum etiam Præſulum deſuper implorans opem: *quia, quidqnid unquam*, inquit Primislaus, *ſtabilitatis poteſt illud Monaſterium conſequi ad ſuæ tranquillitatis firmamentum, hoc eſt noſtra voluntatis, & erit in perpetuum.* Ita illuſtris Princeps inſigni cautelâ præſentem Domûs proſperitatem ſic diſponebat, ut ſimul etiam proſpiceret futuræ. Eadem unô velutì labiô Wenceslaus Frater, Bohemiæ Rex, Regiâ auctoritate confirmans, quidquid Primislaus de *Porta-Cœli* pijſſimâ munificentiâ diſpoſuerat: & quidem uterque ad juges atque inſtantiſſimas Conſtantiæ Matris preces, quæ etiam de ſuo aliquid adjiciens, filijs auctrix fuit, ut ea facerent, atque perficerent, quæ ſinè Matre egiſſent minùs. Itaque datus à Virginibus alumnis Reginæ, honor *Fundatricis*, quòd ſcilicèt ſuô impulſu, & prima quidem, permoviſſet Premislaum ac Wenceslaum Principes filios ad condendam *Cœli-Portam*, ſibi præprimis, quà primæ motrici, ac ſubinde filijs, quà Maternas intentiones procurantibus, tandémque & Virginibus incolis ad ſidera perviam. Voluit Sereniſſima Conſtantia ab obitu inter alumnas Tiſchnovienſes tumulari, Virginum ſuffragijs, ceû clavibus gloriæ ſupernæ fores feliciùs reſeratura. Spectatur hodiedum Ejuſdem Mauſolæum è marmore ante Eccleſiæ aram Majorem, è terra ſupereminens; fiúntque exequiæ annuæ pro ipſa per integrum triduum, apparatu ſolemni. Contulit porrò Conſtantia Fundatrix Abbatiſſæ loci jus præſentandi Præpoſitos in Collegiata Eccleſia in Monte S. Petri, vulgò Petersberg/ apud Brunenſes. Cæterùm per viam traditionis habetur, olim poſt Cœnobij conflagrationem acceſſiſſe agricolam quendam ex aliena ditione, unà cum uxore ſua, duóſque cophinos pecuniâ refertos ſub titulo ſpontaneæ donationis ultrò obtuliſſe ad reſtaurandas Domûs exuſtæ ruinas. Suſcepêre inter ſolatia & gratias, Virgines à ruſtico munus non rurale, atque ut face-

facerent beneficij memoriam apud poſteros immortalē, præter ſepulchri locum in Capella S. Spiritûs utrique rurali Benefactori conceſſum, decrevêre inſuper ijſdem exequias annuas, habendas ſimul inter ſolemnia pro Regina Fundatrice funebria: quâ conjunctione beneficium magnificentiùs commendaretur. Hodie inclyto Parthenoni digniſſimè præeſt Venerabilis D.D. Antiſtita *Thereſia Nimiſſin*, cui hìc in terris *Portæ* ſuæ *Cæli* ſupremæ Clavigeræ, poſt ſera fata Supremus Cæli Claviger, *Cæli Portam* pro meritis, opto, ut aperiat!

MARIÆ-VALLIS.

M*ariæ-Vallis*, Regium Virginum Cœnobium in Luſatia Superiori, dimidij milliaris intervallô diſtans Oſtroviâ, oppidô, milliarib9 duob9 Sitaviâ, Civitate percelebri, fundatur Annô Domini 1234. à *Kunegunde* Bohemiæ Regina, Wenceslai IV Conjuge. Fundationis Regiæ inſtrumentum ex parte mihi communicatum hìc exhibeo: *Wacislaus* (idem eſt, ac Wenceslaus) *Divinâ favente gratiâ Bohemiæ Rex, & Cunegundis dilectiſſima Ejus Conjux, omnibus hanc chartam inſpecturis ſalutem, & huic Sigillo veritatis teſtimonium perhibere. - - - Ut ergo bonæ voluntatis noſtræ propoſitum, favorem DEI conſequatur, & præmia in forma juſtorum perfectorum, Ordinem Ciſtercienſem praelegimus, cujus labores continuos, orationes indefeſſas, jejunia quotidiana, hoſpitalitates aſſiduas, & cætera ſinè intermiſſione pietatis opera ibi conſiderantes, Clauſtrum Vallis Sanctæ Mariæ, in honorem Ejuſdem Virginis & Genitricis DEI de juſtis noſtris poſſeſſionibus fundatum & dotatum ad obſervantiam Ejuſdem Ordinis conſtruximus, & Dominæ Adelheydi Abbatiſſæ, ſacriſque Monialibus ibidem DEO ſub habitu, & profeſſione jam dicti Ordinis militantibus contulimus ſinè reclamatione perpetuò poſſidendum, &c. Paginam præſentem, & Sigillorum noſtrorum impreſſione, & idoneorum Virorum contulimus: quuorum iſta ſunt nomina: Zlawco Abbas in Ozzek, Theodoricus Monachus ejus, &c. Acta ſunt Annô Incarnationis Domini* 1238, 8 *Kalendas Martii, Indictione XI.* Obiter noto: haud ingratum eſſe Scriptori Oſſecenſi, audire, Mariæ-Vallem non ſinè Oſſeca olim ſurrexiſſe. Literarum aliarum deſumptum, quas Regina ſola dederat, pariter hìc ſubjicio: *Kunegundis DEI gratiâ Regina Bohemiæ, &c. Noſcant uni-*

univerſi, præſentes & poſteri, quòd Ego Kunegundis Regina, communicatô Dilectiſſimi Domini, & Conſortis Noſtri Regis Wacislai conſiliô, & Liberorum noſtrorum conſenſu, pro remedio animarum noſtrarum, Parentumque Noſtrorum, Ordini Ciſtercienſi ad Monaſterium, quod Vallis S. Mariæ dicitur, & ſacro-ſanctis Monialibus ſub habitu & diſciplina Ordinis Ejuſdem ibidem DEO famulantibus contulimus Villam Syffridsdorff dictam, cum omnibus pertinentiis ſuis, terra culta, & inculta, viis, & inviis, agris, pratis, nemoribus, aquis, molendinis, & aquarum decurſibus, piſcationibus, &c. Acta ſunt hæc Annô Incarnationis Domini 1234, *Indictione VI: Datum Pragæ, pridie idus Octobris.* Poſteriores has quadrienniô citiùs expeditas fuiſſe, quàm quas primò recitavimus, evincit ratio temporis in epiſtola utraque allegati. Itaque fundationis annus forte rectiùs deſumendus venit ex literis Reginæ ſolius, quàm ex epiſtola Regis & Reginæ ſimul; quandoquidem tunc Mariæ-Vallenſis Partheno cœpiſſe cenſendus eſt, cùm Cunegundis villam Syffridsdorff unà cum pertinentijs novæ Fundationi obtulit: quanquam etiam Rex ſubinde in partem fundationis admitti debeat, ſi domûs augmentum ſpectes, aut Confirmationem Regiam. Novi roboris adjectione ſtabilivêre per literas Majeſtales Mariæ-Vallenſium Bona, ac privilegia, *Joannes* Bohemiæ Rex, *Carolus IV* Cæſar, Bullâ aureâ, ſub dato Pragæ Annô 1357. Indict: X, 16. Calend. Sept: *Sigiſmundus*, *Maximilianus II. Ferdinandus I. Rudolphus II. Matthias*, *Ferdinandus II*, Cæſares, quà Bohemiæ Reges.

Situs loci ad ſtylum Ciſtercij, in amœniſſima Valle, quam ſylvæ montéſque circumambientes haud exaſperant, quin imò jucundiorem reddunt. Alluit Niſſa fluvius Cœnobium, augétque Vallis decus ac pretium. Annô Domini 1683, 22. Auguſti ortô per caſum incendiô Cœnobium penitùs conflagravit, ſed DEI munere, ac vicinorum, eorum etiam, qui cum Orthodoxis non communicant, elargitionibus, brevì ſeſe è buſtis exeruit, meliori, quàm antea donatum formâ. Traditio eſt, hunc Parthenonem ante Kunegundis ac Wenceslai beneficia, ſtetiſſe Syffridsdorffij poſt Oppidum Oſtricenſe, Fundatoribus Ottone Marchione Brandeburgicô, ejúſque Conjuge Beatrice: quem Bellorum calamitate vaſtatum Cunegundis deinceps ex illo loco tranſtulerit in Vallem, quam Mariæ DEI-

paræ ſacrã voluit. Et quidem etiam Balbinus *Volum: V. Erection: Lit: G.* 2. Abbatiſſæ Euphemiæ, & Conventûs in Siffridsdorff meminit: atque rursùs *Volum.* 13. *Lit:*X. 4. & 5. Agnetẽ de Gersdorff adducit, Monaſterij in Marienthal, ſive in Seifersdorff Abbatiſſam. Non ſatìs cohærere mihi videtur traditio recitata cum fundatione Cunegundis; quô pactô enim Regina Siffridsdorffium Virginibus noſtris conferre potuerit, ſi illæ jam antehac ibidem, ùt præfertur, Cœnobium habuerinr? Nisì fortè dicatur, bellorum injurijs Virgines è Siffridsdorffio ejectas, rursùs eôdem locô donatas eſſe per Cunegundem & Wenceslaum, Parthenonis translatione in Vallem illam prælaudatam, atque etiam hâc ipsâ Siffridsdorffij reſtitutione Factos Fundatores. Sed hæc altiùs perpendant alij, mihi feſtinanti interim ſatis ſit, hæc inſinuâſſe. Sedet nunc in Sancta hac Valle Virginum digniſſima Antiſtita Venerabilis D. D. *Martha Tannerin*: cui poſt longævam Vallis ſuæ felicitatem, Montes æternos olim in aſcenſum adornet Vallium omnium Tutelaris dulciſſimus, Bernardus Mellifluus!

MARIÆ-STELLA.

MAria-Stella, alter illuſtris Ciſtercienſis Partheno in Luſatia Superiori, duobus milliaribus ab Urbe Budiſſinenſi, ſtellæ vocabulum traxit à prodigio, exortus Ciſtercio Annô Domini 1264, Illuſtriſſimô Miſnenſium Epiſcopô, *Bernardô Comite de Camentz*, loci Fundatore: qui aliquando animo curis laſſo dulce daturus oblectamentum, venatum egreſſus ad eum locum devenit, multâ tum caligine vitioſum, quô nunc ſtat Cœnobium, ubi unà cum equo, terræ ſubtus cedentis vitiô ſubſidit. Tentabat quidem multô conatu inde emergere, at fruſtra: eapropter ad Numinis, atque auxiliatricis DEIparæ opem provocans, votum nuncupavit de exſtruendo Cœnobio, ſi modò Cæli beneficiô diſcrimini eriperetut. Has inter corporis animíque luctas noctem omninò integram Præſul ingenti horrore exegit. Cùm ecce ſub primum diluculum, Phoſphoríque gratiſſimos ſplendores caput ille an ſe vidit, nigrô candidôque velô decorum. Boni omnis indicium inde ſumpſit Antiſtes: & rectè; nam illicò viſa ſibi terra ſolidior,

quæ

quæ ante fuerat lubrica ac dehiſcens, ſuſtinere conatum, ac impetum, quô ex uligine emergeret. Erupit igitur atque evaſit Cælitum adjutoriô Bernardus: & quia eliciti voti, conſpectíque Parthenij capitis ideæ pleniſſimè mentem Præſulis inſederant, daturus ille pro divino beneficio grati animi argumentum, ad prælibatum Annum 1264, DEIparæ Virginis, Dominici Præcurſoris, ac Divæ Urſulæ, Sociarúmque devotiſſimo honori, Cœnobij illuſtris fabricam auſpicatus eſt, Joanne & Othone Marchionibus Brandeburgicis, Miſniæ imperantibus. Inſumpti in ſtructuram anni 20, poſt quos è veteri ad Camencium ſito clauſtro in novum hoc, Annô 1284. adductæ Ciſterciæ alumnæ, *Mariæ-Stellam*, (ſic enim Fundator Bernardus in ſtellæ matutinæ à ſe viſæ ſervandam memoriam, Virginíſque opitulatricis reverentiam Domum appellari voluit) per Orbem Luſatium reddidêre percelebrem. Locum diſcriminis, ubi Antiſtes cum equo intra uliginem ſubſiderat, hodie notat Sacellum, ibidem in rei monimentum, erectum, quod Virgines in præcipuo cultu habent, tanquam portenti cæleſtis veſtigium, primúmque Religioſæ Domûs auſpicium. Hinc etiam præcipuis per annum ſolemnijs in ſacra illa ædicula Euchariſticum epulum ſumunt devotæ, in menſæ Divinæ participium pijſſimâ gratitudine evocantes Fundatoris, atque etiam Benefactorum pios Manes, ſi fortè adhuc indigi alumnarum ſuffragijs. Multam ætatem vixit Bernardus, conſummatô jam Cœnobiô ſuperſtes per annos triginta ſeptem, primóque defunctus Annô Domini 1321, quartô idus Octobris, & prout ipſe juſſerat, ante majorem aram in Eccleſia Mariæ-Stellenſi reconditus. Supra ſepulchrale ſaxum ſtatura ſupinô ſitu impoſita eſt, ære fuſa, tribus & ampliùs ulnis longa, Fundatoris Præſulis effigiem exhibens: ponè quem *Henricus Comes de Camenz* è Bernardi intimis familiaribus conquieſcit. Aucturæ tumuli ſplendorem Mariæ-ſtellanæ Veſtales Annô 1629 oſſa Illuſtriſſimi Fundatoris levârunt. Accidit tunc, quod commendat Præſulis ſanctimoniam; ſenſit enim per tridui ſpatium *Maria Mildnerin*, Domûs Profeſſa, odoris miri fragrantiam, totô Cœnobiô diffuſam, cúmque illa ex graviſſimo pedum dolore (quô jam per annos decem affligabatur) levationi adeſſe non poſſet, miniſteriô ſororum, quas in opem advo-

caverat, ad tumulum Fundatoris perducta eſt: ubi conceptô votô, ſe per annos ſingulos in vigilia Anniverſarij Ejuſdem jejunaturam, ipſúmque diem Anniverſarium devotis precibus, ſanctíſque exercitijs exacturam, ſinè cujuſpiam adminiculo ex oratione ſurgens, ad cellulam incolumis regreſſa eſt, viginti annis poſthac integrâ valetudine ſuperſtes, recepti beneficij apud Sorores grata laudatrix. Annuâ funebrium ſolemnitate parentat hodiedum Fundatori ſuo Mariæ-ſtella, toties novos à Patre luminum ſplendores merita, quoties Bernardo Antiſtiti, primo lucis atque exortûs ſui Parenti ac conditori grata. In ijs exequijs ſub Miſſarum ſolemnia celebrans calice utitur, duplici manubriô palpabilem vetuſtatem præſeferens, quô olim in ſacris uſus Fundator ipſe.

Thaumaturgam Roſenthalenſem, Mariæ-ſtellani Parthenonis gloriam dedimus, *Titul*: 24. *pag*: 725, quô locô addendum, quod ſub hos dies relatione Admodum R. P. Præpoſiti de Mariæ-ſtella mihi innotuit: ſcilicèt jam ante añosducentos triginta ſex ab Abbate de Veteri-Cella, nomine, Alano, pro tunc Viſitatore, confirmatam quandam fundationem ad augmentum cultûs Mariani in Roſenthal per Parthenonem de Mariæ-ſtella tunc factam, ducentis marcis, quas optimæ Virgines ex amoris erga Divam Parentem teneritudine de Progenitorum ſuorum ſubſtantia collegerant, ad annuos cenſus elocatis: qui nimirum cenſus *Sacerdoti* non alteri, quàm *dicti clauſtri*, id eſt, Viro è Ciſtercij gremio pendi debuerint, ut in Sacello Roſenthalenſi, *quôlibet menſe duo ſacra pro vivis Benefactoribus offerret.* Neque primò tum, cùm hæ Miſſæ fundatæ, pietas Roſenthalenſis apud Mariæ-ſtellanos novitia fuit; quandoquidem in inſtrumento confirmationis per luculentos terminos revocatio fiat ad tempora priora; ità enim Abbas Viſitator Vetero-Cellanus: *Supplicatum eſt Nobis ex parte dilectarum in Chriſto Filiarum de Stella S. Mariæ Ord: Ciſt: Miſn: Diœceſis, noſtro Vicariatui ſubjectarum: dignaremur confirmare eam devotionem erga DEIparam Dominam noſtram, quam Anteceſſores Earum in Roſenthal laudabiliter fundavêre, & ipſa uſque hodie perſeveranter adaugere ſtudent, ſpecialiter ducentis marcis pecuniæ ordinariæ de Progenitorum ſubſtantia collatis ad intereſſe, ut Sacerdos dicti clauſtri in Sacello Roſenthalenſi interim de quer-*

quercino ligno affabrè erecto, donec piô oblationum ſuffragiô ſucceſſivè lapideum ædificetur, quôlibet menſe duo ſacra pro vivis Benefactoribus offerat. Itaque ante annorum centurias, Roſenthalenſis Domus Mariæ-ſtellenſium ſolicitudine, curâ, fundatione, adminiſtratione conſtanter culta ſinè exterorum adminiculo, ad hæc tempora, per tot rerum viciſſitudines ſervata, ſervanda eſt deinceps per noſtros, cùm nil in Virginem peccaverint, niſi quòd etiam medias inter hæreſes Virginis honores tutati ſint; ſiquidem prælaudatus Vetero-Cellenſis Viſitator ſub Epiſtolæ finem religioſô imperiô ad id præſtandum noſtros ſpecialiter conſtrinxerit: *Nos igitur*, ſcribit ille, *rati habentes corroboramus tenore præſentium, inſuper conſcientiam noſtræ curæ ſubjectorum Fratrum oneramus, ſub virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut hoc tam pium inſtitutum promoveant.* Communicatum eſt mihi Originale, unde hæc tranſumpſi; neque ſanè fruſtrà, quod illi intelligent, qui controverſiam Roſenthalenſem per aliquot jam annos ab æmulis ventilatam, perſpectam habuerint.

Cæterùm jam ſuprà *Tit*: 24. pariter dictum eſt de ſacris Reliquijs, quæ hôc locô aſſervantur, quas inter eminent numeroſa *Capita è Divæ Urſulæ Societate*, qualia & quanta in his terris Auſtriacis fortè nullibi. Viget erga ſanctiſſimam hanc Cohortem, & agminis præprimis Regiam Ducem, Divam Urſulam, hôc locô pietas ac devotio ſingularis etiam inter prodigia, præſertim invaleſcente peſtiferô contagiô. Unde & Epiſcopi Miſnienſes, Gaſpar, & Conradus, conceſſis per publicas literas varijs indulgentijs Urſulinos clientes, eorúmque fervorem erga Divas Domûs hujus Tutelares ampliùs provocavêre.

Stelligero Parthenoni digniſſimè nunc præſidet Venerabilis D. D. Ottilia Hantzlin: cui in Terris ſit gubernaculum in ſtella bona: atque olim in cælis promerita è ſtellis Corona!

VALLIS-VIRGINUM.

Vulgò,

Frawen-Thal.

Frawen-Thal in *Notit*: *Abbat*: *Jongelin*: *Lib*: 5. *pag*: 41. *Vallis-Virginum*, ſi nempe id vocabululum Ciſtercij alumnas

reſpiciat; ſeu *Vallis-Dominarum*, ſi nomen referatur ad Fundatrices geminas ſorores, quaſi der Frauen-Thal: ſeu *Vallis Dominæ*, id eſt, DEIparæ Virginis, fundatur Annô Domini 1265 apud Bohemos, mediô milliari ab Urbe Teuto-brodenſi, versùs Moraviam, in Diœceſi Pragenſi, munificentiâ duarum illuſtrium Sororum, *Uthæ*, relictæ Viduæ Chunonis de Chovvan, & *Ludmillæ*: quæ *divinitùs inſpiratæ*, unis viribus ac ſumptibus id opus aggreſſæ ſunt. De qua autem ſtirpe deſcenderint inclytæ hæ Matronæ, in fundationis literis expreſſum non video; quia tamen ſuper Earundem tumulos, in Eccleſia Fraunthalenſi duo rami decuſſatim in formam crucis conjuncti ſpectantur, conjectura eſt, Utham & Ludmillam de illuſtriſſima progenie *Comitum de Berka* extitiſſe. Igitur illæ primùm ſolicitæ de loco, qui ad Ciſtercij genium à natura formatus eſſet, duos Viros militares, Bodizlaum, & Bartholomæum Fratres, peramenæ Vallis, & Villæ, cui nomen *Polet*, poſſeſſores ac Dominos induxêre, ut exhibitô pretiô, & Vallem & Villam illi ceſſerint exſtruendo ibidem ad ripas Sazavæ Ciſterciô Parthenoni. Confecit ſuper hoc venditionis atque emptionis contractu mutuo Inſtrumentum publicum Illuſtris *Zmilo de Lichtemburg*, in quo ſubſcripti teſtes, Nobiles complures, illúdque in ſecuritatis perenne robur Annô Domini 1267. Uthæ Fundatrici extradidit. Tranſtulêre etiam Teutonici Teutobrodenſes Eccleſiæ adminiſtrandæ jus, quô hactenùs in Villa *Polet* potiebantur, in Frauenthalium. Acceſſit ſubinde Villa altera, *Priow*, empta per eaſdem Fundatrices ab illuſtri Viro *Jaros*: qui contractus pariter literis authenticis cum ſubſcriptione teſtium factus legitur in *cit: Notit: Abbat*: Jongelini. His pro Virginum ſuſtentatione ad extra ordinatis, ſeſe recollegêre Patronæ optimæ ad fabricæ novæ jacienda auſpicia, petitâ priùs ab Epiſcopo Pragenſi facultate, atque obtentâ, cujus delegatione Archidiaconus Curimenſis primum Domûs lapidem jecit die 13. Junij, Annô Domini 1265. Ita quidem ſurrexit Frauenthalenſe Parthenium Aſceterium, quod quadrienniô pòſt ab Ottocaro Bohemiæ Rege confirmatum, evectúmque eſt in *protectionem Regiam*, jure advocatiæ atque conſervationis translatô in Cunegundem Reginam, votis omnibus pro Virginum ſolatio unicè id exoptantem. Porrò *Gregorius Papa* X. Annô Chriſti 1271, Apo-

Apoſtolicæ Confirmaiionis robur per Pontificiam Epiſtolam gratioſè adjecit: literarum fragmentum hìc habe: *Eapropter dilectæ in Domino Filiæ, veſtris juſtis poſtulaltionibus gratô concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Dominô poteritis adipiſci, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus: ſpecialiter autem terras, poſſeſſiones, redditus, Domus, & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſtè ac pacificè obtinetis, vobis & per Nos eidem Monaſterio autoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. &c.* Accrevit lapſu temporis Frauenthalio nova felicitas in duabus Ludmillæ Fundatricis filiabus, *Eliſabetha*, & *Welena*, quæ nuper in Cunegundis Regio Gygnæceo domeſticæ, cùm cælitùs intra caſta præcordia vellicarentur ad rerum caducarum ſanctiſſimam fugam, tranſtulêre ſe calcatô Orbis perituri faſtu, ex aula inter Chriſti ſponſas Frauenthalenſes, ſumptô habitu futuræ Ciſtercij alumnæ; quarum acceſſu adaucti inſigniter Domûs proventus per opulentam dotem. Per tot temporum hucuſque caſus ac fata id præcipuè commendat loci iſtius prærogativam, quòd nullis unquam calamitatibus infringi potuerit glorioſa Virginum conſtantia, ut ſeu loco aliquando cederent, ſeu divinam in choro ſervitutem, ac ſancta Inſtituti ſui munia ad tempus ſuſpenderent, ſub funeſtas Huſſitarum lanienas paratæ magìs pro religione occumbere, quàm clauſtro excedere. At verò luit cædis innoxijs victimis illatæ meritas pœnas ſanguiſuga Ziſka, diebus à ſacrilego facinore ſeptem duntaxat evolutis, correptus morbô epidimiali, atque eô malô tandem, quod pridem meruit, extinctus. Incidit Ziſkæ mors, atque Cœnobij vaſtatio in Annum Incarnationis Dominicæ 1424. Hodie Frauenthalij ad clavum Abbatialem digniſſimè ſedet Venerabilis D. D. *Conſtantia* Marquardin, à cujus *nomine* in Ejus perſonam, bona fata, felicitatem, ſoſpitatem transferant Superi!

SALA-MARIÆ.

Vulgò

Königin-Kloſter/

SAla-Mariæ, celebre Parthenium Cœnobium Vetero-Brunæ in Moravia ad pedem montis, cui Caſtrum Spielberg incumbit, quod Annô Domini 1323 fundavit Eliſabetha, Bohemiæ bis Regina, primò Wenceslai II. dicti pij, ſubinde Rudolphi Auſtriaci, Regum Bohemiæ Conjux, Magni, Suecorum Regis, neptis, Primislai Poloniæ Regis filia. Præceſſerat eam fundationem eventus fortuitus, ſed memorandus; cùm namque Eliſabetha unà cum Regio Conjuge Wenceslao aliquando in caſtro Spielberg degeret, non aliæ cogitationes tam occupabant Reginæ mentem, quàm juges ideæ de fundando novo Parthenone Ciſtercio, quas novis inſuper ſtimulis perurgebant Abbates de Sedlecio, Plaſſio, atque Aula-Regia, apud Regem, Reginámque præcipui, in Aula tum opportunè præſentes. Accidit igitur, ut Eliſabethæ jam de Cœnobio erigendo ſecuræ, at duntaxat loci adhuc incertæ, in edito Caſtri monte deambulanti, omnémque vicinam è ſublimi curiosè circumluſtranti, velum ventorum vi diriperetur è capite, quod poſt aliquantam in aëre circumgyrationem ſeſe tandem demiſit in ſubjectam ac contiguam Vallem. Id illa pro fato accepit, miſítque illicò è ſervulis, qui locum notarent, in quo velum reperiſſent. Inventum eſt medios inter dumos, ſentéſque è ſambuco pendulum. Non alia è cælo argumenta expectavit Eliſabetha, ſed mox in ipſo inventionis loco Fabricam novam auſpicata eſt, Aram Eccleſiæ majorem ſambuco ſubſtituens. Ita quidem Regij veli auſpiciô Virginibus ibidem per vela ſacrandis prælusêre ſeu venti, ſeu fata. Fundationis Inſtrumentum, quod Regina confecerat, mihi in hæc verba à Brunenſibus communicatum eſt: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris Noſtri DEI, &c. ad hoc Noſtrum inclinando animum, ut de ſuis collatis beneficiis ſibi, ac glorioſiſſimæ Genitrici Virgini Mariæ Monaſterium ſuo SS. Nomine invocatô fundaremus: Unde noſcat omnis ætas tam præſentium, quàm futurorum, quòd Nos ELISABEAHA Bis Regina,*

gina, Fundemus Monaſterium Salæ S. Mariæ nuncupatum ſanctimonialium Ord: Ciſt: Olomuc: Diæceſis in antiqua Bruna ſub Caſtro Spiel-berg *ad gloriam Omnipotentis, & honorem Genitricis Ejus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ut quietiùs divinis obſequiis intendere, & famulatum devotum Altiſſimo impendere poſſint: pro divini cultûs augmento, noſtrorum remiſſione peccaminum, ejuſdem conſortis, & aliorum Progenitorum noſtrorum animarum ſalute, liberè ſpontaneâ, & gratuitâ voluntate, ex certa noſtra ſcientia, & aſſenſu, & beneplacito Sereniſſimi Regis Bohemiæ, & Poloniæ, Joannis: & donamus, damus Civitatem noſtram Auſpitz cum Collatura, magnum & parvum* Steyerwitz / *oppidum* Me-nitz / Zaroſchitz *cum Collatura, & Domum noſtram in Regia Urbe Brunenſi, ad quam tempore hoſtili ſe ſalvare valeant, cum Eccleſia annexa S. Wenceslai, ubi divina peragere valeant, Franſpitz, Wellditz, Roſternitz, Civitatem antiquo-Brunenſem cum Collatura, cum omni jure, gratiis, & privilegiis, cum jure ſpirituali & temporali, & omni Dominio directo vel utili, cum proventibus, redditibus, pratis, paſcuis, piſcationibus, molendinis, agris, vineis, montibus, ſilvis in perpetuum jure hæreditariô ad uſus proprios tenenda & poſſidenda.* Et hæc quidem tum Eliſabetha, quoad temporalem Regij Parthenonis dotem: alijs præterea gazis, Cælitum nempe reliquijs, Coloniâ copioſè advectis, Cœnobium ditans, quarum jam ſupra *Tit*: 24. meminimus. Obijt Sereniſſima Fundatrix Annô reſtauratæ ſalutis 1336, in Feſto S. Lucæ Evangeliſtæ Regino-Hradecij in Bohemia, & ſupremô voluntatis ſuæ imperiô, ab obitu deportata ad Brunenſes ſuas alumnas, poſt aram S. Crucis in medio Eccleſiæ ſub rubro marmoreo ſaxo requieſcit: pro qua, aliiſq; loci Mecænatibus circa Divæ Eliſabethæ Reginæ Viduæ feſtum, annua Exequiarum ſolemnia peragunt gratiſſimæ Virgines, multâ eleemoſynarum elargitione, ac numeroſâ Presbyterorum ſacra facientium frequentiâ beneficij accepti memoriam ac gratitudinem devotiſſimè redhibentes.

Addidit ſubinde Cœnobio Salæ-Mariæ Joannes Bohemiæ Rex *Eccleſiam S. Wenceslai in* Spielberg / cum jure præſentandi per Abbatiſſam Rectoris, quod vulgò Collaturæ dicimus, unà cum omnibus proventibus pro alendis in Hoſpitali pauperibus. Inter loci Benefactores invenio *Henricum de Lippa*, Provinciæ Moraviæ Supremum Capitaneum, qui Annô Domini

 1325 ad-

1325 admiſſus inter Ordinis Familiares, Cœnobij ditiones auxit novarum elargitione, unà cum jure Patronatûs in Wolfromitz. Reddidit Partheno Mecænati ſuo tumuli beneficium in Eccleſia, cujus Manibus pijſſimâ gratitudine per annua funebria parentat.

Confirmavêre Monaſterij bona ac immunitates Summi Eccleſiæ Præſules, *Joannes* XXII, *Sixtus IV*, *Benedictus* XII, *Bonifacius* IX, *Nicolaus V*, aliíque: quem confirmationis favorem pariter præſtitêre Bohemiæ Reges, *Joannes*, *Carolus IV Cæſar* Bullâ aureâ, *Sigiſmundus*, *Wenceslaus*, *Georgius*, *Matthias*, *Maximilianus II*, *Rudolphus II*, *Leopoldus I.* Auguſtiſſimus, atque invictiſſimus Imperator. Conflagravit caſu fortuitô Partheno Regius Annô Chriſti 1429: Subinde hæreticorum inſaniâ Annô Domini 1467, 28 Julij præviâ deprædatione rursùs exuſtus eſt, Virginibus ad emigrandum ſacrilegè compulſis. Abſtulit porrò eam exilij calamitatem Matthias, Hungariæ & Bohemiæ Rex, poſtliminiò alumnas exules ſedibus ſuis reſtituens, ſub loci Abbatiſſa Bertha de Boskovvitz: ſub quod etiam tempus Domûs religioſæ profanationem ſacris Eccleſiæ ritibus abſterſit Illuſtriſſimus Prothaſius, Olomucenſium Antiſtes, Abbabatiſſæ cognatus. Non læsêre Sueci (cùm ſub decurſum præſentis ſæculi Brunam, ac Caſtrum Spielberg obſidione premerent) Cœnobium Reginæ, ob Fundatricis reverentiam, quòd ſcilicèt illa è Regum Sueciæ clariſſima progenie deſcendiſſet. Extat hodiedum intra Monaſterij extimum ambitum *Ædes Divæ Annæ*, olim Vetero-Brunenſium Eccleſia Parochialis, quam Eliſabetha Fundatrix de adſenſu Olomucenſis Antiſtitis Mariæ-Salenſibus noſtris contulerat, cujus locô Parochialem aliam extruxit in Comain, conceſsâ ſimiliter Abbatiſſæ ejus proviſione.

Sub præſens tempus Regium Parthenonem digniſſimè gubernat Venerabilis D.D. *Barbara Woditzkin*, inter Domûs Abbatiſſas trigeſima quinta: cui & VELUM & *Cœlum* exhibeant, explicéntque & Rex & DEUS, atque Brunæ partem Ciſterciam, ſub Veli Regij auſpicio olim ſurgentem, hodie ſub Regia ac cæleſti tutela felicem ſervent ac florentem!

COENOBIA CISTERCIENSIUM IN BOHEMIA, INJURIA TEMPORUM DEPERDITA.

Vix Cœnobiorum nomina ſatìs hìc novimus, adeò ferè omnia inter buſta & ruinas ſepulta jacent. Author *Phœnic: Ciſt: in Boh: pag:* 3. quindecim Ciſtercij Domos in Regno Bohemiæ numerat: *Sedlecium*, *Plaſſium*, *Oſſecum*, *Alto-Vadum*, *S. Coronam*, *Aulam-Regiam*, *Frauenthal*, *Skalicz*, *in Viridi-Monte*, *ſub Viridi-Monte*, *Rzeporium*, *Byſtricz*, *Nepomuk*, *Kamenitz*, *Kaurzim.* Jongelinus in *Notit: Abbat: Ciſt: Lib:* 5, ſub initium, ſequentem format ſeriem: *Zedelitz*, *Plaſſium*, *Nepomukum*, *Sacer-Locus*, *vel Campus*, *Oſſecum*, *Altum-Vadum*, *S. Corona*, *Aula-Regia*, *Skalicium*, *Vallis Virginum.* Et horum quidem ſingulorum fundationes ibidem producit: quibus ſubdit Cœnobia deſolata, per ſola eorundem nomina, exceptô Nepomucô, de quo præter nomen aliquid amplius: Monaſterium in *Rzepor*, in *Byſtricz*, in *Viridi-Monte*, ſub *Viridi-Monte*, in *Kamenicz*, in *Caurzim.* Balbinus in *Miſcell: hiſt: Bohem: Decad:* 1. *Lib:* 5. *pag:* 8, è M. S. Codice Bibliothecæ Archi-Epiſcopalis hunc Cathalogum in Bohemia memorat: Monaſteria Ciſtercienſium: *Sedlecenſe*, *Aula-Regienſe*, *Pomucenſe*, *Plaſſenſe*, *Oſſek*, *S. Corona*, *Alto-Vadum*, *Sacer-Campus*, *Gradicenſe*, *Skalicenſe*, *Zdiar*, *Lovoſycz Curia*, *Priwlak Civitas*, *Byſtricz Civitas*, *Abbatiſſa in Valle B. Virginis.* Liber privilegiorum Oſſecenſis noſtri Cœnobij in Commiſſione quadam facta Michaëli Abbati de Oſſeco, cujus vigore ille per Bohemiam atque Moraviam à 44to Generali Ordinis, Jacobo de Ponte-Sciſſo, inſtitutus eſt Commiſſarius Generalis, inter cætera recenſet etiam Cœnobia de nomine nobis incognita: De *Valle-Brade*, de *Brado-Monachorum*, de *Berwillen &c.* Quales fuerint poſteriores hæ Domus, mihi non conſtat: niſì forè dicamus, Mo-

naſteria nonnulla diverſis vocabulis appellata fuiſſe, adeóque hæc ipſa nomina conveniſſe quibuſdam è Cœnobijs jam recenſitis, quanquàm nos hodie lateat, quæ ſcilicèt illa ipſa olim fuerint. At verò non vacat tam ſcrupulosè examinare hanc nomenclaturam, quandoquidem præter inſtituti rationem in hoc Bernardo Auſtriaco eſſe videatur, multùm evagari per rudera & buſta; quia tamen hæ ipſæ Domus olim illuſtres fuêre, ſiquidem ùt aſſerit *cit: Phœnicis* Author *pag.* 4. *Numerus Religioſorum in ſingulis Cœnobiis noſtris per Regnum Bohemiæ, ducentenarium excedebat, pro Regno, DEO ſupplicantium*, eapropter dabo ſuccinctè paucula, quæ de illis habere potui.

NEPOMUCUM.

NEPOMUCUM, *ſub Viridi Monte*, propè Oppidum Nepomucenſe, tribus à Pilſna, Urbe Regia, milliaribus, fundatur Annô Domini 1146, ùt habet Jongelinus, primis Ciſtercij Colonijs adductis ex Ebraco, celebri Franconiæ Cœnobio. Hujus Domûs alumnus & Prior extitit *Robertus*, alijs Rupertus, natione Anglus, ſubinde aſſumptus ad infulas Epiſcopatûs Olomucenſis apud Moravos, Præſul magni nominis, qui Eccleſiæ ſuæ Cathedrali thecam auream contulit, gemmis & arte ſumptuosè fulgentem, quâ Divi *Chriſtini* Martyris ſacras exuvias incluſit. Roberti pariter ſolicitudine Wladislaus Moraviæ Marchio, Crucem auream, duodecim, pondo gravem, eidem Divi Wenceslai Baſilicæ dono dedit. At verò longiùs exſuperavit in pretio *theca Crucem*, quod vel ipſe Wladislaus, Præſuli impensè adfectus, confeſſus eſt. Ornavit præterea beneficijs alijs Sponſam ſuam Cathedram Robertus noſter Nepomucenus, quorum illud percelebre, quòd *Præpoſituram* in Eccleſia Olomucenſi primus inſtituerit, boníſque ac privilegijs ſeu ipſe per ſe adauxerit, ſeu cumulandam per Principes aliunde procuraverit. Obijt Robertus Annô Domini 1232, Wellehradij apud noſtros unà cum Wladislao Marchione contumulatus. Ingentem porrò claritudinem hæc Domus obtinuit à Divo *Joanne Nepomuceno* Thaumaturgo, pietatis elementa inter noſtros ſub teneram mox ætatem auſpicante, prout ſupra *Tit:* 25. recenſui.

Balbi-

Balbinus in *Boh: Sanct: Part:* 1. §. 60. *pag:* 126, geminum Nepomucenſe Cœnobium commemorat, alterum *in Viridi-Monte*, quod dicitur fuiſſe Ciſtercienſium Virginum, alterum *ſub Viridi-Monte*, quod fuerat Virorum. Verùm de *Parthenone præter traditionem certam nihil adhuc ſe inveniſſe*, ibidem ille profitetur.

Cæterùm Nepomucenſis Cœnobij Fundatorem neque *Jongelinus* expreſſit, neque *Phœnix Aula-Regienſis.* Domeſticus Bohemorum Livius, *Balbinus in Hiſt: Sacro-Mont: auctar:* 1. *cap.* 9. nobis hac in re facem præfert, ubi hæc ille: *Deduxêre hanc Coloniam* (ſcilicèt Ciſtercienſem ex Ebraco) *Nepomukum, aut aliquô aliô inſigni beneficiô proſecuti ſunt locum Sternbergici Proceres, ac nominatim alterô à fundatione Cœnobij ſæculô Bertholdus à Sternberg, Epiſcopus Herbipolenſis* (*Ciſtercienſis Ordinis ſtudioſiſſimus*, Ebraci apud noſtros in Choro magnificæ Baſilicæ à ſe conſecratæ tumulatus) *quam ob cauſam hodiéque in Nepomucenſis deſerti Cœnobij ruinis, ac Templi* (*quod Sanctæ Margaritæ ſacrum fuit*) *fornicibus, Aurea Sternbergicorum Stella cum octo cuſpidibus clariſſimè relucet. Mirâ DEI providentiâ factum exiſtimo, ut Cœnobium hoc à Sternbergicis ante quingentos & ampliùs annos fundatum, aut certè maximis beneficijs auctum, rursùs tantô temporis intervallô ad Sternbergicos, ſed jam deſertum & vacuum rediret.* Hæc Balbinus: quæ ſi quoad primum propoſitionis disjunctivæ membrum, ubi de Fundatore, omninò certa ſunt, gratulandum ſanè Nepomuco, quòd in communi illa Religionum ac Cœnobiorum Huſſitica convulſione, non aliò, quàm ad fontem, unde olim effluxerit, reverſum ſit. Vidi Nepomucum, (& vidiſſe aliquando, gratulabor ſemper) vidi, inquam, Cœnobij olim illuſtris ruinas, luſtravíque curiosè ſimul ac dolorosè inter animi gemitus, comitante me, atque in communi Ciſtercij cauſa, unà congemiſcente, R. P. Ferdinandô Mayer, Plaſſij Profeſsô, nuper Langheimij in Franconia Philoſophiæ, ac Theologiæ, ſubinde Pragæ in Archi-Epiſcopali Collegio Philoſophiæ, ac nunc in Domo ſua Profeſſa Theologiæ Profeſſore, hujus Libri Cenſore. Emicat etiamnum ex ipſis ſtructuræ olim ampliſſimæ reliquijs ac ruderibus vetuſta loci magnificentia. Pulſabat præcipuè tum mentem noſtram Magni Bohemorum Thaumaturgi, *Di-*

vi Joannis Nepomuceni, terram hanc quotidie olim veſtigijs ſtis ſacrantis religio: genuflexi ſalutavimus locum, ubi ſteterunt pedes Ejus, cùm miniſterij ſacri vices ad aras obiret Puer Sanctꝰ per annos complures. Et quidem in Capella, quam accolæ adhuc *S. Bernardi* appellant, ſæpiùs auditos eſſe ſonus tintinnabuli, ſub Miſſæ ſacrificio pulſari ſoliti, intelleximus ab illis, qui nos per rudera duxerant. Sedit hæc inclyta Domus ad radicem Montis, quem *Viridem* appellamus, permodicô intervallô à Nepomuco Oppido, Glorioſi Joannis Nepomuceni Patria. Incumbit Monti arx Familiæ Sternbergicæ, atque in Divæ Virginis Eccleſia ſpectatur ille lapis, cui inſtitit Sanctus Pragenſium Antiſtes, Adalbertus, Româ reverſus, cùm Regno Bohemiæ pluvias ſitienti benedixit, imbréſque crucis ſignaculô è nubibus elicuit, unde Patriæ univerſæ viror ac vigor redijt: eapropter & *Mons* iſte *Viridis* nuncupatus eſt, quòd primus tunc à præſenti Præſulis ſancti benedictione virere cœperit. Luſtratô Cœnobiô aſcendimus Montem, vidimus arcem, ædem, ſaxum. Fuiſſe in hoc Monte olim *Virginum Ciſtercienſium* Cœnobium, quod Balbinus, quod Jongelinus, quod Scriptores alij aſſeverant, ego interim ſanè non habeo, cur non credam. Porrò, utì ex Balbino cit: retuli, quoniam clariſſima Sternbergica Proſapia, ſub ipſum tempus, cùm adhuc Bernardus Noſter inter mortales degeret, Filijs Mellifluis Domum dediſſe viſa eſt, ex ea territorij, Cœnobiique propinquitate præſumenda etiam eſt, dediſſe (de tempore non conſtat) Virginibus Chriſti ſponſis Domum alteram. Igitur ſi utriuſque Domûs Ciſterciæ Fundatores fuêre Proceres Sternbergici, quemadmodum videtur, tum ſanè non apparet, quæ alia potior poſt Reges in Bohemia Ciſtercienſium Patrona, quàm antiquiſſima ac celeberrima Sternbergica Proſapia. Habet Illa hodiedum ob veterana & ingentia beneficia clientelam ſuam intra Familiam Ciſterciam, devotam ſemper, memorémque in ſuffragijs Excellentiſſimorũ Mecænatũ, ut ſplendor Eorundem tot hactenùs ſæculorum periodis in Regno inclytus, ferat etiam deinceps ætates ſecuturas, inter Patriæ ſidera novis ſemper hæredibus, ceu radijs clariſſimus. Hæc Ciſtercij vota expleat ille, qui intra Ciſtercium atque Nepomucum ad ſanctitatem adolevit glorioſus Thaumaturgus *Joannes Nepomucenus!*

SACER-

SACER-CAMPUS.

FUndatur ſecundùm Jongelinum Annô Domini 1157, in Patria Regino-Hradecenſi, & Annô 1420. ab Orebitis vaſtatur, eneĉtis ibidem Ciſtercij alumnis: neque à clade deinceps reſpiravit. Plura de illo in præſentiarum mihi non conſtant.

SACER-CAMPUS.

PRæpoſitura Nepomucenſis Cœnobij fuit, medij milliaris intervallô diſtans à *Diva Virgine Sacro-Montana*, hodie prodigijs celeberrima. Cæterùm Balbinus *Hiſt: Sacro-Mont: Auctar.* 1 *cap*: 9. religiosè examinat rationem hujus nominis, adducítque ibidem Crugerium aſſerentem, ideò nempe hoc vocabulum inditum loco, quòd ad templum, aut cæmiterium, aut aream defunctorum ſepulturæ hìc deſtinatam *Terra-Sancta* ex Palæſtina fuiſſet allata. Quæ pariter notio nominis ad alterum illum noſtrum *Sacrum Campum* in Patria Regino-Hradecenſi ſitum, ob rationem conformitatis transferri poteſt: quemadmodum etiam Balbinus loc: cit: eandem ad Sedlecenſe Cœmiterium, antiquitati Bohemæ tam venerandum (de quo ſupra *hôc Tit:*) tranſportat, quòd ſcilicèt fuiſſet in eo *Terra Sancta* è Palæſtina advecta. Quibus lucem adfundit ibidem à Balbino citatus *Laurentius Schraderus* in *monum: Ital: L.* 1. *fol.* 89. ubi Piſas deſcribit: *Campus Sanctus*, inquit, *Piſis hôc nomine ſepultura locum appellant, dicitúrque Sanctus, quòd ejus terra ſit Hieroſolymis tranſportata, mortuorúmque cadavera unâ die naturali conſumantur.* Quod poſterius etiam Sedlecij evenit, ùt dictum eſt. Quos autem effectus habuerit eadem Gleba Sancta in utroque Ciſtercij *Sacro-Campo*, dicere quidem non habeo, præſumendum nihilominùs eſt, habuiſſe ſimiles, aut æquivalentes, cùm Balbinus cit: loc: Illuſtriſſimi D. Petri Baronis de Wratislavv teſtimonium adducat, aſſerentis ſe audiviſſe à Senioribus, quandam Bohemiæ Reginam alibi, quàm in Sacro-Campo prolem eniti aut noluiſſe, aut non potuiſſe. Liquet igitur Terram illam Sanctam non fruſtra cultam fuiſſe à fidelibus, quamvis diſparibus aliquantùm favoribus, qui in cultores profluxerant.

GRADICIUM.

DE hoc Cœnobio (quod olim inter Novam Boleslaviam, & Turnoviam mediô ſtetit itinere) ſequentia refert Balbinus, *Boh: Sanct: Lib*: 1. §. 71. *pag*: 126: *Nobiliſſimum diſciplinâ, & inſtitutis optimis, numerô & ædificationibus ſplendidiſſimis, auguſtiſſimâ Baſilicâ, aliiſque ornamentis, Cœnobium erat in Boleslavienſi Provincia, Ciſtercienſis Ordinis, quod Hradiſtienſe, ipſimet verò Religioſi, Monaſterium in Gredis appellabant, ùt ex Libris Erectionum intelligimus.* Illud Orebitæ Annô 1420. flammis exuſsêre, noſtris, quos magnô numerô ibidem repererant, variô ſuppliciô trucidatis. Fuit hæc Domus de filiatione Plaſſenſi. Hodie Cœnobij locus extra Ciſtercij poſſeſſionem, Ciſtercij tamen ſervat memoriam in nomine, nuncupatus vulgò München-Graz/ pertinétque ad illuſtriſſimam Comitum Familiam Waldſteinianam.

BISTRICIUM.

HAnc Ciſtercij Domum ſolô nomine comemorat *Phœnix Ciſt: Boh*: & Balbin9 *Boh: Sanct: Lib*: 1. §. 110. *pag*: 177. Exciſa eſt ſub Bello Huſſitico, *tempore*, ùt Balbinus cit: aſſerit, *incertô*.

CAMENECIUM LESKOVICENSE.

COEnobium, cujus præter vocabulum, & Cœnobitarum ſupplicium, vix aliæ, quod nunc ſciam, extant reliquiæ.

SUCTELA.

DOmus, ùt audio, Ciſtercia in Regno Bohemiæ, de qua nunc præter nomen dicere nîl habeo.

RZEPORIUM.

COEnobium Virginum apud Bohemos, fundatum ab Eliſabetha Regina, Joannis Lucenburgici Conjuge: quæ fundatio primò quidem Reginæ auſpicijs Micro-Pragæ ſurrexit in *Augezd*; at poſtmodum ab eadem Eliſabetha translata in

Rzepo-

Rzeporium, ſubſtitit ſub Abbatum de Aula-Regia paterna jurisdictione per annos non ampliùs nonaginta, cùm turbine Huſſiticô, utì cætera, everſum eſt.

SEZEMICIUM.

PArtheno Ciſtercius Annô 1421 à Ziſska & Taboritis exciſus, Virginibus ad quorundam preces Regino-Hradecum dimiſſis: de quibus Balbinus *Boh. Sanct. Lib.* 1. §. 86: *pag*: 144: *quæ innocuæ animulæ* (Virgines ſcilicèt) *lachrymantes per viam, extra mundum ſe ire credebant, quòd ejicerentur ex clauſtro.* Tulêre itaque exilium qualecunque hoc Veſtales noſtræ pro grandi ſupplicio.

GILEMNICUM.

ASceterium Parthenium, ad S. *Eliſabetham* dictum, in Patria Arnovienſi, Annô 1424, Menſe Martiô, ſanguine & flammis deletum memorat Balbinus in Boh. Sanct: *Lib*: 1. §. 97. *pag*: 165.

Sedlecenſium PRÆPOSITURA CURIMENSIS.

NUncupata S. *Martini* in ipſa Urbe Curimenſi, hodie Domus eſt Decani loci: è qua Annô Domini 1421 quinque Religioſos atroci martyriô ab Huſſitis coronatos adduximus ſupra *Tit*: 24.

Sedlecenſium PRÆPOSITURA CHOTUSSICENSIS.

SIc dicta ab Oppido in Provincia Czaslavienſi, aliàs etiam appellata S: *Procopij*, per Orebitas unà cum ſacris incolis deletur Annô Domini 1421.

Sedlecenſium PRÆPOSITURA in TINECZ.

HUjus meminit Balbinus in *Miſcell*: *hiſt*. *Boh*: *Dec*: 1. *Lib*: 5. *Volum*: 9. *pag*: 180, & in Indice Erectionum, aſſerítque ſi-

tam fuiſſe in Provinçia Hradecenſi, ita nuncupatam ab Oppido *Tinecz*, quod pertinebat ad ditiones Cœnobij Sedlecenſis.

Plaſſenſium PRÆPOSITURA PRAGENSIS.

HAnc poſt Portam Augezdenſem in Minore Praga è regione Cœnobij Carthuſianorum extitiſſe, everſámque Annô Domini 1419 unà cum Religioſis memorat Balbinus *Bohem: Sanct: Lib:* 1. §. 66. *pag:* 122.

Aula-Regienſium PRÆPOSITURA LANDSBERGENSIS.

HAnc cum Regia dote condiderat Wenceslaus Rex, Cœnobij Fundator in Caſtro Landsberg, prout ſupra in Notitijs Monaſterij Aula-Regienſis meminimus.

Zarenſium PRÆPOSITURA *in* CHOTEBORZ.

ZMilonis & Henrici Baronum de Laichtenburg donatione hæc Præpoſitura Zarenſibus obvenit; verùm per bella olim avulſa, hodie eſt extra Zaram.

Gradicenſium PRÆPOSITURA *in* ZLEBY

DE hac Balbinus in *Boh: Sanct: L.* 1. §. 86, *pag:* 144. Ubi illam vocat *Noſocomium opulentiſſimum à Marquardo de Wartemberg Annô* 1337 *fundatum, cui ſex Ciſtercienſes Monachi cum Præpoſito ex Cœnobio Gradicenſi miſſi, præerant.*

Gradicenſium PRÆPOSITURA LANGENAVIENSIS.

SIta *ſuper Albipolim* unà cum Parthenone Gilemnicenſi eôdem Annô 1424, eôdémque Menſe Martiô per Ziſkam in flammas abijt.

C OE-

COENOBIA CISTERCIENSIUM *DEVASTATA APUD* MORAVOS.

WIZOVITIUM.

COEnobium Virorum, Filia Wellehradij, fundatur Annô Domini 1264, à Smilone illuſtri Dynaſta, filio Comitis Gebhardi de Berneko, & Nidde, honori DEIparæ Virginis, ſub nuncupatione *Roſa Mariæ*, quod alij etiam à Fundatore dixerunt Smilheim. Hodie Matre, Wellehradiô, ſalvâ, filia perijt.

THRONUS REGIS.

Filia Plaſſij, fundatur in Diæceſi Olomucenſi à Wenceslao Bohemiæ Rege. Plura de illo non accepi.

DALESSICIUM.

PArtheno Ciſtercius, quem Procopius Raſus cum ſuis Taboritis in Moraviam penetrans Annô Chriſti 1429. devaſtavit.

OSLOVANIUM.

PArthenium Cœnobium apud Moravos, dictum à pago *Oslan* ad Evanczicium, cujus nec annum Fundationis, nec fundatorem ipſum dare poſſum. Balbinus in *Boh: Sanct: Lib:* 1. §. 33. *pag.* 153, hæc de Oslovanio noſtro: *Extant hodiéque veſtigia, Sacellum, & Ædes, ex quibus facilè ædificium Parthenonis agnoſcere poſſis. Spectris infeſtatur locus, ac ſæpè Proceſſiones ad Eccleſiam Arcis ducuntur nocte, ùt à fide dignis comperi, ordinatè, & cum cantu: curiosè in eo loco verſatus per dies aliquot, & noctes, nihil præter terrorem vidi, vel audivi. Sed ut redeam: Oslanenſes Virgines, quotquot deprehendi poterant, Ziſska in profluentem abjecit ac merſit, ſinè dubio Religionis causâ, quid enim aliud imbelli, & propè adhuc lactea ætati, Virginibus*

innocentiſſimis, DEO, ſacratis, quæ neque mundum, neque ſeipſas, præter Religionis & DEI obſequium noverant, objici pro crimine potuiſſet? Hæc ibi Balbinus.

Hæc interim pro aliqua Ciſtercij notititia de Bohemiæ, Moraviæ, & Luſatiæ Vicariatu noſtro dicta ſunto. Reſumat Lector, quæ ſupra *Tit:* 24. attuli ex Crugerio, in nullum ſcilicèt Religioſorum genus tam ſævijſſe Huſſitas, ac in Ciſtercienſe, ob zelum, quô noſtri ſacrilega eorundem dogmata inſectabantur. Exhibet Balbinus in *Boh: Sanct: Lib:* 1. §. 110. *pag:* 176. deploranda Cœnobiorum fata in communi quidem, ſed quæ præſertim ſensêre Domus Ciſterciæ: *Memoriæ Cœnobiorum omnes vel flammis vel ſanguine ſunt deletæ, ipsáque Cœnobia tam perniciali odiô, & tam barbarè, atque atrociter exciſa, ut ipſam humum, & ſolum, quod Religioſi homines calcaverant, & preſſerant, è rerum natura tollere voluiſſe videri potuerint, certè quorundam Cœnobiorum vix, ac nè vix quidem veſtigium hodie ſupereſt, ſæpè ac multis in locis, Eccleſiâ, Cœnobiô, & ſacris ædificijs in Arcem, vel Domum aliquam, vel in ſtabula Equorum & pecorum, vel in ovilia, & villici ac famulorum cubilia, & apothecas vini, cereviſiiæ, frumenti, vel in cellas butyri & caſeorum converſis.* At verò, quod hæreticorum furor peſſumdederat, celeberrima Auſtriacorum Cæſarum, quà Bohemiæ Regum pietas, magna ex parte rursùs reſtauravit, expunctâ, ubiubi potuit, indignâ locorum ſacrorum metamorphoſi, fecítquedenuò per ea beneficia *Ciſtercium Auſtriacum.*



CI-

CISTERCIENSIUM COENOBIA

In Archi - Ducatu AUSTRIÆ.

MONASTERIUM SANCTÆ-CRUCIS, Vulgò Heyligen-Creutz.

AUſtriæ decus, iſthæc Ciſtercia Domus, prima Ordinis Mellei in hac Patria plantatio, quatuor Viennâ orientem versùs diſſita milliaribus, Divi Leopoldi Marchionis ſanctiſſimi auſpicijs ſurrexit, Annô Domini 1134. Cœnobij locus ante acceptas Ciſtercij colonias, dictus *Sattelbach*, deinceps in reverentiam Crucis Dominicæ, cujus inſigne fruſtum inter auri, gemmarúmque fulgores hìc adſervatur, novam nuncupationem admiſit, appellatus, Monaſterium *Sanctæ-Crucis.* Qui ſtimulos primos, præcipuóſque Principi Fundatori ſuggeſſit ad condendam inclytam hanc Domum, B. *Otto* fuit, Divi Leopoldi filius, nuper Ciſtercium in Morimundo amplexus, ſubinde Friſingenſium Antiſtes, de quo ſuprà *pag.* 467. Neque multùm urgendus erat Princeps Sanctus, ſuôpte ingeniô ad hæc facilis, promptúſque. Itaque expetiti è *Morimundo* Fratres, cum novo Abbate Godeſcalco in Auſtriam delati ſunt, quos ille in Sattelbachium introducens, fundatô eorundem incolatu antiquavit Loci vocabulum in novam Crucis Sanctæ nomenclaturam. Recitat integrum fundationis diploma Jongelinus, quod confecit Divus Leopoldus Fundator, ubi inter cætera Sanctus Princeps hæc: *Hanc autem no-*

ſtram donationem, atque ejuſdem Monaſterij conſtitutionem, non ſolùm noſtræ incolumitati, paci, & tranquillitati, ſed & Parentum noſtrorum in Chriſto dormientium ſaluti proficere optamus, & quieti, ſperantes apud Divinam clementiam, noſtræ fragilitati aliquatenùs profuturum, ſi, cùm ipſi fructum boni operis non facimus, eos ſaltem, qui verè DEO fructificant, ùt vitem ulmus, de noſtra facultate ſuſtentamus. Porrò Principis Sancti Succeſſores hæredes Cœnobio deinceps multa adjecerunt, complentes domûs initia, quæ Leopoldus tam largâ munificentiâ cœpiſſet. Et Principum exemplis invitati Nobiles alij (quos inter præſertim *Rudgerus de Sikendorff*) auxêre Crucenſium proventus, cùm inſimul incolarum numerus, redditus expoſceret ampliores; nam excreviſſe hôc locô Cœnobitas unà cum Converſis ad *Trecentos*, tradit Jongelinus in *Notit: Abbat: Lib*: 4. Cœnobij ſtructuræ antiquitatis majeſtatem ſpirant, quæ quidem bellorum injuriâ, præcipuè ſub geminam Viennæ à Turcis obſidionem, ſeu etiam caſu fortuitô iterum iterúmque incendiô fædatæ, ad priſtinum ſemper decus noſtrorum induſtriâ reductæ fuêre. Situs loci peramœnus, fortunatus etiam nonnunquam Cæſare Hoſpite, cùm Sua Majeſtas in ea vicinia Regias curas gratiſſimâ venandi illecebrâ interpolat.

Confirmavêre Crucem Sanctam unà cum poſſeſſionibus authoritate Apoſtolicâ Pontifices Romani *Innocentius II*, *Lucius III*, *Urbanus III. Innocentius III*, *Honorius III*, *Gregorius VIII*, *Gregorius IX* : privilegijs inſuper inſignibus communientes illuſtrem Domum, exemptione præſertim à pendendis decimis, immunitate pro ratione illorum temporum non vulgari. Et Principum favores in hunc locum eximij. *Jongelinus* ſequentes exhibet, qui ſeu indultis libertatibus, ſeu conceſſis latifundijs *Sanctæ-Crucis* felicitatem altiùs provexerunt: quorum præcipui fuêre Auſtriæ, primùm Marchiones, ſubinde Duces, ac deinceps Archiduces, poſt Divum Leopoldum Domûs ſeu Confundatores, ſeu Conſervatores: *Ottokarus* Bohemiæ Rex: Tres Duces Bavariæ, *Otto*, Annô 1242. *Henricus* Annô 1252. *Henricus alter*, Palatinus Comes Rheni, & Dux Bavariæ Annô 1270: *Fridericus II*. Romanorum Imperator, qui ſub quinto Monaſterij Abbate, Wernero, Imperiali conſtitutione inter alia ſancivit,

vit, ut *quodcunque bonum aut prædium* Crucenſibus ſeu munificentiâ Benefactorum donatum, ſeu aliô quôvis juſtô titulô acquiſitum, *eò ipsò Imperiali tuitioni ſubjaceret*, *quia eorum eſſe cœperit.* Et rursùs Conſtitutione aliâ, ſub Egilolpho, VI Domûs Abbate, peculiari prærogativâ Crucenſe hoc Cœnobium in ſuam & Imperij tuitionem advocat, decernítque, ut *quæcunque jura, quæcunque exemptiones & libertates à Prædeceſſoribus ſuis*, *& aliis Imperij Principibus rationabiliter Crucenſibus collata ſunt*, *vel juſtè de cætero conferentur*, *rata ſint omni tempore*, *integréque conſerventur.* Adjecit Cæſar, quà Princeps Auſtriacus favorem alium, ut nempe Crucenſes *propria victualia ad uſus ſuos*, *tam in aquis*, *quàm in terris ſinê telonio*, *vectigalibus*, *aut aliis exactionibus deducant*, *tali ſcilicèt libertate*, *prout uſi ſunt quondam Duces Auſtriæ*, *Monaſterium S. Crucis fundantes.* Quas à Friderico conceſſas libertates deinceps libenter & liberaliter ratas habuit *Rudolphus I* Cæſar. Ex Hungariæ Regibus *Andreas*, & *Bela* Andreæ filius poſſeſſionum novarum accumulatione extitêre in S. Crucem munifici; prior namque eidem inſigne prædium *Legintbou*, unà cum appendicibus: alter terras *Opoid*, *Keer*, *Ineu*, *Radb*, *Litkar*, *Oqulnam* Caſtri Hitrienſis in perpetuum contulêre, additô privilegiô pro prædio Leginthou, ut ab exactione ac penſione qualicunque, ſucceſſu temporum per Regnum emerſura, immune eſſet, jure omni ad Crucenſes devolutô: pro cæteris verò omnibus & ſingulis Crucenſium in Hungaria poſſeſſionibus datô favore, ut in portis, pontibus, imò quibuscunque locis liberrimæ eſſent ab omnibus tributarijs, monetarijs, tricenarijs, ſalinarijs, ſi fortè contingeret à noſtris importari, aut extra Regnum efferri piſces, ſales, animalia, annonam, ſeu res alias demum quascunque. Finem ſubinde diplomatis Bela Rex ſic abſolvit: *Notum ſit igitur omnibus*, *tam præſentibus*, *quàm futuris*, *quòd & Nos ſcientes non poſſe ſufficere ad quærendam veram vitam*, *auxilia Religioſorum Fratrum*, *videlicèt prædicti Monaſterij quærere decrevimus*, *eíſque bona noſtra tradidimus*, *quatenùs ipſorum precibus æternorum bonorum participes eſſe mereamur.* Quæ deinceps privilegia Succeſſores Reges, *Stephanus* & *Ladislaus* novô Confirmationis robore ſtabilivêre.

De Ducum Auſtriæ *tumulis* apud Crucenſes dictum eſt ſu-

prà *pag*: 669. Verùm Duces ibidem de nomine non dedimus, qui hôc locô videri poterunt. Quieſcunt itaque hôc locô in Domo Capitulari *Leopoldus* Dux Auſtriæ & Styriæ: ponè illum *Fridericus* (qui creditur eſſe Leopoldi prædicti filius) Auſtriæ Dux. Ante altare *Leopoldus*, Dux Bavariæ, filius Leopoldi Marchionis. Juxta ipſum, versùs ſiniſtrum altaris latus *Rudolphus*, & *Henricus* Fratres, filij Othonis Ducis Bavariæ, Nepotes Rudolphi I. Romanorum Imperatoris. Ex eodem aræ latere tumulati ſunt *Henricus*, Dux de Medlico, & *Ægra Reteia* Medlici conthoralis: Item *Albertus* & *Erneſtus*, Marchiones Auſtriæ. Murum versùs, *Gertrudis* de Brunſvvich, Duciſſa Auſtriæ, cum *Richarde* Landgravia de Waldersdorff. Capituli meditullium occupat monumentum ſupra humum erectum *Friderici* Ducis, dicti *Bellicoſi*, ultimi ex Auſtriæ Ducibus. Ea, quæ de *Salomone*, Regio Hungarorum Principe, hac in Domo, ſimulatô genere, ſub Converſi humilitate per annos 24. ſanctiſſimè deliteſcente, ſuprà *pag*: 424. atque etiam quæ de *Leopoldi*, Auſtriæ Ducis, dicti *Virtuoſi* Monachatu *pag*: 452. adduximus, rursùs repetenda hìc veniunt.

Crucis Sanctæ fæcunditatem *ſeptena* commendat filiatio. 1ma. Eſt Cœnobium *Swethl* in inferiori Auſtria. *Altera*, Abbatia *Montis-Pomerij*, in Auſtria Superiori. 3tia. *Cicador* in Hungaria. 4ta. Abbatia *Montis S. Mariæ*, apud eoſdem Hungaros. 5ta. *Campus-Liliorum* in Auſtria inferiori. 6ta. *Novus-Mons* in Styria. 7ma. *S. Corona* in Bohemia.

Inter loci Abbates memorandus *Henricus*, nuncupatus, *Miraculoſus*, octavus Crucenſium Antiſtes, qui oblatam ſibi à famulis aquam, ſolô vaſculi attactu in vinum præſtantiſſimum commutavit. Egilolpho, VI Crucenſi Abbati, ſcripſiſſe *Gregorium IX.* alióſque Pontifices Maximos compluribus ex hac Domo Præſulibus, perhibet Manriqueus ad Annum 1133. *cap*: 4. *n*. 7. Monaſterij, atque etiam Provinciæ clavum nunc tenet Reverendiſſimus D. D. *Marianus*, digniſſimus S. Crucis Abbas, utriuſque Auſtriæ, Styriæ, atque Hungariæ Viſitator, ac Vicarius Generalis, Statuum Inferioris Auſtriæ Deputatus, cui ex *Mariani* ſui Nominis auſpicio, felici, *Mariam* in *Mare* per vota effundo, ut inde mille ſibi, mille ſuis gratias exhauriat Antiſtes *Marianus*!

CLARA-

CLARA-VALLIS, *vulgò* ZWETL.

CLara-Vallis Auſtriaca vicinis Bohemis dicta *Zwietla*, quaſi Swietla quod idem ſonat, ac *clara*, *lucida*, Annô Domini 1138 Fundatorem habuit illuſtrem *Hadmarum de Cüophärn*, ex inclyta Babenbergicorum Comitum progenie deſcendentem, qui, utì fertur, unà cum Conjuge ſua *Gertrude*, pudoris virginei integritatem ob Numinis reverentiam, amorémque ſervans, atque ultrò ſpe prolis carnalis, ſeſe abdicans, in ditionum ſuarum hæreditatem Ciſtercium advocavit, id eſt, hæredem nunquam emoriturum. Primæ Ordinis coloniæ adductæ è *S. Cruce*, ſub Hermanno, primo Zvvetlenſium Abbate. Et quidem Cœnobij locus prodigiô detectus per DEIparam. Cùm namque Hadmarus Fundator crebrò ac ſolicitè omne Dominium ſuum animô percurreret, ſcrutaturus, quâ parte, Ciſtercij Fratres commodiùs divinis rebus vacaturi collocarentur, nocte ante Calendas Januarij Diva Parens Hadmaro ſimul & Hermanno Abbati facta ſpectabilis, utrique omen expoſuit figendarum Sedium; juſſit etenim ſubſequente die Sylvas perluſtrare, atque eo in loco auſpicium ſumere erigendæ Domûs, ubi medias inter nives arborem inveniſſent, intempeſtivâ viredine florentem, crucíſque ſignum ramis per transverſum poſitis præſeferentem. Itum eſt, ùt Virgo juſſerat, repertáque confertiſſimas inter nives ad Campij amnis ripam, è DEIparæ vaticinio, quercus præcelſa, folijs, flore, fructu vigens, cùm reliquæ per circuitum arbores gelu horrerent & brumâ. Itaque repurgatô locô Hadmarus pro Ciſtercij Colonijs ibidem Sedes auſpicatus eſt, datô ijſdem tantô latifundiorum tractu, quantum ipſe unà cum Hermanno Abbate per integræ diei intervallum equis decurrerat. Confirmata ſubinde fuit *Auſtriaca* hæc *Clara-Vallis* à *Conrado* Cæſare, & *Innocentio II.* Pontifice, datis deſuper literis Majeſtalibus & Apoſtolicis: deinceps etiam ab *Hadriano* IV, *Alexandro* III, atque *Innocentio* III Bullis Pontificijs corroborata: quarum illa quidem, quæ ab Alexandro III conceſſa eſt, prærogativam remunerationis

tionis Apoſtolicæ in ſe continet, quòd nempe *Rudigerus*, V Zvvetlenſium Abbas, unà cum cæteris Ciſtercij Præſulibus fidelis inventus ſit, qui legitimo Eccleſiæ Paſtori adversùs Schiſmatis Patronos conſtanter adhæſiſſet.

Loci Fundator Hadmarus Vir religione in DEUM præſtans, unà cum *Leopoldo* VIII, Auſtriæ Duce, ſub *Honorio* III Papa, cruce ſignatus, in Ægyptum ac Palæſtinam profecturus, ante diſceſſum dilectis Alumnis ſuis Zvvetlenſibus ſuaviſſimâ animi teneritudine, uberes inter lachrymas ſupremum vale dixit: Filijs ſuis *Henrico* & *Hadmaro* multâ inſtantiâ commendans fundatam à ſe Domum: Seniori quidem cingulum, quô accinctus ipſe fuerat, in Paternæ obteſtationis argumentum hæc inter verba extradens: *Ecce ab hac Sancta Domo, & Congregatione me exonero, & onus defenſionis Tibi, dilecte fili, impono, quia imminente morte, heu! hanc Domum, quam totis viribus cordis dilexi, & diligo, invitus deſerere cogor. Hanc tu, quaſi cor tuum & animam dilige, & in ſignum tantæ dilectionis hoc cingulum accipe, quô præcordialiter accinctus, dilectionem jam tibi commendatam, nullatenùs obliviſcaris, quatenùs æternâ pace cum omnibus Sanctis fruaris.* Subinde ad Juniorem converſus, pretioſô annulô ejuſdem fidem Zvvetlenſibus ſervandam tenerrimè obſtrinxit: *Ecce*, ait, *fili chariſſime, nomen meum habes, os meum & caro mea es, commendo tibi hanc Domum & Congregationem, quam fideliter amplectens & proſequens, æternam habeas manſionem, & in ſignum tantæ dilectionis, quam erga hanc Domum habere debes, trado tibi hunc annulum, id eſt, ſignum & arrham dilectionis.* Porrò Fratribus Zvvetlenſibus hæc, inter lamenta, Hadmarus: *Commendo vobis dilectiſſimi Patres & Fratres, animam meam, ut ſi fortè corpus meum habere non poteritis, ſaltem animæ meæ non obliviſcamini propter DEUM.* Tandem ad fidos quoſdam de ſuo comitatu: *ô amantiſſimi, & dilectiſſimi mihi, qui mecum in longum exilium propter regnum cælorum eſtis ituri, & meam mortem forſitan inſpecturi: adjuro vos per tremendum diem Judicij, ut ſi corpuſculum meum ad hunc locum fundationis meæ forſitan reducere non poſſitis, ſaltem cor meum & dexteram meam ad hunc locum mihi dilectiſſimum reducere velitis. Scio enim, quòd poſt mortem meam hæc Domus tam hilarem datorem, & tam benevolum cordis proſecutorem difficilè poterit habere, & ſub tam fideli protectione gaudere.* Ita inter amariſſimam

utrinque

utrinque complorationem Heros à dilectiſſimis ſibi alumnis dolentiſſimè avulſus, udis ſemper oculis, quouſque à tergo reſpicere poterat, chariſſimam ſibi domum crebrò intuens, tandem in ſummitate montis, unde patebat ſuprema Cœnobij viſio, ex equo deſiliens, ſéque inter novos planctus in terram dejiciens, DEO, & Divæ calentiſſimis votis Claram-Vallem ſuam commendavit. Sit, opto, Hadmarus iſte omnibus, qui Fundatorum nomine hodie gloriantur, pro idea, pro ſtimulo, quâ nempe illos oporteat ſolicitudine proſpicere Religioſis Domibus à ſe conditis, quâve debeant proſequi amoris teneritudine DEI ſervos, à ſe, aut ſuis fundatos. Porrò Hadmarus intimis animi medullis ac receſſibus aſportans Zvvetlam ſuam, viarum incommoda dulci ejuſdem reminiſcentiâ ſublevabat: cúmque aliquando procellâ mare jactaretur, nautas ille cohibuit, nè, priuſquam Zvvetlenſes ad nocturnam pſalmodiam ſurgerent, navigio ſeſe illi temerè concrederent; confidere enim ſeſe, quòd quàm primùm dilecti ſui alumni Divinas in Zvvetla laudes auſpicati fuerint, quas haud dubiè nunquam decantaturi eſſent ſinè grata Hadmari ſui atque efficaci apud Superos memoria, mox tempeſtatem eorundem meritis conquieturam. Et evenit, utì Hadmarus prædixerat: qui pacatô deinceps Oceanô ad portum proſperè enavigans, cùm terram attigiſſet, brevi morbô ſanctè conſumptus eſt, cujus oſſa, unà cum corde & manu dextera (quod ille unicè & toties deſideraverat) ad Zvvetlenſes per fidos Miniſtros reportata fuêre.

Cæterùm traditio eſt, *Divum Bernardum*, cùm grave quoddam negotium in Pannonia foret complanaturus, in tranſitu declinaviſſe ad Zvvetlam, tunc recenter ſurgentem, ibíque poſt verbum conſolationis Mellifluæ, in ſignum dulciſſimæ viſitationis, Baculum Paſtoralem Fratribus reliquiſſe. Monſtratur hodie ibidem Baculus eburneus, antiquitatem præſeferens. Verùm quia in vita Bernardi nemo Scriptorum expreſſit, Parentem ſanctum ultrà Noricum, aut in Pannoniam aliquando excurriſſe, lucem aliunde expectat hæc traditio: niſi fortè diceretur, baculum hodie ſuperſtitem Bernardi fuiſſe, quem tamen Ille eò non pertulerit, ſed miſerit. Et facit ſanè ipſum Cœnobij nomen, *Clara-Vallis*, Zvvetlam Bernardo Parenti præ

cæteris familiarem; nemo enim ignorat, quàm Doctor Mellifluus *Claram-Vallem* ſuam in Gallica Campania dilexerit, quídni etiam Claram-Vallem Auſtriæ æquè peculiari affectu proſecuturus? Hodie Zvvetlenſibus digniſſimè præeſt Reverendiſſimus D.D. *Robertus*, cui in Divi *Roberti* Parentis *Annulo*, quô deſponſatus DEIparæ Virgini, *Annorum* plurimorum feliciſſimam coronam, quâ poſſum, devotione, advoveo!

MONS-POMERIUS,
vulgò Baumgartenberg.

FUndatur in Superiori Auſtria Annô reſtauratæ Salutis 1142, ab *Ottone Comite de Magland*, & Ottonis conthorali, *Gutta*, è Comitibus de *Bielſtein*. Prima Colonia advocata eſt è *S. Cruce*, cujus extitit primus Abbas, *Fridericus*, unus è quindecim Socijs, qui cum *B. Ottone* Divi Leopoldi filio, è Pariſienſi Galliarum Academia reduces, in *Morimundo* Ciſtercijs agminibus ſeſe aggregârunt. Fundator morti proximus Fridericum Abbatem ad ſe Crembſium evocavit, atque complicatas manus inter chari Præſulis manus inſerens, piè exhalavit animam, eâ re ſeu obteſtaturus Abbatis, Fratrúmque ſuffragia, ſeu tutiùs extraditurus ſpiritum Creatori, manutenendum à tam fido apud Cælites ſtipulatore. Privilegijs *Montem-Pomerium* communivêre Pontifices Romani, quos inter *Innocentius III*, illum ſub SS. Apoſtolorum, Petri & Pauli protectionem adoptavit. *Baſileenſe* pariter *Concilium*, atque etiam Cæſares, Archiduces, Viríque alij illuſtres immunitates eidem contulêre. Etymon Domûs, ùt fert conjectura, deſumptum à *Monticulo*, ad cujus pedem illa ſedet, atque etiam à *vivario Fundatoris*, olim per planum infra poſito, ſimúlque à *Pomarijs* colliculo junctis, quaſi unitis ad ſe invicem vocabulis diceres: *Pomerium ad Montem*, ſive Baumgarten am Berg. Situs loci ex ea monticuli, atque ſubtùs protenſæ planitiei peramœna diverſitate evadit jucundiſſimus. Illud hìc de Abbatibus notatum peculiariter: pleróſque extitiſſe, qui *causâ devotionis* (ita habet Jongelinus) præfecturâ Abbatiali ſeſe ſponte exuerint. Cladem etiam ſenſit

hæc

hæc Domus ab Haſſitis, bis ab iiſdem ſpoliata, atque exuſta. Hodie digniſſimè præeſt Monti Pomerio Reverendiſſimus D. D. *Candidus*, SS. Theologiæ Doctor, Statuum Superioris Auſtriæ deputatus: cui Pomerij ſui ſeros ac dulces fructus concedant Superi, Montium & Vallium atque ideò Montis Pomerij quàm optimi Cuſtodes!

HILARIA,
vulgò Willering.

Hilaria, bonô, quia *Hilaris* Nominis fatô, in Superiori Auſtria, ad latus Danubij infrà Lincium, fundatur Annô Domini 1146, ſub monte ac nemore Chirnberg / vulgò à cervinis cornibus ita nuncupato, Cæſareiſque venationibus perìdoneo, ac celebri, Fundatoribus, geminis Fratribus, *Ulricô* & *Colone*, Dominis de Wartenberg / qui cælitus ad intra ſtimulati, cùm unitis votis optarent ad incrementa gloriæ Cælitum condere Domum, in qua Numinis cultores, tum undique famâ notiſſimi, Viri è Ciſtercio, per dies, pérque noctes pſallerent, mutuô utrinque adſenſu *Arcem* ſuam *Hilarienſem* deſtinavêre, quæ in Domum orationis converſa, Viris Religioſis deinceps ſerviret in Aſceterium. Itaque evocati ſunt ex Ebraco, Franconiæ Cœnobio primi Ciſtercij Fratres, iiſque præfectus Abbas *Gebehardus*, ex Runenſi Styriæ Cœnobio excitus. Promoverunt etiam egregiè pium Fundationis opus, amborum Fundatorum Mater, *Ottilia*, atque Eorundem Soror *Eliſabetha*, ídque, quòd audirent, novum illum Religioſorum cætum præcipuis affectibus DEIparæ eſſe addictum. Ab his extradita eſt noſtris *Hilaria*, nuper caſtrum, nunc clauſtrum, cum omnibus ſuis pertinentijs, perpetuis poſſidenda temporibus. Adjunxit ſe pariter ad fundationis auſpicia *Eberhardus*, Bambergenſis Epiſcopus, Fundatorum cognatus, qui & de ſuis non pauca adjiciens, Hilarienſem Eccleſiam ſub tutelam ſuam ſingulariter advocavit. Neque defuêre Hilariæ deinceps Benefactores munifici, Duces atque Archiduces Auſtriæ, ac nominatim *Fridericus* Archidux, præter miraculoſum *Dominicæ Crucis* fragmentum, per plura etiam alia dona in Hilariam liberalis: Item *Al-*

bertus Imperator, Rudolphi Habsburgici filius, *Fridericus III*, & *Ferdinandus II*, Cæſares. Porrò *Comites de Schaumburg* in medio Eccleſiæ Hilarienſis in tumulis conquieſcentes, beneficiorum inſignium intuitu ſecundum poſt Fundatores Waxenbergicos locum digniſſimè ſibi vendicant. Inter alios Viros illuſtres hìc conditi jacent Barones de *Polheim*, Barones *de Traun*, Domini *de Kürnberg*, &c. Hilariam *quà Matrem* reſpiciunt tria Cœnobia: *Alto-Vadum* in Bohemia, *Cella-Angelorum* in Auſtria Superiori, & *Vallis-DEI*, vulgò Geiſtenſtein in Auſtria Inferiori. Inter Loci Abbtes Doctorali laureâ floruêre: *Alexander*, 48^{vus} Hilarienſium Antiſtes, agnomentô dictus, à *Lacu*, *S. Theologiæ Doctor*, ex Capellano Sereniſſimi Archiducis Erneſti, factus in hac Domo Novitius, & ſubinde Abbas: deinceps ab inclytis Benedictinorum Cœnobijs, *Garſtenſi*, ac tandem etiam à *Cremiſanienſi* ſucceſſivè adſumptus ad Abbatiales honores. Alter *Doctor Theologus*, *Antonius Wolffradt*, 50^{mus}, hujus loci Abbas, laudatus jam à nobis *Tit:* 23. ſubinde *Epiſcopus Viennenſis*, & *primus* omnium hos inter illuſtres Præſules, qui S. R. I. Princeps ſalutatus ſit. Sedet hodie quàm digniſſimè ad clavum Abbatialem Reverendiſſimus D. D. *Bernardus*, loci Abbas 54^{tus}, cui Superi *Domûs* ſuæ *vocabulum* in fatum adoptent, indulgeántque Ampliſſimo Præſuli è nomine ſuo *dulcia*, quia Bernardæa, è *nomine* Domûs *hilaria*, atque etiam diuturna, ac fauſta gubernacula!

CAMPUS-LILIORUM.
vulgò Lilien-Feld.

EFflorere cœpit hæc Domus juxta quoſdam Annô Domini 1206, juxta alios 1207: plantante hìc primos è Ciſtercio flores *Leopoldô*, dictô, *Gloriosô*, Auſtriæ ac Styriæ Duce, Divi Leopoldi pronepote, cujus ſubinde Romæ è vita excedentis corpus huc inter alumnos ſuos Annô 1232 perlatum, conquieſcit unà cum Conjuge *Theodora*, Alexij Imperatoris Conſtantinopolitani cognata. Spectatur etiam hìc tumulatus, *Conradus à Klingenberg*, Epiſcopus Friſingenſis, atque etiam alij Viri Principes, ac illuſtres. Campus-Liliorum, hodie filiationis

nis Runenſis, primitùs reſpexit Matrẽ, *Sanctam-Crucem.* Floret in hac liligera Domo, *Joſephina*, id eſt, liligera *pietas*, in ſacello, ſanctiſſimo Chriſti Nutritio dicato, gratiiſque, quas Sanctus in clientes profundit, illuſtri. Audio pariter Campo-Liliorum incorporatos eſſe, eximiéque & cultu, & cælicis favoribus vigere Sanctos Tres Montes, *Divæ Annæ*, *Divi Joſephi*, & *Divi Joachimi.* Manriqueus ad Annum 1206, *cap.* 6. *n.* 7, aſſerit ex *Regeſt: Vatic:* ſcripſiſſe Gregorium IX. literas Abbatibꝰ de Campo-Liliorum, & de S. Cruce, *non levi illis, nec vulgari cauſâ commiſſâ*, de dato Peruſij, 5 Idus Maij, Pontificatûs ſui Annô nonô. Hodie Præfecturam loci digniſſimè tenet Reverendiſſimus D. D. *Sigiſmundus*, S. O. Ciſt: per Pannoniam Commiſſarius Generalis, qui diu floridis ſuis gubernaculis, ceu *manibus det Lilia plenis!*

SS. TRINITATIS.

HÆc Domus primitùs condita pro Ordine Prædicatorum in Urbe Neo-Stadienſi, vulgò in der Wienneriſchen Neůſtadt / deinceps circa Annum Domini 1430. interventu *Friderici III.* Cæſaris (Dominicanis Alumnis, Mellifluo Inſtituto, ùt præſumendum ex dictis *Tit:* ſuperiori, vix, quod crediderim, invitis) ad Ciſtercium translata eſt: Felix etiam ſub id tempus munificentiâ *Alberti* Archiducis. Subeſt Viſitationi Abbatum de Runa apud Styrios. In Eccleſiæ choro ſub magnifico Mauſolæo quieſcit Friderici, præfati Cæſaris conjux *Eleonora*, Regia Luſitanorum ſeu Portugallenſium Princeps, cum tribus Liberis, *Joanne*, *Chriſtophoro*, *Helena.* Extra chorum tumulata jacet, *D. Beatrix*, nobiliſſima Luſitana Virgo, Eleonoræ Imperatricis Miniſtra. Hæc ex *Hilaria* accepi de SS. Trinitatis Cœnobio: cujus initia per Jongelini conjecturam ad annum 1227 referuntur, quod haud dubiè intelligendum eſt de tempore, cùm primùm fundari cœpiſſet pro Familia Dominicana. Hodie Urbanæ iſti Ciſtercienſium Domui digniſſimè præſidet Reverendiſſimus D. D. *Alexander*, Statuum Inferioris Auſtriæ Deputatus Extraordinarius, Cui *Nominis iſtius* Majeſtas ac felicitas ſit rerum magnarum ac fortunatarum auſpicatiſſimum augurium!

CELLA-ANGELORUM.
vulgò, Engel-Zell.

FUndatur pro Viris Ciſtercijs, Angelorum vice, in divinis laudibus, functuris, Annô Domini 1293, ùt habet Jongelinus, aut Annô 1295, ùt alij, à *Bernardo de Brambach*, Paſſavienſium Epiſcopo, tribus à Paſſavio milliaribus, ad ripam Danubij: qui optimus Antiſtes ultimis tabulis omnes Patrimonij ſui facultates Annô 1314, Angelorum-Cellæ tranſcripſit. Primæ coloniæ adſumptæ ex Hilaria, introductæque ex ordinatione Capituli Generalis per Commiſſarios, Hermannum de Ebraco, & Hugonem de Cella-Principum, Abbates, primô loci conſtitutô Antiſtite, Bertholdô. Confirmavit munificentiſſimi Præſulis Bernardi fundationem *Bonifacius VIII* Papa, datâ Bullâ, Pontificatûs ſui Annô primô. Hodie Cœnobij gubernacula digniſſimè adminiſtrat Reverendiſsimus D. D. *Amandus* Glanz/ Cellæ ſuæ nuper Annô 1699, ſacrô die Paſchatis caſu fortuitô exuſtæ, induſtrius reſtaurator, dignus, qui tam clarô ſuô agnomine (Glanz) quàm clarô ſuô meritô, in filiorũ mentibus perenniter refulgeat!

VALLIS-DEI.
ſive, Gottes-Thal/*vulgò*, Seißenſtein.

HÆc Vallis, infrà Ipſium, Civitatem Auſtriæ Inferioris, Hilarienſium filia, cœpit habere Ciſtercienſes incolas Annô Chriſti 1340, Fundatore, illuſtri Virô *Eberhardô de Waltſee*, ſuper cujus confirmatione literæ Apoſtolicæ Clementis Papæ VI ſic habent: *Tanquam ager fertilis, qui ſemper ſegete ditione veſtitur, Sacer Ordo veſter, in quo mundanis à vobis relegatis illecebris, ſub regularis obſervantiæ jugo, devotum Altiſſimo exhibetis obſequium, ad decorem Eccleſiæ Militantis, fructus in ubertate producens, & ipſius Ordinis Profeſſores vitæ munditiâ celebres, virtutibus clari, & claritate meritorum inſignes, dignè merentur, ut petitionibus veſtris, quæ præſertim divini cultûs, & religionis incrementa reſpiciunt, & ſalutem concernunt*

fidelium

fidelium animarum, *quantum cum DEO poſſumus*, *favorabiliter annuamus. &c.* Fundator, aliíque è Waltſeeana Proſapia Proceres, atque etiam tres Fundatoris uxores, de Neuhauß/ de Zuchratym / & de Yoſſenſtein / hôc locô in tumulis conquieſcunt. Digniſsimè nunc *Valli-DEI* præſidet Reverendiſsimus D.D. *Malachias*, cui in hac ipſa *divina Valle ſua*, è Vatis Regij votis, veluti *inter medium Montium*, *aquarum* cæleſtium uberrimos *tranſitus* quàm devotiſsimè advoveo! Pſalm. 103.

SCHLIERBACUM.

Schlierbach.

SChlierbacum, aliàs, *Aula Virginis*, ſeu etiam, *Sala-Maria*, versùs Styriæ confinia, olim Domus *Virginum Ciſtercienſium*, ſubinde ad Annum 1620 Illuſtriſsimi Principis Antonij, Epiſcopi Viennenſis, nuper Abbatis Hilarienſis auſpicijs recuperata, Ordiníque Mellifluo reddita, mutatô ſexu, Ciſtercios Viros nunc incolas habet, ſub Paternitate Abbatiæ Runenſis apud Styrios, unde primus virilis coloniæ aſſumptus Abbas, D. Wolffgangus Summer. Hodie Schlierbacenſi Cœnobio digniſsimè præeſt Reverendiſsimus D.D. *Nivardus*, nuper ad Capitulum Generale à Provincia Auſtriæ Ciſtercium deputatus: Cui *Aula* ſuæ *Virginea* hìc in terris diuturnum, poſt ſera fata, Aulæ Virgineæ in Cælis, perennem incolatum concedat VIRGO, Aulæ utriuſque & Præſes & Domina!

Cæterùm monendus hìc Lector, *Waldhauſen* poni à Jongelino inter Auſtriaca Ciſtercienſium Cœnobia, fundatum nempe Annô Domini 1320, à *Waldcunone*, Gebhardi filio, Comite de *Magland*, & de *Chlam*, hôc locô ſepultô; primis Colonijs evocatis ex *Riddershauſen*, noſtro apud Brunſvvicenſes Monaſterio. Comperio pariter *Waldhauſen* in *Indice Chronologico* Archi-Cœnobij Ciſtercienſis, atque etiam in *Tabula Chronologica* Cœnobij Dunenſis apud Carolum de Viſch ſub finem *Bibliotheca ſua Ciſt*: utrobique fundatum Annô 1320. pro Ordine noſtro apud Auſtriacos. Et ſanè rursùs, Jongelinô duce collocâſſem hanc Domum intra Ciſtercium; verùm aliter edoceor à peramica manu Admodum R.P. Maximiliani Pillickh, Cœnobij Hilarienſis Profeſsi, Prioratu, aliíſque Ordinis noſtri munijs, ac

Commiſsionibus Venerabilis, non eſſe nimirum *Waldhauſen*, imò neque aliquando fuiſſe Monaſterium Ciſtercienſe, ſed Canonicorum Regularium S. Auguſtini, prout & eſt in præſenti. Igitur quærenda ſeu intra, ſeu extra Auſtriam alia pro Ciſtercio hujus nominis Domus, atque componenda cum Jongelini hiſtoria, & utroque Chronologico Cœnobiorum noſtrorum Indice. Occaſione hujus notanter Lectorem moneo, me in præſenti Cœnobiorum Auſtriacorum enarratione, alijs (de quo vehementer doleo) deſtitutm ideis, ſolum ferè memoratum *Jongelinum* (Scriptorem Belgam, id eſt, exterum, cui Ciſtercium Auſtriacum, non ſuâ quidem culpâ, fortè minùs notum) habuiſſe pro duce. Si quæ, præter *Jongelini notitias*, adjecta ſunt, illa ex Hilaria, ùt dixi, peramica manus ſuggeſsit: Unde etiam Hilarienſium Abbatum Catalogum obtinueram, inſerendum cæteroquin huic hiſtoriæ, niſi & in alijs Cœnobijs conſultò, & de amicorum ſuaſu id omiſiſſem, nè Titulus præſens nimiùm excreſceret. Porrò intendebam ſingulorum Antiſtitum, qui hodie Ciſtercium Auſtriacum gubernant, nomina ſubnectere poſt ſingula Cœnobia; verùm quia aliquos de nomine reſcire non potui, eos hôc locô non poſui.

CISTERCIENSIUM COENOBIA IN STYRIA, CARINTHIA, CARNIOLIA, TYROLI.

RUNA, *vulgò*, Reyn.

RUNA apud Styrios, filia Ebraci, Dioeceſis Saliſburgenſis, unô non ampliùs lapide à *Gracio*, Provinciæ Metropoli diſtans, fundatur Annô Domini 1129, aut-30, ùt habet Jongelinus. Ejus primordia ſurrexêre auſpicijs *Waldonis*, ſive Waldcu-

Waldcunonis *Comitis de Runia*, unde & in Cœnobium nomenclatura defluxit: quô poſt cœptam Domûs ſtructuram ſinè hæredibus maſculis decedente, *Leopoldus*, cognomentô, *Fortis*, Ottocari filius, VI Styriæ Marchio, Comitatum Runiæ titulô feudi ab Henrico V Cæſare obtinuit, ſub eodem feudali onere, quemadmodum nuper Waldo Comes eum poſſederat, deinceps à ſe, ſuíſque poſsidendum: qui Religioſæ Domûs Runenſis initia inſigni munificentiâ proſecutus eſt, eáque tandem fauſtiſsimè abſolvit: eapropter etiam in loci Eccleſia, unà cum illuſtri Conjuge ſua *Sophia* Auſtriaca, ponè Cœnobij iconiſmum depictus his metris delatos ſibi habet fundationis honores:

Princeps invictus *Leopoldus* Marchio, dictus
Fortis, cum Socia condigna laude Sophia,
Fundavêre piè Runam ſub honore Mariæ,
Hinc dic ſincerè pie Chriſte pijs miſerere.

Extant hodiedum in vicino Runenſibus colliculo veſtigia Caſtri primorum Comitum de Runia, è quibus antiquitas ipſa emicare videtur. Manriqueus ad Annum 1130 *cap.* 7. *n.* 3. poſteaquam retuliſſet, *Angelum*, Runenſium Abbatem pro Arneſto Styriæ Duce, Concilio Conſtantienſi adſtitiſſe, hæc in Runæ commendationem ſubjungit: *Meminit ejus*, id eſt, Runæ, *Innocentius IV, commiſſâ Abbatibus Sanctæ Crucis, & de Runa, Salzburgenſis, & Patavienſis Diœceſeos, Ciſtercienſis utrique Ordinis, Cathedralis Eccleſiæ Patavienſis, atque ipſius Epiſcopi, tam in Capite, quàm in membris viſitatione: Datum Lugduni, Nonis Martij, Pontificatûs ipſius annô ſecundô. Extant itidem ejuſdem Innocentij ad eoſdem Abbates aliæ duæ epiſtolæ, in quibus ad inſtantiam Ducis Auſtriaci, ſuper translatione, & collocatione corporis Beati Colomani, quædam eis injunguntur peragenda. Datum Lugduni, octavô idus Martij, Pontificatûs item ipſius Annô ſecundô. Porrò has tres Innocentij Papæ Epiſtolas ex Regiſtro Vaticano tranſcriptas, cum alijs multis, non ſinè magno labore obtentas, apud me habeo.* Hæc Manriqueus, qui licèt ibidem duplicem Ciſterciam Runam adducere videatur, quarum nempe alteram fundaverit Fridericus Barbaroſſa Imperator; eam tamen aſſertionem, quam nixus Chronico Auberti Miræi pronunciaverat, rursùs ad Annum 1155 *cap.* 1. *n.* 10. velutì limitat, cùm quæſtionem de gemina apud Auſtriacos Runa (qua-

lis cæteroquin ob Fundatorũ, atque etiam Fundationis temporũ notoriã ſatìs ab invicẽ diſtantiã haud dubiè admitti deberet) *peritioribus Styriæ, Auſtriæque Geographis linquat diſcernendam.* Unde citatus Miræus duplicem Runam hauſerit, aut unde Runam à Friderico Cæſare fundatam acceperit, dicere non habeo. Certè Runa noſtra, de qua hìc, apud Styriorum Urbem Principem, Græcium, à Barbaroſſa Cæſare fundata non videtur, quippe jam ante Fridericum à Comite de Runia inchoata, atque à Leopoldo Marchione, deinceps, utì dictum, abſoluta: niſi fortè Cæſarem inter inſignes Runæ Benefactores, aut fortè etiam reſtauratores collocare velimus, quod admitti poſſet. Verùm de hoc viderint alij: Nos de una duntaxat Runa Auſtriaca per præcit: Venerabilem P. Maximilianum Hilarienſem edocti, alteram vix credemus, niſi ampliùs inſtruamur. Cæterùm inter Runæ Mecænates Regios ac Principales, numerô exuperant Auſtriæ Duces, atque Archiduces, vel in unam hanc Domum per beneficia concentrantes *Bernardum Auſtriacum.*

Contumulatus hôc locô quieſcit, *Erneſtus*, cognomentô, *Ferreus*, Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ, Friderici III. Imp: Parens, Runæ Benefactor, cum gemina Conjuge, *Margareta*, Duce Stetinenſi apud Pomeranos, ac *Cymburga*, filia Ziemoviti, Ducis Maſſoviæ apud Polonos.

Pertinet Runam celebris Præpoſitura unà cum inſigni Eccleſia, ſub nuncupatione, Straß-Engel/ ubi duplex viget pietatis incitamentum, ad quod Styria populoſis ſupplicationibus devota confluit. Primus peregrinantium ſtimulus eſt, *Divinæ puerperæ Icon* portentis ibidem illuſtris: Alter, *Crucula prodigioſa*, quæ hôc locô è radice arboris cujuſdam excrevit, naturæ quidem opus, ſed artis ſtupenda æmulatio, quippe Crucifixum Salvatorem è Cruce pendentem exhibens, non ſecùs, ac ſi artifex & Cruculam ipſam, atque Crucifixum ſuâ induſtriâ elaborâſſet. Detectum eſt prodigioſè parvulum hoc Crucis ſimulachrum (longitudine ſuâ aliquantùm excedens dimidiam ſpithamam) per boves & bubulcos, atque deinceps effoſſum, cultum habet ſolemnem, portentis glorioſum. *Et imago* Divæ & *Crucula* Salvatoris collocandæ fuiſſent *Tit:* 25; at ſeriùs illæ mihi innotuerunt, hinc Lector benevolus eâ translatione

vices

vices meas, hìc, oro, ſuppleat. Cœnobij Abbatialem clavum nunc tenet Reverendiſſimus D.D. *Jacobus*, per Carinthiam & Carnioliam Viſitator, ac Vicarius Generalis, Cui Ampliſſimo ac digniſſimo Præſuli ſua *Runa*, ſit pulchra ùt *Luna*, *plena in diebus ſuis*, *refulgens in templo DEI*, in firmamento Ciſtercij! *Eccleſiaſt. 50.*

SITTICIUM,
vulgò, Sittich.

SItticium, Diæceſis Aquilejenſis, Viſitationis Runenſis, in Ducatu Carnioliæ Ciſtercij Ordinis Cœnobium, quartò lapide diſtans à Labaco, Laubach / Provinciæ Metropoli, conditum eſt Annô Domini 1135, à *Virida Auſtriaca*, Duciſſa Mediolanenſi, fundationis induſtriô motore, ac promotore, *Peregrino*, vel *Pelegrinô*, Aquilejenſium Antiſtite. Loci etymon acceptum à *Pſittaco*. Cùm namque initia Cœnobij ſurgerent in media Campi planitie, ubi nunc villa viſitur, accidit repetitô portentô, ut alterâ die operarij invenirent è loculis ejectum, quod pridie conſtruxerant. Notata interea non longè inde ad jactum ſagittæ, propè pedem montis, Pſittaci crebrò evocantis garrula vox: *Sit hìc*, *ſit hìc*, *ſit hìc*. Neque ſtatim diſcerni poterat, unde ſonus ille articulatus egrederetur: quouſque Noſtri, ſecuti indicium, imperiúmque vociferantis, deprehendiſſent Pſittacum, per illa vocabula, *Sit hìc*, invitantem eos, unà cùm cæmentarijs ad fabricam eô locô erigendam. Itaque ad vocem imperantis avis, translata Cœnobij primordia fauſtis deinceps progreſſibus continuata, ac tandem abſoluta ſunt. Loco inditum nomen à voce pſittaci, *Sit hìc*, *Sithicum*, ſive *Sitticium*. In perenne rei monimentum adſumptus *pſittacus in parma aurea* pro Domûs inſigni: & nè viva unquam deeſſet fundationis reminiſcentia, in clauſtrali Refectorio pſittacus vivus caveâ incluſus, per intervalla Fratribus Cœnobij primordia clamore ſuô recitat. Inter cæteros illuſtres Mecænates *Sitticium* præcipuè accenſet Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam. Abbas loci fungitur munere Archidiaconi in Parochijs Cœnobio incorporatis, quarum ſunt aliquot ſupra viginti, optimorum proventuum, potiores adminiſtratæ à Sacerdotibus

Sæcularibus, & id quidem noſtrorum in illos beneficiô, qui & menſæ titulos, atque etiam ipſas præbendas ijſdem liberaliter conferre ſolent. Stat porrò penès Abbatem jus, ſeu per ſe, ſeu per Commiſſarios, poſt ſingula triennia ſolemniter viſitandi hos Beneficiatos, eóſque annuè convocandi ad Synodum, atque de ijs, quæ ad curam animarum, vitæque probitatem pertinent, poteſtativè diſponendi. Digniſſimè hodie Sitticenſibus præeſt, Reverendiſſimus D.D. *Antonius à Gallenfels*, cui millies pſittaci cantionem in vota adduco, ut nempe diu *Sit hìc* inter mortales, ibi æternùm inter Cælites felix!

VICTORIA.
vulgò, Victering.

VIctoria, generoſi agnominis Domûs, ſurrexit apud Carinthios Annô Domini 1144, ùt Jongelinus, ſeu Annô 1142, ùt alij, Filia Villarij in Lotharingia. Jongelinus præcipuum Loci Fundatorem fuiſſe perhibet, *Henricum*, Trecenſem Epiſcopum apud Gallos, è Comitibus Carinthiæ oriundum, qui cum *B. Ottone* Auſtriaco, aliíſque 14 è Germana Nobilitate, in Morimundenſi Cœnobio Ciſterciô initiatus, primus ſubinde Abbas conſtitutus eſt Villarij in Lotharingia, è quo Cœnobio primas ad *Victoriam* colonias olim adductas, memorat cit: Jongelinus. Cæterùm è Bibliotheca Monaſterij Hilarienſis ad me ſequens narratio è *vetuſto M. S.* de *Victoria* noſtra perlata eſt; Annô nimirum 1416 *Julianum Seeburger*, & *Bertoldum* filium, ſupremos de Familia, Victrigenſe Monaſterium ditâſſe & dotâſſe: quod quidem primitùs extructum ſit è reliquijs ædificiorum Arcis *Naterberg*, *à Maynhardo*, *Moldenſi Palatino*, *in Gallia cum Leone duellante*, *propter abductam clanculùm Ducis Carinthiæ filiam*, *ſibíque in uxorem junctam*: qui in victoriæ hujúſce ſignum, coadjuvante *Bernardô Sanenbergiô* Comite, apud Victringenſes ſepultô, & *Cunigunda* Carinthiæ Marchioniſſa, *Victoriæ* Cœnobium erexerit. Ità ferè M. S. Hilarienſe. Accipiendum eſt Domûs etymon ex hac narratione, nempe in monimentum *Victoriæ* conditam eſſe *Victoriam*. Porrò licèt geminæ illæ de *Fundatoribus* relationes, quas mox produximus, aliquantum inter ſe varient,

non

non tamen adeò à ſe diſtant, ut conciliari ad invicem de facili nequeant, quòd haud ægrè præſtiterint *Carinthiæ* ac *Victoriæ* indigenæ ac domeſtici, rerum ſuarum ampliùs, quàm nos, gnari.

FONS B. MARIÆ VIRGINIS. *vulgò*, Landſtraß.

FONS B. MARIÆ, Dioeceſis Aquilejenſis, in Inferiori Carniolia, fundatur Annô Domini 1230, à *Bernardo* primo Carinthiæ Duce, atque Bernardi Conjuge *Guta*, Ottocari Bohemorum Regis filia. Sita eſt hæc Domus ad Confines Croatiæ terminos, ad amnem *Gurcam*: quô vocabulô Jongelinus ſeductus, inſcripſit hoc Coenobium erroneè Gurcenſis Diæceſis. Fuit olim filia *Villarij* Lotharingici propè *Metas*; hodie verò in linea viſitationis audio hunc *Fontem* referri ad *Runam*. Jacet hôc locô ſepultus Fundatorum filius, *Bernardus*.

STAMBSIUM *vulgò*, Stambs.

STambſium, Diæceſis Brixinenſis in Tyroli conditur Annô Domini 1272, aut 73, ùt habet Jongelinus, in villa, ſeu pago *Stambs* (unde & vocabulum ſortitum eſt) à *Mainhardo II*, Goritiæ & Tyrolis Comite, atque Ejus Illuſtriſſima Conjuge, *Eliſabetha*, Othonis quondam Bavariæ Ducis filia, & Conradi Romanorum Regis, ac Suecorum Ducis relicta Vidua: quæ Matrona radix eſt ac titulus, quòd jam antiquitùs, datô deſuper diplomate ad Annum 1387, Auguſtiſſima Domus Auſtriaca, Stambſenſis Coenobij advocatiam *propter DEUM*, ùt ſonant verba epiſtolæ, conſtanter geſſerit, inſignibúſque privilegijs id Monaſterium cumulârit; Fuit enim *Eliſabetha*, Stambſij Confundatrix, Mater alterius *Eliſabethæ*, ſubinde Alberti I, Auſtriæ Ducis, ac deinceps Romanorum Imperatoris, Conjugis, quæ maternô velutì jure, Fundationis Stambſenſis prærogativā ad Albertum Maritum ſecum adferens, Auſtriacos Principes, Alberti Succeſſores fecit Stambſij Protectores. Primi Ciſter-

cij Fratres ad hunc locum adducti fuêre è *Caſarienſi* Germaniæ Cœnobio. Inter Domûs Fautores peculiariter recenſentur Undecim Romani Pontifices, aliíque ſeu Patriarchali, ſeu Archi-Epiſcopali, aut Epiſcopali dignitate præſtantes. Jacent apud Stambſenſes contumulati complures Viri illuſtres: atque in primis Fundatores *Menhardus*, & *Eliſabetha*: Fundatorum filius, *Henricus*, Carinthiæ Dux, & Comes Tyrolis, loci munificus Benefactor: *Bruno* è Comitibus de *Buelenſtein*, Epiſcopus Brixinenſis: *Albertus*, ultimus ſuæ ſtirpis Tyrolenſium Comes: *Fridericus*, cognomentô, *Senior*, Archidux Auſtriæ, Cœnobij illuſtris Mecænas: *Sigiſmundus*, Friderici filius, cum prima ſua Conjuge: *Maria Blanca*, Vice-Comes Mediolanenſis, Maximiliani I, Cæſaris Uxor: *Severinus*, Mauritij & Auguſti, Saxoniæ Ducum Frater, qui extra Patriam obijt Annô 1533. Pertinet hæc Domus ad gremium inclytæ *Congregationis S. Bernardi* in Germania Superiori.

NOVUS-MONS,
vulgò, Neüberg.

NOvus-Mons apud Styrios fundatur circa Annum Chriſti 1327, munificentiâ Ottonis, Auſtriæ ac Styriæ Ducis. Condendi Cœnobij prima occaſio, diſpenſatio Eccleſiaſtica obtenta ſuper matrimonij impedimento in tertio conſanguinitatis gradu, ob cujus cæteroquin obſtaculum Ottoni illicitæ fuiſſent nuptiæ cum *Eliſabetha* Bavara. Concepit tum ſtatim Domûs Ciſterciæ ideas Dux, cùm præfatam diſpenſationem impetrâſſet; at verò opus ipſum ad extra primò tum aggreſſus eſt, cùm prælibatô Annô 1327 Eliſabetha conjux hæredem ſibi maſculum, Fridericum, genuiſſet; hunc enim fortunatum eventum ſic accepit Otto, quaſi eô ad propoſita reddenda cælitùs moneretur: adeóque Abbatem de S. Cruce, alióſque ad ſe feſtinanter evocans, in loco ad Myrtzam fluvium peramœno, novi Cœnobij auſpicia poſuit, quod *Novum-Montem* nuncupare placuit. Obijt inclytus Fundator, tumulatúſque eſt extra Styriam; verùm enim verò quàm is optârit ſepulturam intra Ciſtercios ſuos Novo-Montanos alumnos, expoſuit Alberto

berto, Ottonis Fratri, Aſceta quidam Carthuſienſis, cæleſti viſione edoctus, expedire nempe Ottonis feſtinandæ è pœnis purgantibus eliberationi, quatenùs ſinè mora ad Domum, quam DEO & Ciſtercio ipſe fundaverat, tumulandus tranſportaretur. Et factum eſt ita, jacétque hodie Otto Fundator cum utraque Conjuge ſua, *Eliſabetha*, Stephani, Bavariæ Ducis filia, & *Anna*, Caroli IV Cæſaris ſorore, in Novo-Monte reconditus.

MONASTERIA CISTERCIENSIUM IN DUCATU SILESIÆ.

LUBENS.

LUBENS ſeu *Luba*, prima Monaſtica Domus in univerſa Sileſia, etiam Ciſtercium antevertit, fundata pro Benedictinis Annô Domini 1050, ad amnem Viadrum, quem Oderam nuncupamus. Cœnobij conditor, inclytus Poloniæ Rex *Caſimirus*, qui jam nuper in Cluniaco apud Gallos votis Monaſticis, atque etiam ordine Diaconatûs inter Benedictinos initiatus, ſubinde à Gentilibus ſuis ad capeſſenda Patriæ ſuprema gubernacula vehementiſſimâ contentione evocatus, à Summo Pontifice certis pactis ad ſceptrum è clauſtro dimiſſus eſt. Eâ ſtatûs metamorphoſi ſolum habitum, munúſque immutavit Rex, non affectum, aut animum, quô etiam in Regali purpura ſuos, quos nuper in Cluniaco habuerat in profeſſione Fratres, ſociósque, tam amanter, quàm conſtanter eſt complexus. Neque Regia ea propenſio intra ſolius mentis limites ac clauſtra conſtitit; verùm foràs egreſſa in opus illuſtre, docuit, Regum amores vix eſſe debere abſque beneficijs:

 cijs:

cijs: Inferioribus, qui minùs poſſint, ſatis nonnunquam eſſe, ut, ſi amant, amando bene amatis velint; at verò Reges adſtringi, ut quandoquidem maximè valeant, bene illis, quos amant, faciant. Itaque Caſimirus ſub Annum Chriſti 1050, è Cluniaco Benedictinos aliquot alumnos evocavit, conſtructâ pro illis inclytâ Lubenſi Domô: atque ita Luba primitùs ſub Benedictinis ſurrexit, transferenda ſubinde ad Ciſtercienſes, id eſt, à Fratribus ad Fratres.

Commendanda porrò Lubæ celebritas ex eo, quòd *Julius Cæſar* olim Romanas Aquilas, aciéſque armatas inter victorias per vicinos Populos circumferens, hôc locô ſubſiſtendo caſtra fixerit, fanô Martis in armorum triumphorúmque fauſtum auſpicium ibidem erectô. Et quidem nomen ipſum à Julio deſumptum eſſe, doceor à Lubenſibus, qui in ejus rei teſtimonium pervetuſtam Poëſim ad me perſcripſerunt, quam hìc adjicio:

Eſt locus iſte Lubens Julio de Cæſare dictus,
Sclavonizando loquens conſuevit dicere vulgus
Lubens pro Julius, qui primus caſtra metatus
Eſt hìc, & populus ejus fanum hoc veneratus
Annos per mille - - - - - - -

Hæc de loci etymo antiqua Poëſis. Cæterùm, quod traditione aliquando me didiciſſe, memini, hoc eſt: prælaudatum nempe Julium Cæſarem cum militaribus ſuis copijs ad hunc locum adventantem, interrogatum fuiſſe à ſuis, num vellet, juberétque hìc caſtra figere? Quibus Cæſar reſpondiſſet: *Lubens*, id eſt, omninò velle ſe. Fani, quod Julius Marti dedicaverat, veſtigia hodiedum Lubæ extant, mutatâ idoli religione in cultum Sanctæ Crucis, cujus vivifici ligni honori ſubſtituta ædes nunc ſacra eſt. Legitur hæc veritas ac metamorphoſis inſcripta ædiculæ fronti: - - - *Locus à quo conditus iſte,*
Dæmonis ara priùs, tua tranſit in atria Chriſte.

Stetêre Benedictini per annos centum in Luba, ſeu *Lubente*, (utì habet Manrique₉) uſque ad tempora *Boleslai*, cognomentô, *Alti*, Sileſiæ Ducis, nuper in Fuldenſi Cœnobio per eoſdem RR. PP. Benedictinos literis imbuti, qui Caſimiri fundationē munificè

ficè per adjectas noviter ditiones adaugens, florentes tum per Orbem Chriſtianum Ciſtercienſes, è *Portenſi* Saxoniæ Cœnobio excivit, ídque præcipuè ad urgentiſſimas preces Waltheri, Wratislavienſium Epiſcopi, Ejuſdémque Cathedralis Capituli inſtantiam, pro Patriæ decore ac ſalute unicè cupientium habere Melliflui Parentis, tum adhuc inter vivos exiſtentis dulciſſimos alumnos. Accidit ea Virorum Ciſtercienſium evocatio, ac ſecunda velutì Domûs fundatio Annô Domini 1150, ſub novæ coloniæ primo Abbate, *Florentio*, florente omine ac nomine futuris Lubæ ætatibus præludente. Benedictini è Luba per Boleslaum Ducem ad Lublinienſe Poloniæ Cœnobium translati fuêre, qui ſanè eam jacturam ægrè ferre haud debuerint, quòd non alienis, ſed prorsùs domeſticis (quales reverâ ſunt in Familia Divi Benedicti Ciſtercienſes noſtri) ſua Luba concederetur. Confirmata eſt hæc ipſa Domûs fundatio altera, primò quidem à memorato Walthero Wratislavienſi Epiſcopo, atque univerſo Canonicorum Capitulo, Annô Domini 1175, ac deinceps etiam à Zyrislao, Jaroslao, & Cypriano Epiſcopis Succeſſoribus. Neque defuêre Pontifices Maximi, præſertim *Innocentius III*, ac *Gregorius IX*: quorum poſterior præter alia gratioſa, illud quoque adjecit: in cauſa Monaſterij poſſe Fratres Lubenſes in judicijs ſæcularibus teſtari, ſi ſcilicèt teſtes alij ab extra deficiant: prætereà Reſcripta Pontificia nequaquam ligare Lubenſes, niſi in ijſdem expreſſa Ciſtercij mentio fiat: Deinde, non poſſe liberas Abbatũ electiones à quopiam Epiſcoporum ullatenùs impediri: Neque citandum eſſe Monaſterium per literas Papales ultra duas diætas. Pares Lubæ favores conceſsêre *Innocentius IV*, *Bonifacius VIII*, *Joannes XXII*, *Clemens VI*, *Innocentius VI*, *Urbanus V*, *Alexander VI*.

Floruiſſe Lubam Viris Sanctis, teſtis eſt omni exceptione major, Diva Princeps, atque Sileſiorum inclyta Patrona, *S. Hedwigis*, de qua Author vitæ *cit:* apud Surium *cap.* 2, hæc pro Lubenſium præcipua commendatione memorat: *Et quia cibos Religioſorum hominum, Sanctorum Angelorum eſcam putabat* (Diva nimirùm Hedvvigis) *fragmina panum à Monachorum & Monacharum menſis collecta, à mendicis, quibus ea dabantur, pretiô redimebat, & priuſquam inde ederet, multa oſcula eis imprimebat. Cùmque vellet*

 diu

diu carere hujuſmodi pauperum epulis, quæ ei dulces erant, duas pauperes fæminas pretiô conduxerat, ut alternis hebdomadibus ad portam Lubenſis Monaſterij accederent, & quicquid illic caſei & panis à menſa Monachorum pro eleemoſyna accepiſſent, ipſi apportarent, pro delicijs illud habituræ. A menſa etiam, ad quam Monachi, ipsâ interdum eos invitante, cibos ſumpſerant, præciſas panis cruſtas, vel particulas ab illis relictas, colligebat, & tanquam Sanctorum reliquias admodum reverenter pro cibo ſuo conſervabat. Haberi, dicíque Sanctum à Sanctis, id quidem prorsùs eximium. Ea ſanè prærogativa Lubenſium eſt, atque etiam Trebniacenſium, id eſt, Ciſtercienſium, à Sanctiſſima, ac per prodigia florente Principe in tantum æſtimari, ut quidquid ipſi vel attigiſſent, illa pretioſum, dignúmque cultu exiſtimaret. Erat Hedvvigi Soror, *Gertrudis*, Hungariæ Regina, S. Eliſabethæ, & S. Kunegundis feliciſſima Mater, quæ Sororiô exemplô invitata, Lubæ pariter inſigne munus contulit, Coronam auream, artis induſtriâ (ùt ipſa juſſerat) conflandam in calicem itidem aureum; quem quidem temporum iniquitate ſubinde in nupero Bello Suecico, Lubæ admodum fatali, ſubtractum eſſe, ex belli genio omninò fit probabile: quô etiam Martiali tempore altera calamitas hanc Domum afflixit, Bibliothecæ elegantis Stetinum à Suecis aſportatæ deploranda jactura, cujus defectu multa hìc ſileri debent, quæ cæteroquin pro Lubenſium gloria ac ſolatio evulganda forent. Interea hôc locô repeto, quod ſupra *Titul:* 23. annotaveram, Lubenſe nimirùm Cœnobium *paſſim nuncupatum fuiſſe Principum & Nobilium Mauſolæum.* Quod quidem Principes attinet, ſequentes Lubam ſuis tumulis illuſtrant. *Boleslaus*, Sileſiæ Dux, à ſtatura, ætate, gloria dictus *Altus*, alter Domûs, quà ad Ciſtercium translatæ, Fundator. *Boleslaus*, Dipoldi Moraviæ Marchionis filius, qui in prælio ad Lignicium Annô 1243 cum Tartaris habito, glorioſè occubuit. *Boleslaus III*, Henrici V[ti] filius, Dux Lignicenſis, & Brigenſis, affectu ac beneficiô in Lubam clarus. *Henricus III*, Glogovienſium Dux, electus Poloniarum Rex, ſed priùs vitâ functus, quàm Regnum adijſſet. *Primislaus*, Henrici prætacti filius, Dux Glogoviæ. *Hedwigis & Salome*, filiæ Principes Henrici III, ac Sorores Primislai, memoratorum Ducum. *Conradus IV*, Princeps & Dux Steinavienſis, Conradi III, Ducis Glogovienſis, & Croſſenſis

filius,

filius, electus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis. *Hedwigis* Duciſſa de Lignitz. *Prſinko* inclytus Dux Glogovienſium. Præcitatô etiam 23 *Tit:* non expreſſi de nomine Epiſcopos, quorum ſepultura poſt majus altare in Lubenſium Eccleſia ſpectatur: quos hôc locô, prout accepi, exhibeo. Primus itaque è Præſulibus memoratur, *Matthias*, Epiſcopus Tribunienſis, & Monachus Lubenſis. II. *Cyprianus*, 19^{nus} Epiſcopus Wratislavienſis, qui obiit Annô 1207, alumnus è Præmonſtratenſium Familia. III. *Laurentius* 2^{dus} Epiſcopus Wratislavienſis, qui deceſſit Annô 1233. IV. *Laurentius* Epiſcopus Lubucenſis propè Ciſtrinum in Brandeburgia, & Profeſſus de Luba. V. *Paulus*, Epiſcopus Tyberiadenſis, & Monachus Lubenſis. VI. *Hieronymus*, Epiſcopus Wratislavienſis, qui tranſtulit Sedem Epiſcopalem de Ritſchen, Wratislaviam, defunctus Annô Domini 1062. VII. *Joannes*, Epiſcopus Wratislavienſis, ſubinde evocatus ad Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem in Polonia, Melliſluo Bernardo noſtro coævus ac familiaris, ſimúlque Confundator cum Patre ſuo, celebris Monaſterij Andreovienſis in Polonia minori, qui è vita exceſſit Annô Chriſti 1165. VIII. *Petrus*, Epiſcopus Wratislavienſis. Quos Illuſtriſſimos Antiſtites in unum Mauſolæum collectos marmore clausêre Reverendiſſimi nuper Lubenſium ſucceſſivè Abbates, Dominicus & Balthaſar, inſcriptione ſupra marmor impoſitâ: *A. M. D. G. debitúmque honorem Virtutis poſt fata ſuperſtitis, Eccleſiarum Principum, Epiſcoporum, qui in vita ſua ſuffulſerunt Domum, & in diebus ſuis corroboraverunt templum: Quorum corpora hîc in pace ſepulta ſunt, & nomen vivit in Generationem & Generationem.* Eſt ad manum ſeries alia Nobilium Lubæ ſepultorum ſat fuſa, è quibus memorandi hìc: *Emericus Forgatſch*, Comes Trinchinenſis, & Comitatûs Trinchinenſis Supremus Comes &c. Rudolphi II, Cæſaris Conſiliarius: *Sidonia Catharina*, ejuſdem Forgatſchij conjux, DEI gratiâ Duciſſa Saxoniæ, Angariæ, & Weſtphaliæ &c. *Ulricus* Schaffgotz, Eques. *Leonhardus* Mymanns, Eques de Sylvis. Dominus de *Rechenberg*, Eques de Freüenſtadt, *Balthaſar* Bavvor de Holoſus & Saubsdorff, Auguſtiſſimi Leopoldi Cæſaris Conſiliarius intimus. Mitto alios, nè in his nimius videar.

Videndæ nunc Lubenſium *filiæ*, quarum prima, *Vackock*,

aliàs *Cella-Mariæ*, in Polonia, fundata Annô 1179, à Gedeone, Cracovienſium Epiſcopo. Secunda, *Mogila*, ſeu, *Clara-Tumba*, apud eoſdem Polonos, condita Annô 1220 ab Ivone ejuſdem Urbis Antiſtite. Tertia, *Henrichovium*, inclytum apud Sileſios Cœnobium, de cujus fundatione mox infra. Quarta, *Coronovia*, in Polonia, primitùs quidem filia Sulejoviæ, verùm deinde lapſu temporis per decretum Reverendiſſimi D. D. Abbatis de Morimundo ad Lubenſium Maternitatē relata. Quinta, *Trebnicium*, celebre in Sileſia Virginum noſtrarum Cœnobium, cujus poteſtas Patria tam vigore Bullarum Pontificiarum, quàm auctoritate Ordinis Abbatibus Lubenſibus demandata fuit. Cæterùm Lubam hodie commendat ſtructuræ elegantia, atque etiam inſigniſſimi Pictoris *Michaëlis Willmann* ibidem domeſtici penicillus, per omnem Cœnobij Eccleſiam, in copioſis ſimulachris, ariſque, cum voluptate ſpectandus. Potiora hæc de Luba mihi fidenter communicârunt RR. PP. Lubenſes, *Benedictus Mentzel*, Theologiæ Profeſſor, & *Julianus Suntebrüdner*, ibidem Supprior, oretenùs, cùm hôc annô illac tranſirem, atque etiam per epiſtolas deinceps. Præeſt nunc Cœnobio digniſsimè Reverendiſsimus D.D. *Ludovicus*, in Serie Abbatum 46^{tus}, è Theologica Lubenſium cathedra aſſumptus ad Clavum, cui Superi è Lubæ, ac Ludovici initialibus literis, felicis regiminis geminatam Quinquageſimam, atque adeò duplex Infulæ Abbatialis jubilæum, imò & plura, forment, indulgeántque!

HENRICHOVIUM.

HEnrichovium, celebris Ciſtercij Domus in Ducatu Mönſterbergenſi apud Sileſios, ſurrexit Annô Domini 1222, fundationem munificè auſpicante illuſtri D. *Nicolaô*, Nobili Cracovienſi, Wratislavienſi Canonicô, atque Henrici Barbati, Poloniæ ac Sileſiæ Ducis Notariô, ac Secretariô, aut etiam *Cancellariô*, prout aſſerit Jongelinꝰ in *Notit: Abbat. Lib:* 5. *pag.* 53. Primæ Coloniæ deſumptæ fuêre ex Luba, inductæque in Henrichovium 1227, 5, Kalendas Junij. Loci etymon juxta Jongelinum cit: acceptum eſt à Duce *Henrico*. Et id quidem voluntate Nicolai Fundatoris originarij datum fuiſſe lego reverentiæ

Prin-

Principis, ex eo, quòd hic facultatem indulſerit, de bonis, quæ titulô fidi obſequij ad dies vitæ ille ipſe Nicolao donaverat, extruendi noſtris Cœnobium. Qua etiam de cauſa prælaudatus Henricus Dux in primis conceſſionis literis, ſibi ſuíſque Succeſſoribus, Fundationis prærogativam deferri voluit, quòd ſcilicèt ad Nicolaum Notarium minùs pertinuerit abſoluta de prædijs ſuis Ciſtercio ab obitu ſuo incorporandis diſponendi poteſtas; quandoquidem Dominium directum ſtaret penès Ducem, ſolô utili datô in promeritum ſtipendium Nicolao. Itaque beneficium, quod Nicolaus Ciſtercio dederat, temporaneum fuit, extinguendum haud dubiè cum Mecænate: quod verò conceſſit Henricus Dux, perpetuum ac ſtabile: eapropter etiam fundatio, quà perennis ac nunquam ceſſatura (quæ ratio in fundandis Cœnobijs eſt potiſſima) omninò adſcribenda venit Duci, nuncupandúmque ex eo titulo Henrichovium, *Cœnobium Ducale*: quanquam præterea illuſtri Nicolao, qui primos ſtimulos, prima fundationis ſemina jecerit, ſua etiam rependi debeat gloria ac gratitudo, ſinè quo fortè hodie Ordo Ciſtercius Henrichovium minùs haberet. Lego porrò in Angelo noſtro ad Annum 1222, cap: 13. n. 7. pro ſe citante *Bibliothecam Joannis Piſtorij*, collectam ex Hiſtoria Polonica, & *Martinum Cromerum*, Nicolaum nempe noſtrum ad condendum Henrichovienſe Cœnobium, ſua etiam contribuiſſe Patrimonialia, quæ utique cùm à Progenitoribus, non à Duce accepiſſe præſumendus ſit, eapropter in partem fundationis pro rata admittendus erit. Quoniam verò à potiori denominatio fieri ſoleat, Ducis, utpotè Principis terræ, Dominíque directi, qui & partem bonorum de ſuo dederit, & partem alteram à Nicolao oblatam auctoritate ſuâ confirmaverit, habenda videtur ratio potior, cùm etiam hìc in Henrico Duce verum cenſeatur illud, *omnia* Eum *ſua feciſſe*, *quibus auctoritatem ſuam ſit impertitus*. Cæterùm in Henrichovio votis Monaſticis initiatum Nicolaum inter noſtros devixiſſe, comperio in præcit: Manriqueo, atque etiam in Jongelino; tametſi interea Notitiæ per Venerabilem P. *Tobiam Akermann*, loci Priorem, ex Henrichovio ad me directæ, de Viri monachatu nîl meminerint, illud ſolùm innuentes, Eundem non in Monaſterio, ſed in Cœmiterio Eccleſiæ Cathedralis Wratis-

Dddddddddddd lavien-

lavienſis, ubi Canonicus extiterat, ſepultum requieſcere. Dixi paulò ſupra ex Jongelino, etymon Domûs (*Henrichaw*) acceptum à Duce *Henrico.* Verùm Manriqueus præcit: textum *Hiſtoriæ Polonicæ*, atque etiam *Martini Cromeri* adducit, ubi utrobique aſſeritur, Originarium loci fundatorem, Nicolaum condidiſſe Cœnobium Henrichovienſe in Villa & pago, *Henrichovio*, titulô *patrimonij* ad ſe pertinente. Sentiat per nos Lector, quod volet: nos iterum ad rem.

Crevit ſubinde hæc Domus, tam elargitionibus Benefactorum ſuffragia ab Aſcetis Henrichovienſibus per munera poſtulantium, quàm Abbatum, eorúmque induſtriâ, qui rem familiarem adminiſtrabant, atque etiam beneficiô contractuum emptionis, à Provinciæ Ducibus ritè confirmatorum. Multâ autem calamitate ſub Huſſij & Lutheri fatales ætates Henrichovium per vices concuſſum eſt: ſeptemplici quidem devaſtatione fædatum per Huſſitas, per alios deinceps heterodoxos iteratâ irruptione tantùm non penitùs everſum, ægerrimè reſpirare potuit ad vigorem priſtinum. Meliora eidem fata adlucere cœperunt Annô Chriſti 1656, Reverendiſſimô D. Melchiore ad gubernacula Domûs evectô, ſub quo notoriè reſpiratum à cladibus. Excepit eas Domûs refloreſcentis ſpes, digniſſimus Ejus Succeſſor, Reverendiſſimus D. D. *Henricus*, Griſſovij Profeſſus, è Thermarum Hirſchbergenſium Prioratu Annô 1681. evocatus ad Infulæ Henrichovienſis ſplendorem, 40mus Loci Abbas, qui auream ætatem Henrichovienſibus attuliſſe dicendus eſt, quandoquidem Phœnicem olim per tot clades incineratum, hodie fauſtiſſimè reviviſcentem in ſuo Henrichovio ad ſuorum ſolatium exhibeat. Id namque ſtructuræ ſumptuoſæ ac elegantes, id Conventualium numerus notoriè auctus, id Eccleſiæ varia ac ſplendida ſupellex, id Bibliotheca per ſingulas claſſes inſtructa, id fundatio per contractus emptitios ampliata, id eliminata è toto dominio Lutheri hæreſis, id ſtatus Domûs cùm in ſpiritualibus, tum temporalibus inſigniter auctus, luce clariùs demonſtrant. Ejus etiam Ampliſſimi Præſulis opus eſt, indefeſsô ejuſdem labore per complures annos comparatum, Jus Patronatûs in Eccleſia Oppidi Regij Montani, vulgò Sielberberg/ quod per Acatholicos acriter

ter controverſum, tandem Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus Henrichovio clementiſſimè adjudicavit: vi cujus decreti per Cæſareos ac Epiſcopales Commiſſarios primus iterum è Catholicis Curatis poſtliminiò ſolemniter introductus eſt Religioſus Henrichovienſis. Et quandoquidem tot laboribus arduis feliciter defunctum, cum ingenti animi voluptate, ſe videret, rerúmque illam fortunatam efficientiam DEO Adjutori unicè in acceptis referret, de Sedis Apoſtolicæ annutu Confraternitatem Sanctiſſimæ Trinitatis, hactenùs in Sileſia non viſam, Annô 1696 primus inſtituit, auctam ſubſecutis annis numeroſâ Sodalium ſerie: cui ampliorem ſplendorem, atque incitamentum additurus, Annô 1699, in media Cœnobij area propè Eccleſiæ ingreſſum, præaltum, ſumptuoſúmque Coloſſum è lapide erexit, DEO Uni & Trino Sacrum, in cujus ſuppedaneo, hoc, ex parte una, Chronographicum inſculpſit: *Æterno totIVs VnIVersItatIs aVCtorI, reCtorI Deo, VIVo, & Vero, VnI In eſſentIa, & trIno In perſonIs, patrI Creatori, fILIo ſaLVatorI, ſpIrItVI S. ConſoLatorI. potentI, ſapIentI, bono, IVſtItIæ, & proVIDentIæ abyſſo, sIt perpetVa operIs gLorIa.* Ex parte altera Chronographicum ſequens ſaxo inciſum legitur: *HenrICVs, s. o. C. præsVL, & sILesIæ VIsItator, eXtrVCtô Cœnoblô, aVCtIs bonIs, hæresI eXtIrpatâ, CongregatIone SSS. trInItatIs ereCtâ, ereXIt: Vt sI taCerent VIVentes, hoC teſtes LapIDes LoqVerentVr.* Et verò ſenſit ampliùs Optimus Præſul DEI adjutoris opem, cùm elabente hôc annô de Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi adſenſu, factâ priùs tranſactione cum Reverendiſſimo D. D. Sigiſmundo, Abbate de Campo Liliorum, viâ ac titulô redemptionis, Henrichovio ſuo in perpetuum incorporavit pervetuſtum *Cœnobium* B. M. V. *de Zircz*, in Hungaria, Diæceſis Veſprinienſis, *cum omnibus Ejuſdem Abbatiæ juribus & bonis, oppidis, pagis, villis, poſſeſſionibus, prædijs, ſylvis, agris, &c. ad eandem Abbatiam Zircenſem de jure, & ab antiquo ſpectantibus*: quod Cœnobium hactenùs inter rudera deſolatum, deinceps beneficiô Reverendiſſimi D.D. Henrici formam rursùs induet Ciſterciam, proximè incolendum per Colonias Henrichovienſes, eò bonis avibus deſtinandas. Confirmationis Cæſareæ ſuper eo contractu extraditæ deſumptum Inſtrumentum mihi Henrichoviô communicatum, omninò dignum eſt, ut hôc locô insereretur; verùm

quia prolixius quibuſdam pro præſenti inſtituto videretur, fragmenta quædam duntaxat abſtraxi, in quibus glorioſas laudes Majeſtas Cæſarea in Henrichovienſium Præſulem congeſſit. Itaque Cæſar: *Nos Leopoldus - - - Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit, univerſis. Quòd Nos benignum reſpectum habentes ad præclaras virtutes, laudatóſque & acceptos mores, doctrinam item & eruditionem, atque omnibus gratam, & acceptam vitæ converſationem, cateráſque excellentes animi dotes, fidelis Noſtri, Nobis dilecti, Venerabilis Henrici, Sacri Ordinis Ciſtercienſis, Monaſterij Henrichovienſis, in Ducatu Noſtro Sileſiæ exiſtentis Abbatis, quibus Ipſum DEI Altiſſimi munere inſignitum & ornatum eſſe, tum aliorum fidelium Noſtrorum fide digno teſtimonio, quàm etiam propriâ Noſtrâ experientiâ cognovimus. Eidem itaque Henrico, Abbati Henrichovienſi, tanquam perſonæ idoneæ, & de Eccleſia bene meritæ, Nobíſque gratæ & acceptæ, Abbatiam B. MARIÆ Virginis de Zirez, aliàs etiam ad dictum Sacrum Ordinem Ciſtercienſem ab antiquo pertinentem. &c.* Applaudo animitùs Ampliſſimo Præſuli, tantopere ab Auguſtiſſima Majeſtate commendato, optóque medullis intimis, ut pro Ordinis, ac præcipuè Ciſtercij Auſtriaci ornamento, incremento, ac ſolamine, Cælitum favore quàm diutiſsimè Vivat, zelô Ordinis, Eccleſiæque, atque etiam exinde elogijs Cæſareis glorioſiſsimus!

CAMENCIUM.

C*Amencium* eôdem propè tempore (quô Henrichovium pro Ciſtercio ſurrexit, id eſt Annô 1222) metamorphoſim tulit, mutatis Religioſis incolis (qui eouſque fuerant Canonici Regulares Divi Auguſtini, Wratislavienſes, B. V. in arena, ſeu, ùt tum vocabantur, *Arroaſienſes*) in Ciſtercij alumnos, quibus priores illi, procurante in primis negotium Thomâ Wratislavienſi Epiſcopô, *ultrò* (utì rectè perhibet Archivum Camenceníe) *ceſsêre* avitas ſedes. Et hæret, & reſpondet ſimul Balbinus in puncto ceſsionis ejuſmodi, *in Hiſt: Divæ Wart: cap:* 5. §: 2. *Illud quoque*, ſcribit ille, *quærat aliquis, cur id temporis tam avidè Ciſtercienſis Ordo, nonnunquam aliis etiam Ordinibus excluſis, advocaretur? Fecit id Ciſtercienſium ſanctitas uſque ad hæc tempora propagata, & religio cum inſigni conjuncta doctrina: ij, Annô* 1150 *cùm bonæ artes*

tes litteraque jacerent, deſpectáque colla Muſæ levare non poſſent, apertis ſcholis, virtute, & ſcientiâ revocatâ, id conſecuti ſunt, ut quot Cœnobia illis excitabantur, totidem præſidia docta pietatis cenſerentur. Ita ſcilicèt pietas ac doctrina noſtros per Orbẽ diſperſerant undiq; venerandos, dignóſque, quibus & antiquiora Inſtituta cederent, non aliô ſanè impulſu, quàm quòd Ciſtercium pium, doctúmque amarent, ac ſuſpicerent. Quod quidem non in uno duntaxat Camencio factum conſtat, ſed paſſim & alibi, noſtris occupantibus aliarum Familiarum Cœnobia, ſed quæ illæ haud invitæ noſtris dimiſiſſent. Porrò facta eſt quidem Camencij ceſſio à Canonicis Annô 1222, quamvis noſtrorum introductio bellô Tartaricô interrupta, primò evenerit Annô 1249: quam Ciſtercij introductionem deinceps Annô 1261 Viterbij approbavit Urbanus IV Papa, datis deſuper literis Pontificijs, quibus ſubſcripti in Archivo Camencenſi leguntur Cardinales ſeptem, duóque Epiſcopi, Tuſculanus, & Præneſtinus. Diſtat Camencium Henrichoviô horis 4, collocatum ad Niſſam fluvium, quod Cœnobium olim arcis ac propugnaculi ad inſtar conſtruxêre Bohemi, tutandis finibus accommodum: à quibus deinde ad Auguſtinianos Canonicos tranſlatum, tandem ab his ad Ciſtercium pervenit. Lubet Domûs pervetuſtæ ac celebris iconiſmum è *Balbin: cit: Div: Warr: cap.* 5. §. 4. huc transferre: *Cœnobium Camencenſe*, ait ille, *non tempori, ſed (ùt illa ſæcula ferebant) æternitati ædificatum fuit. Pleniſſimâ dignitatis ratione deſcriptum fuiſſe, ruinæ minæque murorum ingentes, incendio ſuo ſuperſtites oſtendunt. Fornices eleganti opere ambitum quadratum aperiunt latiſſimè, unáque in parte, gratiâ ſingulari, columnis quàm plurimis ambitus ſuſtinetur. Sed templum admirationem meretur, idque longè ante Ciſtercienſium RR. PP. adventum ſtetit, quippe, in ſepulchris paſſim Canonici Regulares viſuntur. Templum arcis refert figuram venientibus, imò, ùt ajunt, arx vetuſta Bohemorum converſa in templum eſt, totum ædificium ad defenſionem comparatum. Quatuor ſupernè turribus munitur, ad defenſionem, proſpectum in hoſtes, vigiliáſque accommodiſſimis, ſúntque adhuc hodie vigiliarum indicia: ambitu altiſſimô undique Templum coronatur, ut, velut in corona murorum defenſores commeare poſſint. Opus omni ex parte Regium, in quod opes maximas effuſas cenſent talium rerum prudentes.* Hæc Balbinus de Camencio: cui hodie digniſſimè præeſt Reverendiſſimus D. D. *Auguſtinus*,

quem Suæ Ciſterciæ Domui *ſemper Auguſtum* faciat Diva Parens Wartenſis *ſemper Auguſta*, Camencenſium ſuorum præcipua poſt DEUM Tutelaris, atque Adjutrix!

RAUDA.

RAudam, Cœnobium Ciſtercienſium apud Sileſios ponè aquam *Rudam* (à qua & nomen hauſit) Annô Domini 1252 conſtruxit, fundavítq; Illuſtris Princeps *Wladislaus*, Oppolienſium Dux, qua de cauſa etiam antiquitùs à Fundatore dictum *Wladislaw*: primis colonijs adductis ex Andreovia. Annô 1258 Dux Fundator ſuper erectione ac dotatione Cœnobij diploma ſolemne confecit, cujus vigore multa noſtris jurisdictionalia, privilegiáque conceſſa lego, & quidem ea omnia dederat Princeps optimus, *pro ſpe retributionis æternæ, & pro remedio animæ ſuæ, ac ſuorum, nec non pro redemptione animarum Anteceſſorum, & Succeſſorum ſuorum.* Confirmavit Cœnobij immunitates *Gregorius* Papa X. peculiari diplomate, Annô Pontificatûs ſui tertiô, quod in *Notit: Abbat: Ciſt: Lib.* 5. *pag.* 55. recitat Jongelinus, ubi Pontifex inter reliqua, hæc: *Omnes libertates, & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus per privilegia, ſeu alias indulgentias, vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum, à Regibus, & Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis indultas, ſicut eas juſtè ac pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrociniô communimus.* Idem Papa Gregorius, eôdem Annô in alteris Apoſtolicis literis Lugduni datis in favorem Raudenſium hæc: *Eapropter perſonas veſtras, & locum in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, præſtante Dominô, poteritis adipiſci, ſub B. Petri, & Noſtra protectione ſuſcipimus.* Simile Confirmationis robur Raudenſi Cœnobio contulêre Illuſtriſſimi Principes: *Caſimirus* Dux de Oppol, Wladislai Fundatoris filius Annô 1283. *Valentinus* Dux Sileſiæ, Rattiborienſis & Oppavienſis Dominus, Annô 1520. *Joannes* Princeps Sileſiæ, Oppolienſis & Ratiborienſis, Superioris Glogoviæ, & Ribnicenſis Dominus Annô 1525: & Annô 1534 Ferdinandus I Bohemiæ Rex, ſubinde Romanorum Imperator.

Rauda Mater *Gemielnici*, hodie ſub digniſſimis gubernaculis viget Reverendiſſimi D.D. *Bernardi*, nuperrimè in Ciſtercio Capituli Generalis Notarij, cui utpote Mellei Parentis & Nominis hæredi, Cælites ætatem melleam, aculeis, cladibúſque expertam indulgeant!

GEMIELNICUM.

GEmielnicum (filia Raudæ) exortum mundo Annô Domini 1280, Fundatores habuit Illuſtriſſimos Sileſiæ *Duces Oppolienſes*, in quorum terris ſitum eſt, injuriâ temporum tam plagis afflictum, ut earundem cicatrices hodiedum plenè obducere nequeat, proventu modicum, adhuc tamen intra Ciſtercij compagem: cui Superi, Domûs, reíque familiaris incrementa ampliora! Digniſſimè eidem nunc præeſt Reverendiſſimus D.D. *Malachias*, cui Prophetici nominis hæredi, ambo *Malachiæ*, Vates Sancti, & ille Iſraëliticus, & alter Ciſtercius, non tam vaticiniô, quàm patrociniô è cælis fortunata omnia!

GRISSOVIUM.

GRiſſovium, filia Henrichovij, fundatur apud Sileſios Annô Domini 1292 ab illuſtri Principe *Bolcone*, ſeu *Boleslao*, Duce Suidnicenſi, & Domino de Fürſtenberg. Quòd ſi altiùs Griſſovij initia repetamus, pertinuit locus ille priùs ad Benedictinos, ex Opatovicenſi Bohemiæ Cœnobio per Henricum Pium, Sileſiæ Ducem, Divæ Hedvvigis filium, eò evocatos, qui aliquantô tempore ibidem ſubſiſtentes, eundem rursùs Bolconi ſeu Boleslao, Suidnicenſium, & Jaurovienſium Duci, Boleslai Calvi filio, Henrici pij Nepoti, pactô pretiô vendiderunt Annô 1289, adjectâ à Benedictinis, & acceptatâ à Duce conditione, ut quandoquidem jam nuper Henrici Ducis, & Annæ Conjugis ejus voluntate ſolitudo illa *Griſſowe*, ſeu *Griſſobor* nuncupata, divino ſemel cultui eſſet deſtinata, nequaquam deinceps in alios profanos uſus diſtraheretur. Extat hodiedum ceſſionis ejuſmodi Inſtrumentum. Annô igitur poſt reſignationem Benedictinorum tertiô, qui fuit Chriſti 1292, prædictus Bolco Dux, advocatis ex Henrichovio Ciſtercijs colonijs, pro ijs Cœnobium Griſſovienſe erexit. Acceſsit etiam

loco nomen aliud, nempe, *Gratia S. Mariæ*: ex eo potiſsimùm, utì in Notitijs à R. P. *Innocentio Fritſchl*, Griſſovij Profeſſo, & nuper inclytæ Legionis Sapiehanæ Capellano, mihi communicatis edoceor, quòd DEIparæ Virginis icon olim ſub Joanne XXII Pontifice, Riminiô ex Italia, noctu huc prodigiosè perlata, portentis & gratijs deinceps coruſcaverit: quamvis jam paulò ante, utì ex computu temporum liquet, fundationis literis Princeps Fundator idem ipſum vocabulum inſeruerit. Scilicèt nominis impoſiti rationem in Domo ſibi dicata impletura *Gratioſa* Parens, attulit *gratiarum* argumentum in icone illa ſua Thaumaturga, quæ hodiedum Griſſovium illuſtrat. Hæc de notione nominis: nunc ex parte perluſtrandum Fundationis diploma. Itaque Fundator: *Nos Bolko DEI Gratiâ Dux Sileſiæ, veſtigia Prædeceſſorum noſtrorum, per pietatis opera rectô tramite ſequi cupientes, ſimúlque ad cultum divini ſervitij, noſtris etiam temporibus, in Eccleſia propagandum: His literis ad notitiam tam poſterorum, quàm modernorum pervenire volumus, quòd ad honorem principaliter Omnipotentis DEI, ſuæque Glorioſæ Matris, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, in remedium animarum, noſtræ, ac dilectæ Conjugis noſtræ, Dominæ Beatricis, ſed & Progenitorum noſtrorum, Cœnobium Religioſorum Virorum in loco, qui Griſſowe dicitur, de novo inſtaurantes, eidem loco florem, imò fructum honoris & honeſtatis, diſciplinæ & religioſitatis decrevimus inſerere, Ordinem inquam, Ciſtercienſem, quem certè ob eximiæ puritatis ſeu charitatis cuſtodiam, morúmque, ac virtutum, quibus præfulget inſignia, ſpeciali ſemper coluimus & colimus affectu, ejuſdem noſtræ plantationis Filiationem Domui Fratrum de Henrichowe attribuentes, eò quòd ipſius Domûs venerandæ perſonæ ex præclara utique & generoſa dict. Ordinis propagatione, ortum noſcantur ducere generoſum.* Et poſt pauca: *Judicium omne in cauſis tam majoribus, quàm minoribus, his præmiſſis, de noſtra ſpeciali addentes gratia, Judiciô ſanguinis eis conceſsô, ob hoc & nominetenùs expreſsô.* Et infrà: *Tantâ ſiquidem noſtrâ gratioſitate, ac liberalitate ideò jam dictum Clauſtrum perfectè potiri volumus, quatenùs ipſi dilecti Nobis Fratres, ibidem in ſui Ordinis rigore ac vigore perſiſtentes, tantò ad cœleſtia meditanda liberiorem habeant animum, quò à terrenis tumultibus, à negotijs & curis ſegregatum ſæcularibus, multorum idipſum ſaluti provenire ſperantes, ad Noſtri etiam meriti continuum incrementum.* Confirmavit deinceps eandem Griſſovij fundationem auctoritate Apo-

ſtolicâ-

ſtolicâ Joannes XXII, Annô 1318, Bullâ, quæ incipit: *Religioſam vitam*, &c. de dato, Avenione, X. Kalend: Junij, Pontificatûs ſui Annô ſecundô.

Senſit etiam quàm maximè hæc Domus, Huſſium & Lutherum miſerandâ clade ſibi infeſtos: verùm præſentiſſimô Cœlitum adjutoriô ſervata inter tot turbines intra Ciſtercium. Florem Cœnobio huic præſente noſtrâ ætate quàm plurimum tum reſtituit, tum adauxit, Reverendiſſimus D. D. *Bernardus Roſa* Abbas, floridâ ſuâ pietate celeber undique, qui Numini, qui DEIparæ, Divóque Salvatoris Nutritio Joſepho mirâ animi teneritudine devotiſſimus, in Eorundem flagrantiſſimum cultum & ſuos accendit indigenas Sileſios, atque etiam vicinos Bohemos. *Joſephina* præcipuè *Sodalitas*, ſub Roſei Præſulis induſtria, honori Sanctiſſimi Chriſti in terris Nutritij ampliſſimè excrevit. Commendant porrò Griſſovium *pietas Lauretana*, & *Via Crucis*, vel heterodoxis venerabilis. Coluntur etiam hôc locô inſignia fragmenta de Societate Divæ Urſulæ. Præter Sodalitium Joſephinum Griſſovij pariter florent, primò quidem *Scapularis Carmelitani* Mariana Religio, ac ſecundò *S. Michaëlis Archangeli Congregatio*, quæ poſterior nuper à Sereniſſimo Electore Colonienſi primitùs inſtituta, deinceps per viam participij pijſſimâ æmulatione huc perlata eſt. Habent deinde *Divi XIV. Auxiliatores* in Ullersdorff, Griſſovienſium pago, cultum celeberrimum, qui per frequentia prodigia indies ampliùs inclareſcit. Par devotio (quod quidem ob materiæ ſimilitudinem incidenter hìc noto) erga eoſdem Sanctos viget in Langheimenſis noſtri Monaſterij ditione apud Francones, ubi noſtrorum ductu ac adminiſtratione Divorum Auxiliatorum Sacellum, à Nicolao V. Pontifice Maximo, indulgentijs donatum, magnô fidelium ardore frequentatur. Hodie Griſſovio digniſsimè præſidet Reverendiſsimus D. D. *Dominicus*, nuper è domeſtica Scholarum cathedra aſſumptus ad Abbatialia gubernacula, cui portentoſam illam Divi *Dominici* Patriarchæ *faculam* per calida vota mea in omen acendo, quâ Ciſtercium, quâ Griſſovium diu ac feliciter illuſtret!

TREBNICIUM.

TRebnicium, Partheno Ciſtercius apud Sileſios, tribus à Wratislavia milliaribus diſtans, Divæ Hedvvigis, & Henrici Barbati, Sileſiæ Ducum celebre opus, initia ſua refert ad Annum Chriſti 1203. Jongelinus in *Notit: Abbat: Lib:* 5. *pag.* 67. adſcribit prima fundationis auſpicia Ducis voto, quod eô locô, in palude unà cum equo, cui inſidebat, propè abſorptus, Cœlitibus in opem evocatis emiſerat. Quanquam Manriqueus ad annum 1203. *cap.* 7. *n.* 8. citans pro ſe *Cromerum*, aſſerat, Henricum Ducem Hedvvigis rogatu, *inſigne illud opus, & verè Regium Trebnicenſis Cœnobij* aggreſſum eſſe. Porrò, quantum ego quidem exiſtimo, Ducis votum, & Hedvvigis preces rectiſsimè componi poterunt; quid namque obſtat, quò minùs Maritum dicatur ſtimulâſſe Princeps Sancta, ut ſcilicèt DEO redderet, quod voviſſet, & fortè ampliùs redderet, quàm voviſſet? Adeóque ſi ad voti acceleratam executionem, atque etiam fortaſſe exceſſum attendamus, utrumque ad Hedvvigem referendum eſt, quæ Conjugem jam votô obſtrictum per adjectos à ſe ſtimulos inſtantiùs impulit, ut eò majori, quàm fortè propoſuerat, ſtructurarum ac reddituum amplitudine illuſtre id Cœnobium auſpicaretur. Domûs etymon nonnulli trahunt ex eo, quòd primæ Ciſterciæ Virgines Duci Fundatori, quærenti, an aliquâ adhuc re indigerent, Polonicô idiomate reſponderint: *Trzebanic*, ſeu *Trzebanycza*, quod idem ſonat, ac, *nullius indigens.* Verùm Manriqueus rectiùs Cœnobij nomen ad oppidum refert, quod jam antiquitùs dictum, *Trebnicum*, poſtea noſtris donatum, fundando ibidem Parthenoni, ſimilem nuncupationem dare potuit. Neque per ſolas preces, quibus Maritum perurſit ad Cœnobij fundationem, Confundatricis prærogativam Hedvvigis meruit; verùm etiam, *quòd indulgente Virô* (utì ſcribit *Cromerus* apud cit: Angelum, ad annum 1203. *c.* 7. *n.* 8.) *illi Monaſterio oppidum ipſum, Trebnicium, & complures pagos ſuos dotales addixerit, ità ut in mille hominum alimenta redditus ejus ſuffecturi eſſe viderentur.* Parthenonis novi tutela, poſt DEUM, commendata DEIparæ Virgini, ac Divo *Bartholomæo* Apoſtolo. Prima virginea cohors advoca-

adνocata Bambergâ ex Franconia, ubi Ekembertus, ſive Erimbertus Divæ Hedvvigis Frater Germanus, Epiſcopales honores tum obtinebat, ſub prima Ciſtercij agminis Antiſtita, *Petruſa*, Viragine præſtanti, futura deinceps Sanctæ Principis in ſpiritu Magiſtra. Anni omninò quindecim conſumpti in erigenda Cœnobij Fabrica, per quod tempus optima Princeps facinoroſos per leges alioquin ad ſupplicia condemnandos non alijs paſſa eſt mulctari pœnis, quàm ut operam ſuam locarent promovendæ alacriter Trebnicenſi ſtructuræ, morâ laboris ijſdem injuncti ſeu minori ſeu majori diſtinguens criminum qualitatem. Magnô numerô Regiæ ex Polonia, Principes ex Sileſia Virgines hoc in loco ſub Ciſtercij vexillis militârunt, è quarum ſerie *B. Gertrudis* extitit, Divæ Hedvvigis filia, ſecunda Domûs Antiſtita. Quantis autem reverentiæ argumentis Sancta Princeps alumnas ſuas Trebnicenſes, eô præſertim tempore, quô ipſis intra clauſtrum convixit, proſecuta ſit, inſinuatum mox fuit ſupra, ubi de Lubenſi Cœnobio diſſeruimus: quibus addendæ hæ lineæ: quòd *ſororibus quoque* (Trebnicenſibus ſcilicèt) *comedentibus, in choro adiverit loca, in quibus illa ſtare ſolebant, & ſingulis oſcula infixerit. Itémque ad dormitorium earum aſcendens, omnes gradus, per quos illa aſcendebant, ſcabella quoque ante lectos earum poſita, mirâ humilitate, & animi devotione exoſculata ſit: quippe quæ ſanctum putaret, quidquid tetigiſſent illa ſanctimoniales.* Precanti aliquando in Choro Principi Crucifixus Salvator è ligno dextram reſolvens, benedictionis beneficium, inter hæc verba, impertitus eſt: *Exaudita eſt oratio tua; impetrabis ea, quæ petiiſti.* Quod fuerit tunc precum argumentum Sanctiſſimæ Oratricis, innuit auctor vitæ, cit: apud Manriqueum ad annum 1235. *c.* 8. *n.* 7. *conſervatio* ſcilicèt *ſanctitatis ſanctimonialium* in ſuo Trebnicio. Quâ maternâ ſolicitudine futuræ loci felicitati quàm optimè proſpexit. Et quídni adhuc, & quidem ampliùs in cælis pro Domo ſua nunc peroret ſancta & efficax precatrix? Illud inter cætera memorabile, quòd à diebus S. Hedvvigis uſque in tempus præſens nulli ſylveſtres anſeres in Cœnobij fundo conſiſtere ſoleant, exeſſe olim juſſi Divæ Principis imperiô. Cùm namque aliquando Virgines Sorores apud Sanctam querularentur de damnis, quæ noxiæ illæ volucres Monaſterij ſegetibus intuliſſent, imperiô illicò exegit importuna anſerum agmina,

Apud Surium cap. 2.

na, nunquam deinceps illuc reverſura. Fundatores ambo, *Henricus* nempe, & *Diva Hedwigis* in Parthenonis Eccleſia conquieſcunt: altiori quidem loculô repoſita Princeps ſancta, Sileſiam, quâ parte ſana eſt à Lutheri morbo & dogmate, ſibi habet inter vota & anathemata devotiſſimè obſequioſam. Hodie loci iſtius celeberrimi clavum Abbatialem tenet Digniſſima Virginum Antiſtita D. D. *Cunegundis Kawetzka*, in cujus inclytam tam Perſonam, quàm concreditam Congregationem, favores plenis manibus quàm uberrimè, ac ſinè fine deſuper profundat Diva Thaumaturga Fundatrix, pro Trebnicio ſuo adhuc & quàm maximè, maternis curis è cælis ſolicita!

PRÆPOSITURA HIRSCHBERGENSIS, *ſeu*, in Warm-Brunn.

IN ſalubribus Sileſiæ Thermis, Ducatûs Jaurovienſis, quas à vicino oppido *Hirſcherga*, Hirſchbergenſes appellamus, ubi duo exiliunt calentes Fontes, quorum alter ad Cæſarem, alter ad Griſſovienſe Cœnobium pertinet, Præpoſituram olim Annô 1403 pro Ciſtercienſibus perpetuò è Griſſovio evocandis fundaverat Nobilis Miles Gotſche-Schaaff (ſic habet Jongelinus) cujus fortè Poſteri hodie inversô vocabulô ſub Illuſtriſsimo charactere ſupereſſe videntur, Comites de Schaffgotſch. Fundationis primitiæ pro 4. Religioſis, & quinto, qui ſub Præpoſiti nomine cæteris præſideret, inſtitutæ ſunt. Hodie, quod ſciam, auctiori numerô Religioſi duodecim ſub Priore locum incolunt, ſinguli per vices è Griſſovio aſſumpti. Situs loci perquam amænus eſt, atque ab aëris innoxij prærogativam ſaluber: alluitúrque à piſcifero amne *Zake*. In propinquo ad jactum lapidis celeberrimi illi Montes, quos *Riphæos*, vulgò Rieſen-Gebierge appellamus, vaſtiſsimâ mole ſeſe in ſublime erigunt, atque ingenti dorsô longiſsimè ſe extendunt. Famoſum in ijs ſpectrum, vulgò Rieben-Zahl / Prothei inſtar variâ ſcenâ ac figurâ, aut terret, aut fallit, ludítque illac tranſeuntes.

MO-

MONASTERIA CISTERCIENSIUM IN REGNO HUNGARIÆ.

HUNGARIA ex eo potiſſimùm connexa cum Familia Melliflua, quòd Marianis utraque auſpicijs ſit fortunata. Utramque cum Alma Parente colligavit *Stephanus*: Hungariam quidem *Stephanus Rex*, primus Hungarorum Princeps Chriſtianus: Ciſtercium *Stephanus Abbas*, primus Ciſtercienſium Generalis: uterque Sanctus, & inter Cælites adſcriptus. Et quemadmodum Ordo Ciſtercius in Occidentalibus plagis inter cæteros ſacros Ordines primus fuit, peculiari DEIparæ tutelâ glorioſus, ita & Hungaria præ alijs Chriſtianis Regnis præcipuâ gaudet Mariani Patrocinij prærogativâ. Per Eccleſiæ porrò ſuffragia Mellifluus *Bernardus*, atque præmemoratus Inclytus Rex, Divus *Stephanus* retroactis ætatibus, unâ eâdémque *vigeſimâ die Auguſti* in annuis ſuis ſolemnijs ſtabant conjuncti, donec nuper Innocentius XI. Pontifex Maximus peculiares honores procuraturus Regi Apoſtolico, ejus feſtum à præfata die transtuliſſet in 2dam Septembris, ob Budam, Regiam Hungariæ ſedem illâ ipsâ die per Chriſtiana arma à Turcis vindicatam. Neque ſic Bernardum à Stephano diviſit Innocentius: ſolam namque fecit feſtorum diviſionem, non Sancti à Sancto, Abbatis à Rege: qui ſcilicèt per decreta Anteceſſorum Pontificum, ſolemnium ſuorum ſimultate olim confœderati, Apoſtolicis vinculis tam in ſe, quàm clientibus, filiíſque ſuis nunquam non erunt deinceps ad invicem ſibi conjuncti. Atque hæc quidem de Regis ſancti, atque Mellifui Ciſtercij vinculis. Primus Ciſtercium in Hungariam introduxit Bela IIdus Rex, datis, ad Bernardum Parentem literis, quibus colonias è Clara-Valle petijt, atque obtinuit, extructô pro ijs Cœ-

nobiô, *Topolszkâ*, Annô Domini 1135. Jongelinus in *Notit: Abbat: Ciſt: Lib:* 4. *pag:* 42: atque etiam Malachias Roſenthal, Campi-Liliorum in Auſtria Profeſſus, in *Actione* pro recuperandis noſtris in Hungaria Monaſterijs (de qua ſtatim) ijſdem quaſi verbis recenſent ſeriem Cœnobiorum Ordinis Ciſtercienſis apud Hungaros: niſi quòd Roſenthalius ſub finem *Borsmonoſtra* addiderit, quod Jongelinus omiſerat: In enumerandis cæteris uterque pro ſe citat Diæceſanæ Synodi Strigonienſis, ſub auſpicijs Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis, & Strigonienſium Archi-Epiſcopi, Petri Pazmani, Annô 1629 Poſnonij habitæ decreta: in quibus univerſalis Cathalogus congeſtus eſt omnium Cœnobiorum, non unius tantummodò Ciſtercij, verùm aliorum etiam Ordinum, quæ olim ſub Hungariæ atque Religionis orthodoxæ ætatem floridam ibidem extiterint. Et quidem hanc ipſam ſeriem, in qua ſummatim duntaxat Monaſteriorum numerus inſinuatur, mihi inter reliquas notitias ex Hilarienſi Auſtriæ Cœnobio tranſcriptam, hìc exhibeo. Fuerunt igitur olim in Hungaria

Abbatiæ Ordinis S. Benedicti - - - - -	51.
Ordinis Ciſtercienſis in Hungaria & Sclavonia - -	38.
Abbatiæ incerti Ordinis - - - -	22.
Præpoſituræ Ord: Canonicorum Regularium S. Auguſtini	4.
Præpoſituræ Præmonſtratenſium - - -	51.
Ord: Canonic: S. Sepulcri Hieroſolymit: vulgò Crucif: ſub reg: S. Auguſtini - - - - - -	3.
Præpoſituræ, incertum, num Regulares, an Sæculares, & ſi Regulares, incertum, cujus Ordinis - - -	6.
Carthuſianorum Domus ſeu Monaſteria - -	4.
Crucigeri S. Joan: Hieroſolymitani, olim Hoſpitalarij vocati, pòſt Equites Rhodenſes, nunc Melitenſes dicti, Prioratus, ſeu etiam Præceptoratus ſub Corona Hungariæ habuêre	36.
Guillelmitæ Monaſteria. - - - - -	2.
Dominicani Conventus. - - - -	30
Ord: S. Franciſci. - - - -	142.
Ord: S. Pauli Primi Eremitæ. - - -	100
Ord: Eremitarum S. Auguſtini. - - -	15
Incerti rurſum Ordinis Monaſteria. - -	34.
Summa Monaſteriorum. -	538.

Præter illa, quæ habebant alij Ordines, ac præter Præpoſituras ſæculares. Denique his verbis claudit illam Appendicem præfatus Cardinalis, fol: 130: *Hoc eſt, amice Lector*, inquiens, *fragmentum Religioſorum Domiciliorum, quod eruere potui ex hac ſylveſcentis ruinæ maceria. Me quidem certè ſola recordatio pulcherrimi Statûs Patriæ dulciſſimæ reficit. Quid enim vel ad aſpectum jucundius, vel ad ſecuritatem tutius eſſe potuit, quàm videre tot caſtrorum acies ordinatas, pro ſalute Hungariæ excubantes, quot fuêre Religioſorum Cœnobia? Hi nimirùm oratione, lachrymis, jejuniis, & omnibus vitæ Religioſæ exercitationibus, DEI favorem impetrabant, iram avertebant, murum ſe pro Domo DEI opponebant. Ita in pulchritudine pacis, in requie opulenta, in protectione DEI Cæli commorabatur gens noſtra. Nunc, proh dolor! diſſipatis lapidibus Sanctuarii, pulſis Religioſorum Virorum examinibus, deſtructis Monaſteriis, migravit unà DEI favor, ac indignatio Omnipotentis, innumeris cladibus, tanto cum ſæculi tractu, Patriam hanc merſit, & adhuc manus Ejus extenta. Rogemus omnes, quæ ad pacem ſunt Patriæ, ac ut juxta dies priſtinos fiat nobis, DEI præpotentis clementiam exoremus.* Hæc Eminentiſſimus ille, & nunquam ſatis laudandæ memoriæ S. R. E. Cardinalis. Ubi quidem id noto, citatos Jongelinum & Roſenthalium, quoad Ciſtercium non attingere numerum, quem communicata mox ſeries inſinuaverat; prior namque 28, alter 29 Cœnobia Ciſtercienſium de nomine memorat, cum tamen Summarius ille M. S. Cathalogus 38. Domos noſtras in Hungaria fuiſſe aſſerat; Addit nihilominùs Roſenthalius, poſt allegatam Cœnobiorum ſeriem, conjecturam probabilem, quâ numerum per hæc verba altiùs effert: *Multa* nempe *adhuc alia Monaſteriorum noſtrorum nomina, unà cum ædificijs, ſuis ſepulta jacere cineribus*: & eam quidem conjecturam ſic fundat: quòd ſcilicèt ea ferè ſolùm Ciſtercienſium Monaſteria paſſim recenſeantur, quæ ad Galliæ, Germaniæque Cœnobia, colonias ſuas, atque initia referunt, è quorum archivis eorundem notitiæ erutæ ſunt, atque comportatæ: Unde ſubdit: *Quis enim credat, non plures multò Religioſos novis Conventibus conſtituendis ex ipſa Patria delectos, adhibitóſque eſſe, quàm aliunde accerſitos, in ea præſertim natione, quæ niſi DEI, aut Virginis Matris honor exigat, parciſſimè cæteroquin exteros in membra cooptare ſolet?* Atque hæc ipſa ſanè res præ cæteris dolenda nobis ampliùs, quòd ſcilicèt ex una fermè Hungaria nulli prope

pè Faſti de Ciſtercio Poſteros doceant, quid Anteceſſores piiſſimi pro Eccleſiæ, Patriæque emolumento aliquando præſtiterint; cùm tamen id ſolatium aliæ Chriſtiani Orbis plagæ nobis utcunque exhibeant, ut, quamvis per hæreſes ac bella inde ejecti, mæſti nunc reſpiciamus à tergo amiſſos Penates; chara nihilominùs Sociorum nomina, atque egregia eorundem facinora ad nos perlata, dolorem illum, non modica ex parte diminuant. In ſola Hungaria ſilent propè omnia, quandoquidem de Cœnobijs, atque etiam de Viris, qui intra Cœnobia floruerint, tenuis admodum reſtet notitia. Calamitatum noſtrarum fontes, bellum & hæreſis: Verùm ampliùs hæreſis Ciſtercio nocuit; quoniam poſt bella, Principum favore, iterum iterúmque reſpiratum à noſtris; at verò cùm primùm hæreſis intra Regni viſcera cæpiſſet infeliciter nidulari, ab eo mox tempore, convulſæ ipſæ Cœnobiorum compages, atque impuſæ ad ruinam, jacuêre deinceps ſinè fulcro, ſinè medio deſolatæ. Hodie tamen, Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi auſpicijs ſpes ingentes adfulgent, ut Ciſtercius, aliíque Ordines Sacri poſtliminiò in Hungaria caput attollant, ſeſéque in Domos, quas olim amiſerant, nunc rursùs immittant. Quod dum illi faciunt, nos interea è communi naufragio relictas tabulas, id eſt, modicas Cœnobiorum noſtrorum memorias, ac nuda penè vocabula inſpiciamus, eô nempe ordine, quô in ijs recenſendis uſi fuêre præcitati Jongelinus ac Roſenthalius: quorum ferè verbis, præter paucula è Manriqueo addita, hìc loquemur.

TOPOLSZKA,
In Diœceſi Zagrabienſi.

TOpolszka, alijs *Toplicza*, Cœnobium lineæ Claræ-Vallenſis, initium ſumpſit Annô Domini 1135.

ZIKADOR,
In Diœceſi Quinque-Eccleſienſi.

ZIkador, Monaſterium olim magnificum, ac opulentum, fundatum Annô reparatæ Salutis 1142: aſſumptis primis

cum

cum Abbate Monachis ex celeberrimo Monaſterio Sanctæ Crucis in Auſtria, de linea Morimundi. Manriqueus ad annum 1236. *cap.* 3. *n.* 10. Abbatem de Cikador ſemel iterúmque à *Gregorio* XI. Pontifice, *cum plena Legati poteſtate*, miſſum perhibet ad Colomanum, Ruthenorum Regem, Fratrem germanum Belæ Regis Hungarorum, Templarijs, atque Hoſpitalarijs oppidò infenſum ac infeſtum. Præterea Abbati de Cicador, unà cum Epiſcopo Cenadienſi injuncta eſt ab eodem *Gregorio* Papa inquiſitio ſuper vita, & miraculis Venerabilis Antiſtitis *Lucæ*, Strigonienſium Archi-Epiſcopi, quemadmodum refert idem Manriqueus ad 1231. *cap.* 6. *n.* 5. & 6. ubi etiam literas Apoſtolicas recitat.

CASA-NOVA,
In Diœc: Strigonienſi. Gran.

DE hoc Cœnobio nihil invenire hactenùs potui, nisì fundationis annum, quem eſſe volunt Chriſti 1150. Tres alias *Caſas-Novas* Ordinis Ciſtercienſis memorat Manriqueus noſter: duas quidem ad annum 1150. *c.* 11. *n.* 3. alteram nempe in Calabria Diœceſis Pennenſis, filiam S. Anaſtaſij, alteram in Lombardia, Diœceſis Parmenſis, filiam Tilati: Tertiæ meminit ad annum 1195. *c.* 5. *n.* 9, fundatæ in Provincia, *Provence*, Galliæ Comitatu.

BELÆ-FONS,
In Diœc: Veſprinienſi.

BElæ-Fons, ſive Bellus-Fons, initia ſua refert ad annum Domini 1152, Filia Cœnobij, Trium Fontium in Campania Galliæ, de linea Claræ-Vallis.

BOCCONIUM,
In Diœc: Veſprin:

BOcconium, Ungaris vulgò Boccon, alijs Buctati, celebris olim Abbatia, filia Claræ-Vallis, fundatur Annô Do-

mini 1182. Cujus Abbati N. ſcribit Innocentius Papa III. *cap. de pœna eorum, qui crimen falſi commiſerunt*, Porrò Honorius III Pontifex Epiſcopo Veſprinienſi, & Abbati de Bochin, ſive Boccon Annô 1218. negotium impoſuit, inquirendi de vita & moribus Epiſcopi Varadienſis, apud Sedem Apoſtolicam malè delati.

S. GOTHARDI, *vulgò*, GOTHO, *In Diœc: Jaurinienſi, Raab.*

SAncti Gothardi Abbatia, ſita in comitatu Poſegano, ſeu Caſtri-Ferrei, dicta vulgò ab incolis *Gotho*, fundatur Annô 1183, cujus Cœnobij Abbas Annô 1460 reperitur Henricus Schollius, aſſumptus ex Ebracenſi in Franconia Cœnobio. Primi Monachi ad hunc locum venerunt ex Monaſterio Trium-Fontium, quod eſt Diœceſis Catalaunenſis in Regno Galliæ, de linea Claræ-Vallis.

PELISIUM, *Pelis*, *In Diœc: Veſprinienſi.*

PEliſium, alijs, Pelinum, Ungaris Piletz, vel Pelis, filia Monaſterij de Aceyo in Comitatu Burgundiæ, de linea Claræ-Vallis, fundatur Annô Domini 1184, non longè ab Urbe Vicegrado, in eóque ſepelitur Gertrudis, Ungariæ Regina, Andreæ, Secundi, cognomentô Hieroſolymitani uxor, à Bancbano Satrapa, ſeu Vice-Rege interempta: quam hiſtoriam plerique referunt rerum Ungaricarum Scriptores, quos curioſus Lector adire poterit. Annô Domini 1460, huic loco Abbas præfuit R. D. Jodocus Roſnerus, aſſumptus ex Ebracenſi in Franconia Cœnobio, qui quoque Ordinis Ciſtercienſis per inferiorem Pannoniam extitit Commiſſarius ſeu Reformator. Item Abbatis cujuſdam hujus Monaſterij, ſed anonymi epitaphium legitur in Eccleſia Abbatiæ S. Crucis in Auſtria: ex cujus contextu colligitur, illum fuiſſe Ferdinandi I

Eleemoſynarium, poſt everſum à Turcis Monaſterium. Reperio quoque in Hungaria extitiſſe Monaſterium *Vallis-Paradiſi*, ab incolis *Piletz*, indigetatum, quod an idem ſit cum eo, de quo jam egimus, necdum comperi. Hæc totidem verbis Jongelinus & Roſenthalius. Cæterùm quamvis Peliſij Fundator non conſtet; dotatorem tamen memorat Manriqueus ad annum 1184, *cap.* 6. *n.* 12, Andream Hungariæ Regem, qui cùm interfuiſſet Cœnobij dedicationi, in dotem conceſſit centum argenti marcas, annuè Peliſienſibus pendendas: quam Regiam dotem deinceps confirmavit Gregorius Papa X, de dato, Viterbij, 6 idus Februarij, Pontificatûs ſui Annô nonô. Eundem etiam Gregorium Pontificem aliam præterea epiſtolam Abbati de Peliſio ſcripſiſſe refert *cit: Angelus*, quartô Kal: Aprilis: Itémque literas alias Innocentium IV, 15. Kal: Martij, & 14 Kal: Novembris, Annô 10: atque rursùs alias Urbanum IV, 15. Kalend: Octobris, & 12 Kalend: Septembris, Annô 3^tiô. Porrò Manriqueus ad annum 1231. *c.* 6. *n.* 7. perhibet, Abbatem Vallis-Paradiſi, & Epiſcopum Zamorenſem cum legationis charactere miſſos fuiſſe à Gregorio IX Papa, ad Sanctium, Portugalliæ Regem: atque Vallem-Paradiſi etiam dici Cœnobium de *Peleis*, ibidem aſſerit. Verùm illa noſtra Paradiſi Vallis Monaſterium eſt in Regno Caſtiliæ Diæceſis Zamorenſis, cui, neſcio, utrum alterum illud vocabulum, *Peleis*, aptari poſſit. Cœnobium *Peleis*, ſive *Peliſienſe* extitiſſe in Hungaria, aſſerunt hiſtorici, *Vallem-Paradiſi* adhuc extare in Caſtilia, dies ipſa loquitur, atque commiſſionem illam Pontificiam factam eſſe Abbati Hiſpano, non Pannonico, evincitur ex ipſa legationis circumſtantia: quô igitur pactô Vallis-Paradiſi Hiſpanica dicta fuerit Peleis, aut Peliſium Hungaricum nuncupatum ſit Vallis-Paradiſi, doceri cupio.

PASTRO, *in Diæceſi Agrienſi.*

ABbatiam de Paſtro, fundatam aſſerunt Annô Domini 1290. Flia eſt Peliſij. Invenio quoque alibi appellari *Paraſluck*, & *Paſtbuk*. Atque hoc ipſum Cœnobium Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus Ciſtercienſi Ordini nuper clementiſſimè reſtitui fecit, pro quo inſigni & Auſtriaco favore Capitulum noſtrum

Generale apud Ciſtercium Annô ſuperiore celebratum, *Seſſ.* 20 ſeſe Sacræ Majeſtati Cæſareæ obligatiſſimum recognovit, gratiáſque devotiſſimas retulit.

MONS S. MARIÆ.
in Diœc: Quinque-Eccleſienſi.

MOns S. Mariæ, vulgò Sant-Marienberg, filia Monaſterij S. Crucis in Auſtria, de Linea Morimundi, exordium ſumpſit Annô Domini 1197, alijs 1198.

DE LUCENTIA,
in Diœc: Colocenſi.

HAnc Abbatiam fundatam volunt Annô 1198. Eſt de linea Claræ-Vallis.

ZIRCH, *ſive* CIRCZ,
in Diœceſi Veſprinienſi.

ZIrch, vel Circenſis Abbatia, fundatur Annô Domini 1198. Cujus loci Abbati N, ſcribens Papa Innocentius III, ei cauſam committit inter Epiſcopum Quinque-Eccleſienſem, & Abbatem de Felduar, datô diplomate Laterani, 3. Kal: Februarij, Pontificatûs ſui annô 1, hoc eſt Chriſti 1199. Manriqueus ad annum 1230, *cap.* 6. *n.* 8. refert, à Gregorio IX per literas Apoſtolicas demandatum fuiſſe proceſſum Canonizationis *B. Virgilij*, Salisburgenſis Archi-Epiſcopi, duobus è Ciſtercio Abbatibus, S. Crucis in Auſtria, & de Cirejo, ſive de Circh in Hungaria. Et hæc eſt altera Abbatia, de qua ſupra, cùm de Monaſterio Henrichovienſi in Sileſia egimus, quam hodie Ordini reſtitutam gratulamur, à Reverendiſſimo D. Sigiſmundo Abbate de Campo-Liliorum per viam tranſactionis extraditam Reverendiſſimo D. Henrico, Henrichovienſium Abbati, & Sileſiarum Viſitatori.

EGRES, *in Diœceſi Chanadienſi.*

EGres, Cœnobium olim ſplendidum, ac magnificum, initia ſua refert ad annum Domini 1200, ſub primo Abbate Domino Hugone, qui antea fuerat octavus Abbas Monaſterij Caricampenſis in Belgio. Primi Monachi ad hunc locum miſſi venerunt ex Monaſterio Pontigniacenſi in Regno Galliæ. Hìc autem inter alios ſuperbô Mauſolæô ſepelitur Andreas, Ungariæ Rex, cognomentô Hieroſolymitanus, hujus loci Fundator, qui obijt Annô 1235. Vaſtatum ac miſerè direptum fuit hoc Cœnobium per irruentes Tartaros, ſub Duce eorum Cadanô, cùm Bela Andreæ Fundatoris filius, Hungariæ ſceptra teneret. Quatuor hujus Cœnobij filias adducit Manriqueus ad annum 1179, *cap.* 7. *n.* 10, *Eremum*, *Sanctam Crucem*, *Orles*, & *Landolam*: priores duas intra Hungariæ gremium, poſteriores alteras extra Hungariam. Vocabulum Monaſterij *de Egris* memorari frequentiſſimè in literis Innocentij IV Papæ, multis & gravibus cauſis Abbati loci injunctis, aſſerit præcit: Angelus, ubi & ſubdit: *ut non immeritò liceat conjectari*, Abbatem illum *inſignem Virum pietate*, *doctrinâque extitiſſe*, *cui tot*, *ac tanta negotia à Petri Succeſſore committerentur.* Porrò ad annum 1236. *cap.* 3. *n.* 9. idem Manriqueus literas recitat, quas *Gregorius* IX ad Belam Hungariæ Regem dederat ſuper Cœnobij iſtius reſtitutione in integrum, quod nonnullis poſſeſſionib9 exuerat Rex: eam autem tunc epiſtolam commiſerat Papa ipſi Abbati de Egris, extradendam Belæ: *quem vel offenſum* (utì aſſerit Angelus) *revereretur Rex : & eô visô & auditô, nihil omninò poſſet recuſare.*

SANCTÆ-CRUCIS, *In Diœceſi Quinque-Eccleſienſi.*

SAnctæ Crucis Cœnobium, Germanis Heyligen-Creutz, filia Egres, initium habuit Annô 1201, vel, ùt alij non improbabiliter, Annô 1244. Cujus loci Abbas Abbas Annô 1460 extitit R D. Joannes Polyeus, S.T. Profeſſor Eximius, Ordinem Ciſtercienſem in Ebracenſi Franconiæ Cœnobio profeſſus.

DE PETRI, *In Diœc: Varadinenſi.*

ABbatia *de Petri* fundata legitur Annô 1202, in Comitatu Valko, de qua præterea nihil.

DE CANDELIS, *vulgò Chaunic, in Diœc: Strigonienſi.*

DE *Candelis*, Ungaricè Chaunik, vel Schaunig, Abbatia lineæ Pontigniacenſis, fundatur Annô Domini 1216, in Comitatu Scepuſienſi.

ZAM, *in Diœc: Veſprinienſi.*

ABbatia de *Zam*, aliàs *Nam*, fundatur Annô Domini 1219, de qua nihil aliud habere hactenùs potui.

TRIUM-FONTIUM, *de Beel, in Diœc: Agrienſi.*

ABbatia Trium-Fontium, vulgò de *Beel*, apud Cumanos, fundatur Annô Chriſti 1232.

VALLIS-HONESTA, *in Diœceſi Veſprinienſi.*

VAllis-Honeſta, filia Bocconij, ſub Clara-Valle, fundatur Annô Domini 1232.

DE PORNO, *in Diœceſi Veſprinienſi.*

DE Porno, ſive *Bernaw*, filia Trium-Fontium de linea Claræ-Vallis, fundatur Annô Domini 1235.

KIERS, *in Diœceſi Chanadienſi.*

ABbatia de Kiers, ſive Kors, filia Egres, de linea Pontigniaci, fundatur Annô Domini 1239.

ER-

ERCHI, *in Diœc: Veſprinienſi.*

ABbatia de Erchi, ſita in Comitatu Albenſi, fundatur circa Annum Domini 1260, à Thoma Palatino Ungariæ, quam poſtea Annô 1499 poſſederunt Eremitæ S. Auguſtini.

ABRAM, *in Diœc: Colocenſi.*

COEnobium de *Abram*, ſive *Abraham*, ſitum in Comitatu Bodrogienſi, fundat Moyſes Palatinus Ungariæ, ejúſque Frater Comes Alexander, circa Annum Domini 1270. Filia Claræ-Vallis.

Sequuntur ABBATIÆ ORDINIS CISTERCIENSIS, ſitæ in Regno HUNGARIÆ, quarum Diæceſès ignorantur.

S. MARIÆ in Scepuſio, fundatur Annô 1222.

CAMPUS STRIGONIENSIS, & TEG TISIBODI, fundantur Annô 1269.

S HELENÆ in Sclavonia fundatur Annô 1270.

S. Jacobi, in Inſula Danubij fundatur Annô 1274.

S. MARIÆ in *Regali-Loco*, fundatur Annô 1282.

S. MICHAELIS, in Inſula B. Virginis juxta Budam viguit Annô 1302.

BORSMONOSTRA: de quo Scriptor Iſtuanfiu. Doluêre Ungariæ Proceres, ſub Maximiliano Imperatore, *Decret: Poſon: Annô* 1567, *artic*: 31. ſuper hoc poſteriori Cœnobio, quòd *unà cum alijs in manibus ſæcularium perſonarum hæreret.* Et quidem, quod ſciam, omnia apud Hungaros Ciſtercienſium Cœnobia per temporum intervalla, tum verò vel maximè, cùm Heterodoxi ibidem invaluiſſent, Ordini exciderunt: è quibus duo illa, *Paſtrenſe* atque *Zircenſe* Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi favore nunc noſtris reſtituta fuêre: qui favor utinam! ſit Reverendiſſimis Præſulibus noſtris pro ſtimulo, ut ſub *tempus* hoc *acceptabile* plura in Hungaria audeant, plura efficiant, DEIparæ certè inſigne obſequium præſtituri, ſi caſtris ſuis, Ciſtercij Cœnobijs, olim exutam, nunc rursùs reponant in ſedes priſtinas!

Cæterùm Annô 1649, inſtituta eſt *Actio Ordinis Ciſtercienſis* in ea Monaſteria avita, quæ ab alijs ſinè legitima conceſſione ſunt occupata, deductáque coram Auguſtiſſimo Cæſare Ferdinando III, ceu Rege Apoſtolico, & Illuſtriſſimis Ungariæ Proceribus, pro Mariani Ordinis Cœnobijs in Regno Mariano recuperandis, cauſam dicente, ex Reverendiſſimi D. Cornelij, Abbatis Campi-Lilienſis, ac totius Ordinis Commiſſarij Generalis delegatione, R. P. Malachiâ Roſenthal, SS. Theologiæ Baccalaureô, de Campo Liliorum Profeſsô: quô autem tunc effectu, ignoro. Typis vulgata eſt ea ipſa Roſenthalij Actio, opus quidem mole parvum, ſed præclarâ eruditione refertum, in cujus epiſtola dedicatoria Hungariæ Primores, quà Mariani Regni alumnos inſigniter ſtimulat ad revocandos Ciſtercienſes, quà Mariæ præcipuos clientes; *Virginem enim*, ait ille, *non totam recipitis, ſi partem ejus animæ, Bernardum ſubmovetis*: adducítque ibidem ex *Abraham Bzov*: in *Annal: Eccleſ:* ad *annum* 1209. *n.* 8. fatale nonnullorum exitium, qui Cœnobium quoddam Ciſtercienſe Ordini ſubtrahere connitebantur, contra quos offenſa Virgo appellavit ad Filij tribunal, amarô queſtu ſententiam perurgens, ex eo nempe, *quòd in loco ſibi dicato non ſineretur quieſcere.* Et verò egit velutì ex officio, æquiſſimam Matris cauſam Salvator; omnes namque illi infeliciſſimâ morte extincti, luerunt pœnas, quas DEIpara pro Ciſtercio advocata, à Filio exoraverat. Porrò etiam 40. annis ante Roſenthalium, id eſt, Annô Chriſti 1609 Actionem ſimilem pro recuperandis Ordinis Cœnobijs adornaverat magnus Runenſium apud Styrios Præſul, Reverendiſſimus D. *Matthias*, per Styriam, vicinaſque Provincias Vicarius Generalis, cujus ope atque Apoſtolicô fervore ex illis plagis proſcriptam hæreſim, reductámque Orthodoxam Religionem, hodiedum gratulatur Catholica poſteritas. Et quidem etiam ante utrumque, *Matthiam* nempe & *Roſenthalium*, nunquam ſui incurius Ciſtercius Ordo, cùm ſcilicet pro temporum ratione potuit, ac debuit, pro Domo ſua per Hungariæ Regnum reſtauranda, induſtriè ſemper adlaboravit; tametſi laboris eventus non fuerit, quem noſtri ſperaverant, interciſus eheu! per bella, atque longiùs ſemper, longiúſque protractus. Roſenthalius in eo præcipuè eſt, ut nimirùm probet,

bet, Ciſterciam Familiam, *perfectam Rempublicam eſſe*; ab hac enim hypotheſi tota Actio pendet, quam ille procurandam ſuſcepit: ſcilicèt non eſſe ſingula Ciſtercienſium Cœnobia *ùt ſingula*, ità nempe, ut tota adminiſtrationis temporalis, ſeu œconomicæ facultas (de qua potiſſimùm controvertitur) in ſingulis abſolvatur, adeò ſi fortè contingeret Conventuales ſingulos de uno Cœnobio penitùs emori, ſimul etiam Cœnobium penitùs extingueretur, bonáque illius redderentur adeſpota, ac nemini de Ordine obnoxia; Verùm Monaſteria Ciſtercienſium ſic eſſe ſingula, ut ſimul tamen ſint reſpectiva ad generalia Ordinis gubernacula, tam ſtatum externum, quàm internum reſpicientia: quomodo ferè in ſubtili Scotiſtarum Schola, univerſalia naturæ prædicata ſic contrahuntur ad individuorum ſingularitates, ut tamen nec individuorum ſingularitates deſtruant naturæ univerſalitatem, neque naturæ univerſalitas pugnet cum individuorum ſingularitatibus. Ità ferè ad genium Scoti in Ciſtercio res ſe habet. Stat nimirùm ſingularitas Dominij, quam habent ſingula Cœnobia in ordine ad ſe, ſtat, inquam, illa, cum reſpectu ad generale Ordinis univerſi regimen: neque Monaſteria ideò deſinunt dicere ſubordinatum reſpectum ad communes ac generales Ordinis Faſces, quòd incipiant ſurgere, ac fundari pro individuis v.g. Petri Abbatis, cæterorúmque de hoc, vel illo Conventu, ùt fermè paſſim ſonant fundationum literæ; quoniam Fundatores optimi non aliter præſumuntur voluiſſe nobis conferre Cænobia, Domos, prædia, latifundia, quàm eô modô, quô nos poteramus illa è legibus Ordinis acceptare; non potuimus autem illa acceptare, niſì cum ſubordinatione ad ſuprema in Ordine gubernacula, ità quidem, ut Ordo cum perſonis, rebus, juribus Cænobiorum particularium, ſecundùm cauſæ æquitatem diſponere ſemper poſſit, prout ſtatim videbimus: Igitur in quibuſcunque tandem terminis fundationum inſtrumenta confecta ſint, manebit ſemper ſalva Ordini poteſtas in ſingula Cœnobia: ſiquidem ſi juxta leges Scholaſticas etiam hìc loqui placet, *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, non ad modum, arbitriúmve dantis, aut ſe ſuáve communicantis.

Percurrendus nunc eſt ſummariè Roſenthalij diſcurſus, quô probat, *Ciſtercienſium Familiam, Rempublicam eſſe.* Primum argumentum ille *part*: 1, *cap*: 1. ſumpſit à juriſdictione ac poteſtate Ordinis in ſubjecta Monaſteria, quæ poteſtas Ciſtercio congenita eſt, ac omninò conſubſtantialis, ità ut Ordinem convulſeris, ſi eam ſubordinationem, primam quippe Ordinis baſim, è Ciſtercio emovere contenderis. Inſpiciat, quæſo, Lector, Divi Stephani, primi Ciſtercienſium Generalis, atque cæterorum Coabbatum *Charitatis Chartam*, id eſt, Ciſtercij lapidem fundamentalem, cui primæ inſcriptæ leges, quibus excreſcentis tum Ciſtercij Domus, veluti palmites arctiſſimè colligarentur ad vitem, Archi-Cœnobium Ciſtercienſe, Ordinis Caput. Ità namque primitùs è Ciſtercio emittebantur Fratrum coloniæ, ut tamen nunquam cenſerentur erigi novæ Congregationes aut cœtus, ſed Congregationis prioris nova duntaxat domicilia. Et hinc *B.* noſter *Joachim Abbas*, atque ex eo Manriqueus ad annum 1119, *cap*: 4. *n.* 3. aliíque Viri eruditi analogiam regiminis inſtituunt inter Eccleſiam, ac Ciſtercium; Sicut namque à Supremo Eccleſiæ Capite in Quatuor Patriarchas defluit Vicaria poteſtas, atque ſubinde per Archi-Epiſcopos & Epiſcopos in ſubditos deſcendit: ità etiam, cæteris paribus, ſub primo Ciſtercij Capite, Generali, per Primos Quatuor linearum Abbates, veluti Patriarchas, ac deinceps per Cœnobiorum Patres immediatos, Progenerales ac Viſitatores, veluti Archi-Epiſcopos, & tandem per Abbates, veluti per Epiſcopos, regiminis Ciſtercij univerſitas adminiſtratur: *ut mirum non ſit*, ait Roſenthalius *cap: cit:*, *pleraque Religioſorum hominum Sodalitia formam regiminis à Ciſtercienſibus magnam partem mutuata eſſe.* Quòd ſi igitur aliæ Sacræ Familiæ Rempublicam conſtituunt, quídni & Ciſtercium, è cujus ideis alij Ordines Reipublicæ ectypon deſumpſerint? Quare aptiſſimè hìc reſumi poteſt illud, quod Divæ Mechtildi à Chriſto revelatum eſt, ideò nempè Mellifluum Bernardum, ejúſque Familiam dici *Eccleſia medium*, *quòd omnes Ordines hunc Ordinem in aliquo imitentur.*

In *cap*: 2. Auctor probat ampliſſimam poteſtatem Ordinis Ciſtercienſis in ſuos Abbates, ſive nunc, cùm per ſuffragia canonicè

nonicè eliguntur, ſive olim, cùm per arbitrium Præſidis, conſilij fraterni adminiculô inſtituerentur; in utraque enim temporis atque creationis Abbatialis differentia Ordinem noſtrum ſemper inconvulſum jus habuiſſe, Abbates confirmandi, corrigendi, deſtituendi, &c. In *cap.* 3. Ciſtercij dominatum explicat in ſubjectos Religioſos, & quidem fundatum ſuper baſes ac rationes ſequentes. Primò namque legibus, in Generalibus Ciſtercij Comitijs, condi ſolitis, ſtringi omnes & ſingulos, qui titulô profeſſionis Ciſtercienſe Inſtitutum præſeferunt. 2do Stare penès Superiores Ordinis poteſtatem, imperandi ſubditis migrationem de loco in locum, de Cœnobio in Cœnobium: cui obſtare haud poſſit *ſtabilitas*, quâ Ciſtercienſes in profeſſione ſe, ſuámque ubicationem unô duntaxat clauſtrô videantur circumſcribere; quandoquidem illa profitentis, ac ſeſe ſtabilientis reſtrictio aliud non operetur, quàm quòd veluti neceſſitatem ſibi profitens imponat, abſque juſſu Moderatorum loco non excedendi. Adducit ſubinde prolixè hanc in rem *Bernardi* Parentis verba atque exempla: poſt quæ ſubjungit *Cæſarij* noſtri ſententiam, Ciſtercij praxim poſt centum & ampliùs annos ab Ordine condito elapſos, liquidè exhibentem: *Talis eſt conſuetudo Ordinis Ciſtercienſis* (verba ſunt Cæſarij) *quatenùs eis, à quibus mittuntur, contradicere non liceat.* Homil. in Domin. 7. poſt Pentec. Eam poteſtatem etiam in Ciſtercio agnovit, cùm per literas Apoſtolicas illam approbavit *Pius II* Papa, in Conſtit: *Inter cæteros ordines*, relat: in ſerie privileg: apud Henriqueum, *privil:* 97, *ubi* hæc de Viſitatorum noſtrorum jurisdictione: *Perſonas ipſas ad alia ejuſdem Ordinis Monaſteria transferre, atque alias earum loco ſubſtituere, liberè & licitè valeant.* Et quamvis hodie Ordinis Patres eam mittendi facultatem fortè minùs exerceant, negari tamen ea non debet in radice, è qua tunc egreditur, cùm utilitas aliqua aut neceſſitas id ſvadet, aut exigit. Certè in Hiſpanijs vetera iſthæc jura recenti ſemper exercitiô hodiedum vigent, cùm noſtri non duntaxat per Regni illius Cœnobia, verùm etiam in Hiberniam, Angliam, aliáſque exteras plagas Superiorum imperiô, veluti in ſtationes diſpertiti, frequenter, obedientérque hucuſque ſoliti ſint excurrere. Apud Italos geminæ præterea Ciſtercienſium Congregationes ſeſe ad invicem eâ lege aſſociârunt, ut, quamvis ordinariâ ſtabilitate ad determinatam ſe

Domum obſtringant, migrandi tamen conſuetudinem, quoties Superioribs id viſum fuerit, in exercitium revocare voluerint, illud inſuper adjicientes: ut quiſquis ſolemniter alicubi Ordinem profeſſus ſit, eò ipsò cenſeri debeat membrum omnium illius Provinciæ Cœnobiorum. Germani, Galli, aliíque parciùs quidem hodie utuntur eâ miſſionum facultate, haud tamen integrè ab ea abſtinent, quoties nempe viderint, è re ſua eſſe, quempiam in aliud Ordinis domicilium transferendi. In *cap.* 4. Auctor adducit univerſalem Ordinis noſtri Dominationem in omnium & ſingulorum Religioſorum *Bona Spiritualia*, adeò ut nemo unus ſuam duntaxat ſibi gazam è meritis ac ſuffragijs ſuis implere valeat; verùm omnia, quæ meritoriè operatur, in communes velutì loculos conferre debeat, inde juxta Ordinis diſpoſitionem à ſingulis rursùs extrahenda. Et hanc quidem bona ſpiritualia in commune conferendi neceſſitatem ſibi ipſi quiſque imponit, cùm ſeſe Ordini aſſociat; hæc namque conditio imbibita eſt in cujuſque profeſſione, merita ſua alijs facere communia, quandoquidem & de aliorum bonis ipſe participet. Neque intra gremium duntaxat clauditur ea meritorum quæſtuoſiſſima reciprocatio, verùm inſuper noſtrorum liberalitate ad extra prolata, ſeſe ad Ordinis Familiares ac Patronos diſtendit, *novô, atque etiamdum*, pro tempore nempe quô primùm cœpit, *ignotô Religioſis exemplô* (utì exiſtimat *cap*: *cit*: Roſenthalius) *quod poſteriores omnes imitati ſunt.* Atque hinc eſt, quòd tantô olim ambitu Pontifices Summi, Cardinales, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Cæſares, Reges, Duces, Principes, Ordinis noſtri ſuffragia expetierint, ſeſéque in Familiares, ac Fratres noſtros tantâ contentione ultrò obtulerint. In *Cap*: 5 exponit Auctor generale dominium Ordinis in *Bona Temporalia* omnium Cœnobiorum: quod quidem inde patet, quòd primis Ciſtercij legibus, *Charta Charitatis* obſtringantur alij Abbates illius Cœnobij, quod ad inopiam redactum eſt, neceſſitates ſublevare. Deinde Ordo ſancivit varia ſtatuta de alienandis, aut non alienandis Cœnobiorum bonis ac fundis: & quomodo definire prudenter quidpiam potuerit de rebus, ex adverſa fortè hypotheſi, non ſuis? Neque enim alium jure, ac cum effectu cohibere potes, ut non divendat domum, quæ in tua poteſtate

non

non eſt. Accedit jus expetendarum contributionum à ſingulis Ordinis Cœnobijs: ad quas Ordini pendendas, Pontificum declarationibus, etiam tenentur Abbates Commendatarij, quantumvis Cardinales. Porrò poteſtas Ordinis non rarò hactenùs exercita in Monaſterijs integris, ſeu eorum parte, ac fundis, donatis, commutatis, aut aliò quovis pactó alienatis abundè probat, ſtare penès Ordinem ſupremam facultatem, de his, prout in Domino viſum fuerit, ordinandi ac diſponendi. Bernardus ipſe nobis hac in re pro regula ac luce eſt, cùm *Præmonſtratum*, atque etiam *locum S. Samuelis* ponè Hieroſolymis, utrumque jam ſuum, Divi Norberti Familiæ liberaliter ceſſit, utì dictum *Tit: præcedente.* Cujus donationis Parens Sanctus meminit in *epiſt:* 252 ad Præmonſtratenſes perſcripta: *Noſtrô*, inquiens, *munere, & noſtrô donô locum habetis, & aureos*, Monaſterij ſcilicèt dotem, *habuiſtis.* Igitur, quod Bernardus ſub *doni* ratione, auctoritate Ordinis in alios extra Ciſtercium tranſportare auſus eſt, ità ſubtuiſſe debuit Ordinis diſpoſitioni, ut dominij actus, qualis eſt donatio, circa id exerceri potuerit. In Hiſpania prætcrea theſis hæc ſatìs in effectu probata eſt, cùm Cœnobia quædam ex diſpoſitione Ordinis in Studiorum noſtrorum Collegia commutata fuêre. Et quidem non intra Ciſtercium modò, ſed ad extra etiam, ſimiles commutationes haud infrequenter noſtros inſtituiſſe, perhibet *locô cit:* Roſenthalius. Igitur cùm Ordo exercuerit hos dominij actus, conſectaneum ſit, eſſe penès Ordinem dominij radicem, ac vim poteſtativam, quam exercet, quoties expedire viderit. In *Cap:* 6 Auctor præcipua Ciſtercienſium privilegia enucleat, atque inter ea generaliſſimum, *communicationem* ſcilicèt *privilegiorum* cum omnibus & quibuſcunque Religioſis Ordinibus, quam rursùs ampliſſimè confirmavit *Pius V.* in Bulla: *Ex Superna*, apud *Laërtium*, in *Bullar: Tom:* 2. *n.* 41. Ex qua Pontificia extenſione id conficit Roſenthalius, propiúſque exinde accedit ad ſcopum, gaudere nempe Ciſtercienſes tantô jure redeundi ad deperdita ſua bona, quantô gaudent Ordines alii Religioſi: quæ ſola res, ſi fortè deeſſent adminicula alia domeſtica, interim noſtris ſufficeret, ad id, quod citatus Auctor, Ordóque Ciſtercius intendunt. *In Parte II*[da] Roſenthalius ſenſim ad concluſiones, è primæ Partis argumentis enatas de-

ſcendit. Et 1mo quidem in *Cap:* 1 id evincit, Cœnobia demortuorum Ciſtercienſium potiori jure Ejuſdem Inſtituti alumnis deberi, quàm alijs quibuſcunque, ex hypotheſi nempe, ſi legitimâ poteſtate aliò diſtracta non ſint: in quo contrario eventu nihil à noſtris controvertitur. Roſenthalij Ratio: *quòd ſcilicèt qualibet hominum Societas in poteſtate habeat Sociorum bona, in quantum ea aut neceſſaria ſunt, aut utilia ad inſtitutum ab illa finem conſequendum.* Ciſtercienſem autem Familiam, Societatem dici debere, imò veram Rempublicam, ob ſupremam Magiſtratûs juriſdictionem in ſubjectos, cùm Abbates, tum Monachos, eorúmque bona cùm ſpiritualia, tum temporalia, patet ex dictis: igitur ex ratione Societatis aut Reipublicæ competere Ordini Ciſtercienſi jus in emortuorum Sociorum, & quod ampliùs, Fratrum, filiorum, ſubditorum Cœnobia. Non enim ſatìs attingo, cur Ordo in Monaſteria, ac Monaſteriorum dominia jus habuerit, cùm Socij, Fratres, filij viverent, & non pariter cùm ij emortui fuerint; quandoquidem in Inſtitutis Religioſis perſonarum extinctio juri totius Ordinis nîl præjudicet: ſiquidem emortuo Petro Paulus ſubſtitui poſſit, & Paulo alius deinceps, quamdiu Communitas illa exiſtet, quæ quidem in Ciſtercio è Vaticinio DEIparæ, ùt *Tit:* 21 dixeram, ad finem ſæculi creditur perennatura. Itaque Ciſterciô, ſeu ſupremô dominiô adhuc exiſtente, vix eſt, ut ſubalterna ac ſubordinata Ciſtercij dominia alius extra Ordinem, citra Ordinis, aut alterius poteſtatis legitimæ conſenſum uſurpet, cùm ex Regula Juris Municip: Hungar: *Id quod noſtrum eſt, ſinè facto noſtro ad alium transferri non poſſit. Ratio altera Roſenthalii*: Quòd, cùm omnia Ciſtercienſium Cœnobia id onus velutì ex pacto hæreditario habeant, ut indifferenter alimenta præſtare teneantur Ordinis noſtri Religioſis, præcipuè in eventu generalis diſperſionis ad ſe divertentibus, viciſſim illa ex hoc onere favorem aliquem ſentire debeant; ſiquidem Ciſtercienſes noſtri ex Hungaria, toties per Tartaros, Turcas, hoſtéſque alios olim ejecti atque exturbati, pérque Ordinem reliquum diſperſi, ſuô acceſſu non modicè aggravârunt cæterarum Provinciarum Cœnobia: igitur, quod pronunciavit Panormitanus, ad cap: in præſentia. *num.* 63. *Ex quo totus Ordo ſentit onus iſtius ingreſſi, naturale eſt, ut ſentiat com-*

modum. Ulterior Ciſtercienſium ſtimulus eſt, ut non patiantur ſe tam facilè retrahi ab actione repetundarum, quòd nempe pleraque noſtra in Hungaria Cœnobia Patres Abbates habuerint extra Hungariam, qui ſuâ induſtriâ, atque impendiô Filialium Domuum rem familiarem egregiè promoverint, prima ſupellectilia è Domibus matricibus juxta Ciſtercij ſtylum importantes in Cœnobia filialia, imò perſæpè ex Ordinis præſcripto, eorundem inopiam Paternis ſubſidijs ſublevantes. Accedit, utì jam ſuperiùs *Tit:* 25. monui, quòd etiam per noſtros magna ex parte per Orbis Chriſtiani Regna ſylvarum horror commutatus ſit in agriculturam, tam populis omnibus utilem, tam neceſſariam. Verum namque eſt, & quidem ſingulariter de Ciſtercio, quod inſignis Scriptor Thomas Bozius, de *Sign: Eccleſ: L*, 10. *c.* 11, notatum reliquit de veterum Monachorum Inſtitutis: *Priſcis* nimirùm *temporibus, Germaniam, Britanniam, & quidquid eſt telluris ſupra Rhenum & Danubium, omnia fuiſſe inculta, neque populos operam dediſſe agriculturæ, terrámque horrentem ac ſterilem fuiſſe. Sed poſtquam Sedes Apoſtolica miſit in ea loca Monachos, & alios, qui gentes efferas ad Chriſtum, & humaniorem victum traducerent, iique varijs in locis Monaſteria conſtituerunt, ex eo nihil non fructuum produci ſcimus ex ijs terris. Sic itaque Monachorum, quos nunc impij perſequuntur, operâ & induſtriâ fiebat, ut populi Septentrionales addiſcerent pietatem, literas, ipſam denique agriculturam.* Et clariùs de fidei orthodoxæ per Monachos rure habitantes propagatione *Lib:* 4. *c.* 8, idem Bozius, ubi hæc ille: *Libet hìc admirari providentiam Divinam, quâ factum eſt, ut Monachorum, qui in ſylvis, agris, & ſolitudinibus degebant, Collegia & Inſtituta latiſſimè amplificata ſint, ut videlicèt per eos ruſtici ad Chriſti fidem faciliùs perduci poſſint.* Cæterùm Ciſtercienſes noſtros in excolendis agris præcipuè excelluiſſe, palàm fit ex eo, quòd Pontifices Maximi exemplô hactenùs non viſô, à decimis illos exemerint, pro terris, quas noſtri proprijs aut manibus aut ſumptibus excolerent. Et quidem pleramque ſylvarum loca incultiſſima, longiúſque ab urbibus & oppidis diſſita, noſtris conceſſa in domicilia, velutì ex conventione & pacto, quatenùs incultam ac ſterilem glebam nos fæcundaremus. Deſumit deinceps etiam Roſenthalius argumentum ab *Eccleſiarum Patronis*, eorúmque hæredibus, qui ſi

Cap: Nobis. de jure Pation. *vel trientem dotis*, *aut unciam* (utor terminis citati Authoris) *ad Sacri Officij onera ſuſtinenda*, *aut ſacræ ædis conſtructionem contulerint*, *actionem habent ad perfruendum Eccleſiæ bonis*, *ſi quando ejus ope indigeant*: *quidni*, arguit ille, *liceat noſtris*, *appellare detentores de ijs bonis*, *quæ magna ex parte hodie non eſſent*, *niſi Majores noſtri operam*, *ſumptúſque impendiſſent*? In *cap.* 2do Auctor & Actor Roſenthalius demonſtrat, par eſſe jus Ordini Ciſtercienſi in Cœnobia non legitimè deperdita, juri, quod habet Epiſcopus in Eccleſias ſuæ Diæceſis æquè illegitimè ab alijs occupatas. Paritatem juris fundat in paritate curæ Paſtoralis; neque enim, cùm olim exempti fuêre Ciſtercienſes, relictos eſſe abſque Paſtore: imò verò in locum Epiſcoporum ſucceſſiſſe Abbates, id eſt Paſtores domeſticos, qui pervigili ſemper pupillâ, per dies, perque noctes, excubias agerent ſuper gregibus ſuis. Itaque, arguit Roſenthalius, ſicuti, ſi jurisdictio in Ciſtercienſes de jure communi manſiſſet penès Eccleſiarum Epiſcopos, Epiſcopis competeret actio repetundarum, ſi quid fortè Ordini ſubtraheretur: ita etiam nunc eandem actionem Abbatibus, atque ampliùs Generali Ordinis Magiſtratui competere, utpotè unà cum hac ipſa ſacra poteſtate per Pontifices Maximos in eoſdem translatam. Proſequitur deinceps Auctor argumentum efficaciter à pari: Quòd ſi Paræcia aliqua, ait ille, fortè per injuriam ab alijs occupata ſit, neque ullus extet, qui deſuper actionem ſuſcipiat, tum omne illud jus ac onus defenſandæ repetendæque Paræciæ aut Eccleſiæ ad Diæceſanum Epiſcopum, tanquam ad proximum Superiorem, à quo electi aut præſentati confirmatio promanavit, pertranſit. Pro quo aſſerto Abbatem *Panormitanum* adducit, in *cap*: *Nullus in Eccleſ*: *de elect*: *n.* 10. hæc pronunciantem: *Propter negligentiam Collegij*, *vel mortem omnium de Collegio*, *jus providendi devolvitur ad eum*, *qui habet poteſtatem confirmandi electum*, *ſive ſit Epiſcopus*, *ſive alius Prælatus*. Itaque cùm par ſit ratio de perditis Cœnobijs in ordine ad Generales Superiores, aut Capitula Generalia, quæ eſt de amiſſis Parochijs aut Eccleſijs in ordine ad Epiſcopos: tantum proinde poterit ac debebit Ordo ad inſtituendam actionem pro recuperandis Cœnobijs, quantum poteſt Epiſcopus ad repetendas Paræcias. In *cap.* 3. Æquiparat Auctor jus Ciſtercienſium in ſua bona cum jure, quod habet quæcunque alia Religioſorum

rum Res-publica: quæ quidem à *Petro Gregorio Toloſano Lib.* 1. *c.* 2. *de Republ: n.* 6. in genere ſic definitur: *Reſpublica eſt rerum & vitæ quadam communitas unius Societatis, quæ efficit quodammodò unum corpus civile ex pluribus diverſis, ùt membris compoſitum, ſub una poteſtate Suprema, velutì ſub uno capite, & uno ſpiritu, ad bene atque commodiùs vivendum in hac mortali vita, ùtque faciliùs ad æternam Patriam perveniatur.* Quæ ſingula cùm noſtro Ciſtercienſi cætui conveniant, ſequitur, Ciſtercienſes ea omnia poſſe, quæ cæteræ perfectæ Respublicæ perficere valent. Cæterùm *Suarez* citatus apud Roſenthalium exponit, quid Reſpublica poſſit Religioſa: *Unaquaque Communitas*, ait, *habet jus proprium adminiſtrandi ſua bona, quô non privatur Communitas Religioſa, eò quòd Religioſa ſit; quia non repugnat voto paupertatis ſingulorum, niſi hoc etiam ſingulariter profiteatur.* E Pontificijs deinde Bullis petenda Reipublicæ Ciſterciæ figura ac veſtigium. Innocentio IV namque Ordo noſter eſt *Corpus quoddam*: Alexandro IV, *membrum in Eccleſiæ corpore nobiliſſimum*: Clementi IV, *Caſtrorum acies ordinata*: Eidem Clementi, *Fons.* Et vix alij Pontifices aliter de Ciſtercio pronunciârunt, quàm de aliquo integro, cujus partes ad ſe invicem velutì à natura ſint ordinatæ. Quale autem corpus ſinè membris, ac membrorum compage? Quid membrum ſinè articulis, ac juncturis? Quid acies ſinè Duce ac ſubordinatione? Quid Fons ſinè guttarum confluxu ac unione? Adeò nimirùm ille Membrorum noſtrorum ad invicem nexus Priſcos permovit (quemadmodum perhibet *Juſtus* Abbas Ord: Ciſt: Orat: quæ extat To: 14. Biblioth: P. P. initio.) ut Ordo Ciſtercienſis olim per antonomaſiam *Ordo* dictus fuerit, quòd ſcilicèt rectæ ordinatæque Reipublicæ normam pulcherrimis lineamentis in ſe exprimeret. Quæ omnia graviſſimo Viro, Franciſco Suarezio pro ſtimulo fuerunt, ut *Tom*: 4. de *Relig.* Tr: 8. *L.* 2. *c.* 2. *n.* 3. expreſsè faſſus ſit, Ciſtercienſes *unum corpus efficere ſub uno interno Capite*: atque ob ejuſmodi nexum, ab Epiſcoporum jurisdictione, quà ſic unitos, ſemper fuiſſe exemptos. In *Cap.*4. Roſenthalius adducit teſtimonia Sum̃orum Pontificum, qui Ordinis jus in bona agnoverunt, atque auctoritate Apoſtolicâ confirmaverunt. Et primò quidem *Nicolaus IV* Annô 1291. privil: apud Henriq: 47, hæc habet: *Specialiter autem Eccleſias, grangias, domos, poſſeſſiones, & alia Bona veſtra, ſicut*

ea omnia pacificè poſſidetis, Vobis, & per vos Monaſterijs veſtris, authoritate Apoſtolicâ confirmamus, diſtrictiùs inhibentes, ut nec Vobis, nec alicui veſtrûm liceat ad alium Ordinem ſe transferre, neque ſe & Monaſteria veſtra ipſius Ordinis Ciſtercienſis locis alterius Ordinis ſubjicere aut aſſociare, ſive circa ſtatum eorundem Monaſteriorum, & Ordinis Ciſtercienſis aliquid immutare vel innovare, per quod vobis, & dicto Ordini præjudicium generetur. Notanter dixit Pontifex, Bona ſe confirmare Monaſterijs per ipſum Ordinem, condiſtinguens nempe Monaſteria, ùt ſingula ſunt, à Superioribus Ordinis, qui ſupremum Magiſtratum conſtituunt. Quaſi diceret: primò Vobis, qui Ordinem conſtituitis, ea confirmo, ſubinde Cœnobijs, prout ſunt in particulari: ad modum ferè lineæ Metaphiſicæ, ubi prædicata generaliora ſunt cæteris priora; prius enim eſt ens, quàm ſubſtantia: prius ſubſtantia, quàm corpus &c: prius denique univerſale, quàm particulare. Ita & in linea Ciſtercia, prior eſt *Ordinis* generalitas, atque Univerſalitas, quàm aliorum Cœnobiorum particularitas ſeu individualitas, quæ nempe ex illa anteriore deſcendit, eíque rursùs, quemadmodum gradus metaphyſicus inferior ſuperiori, ſubordinatur. Et hinc licèt injuriâ temporum ſublata ſint Ciſtercienſibus Cœnobia ùt ſingula, prout tamen ſubſtabant generalibus Ordinis gubernaculis, non potuerunt pati aliquod præjudicium, cùm Ordo ſemper ſecundùm ſubſtantialia, inter quæ hæc ipſa eſt univerſalis gubernandi poteſtas, ſtabiliter perſeveret. Deinde Sixtus IV. Conſtit: *Romanus Pontifex*, decernit, *ut Monaſteria Ciſtercienſium Commendata, ceſſantibus commendis, plenè, liberè, & integrè redeant, & redire debeant ad diſpoſitionem Ordinis.* Igitur ſub Ordinis diſpoſitione antea *plenè & integrè* fuerunt, cùm cæteroquin *redire* ſic non poſſent, ſi antea ſic non fuiſſent. Eadem prorsùs *Gregorius XV*, & *Urbanus VIII*, & præcipuè *Pius IV*, Conſtit ut: *In eminenti*, ubi ille hæc: *Uniones, ſuppreſſiones & extinctiones Monaſteriorum ejuſdem Ordinis, aut fructuum, redditùum, & proventuum illorum diſmembrationes, & locis alijs, quantumlibet piis applicationes, & aliæ quævis perpetuæ illorum alienationes, cuicunque alteri loco, ex quavis causâ quantumcunque honeſta, urgente, & neceſſaria, abſque ſpeciali & expreſſo Abbatis Generalis. p. t. exiſtentis conſenſu in ſcriptis, causâque priùs à Capitulo* (Generali ſcilicèt) *præfatis, vel aliàs ritè cognita, etiam per Nos, & Sedem prædictam, etiam de Fratrum conſi-*

lio,

lio, ac ad quorumvis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum & aliorum Principum inſtantiam deinceps nullatenùs fieri poſſint, etſi aliter fiant, nullius omninò ſint roboris, neque Ordo ejúſque Superiores & perſonæ præfatis literis deſuper conficiendis obedire debeant. Atque etiam *Pius V.* Conſtitut: *Ex innumeris*, hæc in Ciſtercij favorem: *Ordo Ciſtercienſis longè latéque per Orbem propagatus, nobis frequentiùs obverſatur, cujus tam multa Cœnobia Viris cùm Doctrinâ tum ſanctitate claris olim florentiſſima, malignô temporum errore, ad nihilum propemodum rediguntur. Quod cùm aliunde ex toto Orbe plus ſatìs Nobis jam pridem innotuit, tùm maximè ex recenti viſitatione, quam Commiſſarius & Procurator Capituli Generalis Ciſtercienſis in utraque Sicilia, id Nobis quoque jubentibus confecit, permoleſtè intelligimus, quàm plurima ejus Regni Monaſteria, aut debitis Officijs deſtituta, aut Monachis ob non præſtitam alimoniam deſerta, aut omninò collapſa, retecta, recluſa, patentia, & ùt profana habita, quæ Religionis cultrix illa vetuſtas, tantis impendijs evexit. Sed his incommodis tametſi Pater Abbas Monaſterij Ciſtercij, Cabilonenſis Diœceſis, & prædictum Capitulum Generale etiam per privilegia & indulta illis à Fel: record: Pio II, Sixto IV, Pio etiam IV, & diverſis alijs Romanis Pontificibus conceſſa & innovata, in univerſum occurrendi facultatem habeant; utile tamen & percommodum illis fore exiſtimavimus, Noſtras quoque huic rei partes adſcribere. -- Quare Nos de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, ut omnia Monaſteria & loca dicti Ordinis, tam in utraque Sicilia, quàm cæteris Orbis Partibus Conſtituta, etiam Commendata & unita, ac etiam de jure Patronatûs Laicorum quôcunque modô exiſtentia, quæ convulſa, diruta, & extenuata ſunt, reficiantur, & ad debitam clauſuram reducantur: in eiſdem, utì pro facultatum ratione, idonea erunt, competens Monachorum & Miniſtrorum numerus reſtituatur.* Ubi obſervandum, quòd Papa penès Generalem Noſtrum, jus veluti Ordini intrinſecum agnoſcat in deperdita Cœnobia, quod quidem jus ampliùs firmatur, atque reſtauratur per Papalia Privilegia. Huc etiam generalibus terminis reſpexit S. *Tridentina Synodus ſeſſ.* 25. de Regular: *c.* 3. ubi hæc: *Quòd ſi aliqua loca ex prædictis, quibus Authoritate Apoſtolicâ civilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia reſtituenda illis eſſe decrevit S. Synodus. In Cap.* 5to. Auctor demonſtrat *Vaſſalitia* Ordini noſtro non abjudicari ab Eccleſia, neq; nobis repugnare per leges Ordinis, quin imò perneceſſaria eſſe ob titulum noſtræ hoſpitalitatis,

liberaliter & charitativè erga advenas exerceri ſolitæ, quæ ſanè ſuſtineri vix poſſet ſinè præfatis Vaſallitijs; Nam, ùt ait Roſenthalius *cap: cit: de noſtris pleriſque bonorum adminiſtratoribus non dubito, quin rationes ſuas in promptu habeant, ubi expenſa in paupertinos Religioſos, peregrinantes, hoſpites, exhauſtos ſubditos, & omne genus calamitoſos homines multas paginas impleant.* In Cap: 6ᵗᵒ deſcendit Auctor ad leges & Reges Hungariæ, à quibus in jurium Ciſtercienſium favorem iterum iterúmque pronunciatum eſt. Atque in primis recitandum *Belæ III* Regis privilegium, Ordini noſtro antiquitùs conceſſum: *Ego Bela DEI gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramaque Rex, notum volo fieri præſentibus & futuris, ad petitionem dilectiſſimi noſtri Patris, Abbatis Ciſtercij, omnibus clauſtris Ciſtercienſis Ordinis, quæ constructa vel conſtruenda ſunt in Regno meo, me propriâ benignitate indulſiſſe, ut eâ libertate in tota mea terra utantur, quam in Francia obtinere noſcuntur. Indulſi etiam eiſdem, ut ubi Regni mei turbatio* (videtur deeſſe particula, *non*, de mente Manriquei) *impedierit, liceat eis, qui noti fuerint in eiſdem clauſtris, & per eos etiam ignotis Monachis vel Converſis cum ſervientibus eorum liberè ingredi, & egredi, cùm neceſſitas eorum exegerit. Et ut hoc ratum in perpetuum habeatur, ſigilli Noſtri impreſſione munivi, præſentibus, Petrô Abbate Ciſtercij, Ubicellô Abbate de Pariſio, Guilielmô Priore Ciſtercij, Petrô & Serviô Monachis Ciſtercij, Saulô Cancellariô meô, & Magiſtrô Criſpinô, Annô ab Incarnatione Domini* 1183. Cui privilegio Angelus noſter ad Annum 1183, *cap:* 1. *n.* 1. ſequentia ſubſcribit: *in quo præter indultam noſtris gratiam, quæ & belli & pacis tempus complectebatur, reverentia, quæ eiſdem exhibetur, notanda venit. Quippe Rex Petrum Abbatem Ciſtercienſem, dilectiſſimum ſibi, neque amicum appellat, ſed Parentem: & inter teſtes Prior ipſe Petri, imò & cæteri omnes, etiam ſimplices Monachi, poſtmodum Cancellarius ſubſcribit, id eſt, Summa poteſtas totius Regni.* Occaſio autem impetrandi ejuſmodi privilegij ea fuerat, quòd nempe noſtri citra certa cum locorum Epiſcopis inita pacta, non ſolerent in Diœceſes eorum vel pedem inferre, atque etiam quòd Hungariæ Regibus, *quà Apoſtolicis*, præter morem cæterorum Principum multa antiquitùs in Sacros homines competerent. Igitur illô privilegiô utriſque proſpectum eſt, & Regiæ nempe prærogativæ, & Ciſtercienſium immunitati. Audiamus porrò *Stephanum* Hungarorum Regem Sanctiſſimum, adhuc ante

Ciſter-

Ciſtercium, ſeverâ præceptione coërcentem auſuros aliquid in loca Numini dicata: *Quiſquis faſtu ſuperbiæ elatus Domum DEI duxit contemptibilem, & poſſeſſiones DEO conſecratas, atq; ad honorẽ DEI ſub Regia immunitatis defenſione conſtitutas, inhoneſtè tractârit, vel infringere præſumpſerit, quaſi invaſor & violator Domûs DEI excommunicetur.* Decret: Lib. 2. c. 1. Eadem ſtatuit *S. Ladislaus*, Hungariæ itidem Rex, ut nempe bona Sanctis Viris ablata, *Suæ Eccleſiæ*, id eſt, Congregationi, ad quam ſpectant, reſtituerentur. Atque etiam in hunc ſenſum pronunciatum eſt per Regiam Majeſtatem *Matthiæ I.* decret: 6. artic: 11: *Idcircò de Regiæ Majeſtatis voluntate, ac Dominorũ Prælatorum, Baronum, & Procerum, cæterorùmque Regnicolarum cõmuni conſiliô concluſum & diffinitum eſt, quòd amodò Abbatias & Præpoſituras Conventuũ Regularium, potiſſimùm verò ſigilla habentium, nulli alij, niſi Religioſi ejus Ordinis, cujus Abbatia vel Præpoſitura fuerint, tenere poſſint.* Neque aliter hac de re ſenſit ac decrevit Vladislaus Rex, decret: 3. artic: 58. *Quare ſtatutum eſt, quòd hujuſmodi Præpoſituras & Abbatias Regulares, Clerici initiati, vel alii ſæculares Clerici, vel Presbyteri ſinè habitu regulari tenere non poſſint: Sed infrà anni ſpatium, habitum illius Ordinis ſub pœna amiſſionis illius beneficii induere & aſſumere teneantur.* Et deinceps etiam Hungariæ Proceres Annô 1550 in Regni Comitijs ursêre apud *Ferdinandum I.* Regem, jam aliunde unicè id cupientem, Statibúſque conſulentem, ut nimirùm Eccleſiarum bona Dominis ſuis redderentur: *Videtur æquum & juſtum eſſe* (En cenſura Statuum!) *ut juxtà benignam adhortationem Regiæ Majeſtatis, decimæ & alii proventus, bonáque Eccleſiarum his, ad quos ſpectant, integrè de omnibus reddantur, neque in eas, partémve illarum invitis Dominis ſe quiſquam ingerat. Supplicántque Ordines & Status Regni Sacræ Regiæ Majeſtati, dignetur bona & proventus Eccleſiarum, quæ adhuc ſunt ſub inſcriptione apud nonnullos ſæculares, tam Ungaros, quàm externos quoſcunque, clementer eliberare, & Prælatis, Eccleſiíſque, ad quos ab antiquo ſpectant, reddere.* Exhibendum pariter ejuſdem *Ferdinandi I.* decretum Annô 1560 in rem noſtram pronunciatum: *Quòd ſi autem cum tempore, divinâ miſeratione Regnum noſtrum Ungariæ pacificabitur, & ab hoc præſenti, calamitoſo, luctuoſóque ſtatu ad quietiorem, tranquilliorémque ſtatum reverteretur: extunc ejuſmodi bonis & proventibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſinè aliqua cunctatione & dilatione, ac ſtrepitu quovis juris, iis, quorum ſecundùm fundationem intereſt, Prælati ipſi, in quorum ma-*

nibus tunc praſcripta bona Eccleſiaſtica erunt, ſimpliciter & de facto reddere, atque illa Capitulis reſtituere debeant, & de facto teneantur. Tandem in *Cap.* 7mo Auctor oſtendit, nunquam, cùm opus foret, ceſſatum eſſe à noſtris, ut ſcilicèt damnoſô ſilentiô negligerent rem ſuam apud Tribunalia proſequi: adducítque in favorem noſtrum Regulam in jure Hungarico receptam, quæ ſic habet: *ùt nulla poſſeſſio acquiri nisì animô & corpore poteſt, ita nulla amittitur, nisì in qua utrumque in contrarium actum eſt.* Neque adversùm nos *praſcriptio* allegari poteſt, quæ ſecundùm graves Authores, non minùs in bonis Exemptorum Ordinum, qualis eſt præcipuè Ciſtercius, quàm in ijs, quæ proximè ad Sedem Apoſtolicam pertinent, centum requirit annorum decurſum. Et ſi *ſexaginta* duntaxat anni requirerentur ex privilegio *Eugenij IV*, Caſſinenſibus, ac per viam communicationis etiam nobis conceſsô: aut planè tantùm *quadraginta*, quot ordinariè currunt in jure communi Canonico, atque etiam Hungariæ conſuetudinario; non erit tamen, qui doceat, ſexaginta, aut quadraginta annorum ſpatiô noſtros omninò hoc in puncto culpabiliter tacuiſſe. Pro epiphonemate deinde adducit *Franciſci I* Galliarum Regis effatum dicentis, vix ulla bona titulô poſſideri juſtiori, quàm ea, quæ *Patrimonium S. Petri* dicuntur, ex eo, quòd conceſſione prorsùs liberaliſſimâ, abſque ulla mali doli ſuſpicione donata ſint, qui tamen bonus Titulus nonnunquam deficiat in Principum, Procerúmque ditionibus, perſæpè violenter, neque cum ea, quâ oporteat, æquitate acquiſitis. Ratio autem boni tituli, quæ reperitur in Eccleſiæ Patrimonio, etiam habetur in Ciſtercij dominijs, non aliter ſanè ſub Cœnobiorum primordia per noſtros occupatis, quàm ſpontaneâ Principum donatione ac fundatione.

Exhibui in compendio *Actionem Roſenthalij*, tam Ciſtercio utilem, quàm nulli extra Ciſtercium præjudicioſam, cujus argumentis non unius ſanè Hungariæ, verùm & alia per Orbem Chriſtianum Ciſtercienſium Cœnobia, quæ ſcilicèt à poteſtate legitima abalienata non ſunt, per Ciſtercij ſuſpiria ac vota, ad DEI, Divæ MATRIS, Cœlitúmque honorem, Eccleſiæ, Ordiníſque Melliflui decus ac incrementum rursùs expetuntur! Sequantur, utinam! Principes ac Proceres alij zelum Auguſtiſſimæ ac pientiſſimæ Domûs Auſtriacæ, nunc poſt bello-

rum

rum turbines Inſtituta Religioſa in Hungariæ Regnum glorioſiſſimâ pietate reducentis! Atque ita hâc ipsâ Auſtriacorum Cæſarum æmulatione faciant ubique terrarum, quod millies opto, *Ciſtercium*, atque etiam *Bernardum* denuò ac feliciter *AUSTRIACUM* !

BERNARDUS AUSTRIACUS!

Audite vos Apum *examina*,
Examinate hæc duo vocabula!
In utroque latet *Campania*,
Id eſt, veſtra *Tempe*, veſtræ *Hybla*:
Tam enim *Bernardus*, quàm *Auſtriacus*, *Campanus* eſt,
Ille *Clara-Vallenſi* domiciliô, Hic *Scutô Gentilitiô*:
Campum explicat Auſtria *geminum*, *Clara-Vallenſe Cœnobium ſitum eſt in Campania Galliæ*
Candidum & *Rubicundum*,
Utrúmque ſibi, utrumque Bernardo,
Utrique ſuus ſtat *Campanus* candor & rubor,
Quoniã uterque, & *Bernardus* ſcilicèt & *Auſtriacus*, *Campanus* ſit.
Ite Apes
Seu ad Bernardum *Campanum*, ſeu ad Auſtriam *Campanam*,
Utrobique *Campaniam*, id eſt, *florum patriam* occupaturæ.
BERNARDUS, & AUSTRIA,
DUO FLORES in Felici Campania.
Bernardus, è purpura vulneris Salvatoris
Roſa,
è lacteo Mariani uberis candore
Lilium,
Flos eſt *Candidus* & *Rubicundus*,
Auſtria ectypon, (præbuit:
Cui DEIpara ſi non *ubera*, certè *uberes* hucuſq; *favores*, ceu ubera
Neque per tot jam ſæcula *lactentem* aliquando *ablactavit*.
Scilicèt, *Campi tui*, ô Auſtria, toti *implebuntur ubertate*,
Virgine tibi *ubera dante*, *Pſalm. 64.*
Et in uberibus *lacteos flores*
Lilia!

Junoniô olim *lacte ebria* fortitudo Herculis
Seſe in inclytas *effudit* victorias,
Quas *pedibus*, *metris*, laudibus Poëtæ *percurrerunt*.
Lacteis Mariæ favoribus plena Domus Auſtriaca,
Herculeô fatô hactenùs Orientis monſtra perdomuit,
Clavâ ſuâ *clavim* extorquens *Portæ Ottomannicæ*
Ad Chriſtiadum imperia,
Id eſt, Hungariam Turcis:
Digna, quæ *Marianum* Hungarorum diadema ſibi *vendicet*,
Quæ *Mariæ* Regnum toties ab interitu *vindicârit*.
Manibus igitur date lilia plenis
Bernarde, & Auſtria!
Lilia ſint vobis in vincula,
Quibus, Mariæ Pronubæ auſpicijs,
Caſtô vos inter jungamini connubiô.
Utrique ſua *Juno* in *Maria* eſt,
Id eſt, *Mater Lactea*,
Uterque Junoni Mariæ Hercules eſt,
Id eſt, Junoniô atque Marianô Ubere digna proles.
Paſcua veſtra *inter lilia*, inter Mariæ ubera:
Cant: 2. Idem vobis, *paſci inter lilia*, ac paſci inter ubera;
Quid enim lilijs tam ſimile, quàm lacteus uberum humor,
Candore ſuô niveô
Lacteam in ſe replicans liliorum albedinem?
Quídni igitur Bernardum & Auſtriam *collactaneos* dixerim?
Ambo à Mariæ uberibus toti pendent:
Ut vix tam aliô madere videantur釋 maternô lacte,
Quàm quod Virgo utriſque inſtillârit
Iſaia 66. *Ab ubere conſolationis* ſuæ.
Itaque cùm lac, ubera, lilia,
Sibi ſint ſimilia,
Atque in Bernardo & Auſtria etiam eadem,
à Mariæ uberibus ac favoribus
Ambo erunt flores lactei, id eſt, lilia.
Sed neque Floribus iſtis lacteis ſua deeſt hortorũ purpura, *Roſa!*
Toties plenô ore Mariæ Roſas, quoties *Ave* aut *Salve* dedit
Bernardus Orator Melleus, Rhetor *roſeus*.
Evolvenda eſt *Roſa* per anagramma, (*oras*)

Ber-

Bernardi palatum, Roſetum eſt,
Quoties ille ad Divam oravit, toties ore *roſas* germinavit.
Auſtria, Domus Roſea,
Bernardo ſuo Roſeo Domus concolor,
Tot Cæſarum, Regúmque *purpuris* inclyta,
Cujus prima poſt DEUM *Salus*,
Roſea DEIparæ *Salus* (*Roſarij Salve, Ave!*)
è *labiorum* illuſtrium *purpuriſſo* quotidie ad Virginem egreſſa.
Non vox fuit, ſed *Roſa*,
Quidquid Bernardus metrô, vel proſâ
Ad Virginem aliquando èlocutus eſt,
Roſenſium Ille omnium ſacratiſſima Stirps.
Bernardi parallelus flos, *auſtria Roſea*,
Aurea in vertice ferens diademata,
Ore manúque *Coronas Roſeas*,
Illa Orbi, has Orbis Reginæ, MARIÆ,
Roſarum Præſidi, ac Auſpici.
Itaque Bernardus & Auſtria
à Virgine, Virginíſque lacte, favore,
Lilia,
à roſeo ore, roſea oratione
Roſa
Felices ſunt Flores in felici Campania.
BERNARDUS & AUSTRIA
GEMELLÆ *in floribus* APES!
Apis
Puſilla rerum viventium portio,
At præ cæteris *florigera*, florúmque alumna.
Bernardus,
Suâ ipſius ferulâ *puſillus*,
Modicum id, quod eſt, *In Epiſtolis S. Bern.*
Sed enim in univerſo Ciſtercio maximè *floridus*,
Flaccentes ſub initium Ordinis enaſcentis ſpes,
Suô adventu, ceu flore erexit.
Scilicèt, quid aliud adferret *Apis*,
Quàm, quod apes ſolent, *flores*,
Florúmque dulces animas, favos?
Quocunque Bernardus etiam extra Ciſtercium venit,
Ooooooooooooo Fecit

Fecit, quod faciunt *Apes* extra alvearia,
In Floribus fuit:
Aut enim flores attulit, aut flores fecit.
Quídni igitur dulciſſimæ Clara-Vallenſium Apis auſpiciô
Ecclesia atque Orbis
In floribus fuerint?
Auſtria
Ciſterciæ Apis æmula, ſemper *in Floribus*,
In Europæo Orbe pars felicitatis maxima:
Non enim tam eſſet Europa *florida*
Sine *Ape Auſtriaca*,
Quæ ad Imperij *apicem* evecta, flores ſimul Orbi invexit,
Id eſt, Apum ſtativa ac hoſpitia,
ubi per floridam anni ætatem illæ ſolent deliciari.
BERNARDUS & AUSTRIA,
Gemini in Apibus FAVI.
Quid favô, Bernardô, Auſtriâ dulcius?
Nisì nôſſem apum caſtimoniam, connubiorum expertem,
Bernardi geneſim intra apum examina, velutì genethlia,
Intra Alvearia, velutì intra incunabula collocarem.
Non eſt Bernardus *ſicut cæteri hominum*, homo tantùm,
Sed *homo-Apis*, imò magìs apis, quàm homo,
Naturæ portentô, & gratiæ beneficiô.
Bernardi animus, ſtylus, ſermo, opus, penitùs in mella diffluunt,
Id eſt, in prima principia, unde conflata ſint.
Præter Philoſophiæ morem ac leges, *ſubſtantiale* Bernardo eſt,
Eſſe Melliſluum.
Auſtria,
Favorum, tam qui fluunt à *favis*, quàm qui manant à *favoribus*,
Dulcis uterus ac nutrix:
Nihil in ea, præter *nomen*, *Auſterum* eſt,
Cætera omnia ideam Bernardi referunt.
Dulciſſima Auſtriacorum Principum manſuetudo
Non aliô pingi debet colore, quàm melle:
Neque ab alio *Apelle*, quàm *Apiculâ*.
Non exaſperat Domûs dulcedinem Imperij Majeſtas,
Neque Regnorum Faſces opprimunt congenitos favos.

Non

Non diſtat vel *punctô mellis* Auſtriæ effigies à Bernardi prototypo:
Utriuſque *lineæ* favis imbutæ ſunt.
Auſtriacos Principes Germanos quidẽ ſcio, ſed *Palæſtinos* appello,
Quòd nulla in terris Patria *dulcior*, ac hæc ipſa,
Numinis oraculô ac beneficiô, *lacte & melle manans*: Deutr: 6.
Dulces Principes quídni terra germinet dulcis ac mellea?
Non potuêre ſcilicèt mutare geneſeos locum,
Itaque mutavêre loci genium,
In Germanæ geneſeos beneficium
Subſtituentes metatamorphoſeos Palæſtinæ favorem,
Reddentéque Germaniam, Palæſtinam,
Id eſt, dulcem, ac dulcium Patriam,
Auſtriaci Imperij melleis gubernaculis fortunatam.
BERNARDUS & AUSTRIA,
Duo in Apiculis ACULEI.
Hæc arma haud tu metue mi Lector:
Non pungêris, ſi pungi non mereris.
Sola Bernardô *aculeô* digna *puncta* ſunt
DEI, & Eccleſiæ hoſtes,
Sarracenæ Gentes,
Quæ non *mella*, ſed *bella* volunt. Pſalm. 67.
Contra has Bernardus *aculeum* exeruit,
Armavítque *Orbem terrarum contra inſenſatos*, Sap. 5.
Quibus obtuſus ſenſus ad dulces Eccleſiæ favos,
Stylô ferreô extundi debuit,
Ut è vulnere illi perſentirent,
Satiùs eſſe ad cœli guſtũ, ſacra fidei ligurire mella,
Quàm Chriſtiadum experiri ſtimulos & arma.
Auſtria
Styli, ſtimulíque Bernardæi Auguſta imitatrix,
Acerrimè hactenùs Sarracenos in Pannonia *pupugit*,
Ut integræ ſæpè *Circumciſorum* acies *caſa conciderint.*
Scilicèt is eſt Auſtriæ atque Apiculæ ſtylus
Quòd irritatæ aculeum, telúmque torqueant vehementiùs.
Dediſti pœnas Turcia: dabíſq; ampliùs, ſi ampliùs provocaveris:
Tum enim te acriùs *pungent* Auſtriaci Acinaces,
Per ea *puncta lineam* à Bernardo olim cœptam
Inter triumphos protenſuri uſque in Palæſtinam.

BERNARDUS & AUSTRIA,
Duo in alvearibus CEREI.
Pietatis publicæ argumentum atque incitamentum,
Cereus eſt,
Apicularum ſacer ac divinus labor,
Dulce ac flammeum carmen,
Quô Cælites, ceû imperiô evocantur ad aras,
Siderum illuſtris imago,
Amoris inter præcordia flagrantis ectypon.
Imprime, Amice Lector, Bernardũ cereo, & cereũ Bernardo,
Non erit alius ab alio,
Neque Bernardum à cereo diſtingues, neq; cereum à Bernardo.
Ipſa *mellis ceræque* parallela *geneſis*
Bernardum melli *affinem* facit, & ceræ *cognatum.*
Eccleſiæ Sanctæ inclytus fulgor
Bernardus cereus,
Supernæ lucis ſplendida portio,
Deſcendens à Patre luminum,
Non montibus modò, ſed & *Vallibus*, & Vallium umbraculis
Claritudinem intulit
Clara-Vallenſis præfulgida fax.
Bernardi *pietas* tam clara eſt,
Ut vel ab heterodoxis umbris, lucis innoxiæ laudem accipiat.
Extulerant orco multas olim noctes tenebrarum filij,
Hæreſiarchæ,
Unicam Lucis Auctor deſuper vibravit facem,
Lucis ac *diei* filium,
Bernardum è *Clara-Valle*,
Diſſipavítque illicò tenebroſum chaos,
Atque ex Orbe Chriſtiano fatales ejecit tenebras.
Verbô,
Bernardæa *Pietas*, *Lux publica*, opus illuſtre.
Principes Auſtriaci
Ad *pietatem cerei*,
Sigillum probitatis *mentibus* ſuis impreſſum, *moribus* exprimunt.
Cùm *Plato* Divinus rerum *ideas* luſtraret,
Non potuit non vidiſſe intra *Pietatis* uterum
Auſtriæ ſemina atque imagines.

Satìs

Satis eſt alijs, *pios fieri:*
Auſtriacorum Principum Divina felicitas, *pios naſci:*
Nempe *Pietas* alibi prærogativa eſt *Perſonarum*,
Hìc character eſt univerſæ *Domûs.*
Denique, *Auſtriaca Pietas*, res per ſe Orbi nota
In *Cerei* Symbolo *illuſtrari* debuit.
En mi Lector, dedi *Bernardi* & *Auſtriæ* colores & ectypa
In *Campis*, *Floribus*, *Apibus*, *Favis*, *Aculeis*, *Cereis.*
Non ſola ſimilitudo *morum*, ſed & *colorum*,
Mater eſt amorum.
Ament te Dij, Deæque, Bernardæa Gens mellea, Popule lactee!
Sed & amet te *chara Deûm Soboles*,
Auguſtiſſima Domus Auſtriaca! (teſſera.
LEOPOLDI etymon (Liebhold) Amoris Cæſarei ſit tibi index ac
Legis in LeopoLDo ipſam ætatem tuam,
Id eſt *Annos Sexcentos:* (tias.
Legis & in annis, ſupra tamen annorum numerum, indultas gra-
Una ætas *Leopoldum* Sanctum, & *Ciſtercium* Sanctum olim tulit:
Portendit ſcilicèt optimus Princeps (LeopoLD)
Nominis ſui chronographicô *coævo* ſuo Ciſtercio
Bis tertias annorum centurias:
Quæ nunc fauſtiſſimè abſolutæ,
In LeopoLDo Cæſare novam rursùs ætatem auſpicantur,
Id eſt Annos *Sexcentos alios*!
Poſt quos denuò *Leopoldi* alij, aliíque,
Ad inſtar *Aquilæ* (Imperatoriæ)
Ciſtercij *juventam*, ſenectámque *renovent*, ampliúſq; provehant! *Pſalm. 102.*
Ut per quaſcunque temporum differentias
Divinâ, Apoſtolicâ, Cæſareo-Auſtriacâ
Gratiâ
Superſtes ſemper ac fortunatus perennet

BERNARDUS AUSTRIACUS!

VOTUM SEU MONITUM
AUTHORIS
AUGUSTINI
ad Lectorem, pro Operis Epiphonemate.

Sumptô Themate à voce ad Divum
AUGUSTINUM
Mediolani cælitùs delapſa: TOLLE, LEGE.

TUm tulit & legit Sacra Biblia Epiſcopus *Afer*,
Cùm vox audita eſt Cælica : *Tolle, Lege!*
Vox, *Affer*, tua ſit, mea vox hæc altera, *Tolle*,
Et *Lege*: Dic tu, *Affer*: dicam ego, *Tolle, lege!*
Fatalis vox illa fuit: *Tolle*, & *Crucifige*! Joan: 19.
Vox mea non talis: Vox mea, *Tolle*, *Lege*!
Vox prior *invidiæ* fuerat, vox altera amoris, Math: 27.
Hinc præſtat potiùs dicere : *Tolle*, *Lege!*
Non clames, *Crucifige*, priùs, mi Candide Lector,
Hunc niſi per-totum legeris ipſe Librum.
Tali *lege legas*, ut *lectio lecta legentem*
Delectet, ſitque hæc vox tibi grata, *Lege!*
Dicta Auguſtino eſt hæc vox: Malim ipſe deinceps
Auguſtinus ego dicere, *Tolle*, *Lege!*
Tu quoque ſis *Auguſtinus*, mi Lector amice,
Sicque Tibi rectè dixero, *Tolle Lege!*
Pectoris (ipſe vides) eſt Auguſtinus *aperti*,
Scribæ alij pennam; at Hic *Cor* gerit in *manibus*.
Lectorem *fidum cordatùs* Scriba meretur,
Talis ero tibi ego, ſi mihi talis eris.
Non *Crucifige* Librum, quid enim durum Tibi fecit?
Sed potiùs fidô pectore *TOLLE, LEGE!*

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
In Libro, Ciſtercio Bis-Tertio.

A

Abbas de Alcobacia Militum S. Michaëlis de Ala Superior. pag: 498. Militum de Chriſto Viſitator. pag. 500.

Abbas Ciſtercij Regum Galliæ in ſupremo Burgundiæ Senatu, Primus Conſiliarius Natus. Pag. 24. & 652. Confert Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordines. p. 615. Habet jus benedicendi Abbates, item hanc facultatem delegandi. 615.

Abbates de Ciſtercio & Clara-Valle Legatos Regis Daniæ liberāt è cuſtodia. 789.

Abbates Ciſtercienſes Præſides Capitulorum aliorum Ordinum. p. 635. Interſunt Concilijs Generalibus. 307. Prædicant Cruciatam Expeditionem. p. 305. & 306. Duodecim Abb: Ciſt: conſtituunt primum Senatum Tribunalis Inquiſitionis. 291. Invitantur per literas ab Innoc: III. ad labores Apoſtolicos 293. Abbates Ciſt: Sanct. 141. & deinceps.

Abbates Commendatarij qualem poteſtatem habeant in Cœnobia ſibi commendata. pag. 41.

Abbates Congreg: Hiſp: Triennales. 58.

Abbas Curiæ-DEI Vir Apoſtolicus. 290.

Abbas Langheimenſis Vir Apoſtolic⁹. 295.

Abbas de Morimundo Militum Calatravenſium Pater Abbas. 494.

Abbatum de Nova-Cella prærogativæ. 1040.

Abbates Poloniæ, Secretarii Regij. 654.

Abbates Primi quatuor Ciſt: conferunt Ordines Subdiaconatûs & Diaconatûs. 616.

Abbas Sitticenſis fungitur munere Archi-Diaconi. 1107.

Abbatis Titulus è Ciſtercio ad Præmonſtratenſes emanat. 891.

Abda, Regina Bohemiæ, fit Ciſt: 406.

Abdela, Boh: Regis filia, Ciſt: 433.

Abram, Abbatia Ciſt: in Hung: 1139.

Abſolon, Archi-Epiſc: Lundenſis in Dania Ciſt: Cœnobium ædificat pro Viris, qui ſcriberent Annales Daniæ. 522.

S. Abundus, à teneris pietati deditus, amantiſſimus Crucifixi Salvatoris. Inviſitur quotidie ab Angelis. Ob puritatem dicitur Angelus terreſtris. Alia præclara de ipſo, p. 170. & 171 Videt Chriſtum ſub forma pulcherrimi Pueri. 238 Accipit oſculum à B. V. & viciſſim illam oſculatur. 256. loco ipſius Beata V. antiphonam in choro cantat ibid.

Actio Ord: Ciſt: pro recuperandis Monaſterijs in Hungaria 1140. & deinceps.

Adalvardus Coadjutor B. Stephani in munio Apoſtolico apud Suecos. 299.

B. Adamus in infirmitate Mariam habet Medicam. 259.

B. Adam Epiſcopus, ob defenſionem libertatis Eccleſiaſticæ martyriô coronatur. 272.
Adelbertus ex Archi-Præſule Salisburg: Ciſt: 471.
Adleta illuſtris Virgo Ciſt: apud Saxones. 482.
Adolphus Epiſc: Oſnabrug: 393.
Adrianus IV. Papa Ciſt: Propagator Catholicæ veritatis. 680.
Affligemienſis DEIparæ Statua reſalutat Bernardum. 714.
Africa illuſtris à martyrio Ciſt: 275.
Agnes de Gerſdorff Abbatiſſa in Marienthal. 1072.
Agnos DEI à Summo Pontifice benedicendos conficiunt & ſignant Ciſt: Ful: 640.
Agrorum cultura promota per Ciſt: 805. & 1147.
Aidus Princeps Hibernus, Ciſt: 455.
De *Ala*, Militia Ciſt: 497.
B. Alachrinus Vir Apoſtolicus in Italia. 305. S. Dominico familiariſſimus. 898. Audit ab eo arcana. ibid.
B. Alanus Doctor univerſalis, fit Ciſterc: quô modô? Magnæ humilitatis Vir, Almaricum hæreticum Romæ confundit. 559, & 560.
Alanus, Scriptor vitæ S. Bern: 356, & alibi.
B. Alardo à Chriſto hora mortis prædicitur. 241.
S. Alberius II Ciſtercij Abbas, moribus ſuavis. 10. Candidam cucullam à DEIpara accipit. 11, & 249. Ejus vitæ & felicis mortis relatio, à pag: 10. uſque ad 13. Moritur pronunciando nomen Mariæ. p. 13. Apparet poſt mortem. ibid. Item de eo. p. 26. Vaticinium à B. V. audit de Ordinis perpetuitate. 592.
Alberonem è Comitibus Flandriæ Bernardus in Claram-Vallem vocat. 473.
Albertus Archi-Dux Auſtriæ, Benefactor Monaſterij SS: Trinit: 1101.
Albertus de Mora Ciſt: in Pontificatu dictus Gregorius VIII. 326.
B. Albertus Vir Apoſtolicus in Livonia, ſub ipſo ſurgit Ordo Gladiferorum. 294.
Albigenſium hæreſis expugnatur per Ciſterc: 683. Enervatur per jejunium S. Lutgardis, 197. Quales eorum errores? 691.
Alcantarenſis Militia Ciſt: 496.
Alcobatia, inſigne Cœnobium in Luſitania, glorioſum à Martyribus. 274. Fundatur prodigiô interveniente. 766. Ejus Abbates Regum Eleemoſynarij & Conſiliarij perpetui. 655. Jus nominandi Duces pro portibus maritimis. *ibid:*
Aldebertus Abb: renovat in prælio apud Luſitanos orando Moyſis miracula. 144.
Alexandri IX. Ciſt: Generalis præclara acta 29. Ejus mirabilis ad Religionem converſio. 142. & 143.
Alexander, Regis Scotiæ filius, ſpretô ſceptrô, Ciſt: quô modô? 421. Apparet poſt mortem cum duplici corona. 422.
Alexander III. Pontifex, Ciſt: triplex ſchiſma frangit 322. Reges Gall: & Angl: frœnum equi Ejus pedeſtres tenent. 323. Vindicatur fuiſſe Ciſterc: 324. Singulare confert privil: Ciſt: 629. Ejus glorioſæ literæ ad Capitulum Generale Ciſt: 577. Protegit immunitatem Eccleſiaſticam adversùs Frider: Barbaroſſam. 680. Leges in Conclavi, Sede vacante obſervandas condit, item canonizandi methodum. 707. Ejus Elogium de Ord: Ciſt: 822.
Alexandri IV Elogium de Ord: Ciſt: 824. Ejuſdem de eodem. ibid.
B. Aleydis S. Bernardi Mater. 64. Filios ſuos Religioni educat. Ejus pietas in pauperes. 110. Vitæ auſteritas. S. Ambroſio devota, ab eo ad cœlum evocatur. 111. Sanctè expirat. ibid. Poſt mortem apparens filijs ingreſſum Religionis

gionis ſuadet. 112. Ejus oſſa ad Claram-Vallem portantur. ibid.

B. Aleydis in Monaſt: Cameræ B.V. inter Chriſti amplexus arcana cœleſtia docetur. 230.

B. Aleydis dicta Leproſa, Ciſt: ingentis patientiæ Virgo, alios amplexu à lepra curat, ipſa ad horrorem ulceroſa. 211. & 212. Martyrij laureolam conſequitur. 213.

B. Aleydis, filia Regis Polon: Ciſt: 433.

B. Algotus, Epiſc: Curienſis. 393.

Almarico Regi de Saracenis victoriam prænunciat Bernardus. 786.

Alna aſceterium Ciſt: in Belgio. 174.

B. Aloyſius Gonzaga S.J. legit quotidie aliquid è S. Bernardo. 958.

Alphonſus Rex Luſit: precibus Aldeberti Abb: victoriam de Saracenis reportat. 144. amat præcipuè Ord: Ciſt: 650. Facit regnum ſuum feudatarium Eccleſiæ Clara-Vall: 657, & 658. Obtinet victoriam per preces S. Bernardi. 765. Ejus auſpicijs fundantur Militiæ de Avibus. 495, & de Ala 497.

Alphonſus Caſtellæ Rex, erga Inſtitutum Ciſt: propenſiſſimus. 409. Precibus Ciſtercienſium Valeriam Urbem expugnat. 802.

B. Alquirinus inter morbidorum ulcera hærens, à Chriſto patiente ad vulnerum ſuorum oſcula admittitur. p. 235.

Alto-Vadum, Cœnobium Ciſt: fundatur à Roſenſibus. 1047. In eo Roſenſiū ſepultura. 1048. Sacellūs Annæ 1049, & B.M. Doloroſæ imago. 1050. Donatur favoribus Pontificijs ac Regijs. 1051. Solum è 500 Cœnobijs non devaſtatur ab Huſſitis. ibid. Accipit à Cæſare Rudolpho ſalem perpetuum, & quâ occaſione. 1051. Inſtrumentum confirmationis omnium privilegiorum. 1052. Jura Patronatûs. 1054.

Alvaſtrum Sueciæ Cœnobium nobilitatum per incolatum S. Brigittæ. 962.

Alzirani SS. Martyres. 425.

S. Amadeus Epiſc: Lauſan: ejus vitæ & virtutum relatio. 379. Eugenio III. & Friderico Cæſari Venerabilis. DEIparam ſuis ſcriptis illuſtrat. 380.

B. Amadeus Dominus Altæ-Ripæ, Vir magnæ Sanctitatis ac humilitatis. 441, & deinceps.

Amalricus Epiſc: Vir Apoſtolicus. 302.

S. Ambroſij feſtum magnô fervore colit B. Aleidis Mater S. Bernardi. 111.

S. Ambroſij Abbas Mediolani magnis gaudet prærogativis. 652.

Ambroſius de Gandavo, excellens Mathematicus, Carolo V. Cæſari percharus. 533.

Ambroſius Ciſt: Primus Viſitator Clariſſarum Virginum. 929.

Amori impuro Bernardus Abbas SS. Crucium excuſſione dentium illudit. 146.

Amor mirus Bernardæ Virg: in Deum. 218.

D. Anaſtaſij imago miraculis clara, Romæ ad Aquas-Salvias. 746.

B. Andreas Frater S. Bernardi, cum eo Ciſtercium ingreditur. 119. Janitor in Clara-Valle. 120.

Andreas Bernardi avunculus, Templarius. 126.

Andreæ Pariſienſis miraculoſa ad Ordinem converſio. 417.

Angelus pulſat tabulam in obitu B. Humbelinæ. 125. Pædagogum agit B. Aſcelinæ. 132. Subit vices abſentis B. Gualteri de Birbach in ludis militaribus, ac palmam reportat. 175. Aſſiſtit in choro candidâ conſpicuus cucullâ B. Arnulpho de Majorica, & caput ejus debile ſuſtentat. 186. Quotidianô magiſteriô S. Eliſabetham Abbatiſſam Schœnaugienſem arcana cœleſtia docet. 221. Caput S. Sacerdotis Epiſc: Seguntini Canonicis affert. p. 391.

 Cerni-

Cernitur ferre pacem in Miſſa B. Ervæo adoleſcenti nobiliſſimo. 429. Imponit capiti S. Franchæ velum virgineum. 478.
Angeli videntur à S. Bernardo in choro pſallentium ſcribere omnia & notare. 98. Stimulant Religioſos in choro ad alacriter cantandum *Te Deum laudamus*. 98. In choros duos diviſi, more Religioſorum cantant. 99. Aſſiſtunt S. Aymoni celebranti. 159. B. Aſcelinæ lumen in choro præferunt 133. Flores ſpargunt in choro Clara-Vallenſi in obitu B. Guichardi. 162. Quatuor lilia videntur præcidere in Cœnobio Igniacenſi. 163. Viſitant B. Petrum Marginet. 168. Comitantur S. Lutgardem euntem ad epulum Euchariſticum. 199. Adſunt eidem in morte. 200. Concinunt in obitu B. Violentiæ. 217. Deducunt B. Mariam Sanctimonialem inter concentus è carne ad cœlos. 218. Viſitant frequenter B. Catharinam Sanctimonialem. 222. B. Euphemiam. 222. Innocenter ſuſpenſam in patibulo S. Hildegundem Virg: Ciſt: ſervant in vita. 224. Circa tumbam S. Thomæ Cantuarienſis perſolvuut offic: de SS. Mart. 366. Signati crucibus, Duce S. Guillelmô Ciſt: pugnant contra Albigenſes. 374. Suſtentant reverenter manus S. Bonifacij, Miſſam celebrantis. 383.
Angelus Manrique, eximiæ ſcientiæ Vir. 561. Ejus panegyris de S. Ignatio. 952.
Angelus, Abbas Runenſium intereſt Concil: Conſtant. 1105.
B. *Anianus* virtute miraculorum clariſſimus, obedientiæ imperiô ab ijs abſtinet. 189.
Animæ ex purgatorio recurrunt ad S. Bernardum. p. 100. Extrahuntur è pœnis per Angelos ſub ipſius Sacrificio. ibid. Habent communem Advocatam in S. Lutgarde, 198. atque etiam in B. Ida de Nivellis, quæ acerbiſſimos dolores divinitùs immiſſos pro ijs offert. 209.
Animarum Curati, Ciſtercienſes. 852.
Anna Auſtriaca, Regina Galliæ, Bernardi precibus hæredem, Ludovicum XIV, impetrat. 760.
Anna Maria Duciſſa Bavariæ reſtituit Waldſaſſium. 1034.
Annulô ſibi S. Robertum deſponſat DEIpara. 3.
Annona miraculosè multiplicata. 779, & deinceps.
B. *Anſelmo* cantanti candida inſidet columba. 177.
Anſeres nulli *Sylveſtres* in fundo Cœnobij Trebnicenſis apparent, & cur? 1127.
B. *Antonia de Orleans* Duciſſa, Ciſterc: 457. Congregationem de Calvario S. Scholaſticæ inſtituit. 458.
B. *Antonia* Luſitana, apud Chriſti tribunal Mariam habet Advocatam, ſibíque manum porrigentem. 261.
S. *Antonij Pad*: Canonizatio promovetur per Ciſterc: 931.
Antonius Wolffrad, Ciſt: Epiſc: Viennenſis. 1100.
Antonius de Albizis, Leoni X. charus. 531.
Antonius Sedlecenſis, inventor argentifodinarum Cuttnenſium. 774.
Pro S. *Antonini* canonizatione primum teſtimonium petitum è Ciſt: 932.
S. *Antonini* elogium de Ordine Ciſter: 840.
Apologia D. Bernardi ad Guillelmum. 849. Alia Ludovici de Eſtrada pro Societate JEſu. 947. Alia Stanislai Reſcij pro eadem. 951.
Apoſtolici Viri ex Ordine Ciſtercienſi. 287. & deinceps.
Apoſtolica hæreſis impugnata per S. Bernardum. 691.

Apotheoſis nonnullorum Sanctorum procurata per Ciſterc: 799.
Appellatio à ſententia Ordinis, per Pontifices Ciſtercienſibus eſt inhibita, exceptis duobus caſibus. 633.
Aquas ſalutares de petra elicit B. Famianus. 167.
Aquiria, Aſceterium in Belgio, inſtar Cœli à Genijs cœleſtibus viſitatur. 198.
Arbitri & Judices è Ciſtercio alijs dati. 790. & deinceps.
Archæus: ſub allegoria Archæi deſcribuntur Viri Apoſtolici Ciſt: per totum Elogium. 310.
Argenteæ mineræ Cuttnenſes repertæ per Ciſterc: 774.
Pro *Ariſtotele* orat Divus Bonifacius: & datum ei divinitùs reſponſum. 383.
Armandus Cardinalis *Richelieu*, Generalis Ciſt: pag. 41. Qualis ejus authoritas in Ordinem. 43. & 44.
Armenorum unio cum Romana Eccleſia ſub Eugenio III. 679.
B. *Arnaldus*, Generalis Ciſt: 17us Albigenſium terror, Vir Apoſtolicus, Tribunal S. Inquiſitionis promovet. 31. 290. 375. 376. Ei dedicat Innocentius III. ſuos ſermones, *ibid:* Vir Magnus in DEI Eccleſia. *ibid:*
Arnaldus Ciſt: Generalis 18us Legatus Pontificius. pag: 31.
Arnaldus Melroſæ Abbas impetrat Regi ac Regno Scotiæ abſolutionem à generali Interdicto. 789.
Arnoldus Veteris-Montis Abbas Commendas impugnat. 36.
Arnoldus Comes de Spanheim, Ciſt: 483.
B. *Arnulphus* Converſus *Villerienſis*, aliàs dictus de *Bruxellis*, Vir ſanctiſſimus, rigidus in corpus ſuum, arcana cordium penetrat, ejus aliæ prærogativæ. 181. 182. 183.
B. *Arnulphus de Majorica* miraculosè ad Ordinem converſus, dolores maximè appretiat. 185. & deinceps.
B. *Aſcelina* ſenſualitatem mortificat, Ejus ſancta vita & prærogativæ. 132. 133.
Aſcetæ de Ord: Ciſt: 574. & deinceps.
Auberti Miræi Elogium de Ordine Ciſterc: 839.
Auguſtiniani connexi cum Ciſterc: 918. & deinceps.
è S. *Auguſtini* ore Bernardus noſter videt in ecſtaſi flumina emanare. 918.
Auguſtiniani Doctores, SS. Hugo & Richardus à S. Victore familiares Divo Bernardo. pag: 920.
D. *Auguſtinus* evocat clientem ſuum B. Hugonem Ciſt: in ſuo feſto ad cœlum. 921. Ejus locum converſionis habent Ciſt: Mediolani. 922.
SS. *Auguſtini & Bernardi* opera conſtanter legit S. Juliana Ciſt: eáque è latino in patrium idioma transfert. 201.
Auguſtinianorum controverſiæ circa S. Guilielmum Aquitaniæ Ducem recenſentur, & deciditur pro Ciſtercio. pag. 49. & 923.
Auguſtiniani accipiunt Eccleſias à Ciſterc: 926. Subſunt Ciſtercienſium viſitationi. 927.
Auguſtiniani Canonici Regulares Camenſe cœnobium in Sileſia olim incoluêre. 1120.
Auguſtinus Ghettinus Ciſt: ad 3. fontes, S. Philippo Nerio datus à DEO conſiliarius in rebus arduis 965.
Auguſtinus Sedlecenſis, Cuttenbergenſium Curatus, Hæreticos in foſſas metallicas præcipitat. 696.
Aulam ſuam penès Archi-Cœnobium Ciſt: conſtruit Odo, Burgundiæ Dux, cujus ſuperſunt veſtigia. 649.
Aula Regia, Cœnobium Ciſt: fundatur à Wenceslao Rege, pag. 1059. qui apparatu regiô lapidem fundamentalem jecit.

jecit. 1060. Ambitus inſignis, *ibid:* Poſſeſſiones & bona 1061. Aula-Regienſium ſanctitas. 1062. Cœnobij excidium, & varij caſus. 1064. Ejus felicitas à Regijs favoribus. 773. & Icone DEIparæ. 725.
Aurea Sabbatha Cajoviæ. 731.
Aurum excreſcit in fundo Sedlecenſi. 997.
Auſtria connexa cum Ciſtercio. 971. Defenditur per Bohem: Regem & Exercitum. 1056. Obtinet Titulum Ducalem per Ciſt: 801. Auſtriæ Cœnobia Ciſterc: 1091. Auſtriæ Ducum tumuli in S. Cruce. 1094.
SS. *XIV. Auxiliatorum* cultus inter miracula. 1125.
Ave Maria, totidem literis aureis expreſſum apparet in lingua defuncti B. Euſtachij. 258. Item in lilio, ex ore BB. Guillelmi & Joannis, atq; etiam in arbore ex tumulo B. Ladislai excreſcente. *ibid:*
Ave Maria S. Edmundus inſculpit annulo, & digito ſtatuæ B. V. inſerit. 368.
Ave maris Stella, Hymnus, S. Bernardo adſcribitur. 704.
Avis piſcem adfert D. Stephano ægrotanti. 16.
Avicula cantat B. Eroni Ciſt: per ducentos annos. 148.
Aviſienſis Militia Ciſterc: 495.
S. *Aymo*, Ejus præclara acta. 159.

B.

Baculus Paſtoralis S. Stephani Abbat: qualis? 19.
Baculus S. Bernardi in Monaſterio Zwetlenſi. 1097.
Sub *Baculi* allegoria deſcribuntur Epiſcopi. 394.
B. *Balduinus* Cardinalis, Legatus à latere, Magnum Eccleſiæ lumen. 339.
B. *Balduinus* Archi-Epiſcopus Cantuariæ, Dux ſacræ Militiæ, Ejus vitæ & mortis relatio. 366. Inſignis Philoſophus. 528.
Balduinus Comes Flandriæ cooperatione Ciſt: renunciatur Imperator Conſtantin: 788.
Barnabas de Montalbo Hiſtoricus. 519.
Bartlingi, dicti Converſi Ciſt: gaudent privilegiô liberandi Maleficos à pœna ſuſpendij. 664.
B. *Bartholomæus*, Frater S. Bernardi, Ciſtercium ingreditur. 120. Ejus vitæ rigor. *ibid:*
Bartholomæus Epiſcop: Laudunenſis, Ciſt: loci Præmonſtrati ceſſionem D. Norberto factam confirmat. 393 & 878.
Bartholomæus Conill, inſignis Medicus, ejus meritis mortuus ad vitam reſuſcitatur. 535. Præter ſolitum penſum indies Pſalterium recitat. 536.
Bartholomæus Madauer, præclarus Mathematicus. 534.
B. *Beatrix* Ordinis Immaculatæ Conceptionis Virginum fundatrix. 56. & 479.
B. *Beatrix Nazarethana*, Ciſt: 203. Illius raptus ecſtaticus. *ibid:* Tentatio carnis, & victoria. 204. Chriſtus ei dat annulum & coronam. *ibid:* Eam frequenter viſitat. *ibid:* Sagittam in illius pectus evibrat. 205. & 237. Vaticinijs clara. 205.
Bela Hungariæ Rex triumphatus per Ottocarum Regem Bohemiæ. 1055.
Belæ Regis Hungar: privilegium Ciſterc: conceſſum. 1152.
Belæ-Fons Monaſterium Ciſterc: in Hungaria. 1133.
Belgium glorioſum à Martyribu Ciſt: 279.
Bellarmini Cardin: Elogium de S. Bernardo. 84. Ejuſdem vindex. 98.
Benedictionem defunctus Frater à S. Stephano Abb: petit & accipit. 17.
Benedictionem poſt mortem impertitur B. Joannes Epiſc: Valent: 386.

B. *Bene-*

B. Benedictus Monachus genuflexus expirat poſt Sacram Communionem, eôq; ritu diu perſeverat. 169.

Benedictus XII. Summus Pontifex de Ord: Ciſt: olim Sacri Tribunalis Inquiſitor, Pater pauperum. 328, & 329. Graſſantem flammam inter Eccleſiam & Cæſarem comprimit. 680. Ejus elogium de Ciſt: 827.

B. Benedictus Princeps, filius S. Brigittæ fit Ciſt: 476, & 477. Filius lachrymarum. ibid:

Benedictinorum connexio, imò, identitas cum Ciſtercienſibus fusè deducitur. 860, & deinceps.

B. Benigna Martyr in Sileſia. 281.

Benno Vir Apoſtolicus in Wandalia. 300.

B. Berengaria filia Regia, Ciſt: 434.

S. BERNARDUS, Ordinis Ciſt: Propagator, Eccleſiæ Atlas. 1. Cum 30. Socijs Ciſtercium ingreditur. 17. Ejus ſanctiſſima vita. 63. E Comitibus de Caſtellione naſcitur. 64. Sub ſpecie catuli latrantis Matri præoſtenditur. 64. Superſtitioſam repellit fœminam. 65. Ei ſeptenni Nativitas Chriſti oſtenditur. ibid. Theologus Scholaſticus 66. Clamando, *Latrones, Latrones*, impudicam pellit fœminam. 68. Caſtitatem pretioſiorem vitâ æſtimat. 68. Oculorum curioſitatem gelidis aquis mulctat 69. Multos trahit ſecum ad Religionem. ibid: Ciſtercium ingreditur. 70. Colloquiô amicorum interna mella amittit, quæ multis lachrymis recuperat. 71. Senſibus ſuis leges præſcibit 72. Cibum vocat tormentum: ibid: Jacturam temporis, quæ per ſomnum emergit, deplorat. 73. Inter Martyres recenſetur ab Alexandro III. ibid: Qualis Bernardi vultus? 74. Ejus dignum admiratione elogium, 76. etiam nolentes ad cœlum compellit. ibid: De filiorum ſuorum ſalute cœleſte audit oraculum. ibid: Dignitates ſpernens, filios ad eas admittendas adigit: ſpeciale obtinet privilegium ad honores declinandos. 78. Ejus deliciæ converſari cum ſimplicibus. 79. Atrox ſchiſma componit. ibid: Innocentium II. legitimum Pontificem nominat. 80. Munus prædicandi crucem contra Saracenos ſuſcipit. 82. Dux Belli conclamatur, ibid: miraculô confirmat, ſibi à DEO impoſitum eſſe verbum prædicationis. 84. Thaumaturgus maximus. ibid: Pio Viro inter Apoſtolos oſtenditur. 87. Ejus veſtigia in pulvere relicta viſum cæco reſtituunt, ibid: Ad imperium Goſvini Generalis à miraculis abſtinet. 88. Tutelaris Patronus Januenſium, ibid: Favoribus cœleſtibus clarus, ejus labores in filios cœlitùs laudantur, Divinum Puſionem inter ulnas recipit. 89. Eum Chriſtus è cruce ſe reſolvens amplectitur: à DEIpara reſalutatur. 90 & 91. lacte Virgineô & reali potatur, 91, & 92, Id teſtatur Brito, 92. à macula purgatur, quæ ei ex putatitia impugnatione Immaculatæ Conceptionis affricatur. 92, & deinceps. Videt Monachis pſallentibus adſtare Angelos, 98. Speciali fervore decantat Hymnum Ambroſianum: dulci canticô Angeli ei præſagiunt Claræ-Vallis tranſlationem. Terror dœmonum. 99. Energumenorum liberator, dœmonem cogit, ut vicem fractæ rotæ ſubeat. Specialis Patronus animarum purgantium, videt eas ab Angelis deportari in cœlum. 100. Plurimùm utitur Scripturæ verbis in Scriptis ſuis, ab ipſis hæreticis laudatur. 101. Centum & ſexaginta Cœnobia fundat: Ejus eximium Elogium ab Alexandro III.

Magnus Propheta, multis prædicit ingreſſum Religionis. 102. Ætatis ſuæ annorum 63 ad cœlum evolat. 103. Pater Fratrum ſuorum, & quod ratius, Pater Patris ſui. 107, & 108. Guidonem à vinculo matrimonij expedit, & ad clauſtrum trahit, 113. Ejuſdem gloriam revelat. 114. Gerardo fratri ſuo ingreſſum Religionis vaticinatur. 115, & 116. Morti Sororis Humbelinæ intereſt. 125. Hugonem ad Religionem miraculosè ducit. 127. Lingonenſem Epiſcopatũ recuſat. 129. Ejus profunda humilitas, ibid: Ejus inſignis epiſtola ad Robertum, 130, & 131. Mira patientia & manſuetudo. 158. Dilectus DEIparæ filius, ab ea reſalutatur. 250. Vir Apoſtolicus, ejúſque Acta in Appſtolico munio, 288. Ejus merita in Eccleſiam. 681. 703. Opera ejus juſſu DEIparæ prodeunt in lucem. 703. Venerabilis in Concilijs. 705. Mathildi Reginæ filium exorat. 762. Luſitanis inſignem victoriam impetrat. 765. Henricum Regem Angliæ ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ reducit. 770. Almarico Regi victoriam nunciat. 786. Per preces exorat artem metendi. 804. Laudat Auguſtinianos. 919. Primus ritu ſolemni canonizatur. 708.

Bernardus Abbas Sanctarum Crucium, Vir Apoſtolicus. 304. Dentes ſibi excutit, ac in laſcivas mulierculas jactat. 146.

Bernardus de Montgaillard baptiſmali fonte abluit B. Florentium Mahometanum. 187.

S. Bernardus, dictus *Alziranus*, Mahometani Regis filius, è Saraceno Chriſtianus, Ciſtercienſis, ac Martyr, & quô modô. 425. Sorores ſuas ad Chriſtum & Ciſterciũ adducit, miraculis claret. 426.

B. Bernardus Rhedonenſis vocatus ad purpuram, omne munus aſpernatur. 340.

B. Bernardus Trejur, Martyr. 272.

Bernardus Comes de *Lippia*, Ciſt: Livoniæ Apoſtolus. 449.

Bernardus Gutierrez, J.U. Doctor, habitum Ciſt: aſſumit. 537. Præclara agit. 538.

Bernardus de Eſcobar, Juris Canon: Doctor, gloriam ſuam revelat, Juſtum Matiencum ad cœlum invitat. 538.

B. Bernardus XII. Ciſt: Generalis. 29.

Bernardus Comes à *Camentz*, Epiſc: Miſnienſis, Fundator Mariæ-Stell: 1072. Quâ occaſione, ibid: & 1073.

Bernardus Brito, Scriptor hiſt: 521.

B. Bernardo Grandi-Sylvenſi Monacho revelatur Ciſt: beatitudo. 585. & 586.

Bernardus de Portis Carthus: familiaris S. P. Bernardo. 872.

Bernardus Lopez, Panegyriſta D. Ignatij. 955.

Bernardus Roſa, Præſul Griſſov: inſignis. 1125.

Bernardus Auſtriacus, ſive Ciſt: Cœnobia in Terris Auſtriacis. 971. & deinceps.

Bernardæum Collegium Pragenſe coævum Univerſitati Carolinæ. 512. & deinceps.

Berkiana Familia præſumitur eſſe Fundatrix Monaſt: Frauenthalenſis. 1076.

Bertrandus, primus Abbas Firmitatis. 70.

B. *Bertradis*, Angelorum felix alloquiô. 222.

B. *Bertramo* Ciſt: DEIparæ tam corporis, quàm animæ in cœlum aſſumptio revelatur. 261. 712.

B. *Bertha*, è Flandriæ Comitibus, Ciſt: 481.

B. *Bertholdus*, Vir Apoſtolicus in Livonia. 294.

Beskavv, Præpoſitura Neo-Cellenſium in Brandeburgia. 1040.

S. Biblia diviſa in Capita per Stephanum Ciſt: 705. Ciſtercienſibus imponitur ab Innocentio reviſio translationis

SS.Bibliorum in idioma Gallicum. 706.
Bibliorum Cathedra apud Luſitanos in Ciſtercio cœpit. 800.
Biſtricium, deſolatum Cœnob: Ciſt: in Bohemia. 1086.
Blancha, Mater S. Ludovici Regis, habitum Ciſt: aſſumit. 407.
Blaſius, *45*^tus Ciſt: Generalis, præmaturè defunctus. 39.
Bocconium, Ciſt: Cœnobium in Hungar: 1133.
Bohemia illuſtris à ſanguine Martyrum. 281.
S. Bonaventura, Bernardi amantiſſimus. 932.
S Bonifacius Epiſc: Lauſannenſis, Vir Apoſtolicus, magni ingenij, materna averſatur oſcula adhuc infans. 381. Ciſtercienſis, rigidus in corpus ſuum. DEIpara ſuper lectum ejus JEſulum reponit. 382. Angeli Sacrificanti aſſiſtunt, Ariſtoteli compatitur, & preces ejus interpellantur, mirabilem habet viſionem. 383.
B. *Bonifacius XXIII.* Ciſt: Generalis, captus à Frid: Barbaroſſa, conſolatoriam accipit epiſtolam à Gregorio Papa: item aliam ab Innoc: IV, quâ electionem ſuam notificat Pontifex. 32.
Bonifacius Simoneta, inſignis Philoſophus. 528.
B. *Bonus*, Vir Apoſtolicus in Gallia. 292.
Borſmonoſtra, Monaſt: Ciſt: in Hung: 1139.
Bourenſes ſubditi in Hiſp: ſpeciali gaudent privilegiô. 656.
Brachij exuſtione, ſedatur carnis tentatio. 145.
S. Brigittæ Revelationes per Ciſterc: divulgantur. 962. & deinceps.
Brigittinorum Ordo connexus cum Ciſt: 962.
B. *Briolaya*, in ſacra hoſtia Chriſtum ſub ſpecie puelli intuetur. 232.
Britannia Regnum pluribus illuſtratur Viris Apoſtolicis. 301.
B *Bruno* Ciſt: Græciam Spiritu Apoſtolicô perluſtrat. 305.
B. *Bruno* Archi-Epiſc: Colon: Comes Althenæ & Marchiæ, fit Ciſt: 449.
Bulgaria illuſtrata à Ciſtercienſibus. 788.

C.

B. Cæſarius Heiſterbac: Vir Sanctus, inſignis hiſtoricus. 526.
Cajovienſis B.V. ſtatua miraculis clariſſima. 736. & deinceps.
Calatravenſes Milites, Ciſterc: 493. Calatravenſes Moniales Ciſt: 504.
Calixtus II. Papa noſtris familiaris. 330.
Calvinus laudat S. Bernardum. 101.
Camberonam contra hæreticos defendit DEIpara. 252.
Camencium Leskovicenſe Mon: Ciſt: in Boh: 1086.
Camencium Monaſt: Ciſt: in Sileſia, ejus fundatio. 1120.
Campanarum ſonitus prodigioſus. 150. & 304.
Campanulæ in Miſſis pulſari ſolitæ audiuntur prodigiosè. 1067. & 1084.
Campus-Liliorum Monaſt: Ciſt: in Auſtria. Ejus fundatio. 1100.
Campus Strigonienſis, Monaſt: Ciſt: in Hũg: 1139.
De *Candelis*, Cœnob: Ciſt: in Hung: 1138.
Candidi Quatuor BB. Ciſt: quales illi? 163.
B. Candidus Furlongius, Apoſtolus Hiberniæ, dœmonum terror. 302. Plurimos ad fidem reducit. 303.
Canonicus Regularis S. Bernardo infligit alapam. 158.
Canonicorum Regularium connexio cum Ciſt: 853.
Canonizandi methodum ordinat Alexander III. Ciſt: 707.
Cantuaria, 4. Archi-Epiſcopis è Ciſt: illuſtratur. 363.

Capitulo Claræ-Vallenſi DEIpara præſidet. 596.
Capitulum Generale in irregularitatibus diſpenſat. 630.
Capitulorum aliorum Ord: Præſides Ciſt: 635.
Captivorum, & ſpoliatorum Patronus B. Stephanus. 155.
Caramuel inſignis Doctor. 547. & deinceps.
Cardinales de Ord: Ciſt: 334. & deinceps.
B. Carentia, Ciſt: 219. 220.
Carmelitarum connexio cum Ciſt: 936. & deinceps.
Carolus Connaciæ Rex, Ciſt: 403.
Carolus Comes de Seyne, Ciſt: 450. charus Philippo Regi Franc: 451.
Carolus Viſchius, inſignis hiſtoricus. 525.
Carthuſianorum connexio cum Ciſt: 869,
Caſa-Nova, Cœnob: Ciſt: in Hungaria. 1133.
Caſimirus è Monacho Cluniac: Rex Polon: fundat Monaſt: in Lubens. 1111.
Catarellorum hæreſim extinguit Henricus Ciſt: 373. & 692.
B. Catharina Ciſt: pro libitu divinum apud ſe habet Sponſum. 221. Septies intra diem ecſtaſim patitur. ibid: Alij in eandem cœleſtes favores. 222.
Cella Angelorm, Cœnob: Ciſt: in Auſt: 1102.
Cereviſiâ pro philtro utitur Bernardus, quô animas ſanctè intoxicat. 86.
Chartam charitatis conſcribit S. Stephanus Abb: 18.
CHRISTUS è cruce ſe reſolvit in ulnas Bernardi. 90. In forma formoſi pueri eum conſolatur. 89. B. Godefrido ſub hoſtia in forma ſpecioſi infantuli apparet. 172. B. Arnulpho Villarienſi gloriam Beatorum oſtendit. 182. Conſolatur B. Petrum Villarienſem, eique ingentem favorem indulget. 184. Oſtendit S. Lutgardi vulnus lateris. 195. Cor cum ea commutat. 196. Eandem è Cruce amplectitur, & vulnus lateris ſugendum ei exhibet. 196. Sub forma agni candidi in humeris ejus quieſcit. 197. Dat B. Beatrici annulum & coronam. 204. Sub forma Paſtoris ei apparet. 205. Telô cor ejus transfigit ibid: B. Idæ de Lovanio ſtigmata ſua imprimit. 206. In perſona peregrini cum ea de Paſſione ſua loquitur. ibid: Biduô in ejus cellula ſub forma ſpecioſi pueri commoratur. 207. Ferè aſſiduè hæret apud B. Idam de Lewis, ſub forma ſuaviſſimi pueruli. 211. Amplexatur B. Aleidem Leproſam. 212. Revelat eidem martyrij laureolam. 213. B. Ivetam ſub titulo *ſingularis depoſiti* DEIparæ commendat. 214. Apparet B. Eliſabethæ in Euchariſtia ſub ſpecie veræ carnis. 221. Viſitat crebrò B. Catharinam. ibid: Multos Ciſtercienſes ſuô dignatur amplexu. 230. B. Nicolao apparet in forma pueruli inter nives ejulantis. ibid: Apparet Ciſtercienſibus ſub varijs formis in ſpeciebus Euchariſticis. 231. & deinceps. Sub forma Crucifixi & Patientis Ciſtercienſibus favores impertitur. 234. Sua ſtigmata imprimit B. Eliſabethæ. 236. Apparet ſub ſpecie infantuli aut pueri Ciſtercienſibus. 237. Lavat pedes B. Godefrido. 239. Alios favores Ciſtercienſibus impertitur. 240. Eos ad gloriam evocat. 241. Promittit ſalvandos omnes Ciſterc: 584. Parcit Orbi perituro intuitu Ciſtercienſium. 593. Scalæ innixus ſuper Ciſtercienſe Generale Capitulum apparet. 595. Chriſti patientis Inſtrumenta aſſervata in Eccleſijs Ciſterc: 738. Chriſti Euchariſtici prodigia. 742.

Cibum & ſomnum vocat gravia tributa Bernardus. 73.

Cingulum album portant Hiſp:Ciſt:& cur? 18.

Cingulum DEIparæ clarum miraculis.745.

Circz Monaſt: Ciſt: in Hung: Ordini reſtitutum. 1136.

Ciſtercium, ex Ord: Benedictinorum emanat, 1. à ciſternis nomen trahit. 6. Mater plurium Congregationum. 48. & deinceps. Nomen terribile Albigenſibus. 291. Fundatur ab Ottone Duce Burgundiæ. 649. Ejus filiæ primæ, quæ? 973. Ejus tres Fundatores aſſimilantur SS. Trinitati. 2. Item Tribus Patriarchis. 3. Eſt Ordo tutelæ fidei deſtinatus. 2. Ejus primævus rigor. 12. Ejus Generales Romæ non reſident, & cur? 25. Eſt vera Reſpublica. 1141. Habet ampliſſimam poteſtatem in ſuos Abbates & Monachos. 1143. Et in eorum Bona ſpiritualia & temporalia. 1144. Ejus jus in deperdita Cœnobia. 1148.

Ciſtercienſes, rogantur, non rogant, ut Ordinem inſtituant. 12. Eorum cautela ac motivum de non canonizandis ſuis Beatis. 140. è Ciſt: Ordine ad ſæculum reverſi fiunt miſerabiles. 70. à Chriſto Cives ſui vocantur. 385. Nullus eorum damnandus revelatur B. Gerardo. 584. & deinceps. Eorum Protectrix DEIpara. 592. Sub pallio eos Maria fovet. 597. Eorum habitus prærogativâ pollet. 599. Sunt Exempti à juriſdictione Ordinariorum. 608. Cur eximi voluerint. 610. Sinè examine admittuntur ad Ordines. 621. A pendenda reddituum parte quinquageſima cœlitùs vindicantur. 621. In proprijs cauſis ſunt Judices. 628. Eorum privilegia non revocantur, aliorum revocatis, novô robore firmantur à Pontificibus. 637. Speciale privilegium obtinent ad arcendas functiones publicas. 638. Ciſt: Hiſp: gaudent indulgentijs Stationum Almæ Urbis. 639. Interdicti tempore divina ſolemniter peragunt. 640. Abbates Ciſt: Conſiliarij Regij. 651. Immunitates eis datæ à Principibus, Regibus. 659. 660. Eorum authoritas in tribunalibus. 660. Sunt exempti à communi tributo. 663. Eorum merita in Eccleſiam. 674. & deinceps. Eorum privilegia pleraque remuneratoria. 675. Eorum merita per Pontifices è gremio aſſumptos. 679. Schiſma Friderici Cæſaris infringunt. 681. Precibus obtinent, ut Papa ad aſylum Gallicum ſuſcipiatur. 682. Potiſſimi in negotijs Eccleſiæ. 683. Eorum merita in Orbem Chriſtianum. 757. & deinceps. Liberant Hiſpaniam à Mauris. 763. Ciſt: Milites Novum Orbem inveniunt. 767. Diffidia Principum componunt. 770. Bohemiæ felicitatem procurant. 771. 772. Eorum Hoſpitalia & Xenodochia. 785. Mundo exoriuntur, dum Hieroſolymæ Chriſtianis reſtituuntur. 786. Eorum preces expetuntur à Regibus. 802. In laboribus aſſidui. 804. Viri Thaumaturgi. 808. Eorum Elogia ab alijs data. 820, & deinceps. Eorum connexio cum alijs Ordinibus. 847. & deinceps.

Claræ-Vallis deſcriptio. 75. Ejuſdem Doctores. 544.

Claudius Aqua-Viva S.J. Generalis, devotus Bernardo, ejus patrociniô ad Clavum aſſumitur. 956.

Claudius Vauſſin, Ciſt: Generalis 56^tus^ viſitat Cœnobia Germ: & Bohem: p. 44.

B. Clemens dæmonum Victor, Chriſtum videt. 238.

B. Clemens Gimenez in morte DEIparam habet advocatam. 251.
Cœnobia Ord: Ciſt: per Terras Auſtriacas. 971. & deinceps.
Cœnobia, cur quædam dicantur Matres, & quædam filiæ? 974. & 975.
Cogitationes temporales ad oſtium Eccleſiæ relinqunt S. Steph: & S. Bernardus Abbates. 17.
Collegium Divi Bernardi Pariſijs. 345.
Collegij D. Bernardi Pragæ erectio, & incorporatio cum Studio Archi-Epiſcopali. 513. 514.
Collegia Studiorum Ord: Ciſt: 576.
Collegium Societ: JEſu Gedani extruit Abbas de Oliva Ciſt. 959.
Columba comitatur B. Aſcelinam ad chorum. 133.
In columbæ ſpecie S. Bernardus B. Aſcelinæ apparet. 133.
Comites Ordinem Ciſt: ingreſſi. 440. & deinceps.
Comitum filij & filiæ Ciſt: 465.
Conceptioni Immaculatæ B. V. S. Bernardus non adverſatur epiſt: 174. Fusè S. Pater, atque ejus epiſtola ab hac macula vindicantur. 92. & deinceps.
Concilijs œcumenicis interſunt Ciſtercienſes. 307.
Concordia admirabilis Clara-Vallenſium Fratrum. 77.
Concordantiarum Bibliorum primus compilator B. Hugo, Abb: Bonæ-Vallis. 706.
Congregatio S. Joſephi, Griſſovij. 1125. Et in Campo-Liliorum. 1101. S. Arch-Angeli Michaëlis, Griſſovij. 1125. SS. Trinitatis, Henrichovij. 1119. B. M. Doloroſæ, Ratſchicij. 734.
B. Conradus XIX. Ciſt: Generalis, & Cardinalis, Legatus à Latere, Synodos celebrat, Prædicatorum Familiam ſtabilit. 31. 32. Pontificiæ dignitati renunciat. 337. Mirificè afficitur PP. Dominicanis. 911.
Conradus Imperator ulnis ſuis Bernardum è Baſilica Spirenſi aſportat. 86.
B. Conradus de Hegena multis miraculis clarus, ob id *Medici* nomen ſortitur. 176.
B. Conradus Heiſterbac: in doloribus Chriſtum habet conſolatorem. 235.
Conradus Abb: Riddagshuſanus, Vir Apoſtolicus in Wagria. 300.
B. Conradus D. Leopoldi filius Ciſt: 466. Audacter reſiſtit Friderico Barbaroſſæ. 467.
B. Conradus Henrici Ducis filius Ciſt 470.
Conradus Cæſar, & Ludovicus Rex Galliæ, hortatu Eugenij Papæ ineunt fœdus adversùs Saracenos. 678. 679.
Conſtitutiones primæ datæ B. Alberico à DEIpara. 11.
B. Conſtantinus è ſceleſtiſſimo latrone Vir Sanctus, ejus auſtera vita. 177. 178.
Contemplator jubilatus B. Ero. 149.
Cordium ſecreta penetrat S. Hedwigis. 456.
Coronationis locus Regum Hiſpaniæ, Huelgenſe Monaſt: Ciſt: 764.
Coronam Regiam Luſitania per Ciſt: habet. 764.
SS. Corporis Chriſti Solemnitas procurata ab Urbano IV. per S. Julianam Ciſt: 708. & deinceps.
Corpus S. Hugonis Matiſconenſis incorruptum. 128.
Corporis DEIparæ aſſumptio ad cœlum quadrageſimâ die poſt obitum. 712.
Corpora & Reliquiæ Sanctorum, quæ in Eccleſijs Ciſt: aſſervantur. 742.
Cruce ſignantur per S. Bernardum, Cæſar, & Principes. 83.
SS. Crucis notabiles partes in Eccleſijs Ciſt: Item alia patientis Domini inſtrumenta. 738. & deinceps.

Crucifixi imagines miraculoſæ in Eccleſijs Ciſt: 741.
Crux è Stellis apparet ſuper Eccleſiam Ciſt: in obitu S. Stepn: Abbatis. 20.
B. Cunano cœlitùs auctum frumentum. 782.
Cuprunicenſes Monachi à Barbaris trucidati. 281.
Cutenbergenſes fodinæ inventæ per Antonium Ciſt: Sedlecenſem. 774. 775.

D.

Dæmonum terror eſt S. Bernardus. 99. In hac prærogativa vix habet ſibi parem. 100. Bernardi juſſu dœmon ſe intorquet in vicem fractæ rotæ. ibid: Sub forma mulieris latet, tentat, vincitur. 145. Dœmones expelluntur aquâ fontis benedicti. 156. Variò phantaſmate dœmon illudit pſallentibus Monachis, à B. Hermanno abigitur. 157. Contemptu pellitur. 388. Dœmonum terror S. Galganus. 165. Dœmon in forma aſini laborarc cogitur à B. Petro Marginet. 169. Sub corvina ſpecie terret morientem. 188. Pedibus conculcatur à S. Juliana Ciſt: 202. Sub forma vetulæ infeſtus alapis cæditur à B. Ida de Novellis. 209. Dœmones ab agonizante B. Clemente per B. Virginem abiguntur. 251. B. Martinum Ciſt: Novitium uſque ad mortem cædunt. 252. Viſibiliter infeſti à B. Candido, crucis ſigno triumphantur. 303. Non audent tangere indutum cucullâ Ciſt: 600. Sub forma luporum ejulant. 1028.
Daleſſicium, Partheno Ciſt: in Moravia. 1089.
B. Daniel Abb: Camberonæ, digitis ſuis pro lumine utitur. 152.
B. Daniel Abb: Schœnaug: prolatâ formâ Conſecrationis in calice verum Sanguinem videt. 232.
B. Daniel Hemmenrod: ſub triplici forma videt Salvatorem, lachrymis donum lachrymarum exorat, magna Chriſti patientis cum eo familiaritas. 234.
S. Daniel, è Familia Molinorum apud Venetos, fit Ciſt: 476.
Daniel Epiſc: Prag: Ciſtecum confirmat. 1013.
B. David Hemmenrod: ſolem illæſis oculis intuetur. 176.
B. David Scotiæ Princeps Regius, Ciſt: 422.
A Decimis eximuntur Ciſt: 630.
à DEO & DEIpara conceſſi favores Ciſt: 582.
Dentium excuſſione libidinem mulierum damnat Bernardus SS. Cruc: Abbas. 146.
Deſcriptio Claræ-Vallis. 75.
Deſcriptio Ciſtercij, primævíque rigoris. 12.
B. Deſiderius Ciſt: in defectu ſcaphæ, in caputio flumen trajicit. 180.
B. Didacus de Azebes, Vir Apoſtolicus, impugnat Albigenſium hæreſim. 292. D. Dominici Magiſter. 913.
Didacus Velaſquez, Promotor Militiæ de Calatrava. 493 & 494
Digiti B. Conradi inſtar luminum ardent. 337.
Divortium inter Guidonem & uxorem ejus procurat Bernardus. 113. Eſt ob bonos fines laudabile. 114.
Divitiæ Ciſtercienſium quales eſſe debeant. 15. Sunt ruina pietatis. 4. & 5.
Doctores & Docti è Ciſterc: Ordin. 510. & deinceps, totô Titulô per ſingulas claſſes.
S. Dominicum quadraginta annis citiùs, antequam Orbi innotuiſſet, prænunciat B. Joachim Propheta. 55. S Dominicus per Ciſt: aſſumitur ad Tribunal Inqui-

Inquiſitionis. 376. Ejus amor erga B. Alacrinum Ciſt: 898. Ejus varia connexio cum Ciſt: 894. & deinceps.
Dominicani connexi cum Ciſt: 894. & deinceps. Sub equorum nomine àChriſto commendantur. 909. Sub gemino Sole oſtenduntur. 910. Confirmantur B. Fulconis Epiſc: Ciſt: cooperatione. 897.
Dominicus à Puero JESU. 238.
Dominici, àJEſu Maria, Carmelitæ vitam ſcribit Caramuel. 942.
Donum lachrymarum B. Aſcelinæ mirabile. 132.
Duces Burgundiæ Fundatores Ciſtercij. 6.
Duces, utriuſque ſexûs Ord: Ciſt: ingreſſi. 440. & deinceps.
Ducum filij & filiæ, Ciſterc: 465. & deinceps.
Duella è Lombardia proſcribit B. Oglerus. 788.
Dunenſe Cœnobium in Belgio à Leopoldi Marchionis Auſtriæ obſequijs glorioſum. 152.

E.

B. Ebrardus Comes Montenſis fit Ciſt: quô motivô? 448. Subulcum agit. 449.
Eccleſiæ Ciſt: in honorem B. V. Aſſumptæ à potiori ſunt conſtructæ. 262.
Eccleſiaſticorum connexio cum Ciſt: 852.
Ecſtaſes admirabiles S. Aymonis Ciſt: 159.
Edmundus à Cruce, LII. Ciſt: Generalis, juſſu Sixti V. univerſa Ordinis Cœnobia viſitat. 40.
S. Edmundus Cantuariæ Archi-Epiſcopus, mundiſſimus è materno utero egreditur, rigidus in corpus ſuum. 368. In omnibus negotijs Mariam habet adjutricem. JEſulus ipſum ſalutat, & characteres I.N.R.I. fronti impreſſos oſtendit, docétque eſſe ſalutares. 369. Hortatu defunctæ Matris Studia commutat. 370. Crucis prædicatio ei imponitur. 371. Fit Ciſt: in Pontigniaco, ejus ſanctum corpus incorruptum. 372.
Egres, Monaſt: Ciſt: in Hung: 1137.
B. Ela Comitiſſa, Ciſt: 459.
Eleonora, Aragonum Regina Ciſt: 406.
B. *Elias*, magnæ Sanctitatis Vir, Principibus Venerabilis, Leopoldum Auſtriæ Marchionem ab obſequijs habet. 151. Richardum Angliæ Regem è captivitate liberat. 768.
B. Eliſabetha Ciſt: Hiſp: SS. Benedictum & Bernardum è cœlo habet hoſpites, 216. S. Urſulæ Societas adeſt ejus agoni. ibid:
B. Eliſabetha Schœnaugienſis, Angelicô miniſteriô eruditur. 221. Rigida in corpus ſuum, ab ipſa DEIpara viſitatur, videt in hoſtia S. Puerum JEſum. ibid:
B. Eliſabethæ Hovenenſis vitam ſcribit B. Joſephus Præmonſtrat: 222.
B. Eliſabetha de Wans, t tô trienniô Chriſtum viſibiliter habet præſentem. 234.
B. Eliſabethæ de Spalbek Salvator imprimit ſua Stigmata, quæ ſingulis ferijs ſextis Sangine manant. 236.
S. Eliſabetha Andreæ Regis Hung: filia, Ciſt. 408. 409.
B. Eliſabetha Comitiſſa Juliacenſis, Ciſt: 459.
Elogia Authoris de Ciſtercio, Parvo fonte. 20. De Ciſt: Generalibus. 45. De Ciſtercio, ut Matre. 60. De S. Bernardo. 104. De illuſtri S. Bernardi Familia. 134. De Sanctis Ciſterc: 190. De Virginibus Ciſterc: 224. De Ciſtercienſibus-Jeſuitis. 243. De DEIpara. 265. De Martyribus Ciſt: 283. De Viris Apoſtolicis Ciſt: 310. De Summis Pontificibus Ciſt: 331. De Cardinalibus Ciſt: 348. De Epiſcopis & Archi-Epiſcopis Ciſt 394. De Regibus Ciſt: 410. De filijs & fi-

lia-

liabus Regijs Ciſt: 436. De Ducibus, & Principibus Ciſterc: 461. De Ducum, & Principum filijs. 484. De Militijs Ciſterc: 506. De Doctoribus Ciſt: 577. De favoribus Ciſtercio cœlitùs datis. 603. De favoribus Ciſtercio à Pontificibus conceſſis. 641. De favoribus Ciſt: à Regibus conceſſis. 670. De Thaumaturga Matre Doloroſa Ratſchicenſi. 735. De Meritis Ciſt: in Eccleſiam. 754. De S. Joanne Nepomuceno. 806. De Meritis Ciſt: in Orbem Chriſtianum. 816. Elogium de Elogijs Ciſt: 843. De connexione Ciſt: cum alijs Ordinibus. 968. De Bernardo Auſtriaco. 1155.

Elogia & encomia à DEO, DEIpara, Summis Pontificibus, Viríſque illuſtribus data Ciſtercienſibus. 820.

B. *Emebertum* Chriſtus conſolatur, & ad gloriam cœleſtem evocat. 241.

Emergardis Divi Roberti Abb: Mater. 3.

B. *Engilbertus* Ciſt: Propheta de Saxonia. 801.

Epiſcopi de Ordine Ciſt: mille quadringenti. 379.

Epiſcopatus nonnulli per Ciſt: erecti. 798.

Epiſtola D. Bernardi ad Januenſes, in quibus ſempiternum ſpondet auxilium. 89. Ad Robertum Conſobrinum ſuum, ſcripta in imbre ſinè imbre. 130. Ad Præmonſtratenſes. 884.

Equus inſtar aſinæ Balaam Galganum alloquitur. 165. Equus B. Wernci ſubſiſtere ſponte ſolet ante mendicos, fugere autem divites. 174. Equus alijs recalcitrans, obſequentiſſimus D. Walleno. 475.

Erchi, Monaſt: Ciſt: in Hung: 1139.

Eremitarum connexio cum Ciſterc: 857.

B. *Ericus* Rex Daniæ ſpretô ſceptrô, Ciſt: quô motivô? 400.

B. *Ermengardis* Comitiſſa Britanniæ, ad eam literæ Bernardi, fit Ciſt: 457.

Ermeſendi, inſtar ovicularum mirabili viſione oſtenduntur Ciſtercienſes. 601.

Erneſtus ab Harrach Cardinalis reſtituit Cœnobium Oſſecenſe. 1021.

B. *Ero* ducentis annis ab avicula cantante tenetur in ecſtaſi. 147. Vindicatur ejus hiſtoriæ veritas pro Ciſtercio. 149.

B. *Ervæus* Regiô genitus ſanguine, Ciſt: 429 Bernardi de eo præſagium. ibid:

Eucharistici Chriſti prodigia in Eccleſijs Ciſtercienſium. 742.

B. *Everardus Taciturnus* mirabilis. 185. Injuriam ſibi illatam beneficiô recompenſat, ejus imperio feræ obtemperant. ibid.

Everhardo Abbati Salemitano crucis prædicatio imponitur ab Innoc: III. 305.

Everhardus ex Ordine Templariorum, vitæ ſanctitate clarus, ab ipſo Chriſto audit dimiſſa ſibi eſſe peccata. 492.

B. *Eugenius III.* Papa intereſt Capitulo Generali Ciſt: non præſidet, ſed tantùm aſſidet, ùt Abbas. 25. Cruciatam Expeditionem demandat Bernardo. 305. Eſt de Ord: Ciſt: 317. Ejus hortatu bellum initur adversùs Saracenos. 678.

B. *Eugenius* ô galla hurre, Martyr. 272.

B. *Euphemia*, Angelicô felix obſequiô. 222. Aſſumptione Ciſt: habitûs dæmonem fugat. 251. à DEIpara protegitur. 252.

B. *Euſtachius* benedictione fonti virtutem miraculorum imprimit. 156.

Super B. *Euſtachium* & Monachos pſallentes B. V. coronam auream demittit. 262.

Exemptio Ord: Ciſt: à juriſdictione Ordinariorum fusè recenſetur. 609. & deinceps. Quô motivô Primi Ciſt: Patres illam procuraverint? 610. Confirmatur à Summis Pontificibus. 611.

Exemptio Ciſtercienſium à Decimis. 630. à pendendis Regijs tributis. 663.
Exercitus grandis Bernardi auſpicijs educitur adversùs Saracenos, & quis rerum ſucceſſus? 83.

F.

Fœmina impudica tentat B. Guillelmum Vercell: ſed horridô ſtratagemate vincitur. 52.
S. *Famianus*, adoleſcens Patriam deſerit. 166. Vir auſteræ vitæ. ibid: Inſtar Moyſis aquam de petra elicit. 167. quartô poſt obitum annô, intuitu miraculorum, inter Sanctos refertur 167.
B. *Faſtradus*, VII Ciſt: Generalis, ab Alexandro III extremam percipit unctionem 28. 141. Eum mortuum plangunt Papa & Rex Galliæ. 142. DEIpara Ei Puerum JESUM in ulnas reponit. 256.
Favor ſpecialis DEIparæ in B. Albericum & Ciſtercium. 10.
Favores DEIparæ in B. Mariam Toletanam. 217.
Favores Ciſtercienſibus conceſſi à DEO & DEIpara. 582. à Summis Pontificibus. 607. à Regibus & Principibus. 648.
Ferdinandus Alfonſi Aragon: Regis filius, Ciſterc: 420.
Ferdinandus Aragonius, Calatravæ Magiſter Generalis, & ſubinde Ciſter: Monachus. 421.
B. *Ferdinandus* Martyr, à DEIpara ad laureolam invitatur, ejus corpus cœleſti illuſtratnr fulgore. 275.
Feſtum Immaculatæ Conceptionis celebrare ipſa DEIpara præcipit Ciſt: 713.
Fidem miraculorum à languentibus non ſemper exigit D. Bernardus. 85.
Firmitas prima Ciſtercij filia. 70. Ejus linea. 973.
Finis, ob quem olim Ciſtercienſes minuebant ſanguinem 16.
Florenſem Congreg: ſub Ciſterc: Legibus S. Joachimus in Italia inſtituit. 53.
Flores ſparguntur ab Angelis in obitu B. Guichardi Clara-Vall: 162.
Fœcunditatem in conjugio exorant Ciſtercienſes. 758.
Fons B. M V. vulgò *Zara*, Monaſter: Ciſt: in Bohemia. 1041.
Fons B. M. in Landſtraß/ Monaſt. Ciſterc: in Carniolia. 1109.
Fons benedictione redditus thaumaturgus. 156.
Fontanæ, Natale D Bernardi ſolum. 64.
Fontes ſalubres vel portentoſi intra territoria Ciſtercienſium. 812. & deinceps.
S. *Francha* de Vidalta, Ciſter: ſub catulo candido Matri præoſtenditur 477. Ab Angelo ei velum imponitur. Precibus vacua dolia vinô implet. Fores clauſas oratione reſerat. Magna Thaumaturga. Oleum medicinale ex Oſſibus ejus fluit. 478.
Franciſcum Seraphicum, ante ejus nativitatem cum habitu & ſacris ſtigmatibus prædicit B. Joachim Propheta. 55.
Franciſcanorum connexio cum Ciſt: 927. & deinceps. Infeſtantur in Monaſterio Zarenſi à ſpiritibus. 1044. & 1045.
B. *Franco* Ciſt: illuſtri ortus proſapiâ. 473.
Fridericus Barbaroſſa, Cæſar, in Fratrem Ordinis Ciſt: ſuſcipi humiliter petit 28. Diu vexatô Ciſterciô in Ciſterc: habitu moritur. 33. & 668. Crudelis in Eccleſiam & Ciſtercium. 277. 681. Veneratur mirificè D. Petrum Tarantaſienſem Archi-Epiſcopum. 356. Ejus literæ ad Ciſtercienſes. 666.
Fridericus II Elector Brandeburgicus pretioſum offert anathema Statuæ B. V. miraculoſæ Rokitnenſi. 720.
B. *Fridericus* Epiſc: Aichſtetenſis. 393.
Frumenta miraculosè multiplicantur. 475. & 779.
B. *Fulco* Epiſcop: columbam habet miniſtram

ram in ſumptione Euchariſtiæ, quæ S. Hoſtiam ejus ori imponit. 232. Indefeſſus oppugnator Hæreſeos Albigenſis. 377. Promovet initia Ord: Prædicat: 895. & deinceps.
Fulienſis Reformatio in Gallijs ſub Ciſterc: Legibus. 58.
Fulienſes Ciſterc: Romæ ſignant *Agnos DEI* à Summo Pontifice benedicendos. 640
B. *Fulcardus* in labore Chriſtum habet Adjutorem. 240.

G.

B. *Gabrieli* Novitio Chriſtus ſpinis & plagis cruentus apparet, eúmque ad cœlum vocat. 241.
Gabriel Citta de Caſtello Ciſt ab Innoc. XII purpuratis Patribus aſſociatur. 347.
B. *Galdericus* Bernardi avunculus. 126. Acri invectivâ Bernardum ob virtutem miraculorum increpat. Febribus ideò caſtigatur, & ſanatur à D. Bernardo. ibid: in morte D. Petrum Apoſtolum auxiliatorem experitur. ibid:
S. *Galganus* magnæ Sanctitatis Vir. 164. Ejus ad meliorem vitam & religionem miraculoſa converſio. 165. Magnus Thaumaturgus: cœleſti voce ad cœlum evocatur. ibid:
Galleſiana Eccleſia ijsdem gaudet indulgentijs, quibus Aſſiſium. 167.
Gallia illuſtratur ſanguine Ciſterc: Martyrum. 278.
Galliæ Regnum duos obtinet hæredes Reges precibus Ciſtercienſium. 758. & deinceps.
Gaudia 7. quæ in cœlis DEIpara habet, ipſa revelat B. Arnulpho. 713.
Garſia de Vera, Hiſp: Dux belli, Vir nobiliſſimus poſt multas de Saracenis Victorias fit Ciſterc: 454.
B. *Gaufridus*, Epiſcop: Lingonenſis, ALTER BERNARDUS, dictus. 128. Dilectus Bernardo. ibid: Ejus ſancta vita & mors. 129.
B. *Gaufridus* de Meloduno Epiſc: Sorenſis, audit nullum fore damnandum, qui ſe habuerit oratorem. 387 DEIpara ei apparet. 388. à Bernardo ſanatur. Sathanam in ſpecie Simiæ apparentem contemptu abigit. 388:
Generalium Ord: Ciſt: Sedes, Ciſtercium, Mater Ordinis. 24. Eorum ſeries 26 Jus benedicendi Abbates, item hoc jus delegandi. 615. Privilegium conferendi Ordines Subdiaconatûs & Diacotûs. 615, & deinceps. Funguntur muniô ſuô abſque omni confirmatione, dumodò ſint legitimè electi. 627.
Gentilitium ſcutum Archi-Cœnobij Ciſt: deſumptum à Ducibus Burgundiæ. 6.
Gerardus Ciſt XXXVI Generalis 36.
B. *Gerardus* Frater S. Bernardi miraculosè trahitur ad Religionem Ciſt. 115. 116. ſingulariter dilectus S Bernardo. 117. Eum ſiccis oculis ſepelit Bernardus, & cur? 119. Sermonem de ipſo habet. In Capitulo amariſſimè plorans 117.
B. *Gerardus* Abbas Novæ-Vallis in Suecia, dum ſacrilegè percuteretur, inſigniter manſuetus ac humilis. 158.
B. *Gerardus* Signiacenſis Monachus, juſſu Abbatis ſui poſt mortem à prodigijs abſtinet. 162.
B. *Gerardus* Abb: Claræ-Vallis, Ord: Ciſt: Archi-Martyr, laureolæ ſuæ è cœlo habet monitores. 278 Pro ſacrilego percuſſore orans expirat. 279.
B. *Gerardo* Monacho Clara-Vallenſi Chriſtus revelat, nullum Ciſtercienſem fore damnandum. 584.
B. *Gerekinus Converſus* ſub Elevatione Sac: Hoſtiæ Infantulum conſpicit. 231.
Germania clara à Martyrio Ciſterc: 280.
B. *Gero* Puerum JESUM cruci affixum videt, è cujus vulnere ſacer cruor in ſubjectum calicem defluebat. 224.

B. *Gertrudis* S. Hedwigis filia, Ciſterc: à Chriſto vocatur ad cœlum. 482.

S. *Gilbertus* VIII Ciſterc:Generalis, exulem S. Thomam Cantuarienſem recipit, ejus vitæ relatio. 28.

Gilbertini ſub Ciſterc: Legibus inſtituuntur à S. Gilberto, illuſtri Anglo. 49. 51.

S. *Gilbertus* de Semprimgham, Gilbertinorum Fundator, Diſcip: S. Bernardi. 51.

B. *Gobertus* Comes Aſperi-Montis, Ciſt: inſigne vigilantiæ relinquit exemplum. 448.

B. *Godefridus* dictus *Sacriſta* in Villario, Magnus Thaumaturgus 172. Ejus cingulum pollet virtute miraculorum. ibid: Divinô inſtinctu miracula proſequitur. In S. Hoſtia Infantulum videt. ibid: Chriſtus ei pedes lavat. 239.

B. *Godeſchalcus* ſub ſpeciebus Panis Puerulum videt. 231.

B. *Godefrido* Pachomio ad Bravium migraturo DEIpara cum Societate S. Urſulæ occurrit. 260.

B. *Goſvinus* V. Ciſterc: Generalis, S. Bernardum jubet à miraculis abſtinere. 27.

S. *Gothardi* Cœnob: Ciſterc: in Hungaria. 1134.

Gradicium, Cœnob: Ciſterc: in Bohemia. 1086.

Græcia per Ciſterc: in Fide illuminata. 694.

Grandimontenſem Congregationem fundat S. Stephanus natione Italus. 53.

Gratiani Decretum auſpicijs Eugenij III. evulgatur. 679.

Gregorius, dictus, *Victor* Pſeudo-Pontifex, ſuaſu Bernardi ad Innocentij II pedes provolvitur. 82.

Gregorius de Valentia è Societ JESU, vindex Bernardi. 98.

Gregorius VIII Ciſterc: cruciatam Expeditionem contra Turcas demandat Henrico Card: Ciſt: 305. 326.

Gregorius IX Generalem Crucis prædicationem imponit Ciſt: 306. Vices Procuratoris agit pro Ciſtercio. 627.

Griſſovium, Monaſter: Ciſterc: in Sileſia. 1123.

Grünheimium Monaſt: Ciſterc: in Miſnia, devaſtatum. 281.

B. *Gualterus*, XX Ciſt: Generalis, Legatus à Latere ad Regem Franciæ. 32 Dedicat ipſi Sermones ſuos Honorius Papa. ibid:

B. *Gualterus* Birbach, eximius DEIparæ Cultor. 175. Quotidie intereſt Miſſæ Sacrificio, quam pietatem DEIpara prodigiô remuneratur. ibid: Omnia à DEIpara impetrat. ibid: Ejus in Dæmones, Bruta, Ventos, ac Mare imperium. ibid: Aliorum ſpiritualibus infirmitatibus piâ fraude medetur. 176. Ejus beata mors, & miracula poſt mortem. ibid:

B. *Gualterus*, Regius Scotiæ Princeps, Ciſterc: 422.

B. *Guicbardi* Clara-Vall: mors in floribus feſtiva agitur ab Angelis. 162.

B. *Guda* Ciſterc: in labore culinæ Chriſtum habet adjutorem. 240.

B. *Guido* XV Ciſterc: Generalis, ad Purpuram vocatur. 30. Pulſum campanulæ ad Elevationem aut Deportationem S. Hoſtiæ introducit Coloniæ, miraculô ſtatim confirmat. 342.

B. *Guido* XVI. Ciſt: Generalis 30. Legatos Regis Daniæ è cuſtodia liberat. 31. Evocatur ad Purpuram, & Archi-Epiſcopatum Rhemenſem. ibid: Authoritate Pontificâ Sacra Biblia revidet: Friderico Cæſari ampliſſima dona remittit, & cur? 343. & 843.

B. *Guido*, XXIV Ciſterc: Generalis, Pontificius Legatus à Latere. 33.

Guido XLI. Ciſt: Generalis Commendatarios certis Legibus Pontificijs coercet. 38.

Guido Carthuſiæ Prior inviſitur à Bernardo, & quid tunc evenerit. 72.

B. *Guido* Bernardi Frater, factô divortiô Ciſterc: efficitur. 113. Vitæ ejus & mortis deſcriptio. 114. Ejus gloriam revelat Bernardus. ibid:

B. Guido Clara-Vall: ad Chriſti amplexus admittitur. 230.

Guillelmitæ Eremitæ à S.Guillelmo Aquitaniæ Duce inſtituuntur. 49. Sub Ciſtercij Legibus, ibid: & deinceps. Item 923. & deinceps.

Guillelmus X. Ciſterc: Generalis, Galliam fame preſſam ſublevat. 29.

Guillelmus XIII. Ciſt: Generalis Exemptionem Ciſt: omnimodam procurat. 30.

Guillelmum XXII. Ciſterc: Generalem jubet Gregorius IX. urgere negotium contra Albigenſes. 32.

Guillelmus XXXII. Ciſt: Generalis, quædam Indulta obtinet à Joanne XXII Papa. 35.

Guillelmus XLVI Ciſterc: Generalis. 39.

Guillelmus XLVII. Ciſterc: Generalis. 39.

S. *Guillelmus* Aquitaniæ Dux ad Ciſtercienſes & Auguſtinianos pertinet, diverſô reſpectu. 49. 923. Eum Bernardus ad Eccleſiæ obedientiam reducit, & quô modô. 81.

B. *Guillelmus*, Ordinis Montis-Virginis fundator. 52. Laſcivam fœminam ardentibus carbonibus incubans, ad frugem convertit. 52.

Guillelmus S. Theodorici Abbas S. Bernardi imperiô infirmatur & ſanatur. 85.

Guillelmus Clara-Vall: Bernardi juſſu in medio imbris ſine imbre epiſtolam ſcribit. 130.

B. *Guillelmus* Olivetanus, rigorem priſcorum Patrum æmulatur. 173. Inſtar beſtiæ, manibus, pedibúſque reptat. ibid: Ad Ciſt: Divinô inſtinctu tranſit. 174.

è B. *Guillelmi* Montis-Peſſulani ore lilium pullulat cum literis *Ave Maria.* 258. 446. Eſt Pater omnium ferè Regum, & Principum in Orbe Chriſtiano. 445. 446.

B: *Guillelmus* Haddoc, Martyr in Anglia. 271.

B. *Guillelmus* Truſt, Martyr in Anglia. 271.

Guillelmus Walchæus, Vir Apoſtolicus, ſtrenuus Eliſabethæ Angliæ Reginæ impugnator. 301. Ejus vitæ puritas. 302.

B. *Guillelmus* Cardinal: Ciſterc: 344. Pater egenorum, inclytum Collegium D. Bernardi Pariſijs erigit. 345.

S. *Guillelmus*, è Comitibus Nivernien: Ciſterc: Ejus virtutes & laudes. 373. Albigenſium Hæreſim retundit. 374. Ejus mors cœleſti fulgore illuſtratur, multis miraculis claret. 375.

B. *Guillelmus* Clara-Vall: habet viſionem glorioſam Ciſtercio. 593.

B. *Gumarus*, Sardiniæ Rex, Ciſterc: efficitur, quô modô? 400. Magnæ perfectionis Vir, rigidus in corpus ſuum. 401.

Beati duo *Gundiſalvi* Ciſterc: in Hiſpan: campanas habent ſponte ſibi ſonantes. 150.

B. *Gunzelinus* Chriſtum è Cruce habet Pædagogum. 235.

H.

Habitûs Ciſtercienſium virtus & gloria. 599. 600.

Hadrianus IV Pontifex, Ciſterc. Ejus geſta. 319. & 320. Vindicatur eſſe Ciſtercienſis. 320. & deinceps.

B. *Hauydis* Theobaldi Comitis Luxenburgici filia, Ciſt: 480.

Hauſtum animarum propinat Bernardus. 86.

S. *Hedvvigis* Poloniæ Duciſſa, Ciſt: 455. Ejus Sanctitas & miſericordia. 456. Duos Patibularios jam ſuſpenſos è Furca abire jubet. ibid: Eam Chriſtus conſolatur.

ſolatur. ibid: Moriens præſentem habet DEIparam ibid: Ejus tres digiti incorrupti, & cur? 457.
Hedvvigis è Bohem: Ducibus, Ciſt: Mater pauperum. 460.
Hedvvigis, Henrici I. Saxoniæ Palatini filia, Ciſt: 482.
B. *Helena* mirificè deliciatur in Bernatdi memoria. 217.
Henricus XXXI Ciſter: Generalis, ſingulari epiſtolâ à Clemente VI ad Concilium invitatur. 35.
Henriciana Hæreſeos errores Bernardus benedictô pane detegit 85.
B. *Henricus* de Marilis, jubilatus Ciſterc: inter ejus viſcera ardet fulgida lampas. 173.
Henricus Converſus objurgatur orans pro B. Anſelmo. 177.
B. *Henricus* Converſus Hemmenrod: 188 cœleſtibus revelationibus illuſtris. ibid: in Sancta Hoſtia Puerulum videt. ibid: Sanctus Spiritus ei apparet, & miſcet cum eo colloquia, cingulum donat clarum prodigijs. ibid:
B. *Henricus* Hemmenrod: Monachus, DEIparam in choro videt deambulantem. 262.
B. *Henricus* Cardinalis Ciſterc: Vir Apoſtolicus. 305. Signat cruce Reges Franciæ & Angliæ inter prodigia. ibid: Papatui reſignat 336.
Henricus è Monacho Clara-Vall: Cardinalis, eximiè dilectus Bernardo. 341.
Henricus VIII Angliæ Rex ſacra Oſſa S. Thomæ Cantuar: comburi juſſit. 366.
Henricus de Soliaco, Princeps Borbonius, Ciſterc: fit Archi-Epiſcop: Bituric: 372. Hæreſim Catarellorum extinguit. 373
B. *Henricus* Ludovici VI Galliæ Regis filius, Ciſt: quô motivô? 416 & 417. Summæ humilitatis Vir, magnis decoratur Elogijs. 418.
B. *Henricus*, Ducis Burgundiæ filius, Ciſterc: 466.
B. *Henricus*, Carinthiæ Comes, fit Ciſt: Epiſc: Legatus. 469.
Henricus, Comes Luxenburgicus, Ciſterc: 473.
Henricus II Dux Lotharingiæ filiolum per preces Ciſterc: obtinet. 761.
Henrichovium, Monaſter: Ciſterc: in Sileſia. 1116.
B. *Hermannus* Hemmenrod: Abb: Sanctimoniæ ſuæ teſtem habet columbam candidam. 156. Acerrimus Dæmonis hoſtis, eum contemptu abigit. 157.
B. *Hermannum* Villarienſem Converſum DEIpara in Habitu Ciſterc: ſæpè viſitat. 254.
Hiberni aliquot Principes, Ciſterc: 454.
Hiberniæ Auſtralis Rex expulſus reſtituitur ope S. Malachiæ. 789.
Hieronymus Socberius, L. Ciſterc: Generalis, gemma Præſulum, Purpurâ donatur. 40. Vir magnæ Sanctitatis, à conſilijs ejus pendent Reges Franciæ, intereſt Concilio Tridentino. Pij V. de morte ejus glorioſum effatum. 345. & 356.
Hieronymus Llamas Abbas Carracet: Vir doctus & ſanctus, ſimul eſt in duobus locis 569.
Hilaria, vulgô Willering/ Cœnobium Ciſterc: in Auſtria. 1099.
B. *Hilarius*, Converſus Morerolæ, in pallio flumen tranſnavigat. 180.
S. *Hildegardis* Abbatiſſa Bingenſis, fit Ciſt: 220. Revelationibus clariſſima, Pontificibus venerabilis, multi Eccleſiarum Præſules ejus precibus ſe commendant. ibid:
B. *Hildegundis* in Schœnaugienſi Ciſterc: Cœnobio ſub nomine JOSEPHI ſexum mentitur. 223. Ob calumniam furti, infami ligno appenditur. ibid: AbAngelis

gelis viva conſervatur. 224. Ejus ſepulchrum miraculis coruſcat. ibid.
Himbertus de Lona, XLII. Ciſt: Generalis, perorat Romæ contra Commendas, & Cardinales ad lachrymas commovet. 38.
Hiſpania à Martyr: Ciſterc: illuſtris. 274. ejus Statuæ miraculoſæ B. V. apud Ciſt: 716. Accipit Hæredem Regem per preces Ciſt: 761. à Barbaris per Ciſterc: liberatur. 763
Hiſtorici de Ordin: Ciſterc: famoſi. 519. & deinceps.
Honorius III. S. Robertum, Primum Abb: Ciſterc: canonizat. 10.
B. *Honoratus* Converſus in Clara-Valle, Chriſti manus oſculatur, & ab eo horam mortis ſuæ audit. 240.
Honores fugit B. *Petrus Cantor*, & mori mavult, quàm eos admittere. 160.
Horatius Aquaviva, Vir illuſtris ac militaris, fit Ciſterc: ejus elogium. 454.
Horta, Cœnob: Ciſterc: ſæpiùs à Regibus inviſitur. 650.
Hoſpitalia & Xenodochia Ciſt pro Pauperibus & Infirmis. 784. & deinceps.
Hoſpitalitas Ciſterc: 1151
B. *Hoſtradus* Abb: offerens partem cibi ſui Jeſulo, ab eo ad cœleſtes epulas invitatur. 242.
S. *Hugo Matiſconenſis*, Bernardi conſanguineus, prodigiô interveniente, fit Ciſterc: 127. Primus Pontigniaci Abbas, procurat Ordinis exemptionem. ibid: Eligitur Epiſcopus Antiſid: Diſſidia Principum componit. 128. Ejus corpus ſervatur incorruptum. ibid:
B. *Hugo* Abb: Bonæ-Vallis. 155. Ab ipſo Alexandro III. in Abbatem inauguratur. 156. Magnus Thaumaturgus. ibid: Eſt Concordantiarum primus compilator. 706.
B. Hugo, Monachus Teñenbacenſis, videt Chriſtum omnibus Cœnobij ſui Fratribus Euchariſtiam porrigentem, quorum nomina in Libro Vitæ ſignantur. 233. Intuetur Deiparam aquâ luſtrali aſpergentem Ciſtercienſes, cibóſq, Fratrum condientem. 263.
B. *Hugo* Cardin: & Epiſcopus Oſtienſis, Vir inſignis, dilectus Bernardo Parenti. 341.
Hugo de Paganis, Fundator Templariorum Militum. 490.
B. *Humbelina*, Soror S. Bernardi, prima Monialium Ciſterc: Fundatrix, 108. 124. Fratrum dolet diſceſſum ad Religionem, 108. Fratri Duciſſæ Lotharingiæ jungitur in matrimonium. 122. 123. eam auſterè alloquuntur Fratres, ejus ad Fratres ſanctum reſponſum. 123. Ingreſſus in Religionem 124. Fratrum ſanctitatem æmulatur. ibid: ejus ſancta mors. 125.
B. Humbertus Comes Sabaudiæ, Ciſt: 447. Ad preces ſubditorum de adſenſu Pontificio conjugium init. Succeſſorem procreat. ibid. Revertitur ad Ciſt: ibid:
Humilitas Bernardi. 79.
Humilitatis & pœnitentiæ inſigne exemplum B. Amadeus. 442.
Hungariæ Cœnobia Ciſt: 1129. & deinceps.
Huſſitæ offenſiſſimi Ciſtercienſibus, & cur? 695.
Hymni compoſiti à S. Bernardo. 704.

I.

Jacobus XXI. Ciſt: Generalis, exemptionem Abbatum promovet. 32.
Jacobus XXV. Ciſt: Generalis, ſponte cedit dignitati. 33.
Jacobus de Flagniaco XXXVII. Ciſt. Generalis, forti animô tolerat calamitates à Commendis inflictas. 36.
Jacobus de Ponte Sciſſo XLIV. Ciſt: Generalis, zeloſus adversùs Commendas. 39.

Jacobus de Placentia, Cardinalis Ciſt: Vir clariſſimus, fœdera pacis inter Fridericum Cæſarem & Italiæ urbes procurat. 343. alia diſſidia pacat: 344. S. Antonij Pad: canonizationem promovet. ibid: & 931.
Jacobus, Arag. Rex. 401. Ordinem S. Mariæ de Mercede inſtituit. 402. Triumphat Saracenos. ibid: Et tandem Ciſterc: moritur. ibid.
Jacobus II. Aragonum Rex, Militum de Monteſa Fundator. 499.
S. Jacobi Monaſt: Ciſt: in Hung: 1139.
Janua, Urbs Italiæ felix Bernardi patrociniô. 88.
Jaroslaus Scornicius, ex Archi-Epiſc: Gneſn: fit Ciſt: 455.
B. Ida de Levvis, triumphat dœmonem ſilentiô. 210. Cordis arcana in alijs penetrat ibid: Miras delicias ſentit in Euchariſtia. ibid: Salvatorem individuum habet ſocium. 211. Hæret in ejus collo JEſulus, dum antiphonam in Choro illa cantat. 230.
B. Ida de Lovanio. 205. Videt Chriſtum deſcendere in manus conſecrantis. 206. Jugiter plorat. Stigmata 5. Vulnerum ei Chriſtus imprimit. ibid: Cœlitùs à calumnia defenditur. 207. Biduô Puerum JEſum habet hoſpitem ibid: Sororem à mortuis reſuſcitat. ibid: Ejus ecſtaſes ibid: Radiantes oculi. 208. Ducitur ab Angelis ad S. Communionem. ibid:
B. Ida de Nivellis 208. Miraculis claret, omnia quæ Deum orat, impetrat. ibid: Dœmonem pedibus conculcat. 209. Admirabilis animarum purgantium advocata. ibid: Anima ejus adhuc in carne beata eſt. ibid: Septem flammulas videt in cor ſuum ex Euchariſtia evibrari. ibid: Beatiſſimè expirat. 210. Maria JEſulum in ulnas ejus reclinat. 230.
Ignatius unus è Primis Ciſt: 5.
B. Ignatius Morerolenſis, à mortuis rediens gloriam Ciſterc: revelat. 241. Denuò comitante Chriſtô, DEIparâ, Bened: & Bern: cœleſtia repetit. ibid: Eidem DEIpara glorioſam legationem imponit ad Ciſtercienſes. 599.
S. Ignatij Mart: caput olim Oſſecij. 750.
Ildebodus, unus è primis Ciſt: 5.
Imagines & Statuæ Thaumaturgæ B. V. M. apud Ciſtercienſes. 714. & deinceps.
Immaculatæ Concept: B. V. M. S. Bernardus non adverſatur. 92. & deinceps.
India glorioſa à Ciſt: Martyr: 276.
Indulgentias Almæ Urbis Stationum obtinent Ciſt: Hiſp: 639.
Infans in flammis ſalvatur meritis S. Roberti Abb: 10.
Innocentius II. legitimus Pontifex declaratur à Bernardo. 80. Detractam è capite ſuo mitram S. Malachiæ imponit. 360. Eúmque alijs favoribus honorat. 361.
Innocentius III. è gremio Ciſterc: duodecim Viros ſeligit ad ſupprimendas Hæreſes. 291. Pluribus Abbatibus prædicationem crucis demandat. 305. Suos Sermones Arnaldo Ciſterc: Generali dedicat. 375. Hortatu DEIparæ ceſſat eſſe durus Ciſterc: 623. 624.
Innocentius IV. per preces Ciſterc. ad aſylum Gallicum ſuſcipitur. 683.
Innocentius VIII privilegium confert Ciſt: Generali, conferendi Ordines Subdiaconatûs & Diaconatûs, uti etiam benedicendi Abbates. 24. & 615. & deinceps.
Inſtrumenta Paſſionis Dominicæ apud Ciſt: 738. & deinceps.
Interdicti tempore Divina peragunt Ciſt: 640.
S. Joachim Propheta, fundat Congregationem Florenſem. 53. Ejus adhuc in utero latentis Sanctitatem Angelus Matri prænuntiat. 54. Sanctæ vitæ ejus relatio. 55. Eſt celeber Propheta, mirabilia prædicit. ibid:

B. *Joanna*, Conſtantinopol: Imperatoris filia, Ciſterc: 459.

B. *Joanna* Nobili orta Sanguine, Ciſterc: à Deipara reſalutatur. 480.

Joannes XXVI. Ciſterc: Generalis, impetrat dubiorum Ordinum authenticam reſolutionem à Papa. 33.

Joannes XXX. Ciſterc: Generalis, ſolus pro Pontifice ſtat. 34. quô modô? 625. Quô præmiô? 626.

Joannes XXXIII. Ciſterc: Generalis. 35.

Joannes XXXIV. Ciſterc: Generalis, dolet in Ciſterc: enaſci Commendas. 35. & 36.

Joannes XXXV. Ciſtercienſ: Generalis, fit Cardinalis. 36.

Joannes XXXVIII. Ciſterc: Generalis, in Concilio Conſtant: Huſſij Dogmata examinat, & damnat. 37. & 307.

Joannes XXXIX. Ciſt: Generalis, intereſt Concilio Baſilenſi, Privilegia obtinet contra Commendas. 37. & 307.

Joannes XL. Ciſterc: Generalis, primum Typis excudi procurat Ordin: Breviarium. 37.

Joannes XLIII. Ciſtercienſ: Generalis, oppugnat zeloſè Commendas, accipit ſpeciale Privilegium. 38. 39.

Joannes XLVIII. Ciſterc: Generalis, impugnat Commendas. 39. & 40.

Joannes Petit, LVII. Ciſtercienſ: Generalis, Prudentiæ ac manſuetudinis laude clarus. 44.

Joannes Barrerius, Fulienſium Fundator. 58.

S. *Joannes Cirita* Dæmonem in fœmina triumphat. 145.

è B. *Joannis* Grandi-Sylvenſis defuncti ore lilium creſcit cum *Ave Maria*. 258.

B. *Joannes* Pasleus Martyr. 271.

B. *Joannes* Torne Martyr in Anglia. 271.

B. *Joannes* Vir Apoſt: & Martyr in Suecia. 299.

Joannes Bona Cardinalis, inſignis aſceticus Scriptor. 346. 574.

B. *Joannes* Epiſcopus Valent: 384. Votô ſe Ciſtercienſi Ordini obſtringit. ibid: Reſilit, & divinitùs reducitur. ibid. & 385. Emortuâ manu benedictionem impertitur. 386. Claret miraculis. 387.

Joannes Rex Hieroſolym: fit Ciſterc: 403.

Joannes Regij Sanguinis Princeps in Gallia, Ciſterc. 430.

B. *Joannes Montis-Mirabilis*, Vir illuſtris, 444. curat Pauperes. Ægræ mulieris ulcus inſtar ambroſiæ ſugit. ibid: Rigidus in corpus ſuũ. Inſignis cultor Deiparæ. ibid: Efficitur Ciſterc: & quô modô? 445. Anima ejus ab Angelis ad cœlum fertur. ibid: claret miraculis. ibidem.

Joannes, Dux Brunſvicenſis, Ciſterc: 471.

Joannes, Alenſonij Comitis filius, fit Ciſt: 473. Legatus Apoſtolicus. 474.

S. *Joannes de Monte-Forti*, ex Ordine Templariorum, Vir ſanctus. 492. Multa ad tumulum ſuum patrat miracula. ibid: corpus ejus incorruptum. ibid.

Joannes, Bohemiæ Rex, Ciſt: ornandi ſtudioſiſſimus. 541. Fit Rex per Ciſt: 771.

Joannes Caramuel, Ciſterc. Hiſp. famoſiſſimus Doctor. 547.

Joannes Abbas Lubenſis zeloſus in eradicanda hæreſi. 701.

S. *Ioannes Nepomucenus* educatur apud Ciſt: 805. Ejus elogium. 806. & deinceps.

S. *Ioannes Baptiſta* ſuadet S. Joanni Ciritæ amplecti Ord: Ciſt: 146. Ejus Sacer Index Offecij. 749.

Iongelinus, inſignis Hiſtoricus. 525.

Sub *Ioſephi* nomine B. Hildegundis Virgo inter Ciſt: Viros vixit. 223.

B. *Ioſephus Steinfeldenſis* Præmonſt: familiaris B. Eliſabethæ Ciſt: Hovenenſis. 222. & 892.

Xxxxxxxxxxxxx Duæ

Duæ *Irides* illuſtres] crucibus apparent in morte S. Roberti Ciſt: Fund: 9.
Irregularitatem tollit Capitulum Gen: Ciſt: 630.
Iſabella, Geldriæ Ducis filia, Ciſt: 481.
B. Iſembardus mirabilem habet viſionem. 598. Ciſt: cucullam cœlitùs commendat. ibid:
Italia glorioſa à Mart: Ciſt: 277.
Judices Eccleſiarum & Epiſcoporum conſtituuntur Ciſtercienſ: 790. & deinceps.
S. Juliana, ſolemnitatis *Corporis Chriſti* promotrix. 200. & 708. Ejus abſtinentia. 200. Ob reatum propriæ voluntatis inter medias nives abjicitur, inſigne dat ſpecimen ſuæ ſanctimoniæ. ibid: Vivacis ingenij. 201. Cœlites ipſam viſitant. Vivit multô tempore ſolâ Euchariſtiâ. ibid: Pedibus dœmonem conculcat. 202. Adverſis agitatur. ibid; In comitatu Angelorum ad cœlum migrat. ibid;
Julejum, primum Virg; Ciſt; Cœnobium. 124.
B. Iveta DEIparæ ope liberatur ab impuro adoleſcente. 213. Leproſis inſervit. 214. Ad Chriſti tribunal à B. V. defenditur. ibid; Præmonetur de morte. ibid; & pag: 242. Ejus hortatu poſt obitum filius Abbatiale munus deponit. 215.
Juriſperiti de Ord; Ciſt; 537. & deinceps.

K.

Kiers, Monaſt; Ciſt: in Hung: 1138.
Kunegundis Regina Boh: fundatrix Parthenonis Mariæ Vall; 1070.

L.

Labores Apoſtolici Ciſt: in Livonia. 294. & deinceps.
è *B. Ladislai* corde arbor ſurgit, cujus folia referunt, *Ave Maria*. 258.
S. Lambertus, VI Ciſt: Generalis. 28. Fridericum Cæſ; in Fratrem ſuſcipit, ibid;
Langheimium commendatur ab hoſpitalitate. 784.
B. Laurentius Ciſt; Dunenſis, à DEIpara decadem Roſarij accipit. 257.
Laurentius de Martinecz è Templario miles de Chriſto. 501.
Divi Laurentij craticula in Lavache Cœn; Ciſt; 745.
Leo X. Papa ſingulare privilegium dat Ciſterc: 620.
Leopoldus Marchio Auſtriæ B. Eliæ Abbati Dunenſi ùt cocus & cubicularius inſervit. 152.
Leopoldus, dictus *Virtuoſus*, Dux Auſtriæ. 452. Fit Ciſt; & quô motivô? 453.
S. Leopoldi Auſtriaci duo filij, Otto & Conradus, Ciſtercienſes.. 466.
Legati de Ord; Ciſt; aſſumpti. 797. & deinceps.
Leproſorum ſervitiô procos à ſe repellit B. Iveta. 214.
Literæ D. Roberti Fund. ad Ciſtercienſes. 8. Alphonſi Caſtellæ Regis ad eoſdem. 663. Friderici Barbaroſſæ ad Capitulum Generale. 666. Gloſſæ in eaſdem 667. Alexandri III. ad Capit; Ciſt. 677. Urbani IV. ad B. Evam Ciſt; 711. S. Stephani Abb; ad Regem Galliæ. 791. S. Bernardi ad Præmonſt; 884. & deinceps. B. Joannis Lohelij ad Summum Pontificem de reſtituendo Monaſt: Oſſec; 1017. & deinceps.
Literæ I. N. R. I. ſalutares, adversùs ſubitaneam mortem. 369.
Lilia dicuntur ab Angelis Quatuor Sancti Monachi Igniacenſes. 163.
Lilium ex ore S. Guillelmi defuncti pullulat. 446.
Livonia ad fidem perducta per Ciſt: 293. & 692.

Locu-

Locuſtæ pelluntur patrociniô B. Roberti Abbatis de Mata-Plana. 151. 811.
Lotharingiæ Duciſſæ Frater fit maritus B. Humbelinæ Sororis S. Bernardi. 122. Eam dimittit ad religionem 124.
Lubavia illuſtrata laboribus Apoſtolicis Ciſtercienſium. 692.
Lubens, Monaſt: Ciſt: in Sileſia. 1111.
Lucius III. relictô Papatu intendit fieri Ciſt: in Clara-Valle. 330.
Ludovicus XLIX. Ciſt: Generalis, privilegia obtinet contra Commendas. 40.
Ludovicus de Quiros, inſignis Theologus. 563.
S. Ludovicus Galliæ Rex miniſtrat infirmo Ciſtercienſi. 662. 663. Pontificem ad aſylum recipit. 683.
Lupus raptum filiolum refert matri per patrocinium S. Roberti Fundat: 10.
Lupus, Cordubenſium Epiſc: Ciſt: 797.
Luſatia illuſtris à mart: Ciſt: 281.
Luſitania, glorioſa à ſanguine Mart: Ciſt: 274. Dat quatuor Principes Ciſtercio. 419. & 420. Eſt Regnum Feudatarium Eccleſiæ Claræ-Vallenſi. 657. Accipit coronam Regiam per Ciſt: 764.
S. Lutgardis. 195. Viſô Salvatoris latere nuptias repudiat. Fit Benedictina. ibid: Hæret in oratione ſuſpenſa in aëre, fulget cœleſti lumine. ibid: Claret donô miraculorum. 196. Cor cum Salvatore commutat. 237. Eam Chriſtus amplexatur, & Sanguinem ſuum è latere ſugendum propinat. 196. à Divo Joanne Evangeliſta ſub ſpecie aquilæ in Divinis rebus eruditur. 197. Ei DEIpara ſeptennale imponit jejunium propter hæreſim Albigenſem. ibid: & 690. Alterâ vice Divinô juſſu per ſeptennium jejunat. ibid: è manibus ejus oleum fluit. 197. Ad Ciſtercienſes tranſit. 198. Innocentium III. è purgatorio liberat. ibid: Totum corpus ejus madet ſanguine. 199. Viſu orbata, conſcientias aliorum penetrat. 200. Beatiſſimè expirat. ibid:
Lutheranæ hæreſi ſe opponunt Ciſtercienſes. 700. à Luthero invitati ad hæreſim, reſiſtunt ibid:

M.

B. Macharius converſus in Bona-Valle, aquas ſolidô veſtigiô tranſit. 180.
B. Maſalda Luſitanis Regibus oriunda, priùs deſponſata Henrico I. Caſtellæ Regi, Ciſtercienſis efficitur, & quô modô. 403. Corpus ejus incorruptum. 404.
S. Malachias, Hiberniæ Archi-Epiſc: & Apoſtolus: Ciſt: 358. Quàm ſancta ejus adoleſcentia. 359. Innoc: II. ei mitram ſuam imponit. 360. Multa miracula patrat. 361. & 362. Inter Bernardi amplexus expirat. 362. Magnus amor inter eum & Bernardum. ibid: Vaticinia de Summis Pontificibus relinquit. 707.
Malachias Roſenthal inſtituit Actionem pro recuperandis Ciſt: Cœnobijs in Hung: 1140.
M*anſuetudo* mira B. Gerardi Abb: & S. P. Bernardi. 158. Item manſuetudo & prudentia Bernardi in correctione. 130. & deinceps.
B. M*argareta*, Ciſt: in Italia. 219.
B. M*argaritha* Hieroſolymitana. 222. Sexum virilem mentitur, Palæſtinam viſitat, militibus aſſociatur. 223. Ope DEIparæ è poteſtate hoſtium eripitur. ibid: Fit Ciſt: ibid:
B. M*argarita* Vidua, è Regibus Cypri oriunda, fit Ciſt: 434.
B. M*argaritha*, Ducis Brabantiæ filia, Ciſterc: 480.

B. Margarita de Margaſtaldo, Ciſtercium amplectitur. 458.

MARIA DEIpara S. Robertum ſibi per annulum in utero materno deſponſat. 3. Ambit Maternitatem Ciſtercij. 8. Dat primas Ord: Conſtitutiones B. Alberico 11. B. Stephano Cingulum offert. 18. Dat JEſulum in ulnas Bernardi ſæpiùs. 89. & 250. Eum ægrotantem viſitat & ſanat 90. Salutantem reſalutat 90. & 91. è Statua eum phyſicè lactat ſæpiùs. 91. & 250. Ejus patrocinium erga B. Ivetam. 213. Eſt Ciſtercij Patrona, Domina, Protectrix. 249. Ejus amores & favores in Ciſtercienſes. 248. & deinceps. Viſitat Ciſtercienſes, & colloquiô reficit. 251. & 254. Succurrit viſibiliter Ciſt: contra dœmones. 251. B. Petro, Regio Luſit: Principi crucis ſignum imprimit, & carnis tentationes propulſat. ibid: Defendit Ciſt: contra hæreticos. 252. Ciſtercienſes vocat optimos ſuos amicos. 253. Per Raynerum, Pontificium Confeſſarium, Innocentio III, adjectis minis imperat, ut deſiſtat eſſe gravis Ciſtercienſibus. 253. Suadet nonnullis, ut ingrediantur Ord: Ciſt: 254. Sæpè habitu Ciſt: apparet B. Hermanno Villarij Converſo. 254. Orat locô B. Hermanni Converſi Hemmenrod: omiſſas preces. 255. B. Petro Converſo Villar: ab ipſo Chriſto in Sponſam datur. 256. Seipſam in Sponſam offert B. Abundo. ibid: Intereſt viſibiliter choro Ciſtercienſium, & Ciſt: cucullâ induta antiphonam cantat. ibid: Puerum JEſum in B. Faſtradi brachia reponit. ibid: B. Waltero de Birbach auream crucem mittit. 257. B. Mariæ Sanctimoniali floridum imponit ſertum, eámque Filio ſuo deſponſat. ibid: B. Steponem coronâ redimit. ibid: B. Laurentio decadem Roſarij donat. ibid: B. Henricum per baculum in Abbatem inaugurat. ibid: Ejus cultum etiam poſt mortem continuant Ciſtercienſes. 258. B. Mariam de Vela lacte ſuô irrigat. 259. Guttas ſudoris Ciſtercienſibus abſtergit. ibid: Eos à languoribus & doloribus ſanat. ibid: & 260. Intereſt Ciſtercienſium morti. 260. & deinceps. Corporis ſui aſſumptionem quoad tempus Ciſtercienſibus revelat. 261. Ciſtercienſium chorali cantu delectatur. 262. Hemmenrodenſibus Monachis promittit cœleſtem gloriam. 263. Ciſt: aſpergit aquâ luſtrali. ibid: Iiſdem parat cibos & condit. ibid: Eoſdem Oratorium ingreſſuros dulci reficit eſcâ. 264. Eorum dormitoria obambulat. ibid: Ejuſdem elogium datum ab Authore. 265. Super lectum ægrotantis B. Bonifacij JEſulum reponit. 382. Eſt præſens S. Hedwigi morienti. 456. Reddit Ave B. Joannæ. 480. Eſt Ordinis Ciſt: Protectrix. 592. Mundum vindicat ab interitu per Ciſterc: 593. Eoſdem coràm Divino tribunali protegit. 594. In Clara-Valle Capitulo præſidet. 596. Senioribus oſcula imprimit. 596. Sub pallio ſuo in cœlis fovet Ciſt: 597. & 598. Continuam opem pollicetur Ord: Ciſt: 599. Ab illa Ciſtercienſes proteguntur. 623. Quadrageſimâ die poſt mortem corpus ſuum translatum eſſe ad cœlos *B.* Bertramo revelat. 712. Septem ſua gaudia cœleſtia revelat B. Arnulpho. 713. Feſtum Immaculatæ ſuæ Conceptionis celebrari præcipit. 713. Ejusdem Icones Thaumaturgæ in Eccleſijs Ciſterc: 716. & deinceps. Ejus cingulum miraculis clarum in Lavache apud Ciſt: 745.

S. Ma-

S. *Maria* de Ægnies, Ciſterc: 215.
B. *Maria Converſa*, cognomentô, *Peregrina*, replicata hæret ſimul Lorvanij, & in Palæſtina loca ſancta viſitat. 216. Flexis genib' ante Deum Euchar: expirat. 217
SS. *Mariam & Gratiam* ſorores, Bernardu frater è Mahometiſmo ad Chriſtum & Ciſtercium adducit. 426.
B. *Mariæ* à Matre DEI corpus ſervatur incorruptum. 218.
B. *Maria* ex Regio Hiſp: ſanguine, fit Ciſterc: 434.
B. *Maria* de Satillon cum JEſulo deliciatur. 238.
B. *Maria Toletana* peculiare à DEIpara obtinet privilegium 217. & 218. Apoſtolicô ſtipata Collegiô ad cœlos evolat. 218.
B. *Maria* Wallencuriæ Monialis gloriam ſuam B. Aſcelinæ revelat. 219.
B. *Mariam Velam* Chriſtus amplexatur. 230
B. *Maria*, Filia Regis Luſit: fit Ciſt: 434.
B. *Mariæ de Mercede* Ord: connexio cum Ciſterc: 960.
S. *Mariæ in Regali loco*, Monaſt: Ciſterc: in Hung: 1139.
S. *Mariæ in Scepuſio*, Monaſterium Ciſter: in Hung: 1139.
Mariæ-Stella, Partheno-Ciſter: in Luſatia. 1072. Quâ occaſione fundatus? ibid:
Mariæ-Vallis, Partheno-Ciſter: in Luſatia. 1070.
B. *Martinus de Vargas* Congregationem Hiſpanicam inſtituit. 37. 57. Doctor, 550.
B. *Martinus* Ciſt: Novitius, multis à Dæmone afflictus plagis, DEIparam habet adjutricem. 252.
B. *Martinus* Cardinalis, Legatus à latere, à S. Bernardo laudatur 338. Munera ſpernit. 339.
S. *Martinus*, cognomentô, *Sacerdos*, Epiſc: Saguntinus, Ciſterc: 389. Vir celebris ſanctimoniæ. Renunciat Epiſcopatui. 390. Cur dictus Sacerdos? 391.
Martinus Lutherus laudat Bernardum. 101.
Martyres Ciſtercienſes. 270. & deinceps. Bis mille in Hiſp: & Luſit: 274. Magno concurſu Fidelium coluntur. ibid: Quadraginta Martyr: Monaſter: Magienſis in Hiber: reſumptis capitibus decantant Veſperas B. V. 273. Martyr: Ciſtercienſes in Anglia. 271. & 694. In Hiſpania. 274. In Luſitania. ibid: In Africa. 275. In India. 276. In Syria. 277. In Belgio. 279. In Germania. 280. Martyres Templarij. 277. Martyres Ciſtercienſes in Italia. ibid: In Gallia. 278. In Morimundo Mediolanenſi. 277. In Firmitate. 278. In Suecia. 280. In Pruſſia & Polonia. ibid: In Luſatia. 281. In Bohemia. ibid:
B. *Maſcelini* ingreſſum in Ordinem Ciſt: prædicit S. Bernardus. 102. & 103.
Mathematici de Ord: Ciſterc: 530. & deinceps.
Mathias Abbas Runenſis, Vir Apoſtolicus. 1140.
Mathildi Reginæ Angliæ Bernardus filium exorat. 762.
Matthæus, de Aula Regia, Vir Apoſtolicus, diſputando triumphat Huſſitas. 298.
B. *Maynardus*, Vir Apoſtolicus & Martyr in Livonia. 293. Fundat Ordinem Gladiferorum. 503.
B. *Maynerus* præter alios labores bis quotidie integrum Pſalterium recitat. 176.
B. *Medardus*, Abbas de Moris, videt Chriſtum amplexari Bernardum. 90.
Medici de Ordine Ciſtercienſi. 535. & deinceps.
Mediolanenſium in Bernardum Pietas. 86.
Medium Eccleſiæ eſt Ordo Ciſtercienſis. 848.

Merita Ciſtercienſium in Eccleſiam. 674. Pontificum è Ciſtercio aſſumptorum. 678. Bernardi Parentis. 681. Merita Ciſtercienſium in Orbem chriſtianum. 757. & deinceps.
B: *Michael Triquier*, Ciſterc: DoctorSorbonicus, portat ſub caputio coronam ſpineam. 164.
B. *Michael* de Monteſia, Ciſterc: Miles, Apoſtolus, & Martyr in Africa. 276.
Michael Neander, Hæreticus, S.Bernardum laudat. 101.
Militares Ordines Ciſt: per Abbatem Clara-Vallenſem viſitantur. 39.
Milites Ciſtercienſes 488. & deinceps. Templarij. 490. De Calatrava. 493. De Aviſio. 495. De Alcantara, olim dicti S. Juliani de Piro: 496. S. Michaelis de Ala. 497. Eorum Superior eſt Abbas de Alcobatia. 498. Ijs ſuccedunt Milites Jacobæi. 499. Milites de Monteſa, ſuccedunt Templarijs ibid: De Chriſto, quorum Moderator eſt Abbas de Alcobacia. 500. De Monte-Gaudij. 502. De Mont-Franc. ibidem. De Truxillo, ibid: S. Bernardi. 503. S. Georgij. de Alfama. ibid: Gladiferi. ibid: S. Mauritij. 503. & 504. S. Lazari. 504.
Militiæ quindecim Ciſtercienſium Legibus adſtrictæ. 490.
Militares Moniales Calatravenſes. 504.
Militarium Ordinum connexio cum Ciſt: 858. 859.
Minutio Sanguinis in Ciſtercio quid nominis, quid rei? 16.
Miracula S. Roberti Abbat: poſt Mortem. 9. S. Stephani Abbatis. 20. S. Bernardi in Vita. 86. quomodo poſt mortem ceſſaverit à miraculis S. Bernardus? 88. Miraculum celeberrimum ope B. M. V. in Hiſp: patratum. 717. Miraculis & Prodigijs Clari de Ordine Ciſterc: 808. & deinceps.
Miraculoſæ Icones B.V. & Salvatoris in Eccleſijs Ciſterc: 716. & deinceps.
Miſericordia inſignis in pauperes B. Radolphi Abb: 152. B. Stephani Abbatis de Obacina. 154. Cujus piâ fraude Euclio quidam factus liberalis. ibid: Miſericordia Ciſtercienſium in Egentes. 775. & deinceps.
Moliſmenſis Cœnobij initia. 4.
Monachi nomen & munus Eccleſiæ perutile ac honorificum. 158.
Monachi ſancti è Ciſtercio. 158. & deinceps.
Monachis de Fuſniaco, *Salve Regina* decantantibus. crucifixus Salvator faciem ſuam exhibet, & oculos aperit. 235.
Monachorum connexio cum Ciſterc: 854.
Monaſteria 160. fundat Bernardus. 102.
Monaſteria 6000. Ciſterc: Virginum. 124.
Monaſteria Vicariatûs Bohem: 976. Auſtriæ. 1091. Styriæ. 1104. Sileſiæ. 1111. Hungariæ. 1129.
Moniales Calatravenſes Milites. 504.
Montis-Virginis Religioſi Ciſt: 52.
Mons-Sion, primum Reformatorum Ciſt: Cœnobium in Hiſp: 57.
Montis-Salutis Religioſi Ciſterc: in Hiſpan: gaudent ſpeciali privilegiô Divinitùs conceſsô, 602.
Mons Pomerius Monaſterium Ciſtercienſe in Auſtria. 1098.
Mons S. Mariæ, Monaſterium Ciſtercienſe in Hungaria. 1136.
Morimundus quarta Ciſtercij filia. 974.
Mortuos tres ad vitam revocat S.Bernardus. 84.
Mortis horam Ciſtercienſibus prædicit Chriſtus. 241.
Morientibus imperat Bernardus, ut redeant, & petant ſuffragia. 101.
Mortui octo ad vitam revocati, meritis beati

beati Vincentij Kadlubkonis, Ciſterc: Pol: 392.
Mundum conſervant Ciſtercienſes ab interitu. 593.
Munera ſpernit beatus Martinus Ciſterc: Cardin: 339.
Munificentia Richardi Angliæ Regis in Ciſterc: 661.

N.

Nativitas Chriſti Bernardo oſtenditur. 66.
Navarræ Rex inſigne dat Ciſtercienſibus Privilegium. 660.
Nepomucum, Ciſterc: Cœnobium in Bohemia. 1082.
Nicolaus Boucheratius, LI. Ciſterc: Generalis. 40.
Nicolaus Boucheratius LIII. Ciſt: Generalis. 41
Nicolaus Larcher, LVIII. Ciſterc: Generalis. 44.
Nicolaus, Bernardi Notarius, malè malâ notâ maculavit Parentem S. de ſenſu circa Imaculatam Conceptionem DEIparæ. 97.
B. *Nicolaus Belga*, JEſulum invenit inter nives plorantem, tota rei geſtæ ſeries. 231.
Nicolaus Anglicus idem, qui Hadrianus IV Papa Ciſterc: Vir ante Papatum Apoſtolicus in Norwegia. 300, & 319.
Nicolaus Fagan, Vir Apoſtolicus in Anglia. 301.
B. *Nivardus* Frater S. Bernardi, natu minimus, relinquitur Parenti Teſſelino in ſolatium, cæteris Ciſtercij Ordinem amplectentibus 108. Clara-Vallem ingreditur, 121. Ejus reſponſum ad Fratres è domo paterna abeuntes, ibid: Monaſterium Spinæ in Hiſp: fundat, 122.
D. *Norberto* Locum Præmonſtratum cedit S. Bernardus. 878. Ejus & Præmonſtratenſium connexio cum Ciſtercienſibus, ibidem & deinceps.
Noſocomia, quibus Ciſtercienſes præſunt. 785.
Nova-Cella illuſtris à ſanguine Martyrum. 281. Ejus Cœnobij fundatio. 1038.
Novus-Mons, Cœn: Ciſt: in Styria. 1110.

O.

Obedientiæ imperiô à miraculis abſtinent S. P. Bernardus 88. *B. Gerardus* Monachus Signiacenſis. 162. *B. Amanus*, Eberbacenſis Converſus. 189.
B. Odanus D. Malachiæ in Archi-Epiſcopatu Ardinacenſi Succeſſor. 363.
B. Odo unus è primis Ciſt: 5.
Odo ſive *Otto* Burgundiæ Dux, fundator Archi-Cœnobij Ciſt: 6. Ejus in Archi-Cœnobium pietas. 649.
B. Odoni Suppriori in Clara-Valle Chriſtus ſe viſibilem in Sacra Hoſtia exhibet. 232.
B. Odo Cardinalis Sanctimoniâ clariſſimus, Ludovici Sancti Galliarum Regis Palæſtinam peragrantis individuus comes, Terræ Sanctæ Apoſtolus. 344.
B. Oglerus Abbas duella è Lombardia proſcribit. 788. Dœmonum terror. 789.
Oleum pro aqua bibit S Bernardus. 72.
Oleum medicinale ex oſſibus S. Franchæ fluit. 478. Item oleum uſuale è ſepulchro Sanctæ cujuſdam Abbatiſſæ in Monaſterio Toletano apud Hiſp: 815.
Oliva, Cœnobium illuſtre apud Boruſſios à ſanguine Mart: 280.
Olivenſis Pax, in Cœnobio Olivæ. 800.
Oratores Famoſi de Ord: Ciſt: 518. & 519.
Orationes Ciſtercienſ. expetuntur à Principibus. 802.
Ordo Ciſt: confirmatur à Paſchali II. p. 11. Ejus Propagator S P. Bernardus. 1. Veſtigium in ſe continet SS. Trinitatis. 2. Exemptus à juriſdictione Ordinariorum. 608. & 609. Per Antonomaſiam dicitur *Ordo*. 1149.

Ordines Divi Dominici & Divi Franciſci multùm promovet B Joanna Ciſt: 459,
Ordines fundati ſub Ciſt: legibus. 48. Ordo Guillelmitarum defenditur eſſe Ciſt: 49. & deinceps. Ordo Gilbertinorum inſtituitur à S. Gilberto. 51. Montis-Virginis à B. Guillelmo Vercell: 52. Grandimontenſis à S. Stephano natione Arverno. 53. Florenſis à B. Joachimo Propheta. ibid: & deinceps. Vallis-Caulium in Gallijs. 56. Immaculatæ Conceptionis B. V. à B. Beatrice: cujus Pontificia confirmatio miraculô è tempeſtate ſervatur. 56. & 57. Obſervantia Hiſpanica à B. Martino de Vargas. 57. Fulienſis Reformatio à B. Joanne Barrerio. 58. Ejus admirabilis rigor. 59.
Oſſarium celebre Sedlecij. 990.
Oſſecum, Monaſt: Ciſt: in Boh: devaſtatur per Huſſitas. 282. S. Indicem habet D. Joannis Præcurſoris. 749. Ejus fundatio & caſus varij. 1007. & deinceps.
Oslovaninm, Partheno Ciſt: in Moravia. 1089.
B *Otto* filius S. Leopoldi, fit Ciſt: & quô modô? 467. & 468. Nobilem cohortem ſecum ad religionem trahit. 468. Fridericum Barbaroſſam, à diſturbijs retrahit. 469. Scribit Chronicon ab Orbe condito. 526. Inſignis Philoſophus. 530.
Otto dictus *Parvus*, Marchio Brandeburgicus, fit Ciſt: 471.
Oviculꝛrum inſtar Ciſtercienſes in viſione quadam oſtenduntur. 601.

P.

Panes à S. Bernardo benedicti ſanant omnes ægrotos. 85.
Pacis fœdera in Cœnobijs Ciſt: concluduntur. 800.
Paſtro Monaſt: Ciſt: in Hung: 1135.
Patrociniô variô clarent Sancti Ciſt: 808.
Pauperum quinque millia pauculis panibus cibantur. 155.
Pauperum Patroni. 775. & deinceps.
Peccatum veniale grave intra 40 annos non committit Beatus Walterus de Trajecto. 153.
Peliſium, Monaſteriũ Ciſtercienſe in Hungaria. 1134.
Petrus, è primis Ciſterc: 5.
B. *Petrus*, XI. Ciſterc: Generalis, intereſt Concilio Laterannenſi, fit Epiſcopus. 29.
B. *Petrus* XIV Ciſterc: Generalis. 30.
Petrus Nivellius LIV. Ciſterc: Generalis, fit Epiſcopus. 41.
Petrum Piſanum Bernardus ad Unitatem Eccleſiæ reducit. 81.
Petrus Leonis, dictus, *Anacletus*, Pſeudo-Pontifex, à Bernardo rejicitur. 80.
B. *Petrus*, Alphonſi Regis Luſitaniæ frater, fit Ciſterc: & quô modô? 419. Rigidus in corpus ſuum. 419. Specialis Cultor DEIparæ. 120. Ejus corpus ab obitu gratum diffundit odorem. ibid: Ejus fronti DEIpara ſignum crucis imprimit, & tentationes fugat 251.
Petrus Moliſmenſis Angelicô monitu adeſt morienti Beatæ Humbelinæ. 125.
Petrus Mauritius Robertum Matiſconenſem Bernardo Parenti in Claram-Vallem remittit. 131. Familiaris Bernardo. 863.
B. Petrus Cantor, è Canonico Paris: Ciſtercienſis. 160. Vir Doctiſſimus, juſſu Pontificum plurima negotia componit. ibid: Ejus encomium. ibid: Dignitates reſpuit. 161. in Novitiatu moritur. ibid:
B. *Petrus* Marginet 167. è peccatore Pœnitens & Sanctus. 168. Angelos habet ſocios. ibid: Dœmonem ſub ſpecie

cie aſini laborare compellit. 168. & 169.
B. *Petrus*, Converſus Villarienſis. 183. Remiſſionem peccatorum ſuorum cœlitùs audit. ibid: DEIpara ei dat Puerum JESUM. 183. & 184. Precum ejus efficacia. ibid: Perforat ſibi manus, pedes & latus. ibid:
B. *Petrus* de *Confluentia*, Chriſtum è Cruce amplexatur. 230. Vir Apoſtolicus in Livonia. 294.
B. *Petrus Toloſanus*, quotidiè videt S. Hoſtiam mutari in ſpecioſum Puellum. 232
S. *Petrus* de *caſtro-Novo*, Vir Apoſtolicus, 288. Supremus Inquiſitor. 289. & 684. Martyr. Ejus corpus incorruptum. 289.
B. *Petrus* ex Abbate Firmitatis Archi-Epiſcopus Tarantaſienſis. 354. Primus è Ciſtercio ad Infulas promotus. ibid:
S. *Petrus* ex Abbate Stamedienſi Archi-Epiſcopus Tarantaſienſis. 355. Vir Apoſtolicus, & Magnus in DEI Eccleſia, ſervat Germaniam Eccleſiæ. ibid: Moyſi & Bernardo comparatur à Baronio. ibid: Familiam ſuam pertrahit ad Ciſt: 356. Miracula ferè ſine numero patrat. 357. Ejus monitis obtemperant Reges. ibid: Pater Pauperum, quos miraculosè reficit. 358.
B. *Petrus Monoculus*, ex Regio Galliarum ſanguine. 427. Fit Ciſt: & quô motivô? 428. Magnæ conſtantiæ Vir, venerabilis Lucio III. Papæ. ibid: DEIpara pro ipſo orat. 429. Perdit unum oculum ex jugi Fletu. ibid:
Petrus de Lorca, Eximius Ciſt: Theologus in Hiſp: 563.
Petri Pazmani Cardinalis lamentum de perditis Hungariæ Cœnobijs. 1131.
B. *Petrus Pot*, nobili ortus proſapiâ. 451. Ex ejus familia deſcendunt multi Principes. Fit Ciſt: beneficus in Pauperes. DEIparam videt. ibid:
B. *Philippa*, Luſit: Principis filia, fit Ciſter: 479. Ejus ecſtaſes. 480.
Philippus Rex Galliæ eximit Ciſt: à communi tributo. 663.
S. P*hilippi Nerii* connexio cum Ciſt: 965.
P*hiloſophi* de Ordine Ciſt: 527. & deinceps.
P*iſce* Bernardus capit Alexandrum Canonicum Colon: 143.
P*laſſium* Monaſt: Ciſt: in Bohemia. 998.
P*oetæ* de Ord: Ciſt: 516. & deinceps.
P*oloniæ* & Boruſſiæ Martyr: Ciſt: 280.
P*oloniæ* Abbates, Secretarij Regij. 654.
P*ontigniacum*, ſecunda Ciſt: filia. 974.
P*ontifices Summi* de Ord: Ciſt: 315. & deinceps.
P*ontificatui* oblato renunciant B. Henricus, & B. Conradus, Ciſt: Cardin: 330.
P*opuletum* inſigne Cœnob: Ciſterc: in Catalonia, magnis gaudet prærogativis. 660.
de Porno Monaſt: Ciſterc: in Hung: 1138.
P*ortugallia* per preces Ciſt: accipit Hæredem Principem. 761.
P*ræmonſtratenſium* connexio cum Ciſt: 877
P*ræpoſituræ Ciſt:* Curimenſis. 1087. Chotuſſicenſis. ibid: Tinecenſis, ibid: Pragenſis, 1088. Landſpergenſis, ibid. Choteborzenſis, ibid: In Zleby, ibid: Langenavienſis, ibid: Beskavienſis, 1040. Hirſchbergenſis. 1128.
P*ræſcriptio* qualis currat contra Ciſt: Cœnobia? 1154.
P*rincipes* Ord. Ciſt: amplexi. 440. & deinceps.
P*rincipum* Filij & Filiæ, Ciſt: 465. & deinceps.
P*rivilegia* Ciſterc: à Pontificibus conceſſa. 607. à Regibus & Principibus conceſſa. 648. & deinceps.
P*rocuratoris* vices pro Ciſtercio agit Gregorius IX. 626. & 627.
P*rofeſſores publici* de Ord: Ciſterc: 556. & deinceps.
P*ruſſiæ* incolas Sacrô Fonte abluit Chriſtianus Ciſt: Vir Apoſt: 693.

Pſittaci clamor, Auſpicium Monaſt: Sitticenſis. 1107.

Q.

Quadraginta SS. Martyres Ciſt: in Hibernia, reſumptis capitibus Veſperas cantant. 273.
Quatuordecim SS. Auxiliatores coluntur apud Ciſtercienſes. 1125.
Quatuor ſancti *Candidi* Ciſt: qui illi? 163.
Quinque vulnera ſibi ferrô aperit B. Petrus Converſus Villar: 184.
Quinque Stigmata Chriſtus B. Idæ de Lovanio imprimit. 206. Item B. Eliſabethæ de Spalbek. 236.
Quinquagenarius Infirmarius B. Obertus Hemmenrod: Converſus. 189.

R.

B. *Radolphi* Abbatis mira in Pauperes profuſio. 152.& 153.
B. *Rainaldo* Clara-Vall: Monacho DEIpara amictum candidum adornat. 257. Videt DEIparam guttas ſudoris abſtergere Ciſtercienſibus, ſingulóſque amplexari. 259.
Rainaldus Dux de Montmorenci, Ciſter: 447.
B. *Rainardus* IV. Ciſt: Generalis. 27. Ejus geſta. ibid:
B. *Rapatho* Comes Abenberg: relictô conjugio, Ciſt: 451.
Ratſchicenſis Thaumaturga B.M. Doloroſa 732. & deinceps.
Rauda, Monaſt: Ciſt: in Sileſia. 1122.
S. *Raymundus*, Fiterij Abbas, Saracenos triumphat. 493. Militiam de Calatrava inſtituit. ibid: Ejus ſepulchrum claret prodigijs. 494.
B. *Raynerus* Villarienſis B. Virginem habet præſentem in agone. 260.
Redditus annuos pro ſuſtentandis Patribus in Capitulo Generali concedit Blancha, Franciæ Regina, ejúſdemque filij, Ludovicus & Carolus. 32.
Reges & *Reginæ*, Ciſt: 399.
Regum filij & filiæ Ciſt: 415.
Regij tres Principes ex Oriente accurrentes in Gallias, fiunt Ciſterc: 424.
Regum ſepulchra in Eccleſijs Ciſt: 668
Regibus Hæredes exorantur per Ciſt: 758.
Reges Angliæ & Galliæ reconciliantur per Ciſt: 770.
Regiminis formam alij Ordines à Ciſtercienſibus deſumunt. 1142.
Regulam Divi Benedicti in rigore literæ obſervant primi Ciſterc: 7.
Reliquiarum Theſaurum Germania accipit per Martinum Abb: de Pariſio. 306.
Reliquiæ de inſtrumentis Paſſionis Dominicæ apud Ciſt: 738.
Reliquiæ Sanctorum in Eccleſijs Ciſt: 742.
B. *Remberto* Villarienſi Converſo à Chriſto, comitante B.V.M. locus in cœlo deſignatur. 241.
Reſpublica eſt Ordo Ciſterc: 1141. & deinceps.
Reſtitutionem Cœnobiorum deperditorum Ord: Ciſterc: urgent Pontifices Romani. 1151. & Reges Hung: 1153.
Richardis Comitiſſa Geldriæ, Ciſt: 459.
B. *Richardus* Martyr in Anglia. 271.
Richardus Rex Angliæ munificus in Ciſt: 661. Illum è captivitate liberat B. Elias Abbas Dunenſis, Ciſt: 768.
B. *Richmunda* in Monte S. Walburgis JEſulum videt in cunis. 238.
S. *Robertus Fundator* Ciſt: Ordinis. 3. Ejus natales illuſtres. Deſponſatur in utero B.V.M. per annulum. ibid: Ejus Monachatus, Vita ſancta, Præfecturæ variæ, Mors & Miracula. à pag: 3. uſque ad pag: 10. Ordinem Ciſtercienſem inſtituit in Feſto ſancti Benedicti. 868. canonizatur ab Honorio III. pag: 26.

Rober-

Robertus XXVIII. Ciſt: Generalis, 34. Suſcipit Alanum Magnum Doctorem univerſalem adOrdinem, fit Cardinalis, ibid:
B. Robertus ſancti Bernardi Conſobrinus. 129. Ejus in Clara-Valle Monachatus, Diſceſſus ad Cluniacenſes, ibid: Reditus, Bernardi portentoſâ epiſtolâ procuratus, 130. & 131. Sanctitas, longæva Præfectura, Mors. 132.
B. Robertus, Abbas de Mata-Plana, Patronus contra Locuſtas. 151.
B. Robertus, Abbas Novi-Monaſterij in Anglia, Chriſtum in ſpecie mendici recipit, & ejus pedes abluit. 239.
B. Robertus Converſus Fontis-Mauriniaci, à Chriſto horam mortis ſuæ, & gloriam in cœlis intelligit. 241.
B. Robertus Clara-Vall: Converſus, DEIparam habet Advocatam ad Chriſti tribunal. 260.
B. Rodolphus de Luka videt Chriſtum & Confratres ſuos crucibus affixos, & myſterij ſenſum ab ipſo Salvatore audit. 235.
Rogerius Siciliæ Rex per Bernardum ad Eccleſiæ unitatem reducitur. 81.
B. Rogerius James Martyr in Anglia. 271.
Rokitnenſis Statua B. V. prodigijs illuſtris. 719.
Roſenſis Familiæ adventus in Boh: 1048.
Roſenthalenſis Thaumaturga DEIpara. 725. & deinceps. Ab antiquo ad Mariæ-Stellam pertinuit. 1074.
Rudolphus I. Cæſar perſcribit in Epiſtola ſuam electionem Ciſt: Generali. 33.
Rufinus XXIX. Ciſt: Generalis, Ciſtercium munit privilegiô contra appellationes. 34.
Runa, Cœnobium Ciſt: in Styria. 1104.
Rzeporium, Partheno Ciſterc: in Bohem: 1086.

S.

S. Sacerdos, aliàs Martinus, cur dictus Sacerdos? 391.
Sacerdos Joannes, Rex Abiſſinorum ab Alexandro III. Viros expetit ad Opus Apoſtolicum, atque accipit. 680.
Sacer-Campus Cœnobium Ciſterc: in Bohem: 1085.
Sacer-Campus Præpoſitura Ciſterc: in Bohem: 1085.
Sala-Mariæ, Partheno-Ciſterc: in Moravia. 1078.
Salem perpetuum quâ occaſione acceperit Monaſterium Altovadenſe? 1051
Salemitanum Cœnobium commendatur ab hoſpitalitate. 784.
Salomon, alijs dictus Sigiſmundus, Regius Hungariæ Princeps, fit Ciſt: in S. Cruce, & ſimulatô genere, Opilio. 424.
Salve Regina, poſtrema verba: ô clemens, &c. addidit Bernardus. 90.
Sancti & Beati Abbates, Monachi & Converſi è Ciſtercio. 138. & deinceps.
Sancti plurimi Ciſterc: quorum in terris non habetur notitia. 140. & cur? ibid:
Sancta-corona, cœnobium ciſterc: in Bohemia. 1054.
Sanctæ-Crucis Cœnobium ciſter: in Auſtria. 1091.
Sanctæ-Crucis cœnobium ciſterc: in Hungaria. 1137.
Sedlecium, Monaſterium ciſterc: in Bohemia. 976. & deinceps. & 697. In tilia, in qua ſuſpenſi Religioſi, excreſcunt folia caputiata. ibid: Glorioſum à Sanctis Reliquijs. 749.
Sepultura Regum & Principum in Eccleſijs ciſterc: 668 & deinceps.
Sepulchra Sanctorum è ciſterc: prodigijs illuſtria. 808. & deinceps.

B. *Serlo* pro Immunitate Eccleſiaſtica Martyr in Scotia. 272.
Scalicium, Cœnobium Ciſterc: in Bohemia. 1065.
Schiſma inter Innocentem II. & Anacletum componit *B*ernardus. 79.
Schiſma Frid: *B*arbaroſſæ tandem infringunt Ciſt: 681.
Schlierbachium Monaſt: Ciſter: in Auſtria. 1103.
Setichenbekenſes Monachi Martyr: 280.
Sezemicium, Partheno-Ciſterc: in *B*ohemia. 1087.
B. Sigeri Monachi Hemmenrod: cæleſtem gloriam nuntiat ipſa DEIpara. 261.
Sigillum Generalium Ciſterc: quale ſit? 626.
B. Simon, *Propheta*, Ciſt: 471. à cæleſti columba illuſtratur. ibid: Dæmonem triumphat. ibid. Secreta cordium penetrat. 472. Inſigne Ei à Pontifice datur Privilegium. ibid.
Sitticium, Monaſterium Ciſtercienſe in Carniolia. 1107.
Slavco, Abbas de Oſſeco, Vir Apoſtolicus, & Epiſc: in Pruſſia. 296.
Societatis JEſu connexio cum Ciſt: 974.
Somnium B. Alexandri, præſagium futurorum. 143.
Sophia, Friderici Brenæ Comitis filia, Ciſt: 482.
Stabilitatem quomodo profiteantur Ciſt: 1143.
Stambſium, Monaſt: Ciſt: in Tyroli. 1109.
S. Stanislaus Martyr, Abbas S. Crucis in Polonia, conſanguineus Boleslai Regis. 281.
Stanislaus Reſcius, Abbas Andreov: in Polonia. 951. Vir eximius, ſcribit apologiam pro Societate JEſu. ibid:
Statuæ ſive imagines B. V. Thaumaturgæ in Eccleſijs Ciſt: 716. & deinceps.
Stella fulgida poſt mortem inſidet fronti B. Beatricis. 479.
S. *Stephanus III*. Abbas Ciſt: Primus Ordinis Generalis. 13. Præcipuus promotor Ciſt: reformationis. 14. Ejus paupertas cœlitùs ſublevatur. 15. Audit cœleſte oraculum de Ordinis novi incremento. 16. S. P. Bernardum ſuſcipit ad Religionem. 17. Leges condit. 18. Vox ejus cedrô digna in morte. 19.
B. Stephanus Abbas Obacinæ mirè liberalis in pauperes 154. Sub ſpecie agni matri præoſtenditur. 155. Venerem extinguit aquis gelidis. ibid:
B. Stephanus, Vir Apoſtolicus in Suecia, primus Upſalenſium Archi-Epiſcopus. 298. 693.
B. Stephanus Cardinalis, ingentis gloriæ Vir. 339.
Stephanus Pariſienſis Epiſcopus interpellat Ciſtercienſes pro ſe Advocatos apud Regem Gall: & experitur. 790.
Stephanus Abbas Alcobac: inſtituit in Monaſt: Alcob: primam Cathedram S Paginæ in Luſitania. 800.
S. *Stephanus*, primus Rex Chriſtianus in Hung. 1129.
B. Stepo Ciſt: à DEIpara redimitur coronâ. 257.
Suctela, Cœn: Ciſt. in Boh: 1086.
Suecia in Fide Chriſtiana illuminatur per Ciſt: 298 & 693.
Suerius & Gomezius fundant Militiam de Alcantara. 496.

T.

Taraſia Luſitanorum Regina, fit Ciſt: 408.
Tempeſtates ſedantur meritis B. Roberti Abb: de Mata-Plana. 151. Item patrociniô S. Raymundi, Calatravenſis Milit: fundatoris. 494.
Templarij Milites, unde dicti? 490. Eorum inſtitutio. ibid: & deinceps
Temporis jacturam, quæ per ſomnum evenit, deplorat Bernardus. 73.

Terra

Terra Sancta in Cœnobijs Ciſt: 1085.
B. *Teſſelinus* Parens S. Bernardi, Vir nobilis ac militaris. 108. Filios omnes dimittit ad Ciſtercium, quô animi motu? 109. Fit tandem etiam filius S. *Bernardi* in Clara-Valle. 110.
Teſtimonium atque auctoritas S. *Bernardi* maximæ æſtimationis. 118.
B. *Tezelinus* Clara-Vall: Monachus DEIparam poſt fata habet obviam. 260.
Theobaldus XXVII. Ciſt: Generalis. 34. Ei intimat Nicolaus IV. Papa electionem ſuam per epiſtolam. ibid:
Theobaldus Campaniæ Comes, Claræ-Vallis fundator. 75.
B. *Theobaldus* Abbas Vallium Sernay, favore DEIparæ donum miraculorum obtinet. 257.
Theobaldus Dux de Montmorency, fit Ciſt: 447.
Theobaldus Comes Luxenburgicus, fit Ciſt: & Cardinalis. 473.
B. *Theodardus* Cara-Sylvenſis à Chriſto ad cœlum invitatur. 242.
Theodoricus, illuſtris Progenitor Divi Roberti Fundatoris. 3.
Theologiæ Doctores de Ord: Ciſt: 541. & deinceps.
B. *Thereſa* Regina Legionis, Alfonſo nupta, Ciſt: efficitur, quô modô? 404. Habet manum medicam. ibid: Ejus corpus poſt mortem, cœleſti illuſtratur fulgore. 405.
B. *Thereſa Vidaura*, Jacobi I. Aragonum Regis conjux, Ciſterc. efficitur. 405. Poſt mortem claret miraculis, ibid. Ejus corpus incorruptnm. ibid:
B. *Thereſa*, Regia Arag: Princeps, fit Ciſterc: 434.
B. *Thereſa* de Toledo, Ciſterc: 459.
Thermæ ad Ciſterc: ſpectantes. 814.
B. *Thomæ* Monaho in Arnsberg DEIpara apparet, eíque dulciter cantat. 255. & 256. Meretur accipere B. Virginem iu ſponſam. 256.
B. *Thomas* Anglus Ciſt: ob defenſionem Libertatis Eccleſiaſticæ martyriô coronatur. 271.
B. *Thomas Lombardus*, Ciſt: Vir Apoſtol: in Angl: in medio Hæreticorum Feſtum SS. Corporis Chriſti celebrat. 302.
S. *Thomas* Archi-Epiſcopus Cantuarienſis Martyr. 363. Præſagiô fluminis mundum irrigantis, Matri prægnanti præoſtenditur. ibid: Audacter reſiſtit Henrico II. Regi Angliæ pro Libertate Ecclaſiaſticâ. 364. Fit exul, & Ciſt. ibid: Reducitur ad Sedem. 365. Gloriosè occumbit. 366. Gloria ejus oſtenditur ibid: Henricus VIII Ejus ſacra oſſa comburi jubet. ibid:
S. *Thomas Aquinas* moritur in Foſſa-Nova Ord: Ciſt: 916.
Thronus Regis, Cœnob: Ciſterc: in Moravia. 1089.
Tiſchnovium, Partheno-Ciſterc: in Moravia. 1068.
Trappenſis Cœnobij Ciſterc: rigor ſub ſole maximus. 59. Hoc cœnobium perſæpè viſitur à Principibus. 651.
Trebnicium, Partheno-Ciſterc: in Sileſia 1126.
Tribunal S. *Inquiſitionis* cœpit per Ciſtercium. 684. & deinceps.
SS. *Trinitatis* Redemptionis Captivorum connexio cum Ciſt: 959.
SS. *Trinitatis* Monaſt: Ciſterc: in Auſtria. 1101.
Trium-Fontium Monaſt: Ciſterc: in Hungaria, 1138.

U.

Vallis-Caulium Religioſi inſtituuntur ſub Legibus Ciſt: 56. Fortè ijdem cum Ordine *Vallis-Scholarum*. ibid:
Valles amat Bernardus. 77

Vallis-Virginum, Partheno-Ciſterc: in Bohemia. 1075.
Vallis-DEI, Monaſterium Ciſtercienſe in Auſtria. 1102.
Vallis-Honeſta, Monaſterium Ciſterc: in Hungaria. 1138.
Varvvienſis Pax concluſa in Cœnobio Ciſterc: de Fony. 800.
Vaſſalitia poſſunt habere Ciſtercienſes, & cur? 1152.
Vaticinia de Summis Pontificibus relinquit Divus Malachias Ciſt: 707.
Vaticinium celebre Divi Bernardi de Luſitaniæ Regno. 766. & ejus eventus, ibid:
Veneti deſpon ſant Mare Adriaticum non ſinè Ciſtercij memoria. 771.
Victoriam Bernardus Almarico Regi Hieroſolym: annuntiat. 786. & 787.
Villarium Cœnobium Ciſtercienſe in Brabantia complures Sanctorum centurias numerat. 139.
Vincentij Kadlubek beatificatio decernitur procuranda. 141. Ex Epiſcopo Cracovienſi, Ciſtercienſis efficitur Andreovij. 391. Magnæ ſanctitatis Vir, celeberrimus Thaumaturgus. 392. Octo Defuncti meritis ejus ad vitam revocantur. ibid: Scriptor hiſtoricus. 527.
Vineæ florentes per maledictionem Guidonis Fratris Sancti Bernardi redduntur ſteriles. 114. & benedictione Bernardi rursùs fœcundantur. ibid:
B. *Violantia*, Ciſt: dum ante Euchariſtiam effundit cor, effundit & animam. 217.
Viri Apoſtolici de Ordine Ciſterc: 287. & deinceps. Item 796. & deinceps.
Viſio mirabilis Epiſcopi Valent: 384. Beati Guillelmi Clara-Vall: 593. Cujusdam S. Virginis de Sanctitate Ord: Ciſterc: 595. Cujusdam beati Converſi conſpicientis ſub pallio DEIparæ Ciſtercienſes. 597. Beati Iſembardi. 598.
Vitavienſes Virgines à Paganis cæſæ. 281.
B. Ulpho, Princeps Nericiæ, conjux D. Brigittæ, fit Ciſt: 452.
Urbanus IV. Summus Pontifex de Ord: Ciſterc: 327. Feſtum Corporis Chriſti inſtituit ibid: 680. & 711.
B. Uraca Comitiſſa, in Hiſp: Ciſt: 459.
S. Urſula cum Virginea ſua Societate morienti B. Eliſabethæ adeſt. 216. Hujus ſanctæ Societatis plurima corpora, capita, ac reliquiæ ſervantur in Eccleſijs Ciſt: 751. & 752.

W.

Waldemarus filius Canuti Regis Daniæ fit Ciſterc: & quô motivô? 422. & 423.
Waldhauſen Cœnob: Canonicorum Regularium in Auſtria. 1103.
Waldſaſſium, Cœnobium Ciſt: in Palatinatu ſuperiori. 1025.
S. Wallenus, nobili ortus ſanguine, fit Ciſt:. 474. Pater Pauperum, frumenta multiplicat. ibid. & 475. mors ei revelatur. ibid. poſt mortem omnium filiorum ſuorum ſalutem manifeſtat. Claret miraculis 476. incorruptus invenitur. ibid. Videt in S. Hoſtia puerum JEſum. 232.
B. Waltero de Birbach DEIpara auream ſubmittit crucem. 257.
B. Walterus de Trajecto integris 40. annis non committit peccatum veniale grave. 153. Oculorum caligine preſſus, ſacrificans divinô illuſtratur lumine. ibid.
Walterum de Monte-Mirabili Bernardus potu Benedictô ad Claram-Vallem trahit. 86.
B. Walterus Converſus Meylroſenſis videt DEIparam dormitorium Ciſt: obambulantem. 264.

Wan-

Wandalia in fide Chriſtiana illuminatur per Ciſt. 300. & 693.
Wartenſis Thaumaturga Statua B. V. 722.
Wellebradium, Cœnobium Ciſtercienſe in Moravia. 1035.
Wenceslaus II. Rex Boh: fundat Aulam-Regiam 402. Habitu Converſorum induitur. 403.
B. Werricus, Alnenſis Prior, beneficus id egenos. 174. ejus equus conſiſtit ſponte ante Mendicos. ibid. eum illuminat lux in 7. diviſa radios. ibid.
B. Wernerus Heiſterbac: in agone viſibilem auxiliatricem habet Deiparam. 251.
Wilhelmus Præmonſtrati Abbas manutenetur per Ciſt: 32.
Wilhelmus Abbas Villar: negat bonô zelô miniſtro ſuo communionem Euchariſticam. 233. ſed interveniente prodigio miniſter communicatur. 234.
Wladislaus, Poloniæ Rex, Ciſt: efficitur. 403.
Wizovitium, Cœnob: Ciſtercienſe in Moravia. 1089.

Z

Zam Monaſt: Ciſt: in Hung: 1138.
Zara Monaſt: Ciſt: in Boh: 1041:
Zeuta cælitùs expugnatur ope Alphonſi Luſitaniæ Regis ſè cælis accurrentis. 799
Zirch, ſive Circz Monaſt: Ciſt: in Hungaria. 1136.

F I N I S.

MENDA SIC EMENDA.

Pagina 7. linea 6. Calumniæ. corrige, calumnia. pag: 11. in marg: S. Auguſtini. c: 5. Auguſti. pag: 13. l: 14. deficit. c. defuit. pag: 21. l. 1. Clemens IX. c: Clemens IV. pag: 27. l. 34. qui. c: cui. pag: 35. l: 16. Cytravagantes. c: Extravagantes. pag: 37. l. 7. ſubſidêre. c: ſubdidêre. pag: 39. lin. 24. Segrei in. c: Seguini. pag: 44. l. 3. quot c. quod. pag: 46. l. 22. Ciſtercij, c: Ciſtercio. pag: 49. l. 9. Duæ, c: Duce. pag: 53. l. 2, uſtuanda. c: uſtulanda. pag: 53. l. 23. titulationibns, c: tribulationibus. pag: 66. l. 1. Eccleſiæ, c: Eccleſia. pag: 66. l. 17. rubicundos c. rubicundus. pag: 66. l. 19. montem. c: mentem. pag: 68. l. 4. lecti. c. tecti, pag: 69. lin. 28. animoniâ, c: acrimoniâ. pag: 70. l. 33. ly, *neq;* omittatur. pag: 71. l. 33. allegati. c: alligati. pag. 72. l. 36. auctiſſimos. corr: acutiſſimos. pag: 74. lin. 19. agreſſum. c: egreſſum. pag: 75. l. 20. hæc. c. huc. pag: 80. l. 5. ut. c: eſt. pag: 80. l. 6. fecit. c: fuit. pag: 85. l. 27. ſanabantur. c: ſanabuntur. pag: 86. l. 36. Aponinô. c. Appenninô. pag: 89. l. 9. babituros. c. habituros. pag: 90. l. 5. ſuſpice, c. ſuſcipe. pag: 90. l. 14. Ægeſtaverat. c. Ægrotaverat. pag: 90. l. 15. auctiſſimi. lege, acutiſſimi. pag: 93. l. 17. formandam. c. formandum. pag: 95. l. 9. prætacta, lege prætactam. pag: 97. l. 4. remota. c. remoto. pag: 100. l. 18. redirent. c. redibant. pag: 101. l. 24. an. c ac. pag: 102. l. 17. quot. c. quod. pag. 105. l. 6. optabiulis, c. optabilius. pag: 111. l. 13. quámque. c. quàm quæ. pag: 117. l. 27. à, c. è. pag: 121. l. 3. inoxoſæ. c: in exoſæ. pag: 23. l. 10. poſt ly *conviciis*, add: eam. pag: 126. l. 19. auctiſſimis. c. acutiſſimis. pag: 131. l. 18. invenias. c. invenies. pag: 132. l. 21. illi. c. illis. pag: 142. l. 22. Eccleſiæ. c. Eccleſia. pag: 143. l. 11. quem. c: quam. pag: 145. l. 36. armatos. c. amati. pag. 147. l. 12. Gallacia, c. Gallæcia. pag: 147. l. 28. Hoctenſi. c. Hortenſi. pag: 149. l. 11. ſuo. c: ſcio. pag: 166. l. 27. Hiſpania c. Hiſpaniam. pag: 167. l. 1. ſuus. c. uſus. pag: 167. l. 13. cum. c. eum. pag: 180. l. 4. fonte, c. fortè. pag. 180. l. 6. ruri, c. rure. pag: 183. l. 10. haberent. c. haberet. pag: 185. l. 26. ante ly *ſitu*, adde *eô*. pag: 206. l. 11. molliciæ. c. mollitie. pag: 207. l. 14. injuſti. c. inuſtis pag: 208. l. 29. viſa. c. viſæ. pag: 218. l. 36. poſt ly *potuit*, adde *eſſe*. pag: 220. l. 34. his. c. hic. pag: 221. l. 27. &. c. at. pag: 223. l. 20. meruerit. c. meruerat. pag: 231. l. ult: nubæ. c. nube. pag. 235. l. 23. cathera. corr. cathedra. pag: 236. l. 17. deliquit. c. reliquit. pag: 236. l. 25. ibidem. c. itidem. pag: 238. l. 35. Galleriæ. c. Galleciæ. pag: 251. l. 31. poſt ly *fugatúsque eſt*, adde *hoſtis*. pag: 262. l. 17. quot. c: quod. pag. 272. l. 4. Turia. c. Furia vel

ſia. vel planè hoc prædicatum omit: pag: 272. l. 32. recidêre, c. cecidêre. pag: 276. l. 6. labrum. c. labarum. pag: 290. l. 33. præcepto. c. prærepto. pag: 295. l. 2. Vix. c. Vir. pag: 299. l. 35. Ruſsiq; c. Ruſsíſque, pag. 321. l. 11. Hiſpania. c. Hiſpanica. pag. 325. l. 12. diſſendit, c. diſſentit. pag: 350. l. 23. Nicolao V. c. Martino V. pag: 357. l. 35. compoſita. compita. pag: 360. l. 9. obſervet. obſervat. pag: 365. l. 5. effudit. c. affudit. pag: 373. l. 23. tam. lege. tamen. pag: 377. l. 7. poſt ly *ali-quantò*, adde *pòſt*. pag: 380. l. 1. obſtraxêre, c. abſtraxêre. pag: 289. l. 25. verſari. c. verſare. pag: 392. l. 25. poſt ly *complexurus*, adde *quæ*. pag: 400. l. 21. Patriam. c. Patrium. pag: 404. l. 1. poſt ly *quôquô*, adde *modô*. pag: 404. l. 16. Philippo II. lege, Philippo III. pag: 410. l. 4. poſt ly, *res una*, adde *in*. pag: 420. l. 13. poſt ly *Ciſtercium*, adde *atque*. pag. 426. l. 24. reſtauret, c. reſtauraret. pag. 430 l. 17. Lingonenſis, c. Lingonenſes. pag. 433. l. ult. Gercenrodenſi, c. Gerhenrodenſi. pag. 441. l. 8. poſt ly *Amadeus*, adde *Altæ-Ripæ Dominus*. pag. 448. l. 32. infauſtos, c. infauſtas. Pag: 452. l. 27. peſoluta. c. perſoluta. pag: 454. l. 14. Nortenſi. c. Hortenſi. pag: 454. l. ult. concedentæ. c. concedendæ. pag: 457. l. 27. poſt ly *Parentis*, adde *præcordia*. pag: 459. l. 17. qua. c. quæ. pag: 475. l. 4. fruſtra. c. fruſta. pag: 476. l. 8. Paſtorale. c. Paſtorali. pag. 479. l. 15. poſt ly, *aut coli*, adde *aut*. pag: 480. l. 13. ille, lege, illæ pag: 484. l. 24. Princeps. c. Principes. pag. 489. l. 27. Honoris. c. Honorius. pag: 490. l. ult: novi. c. novæ. pag: 494. l. 1. ab. c. ſub. pag: 495. l. 8. obſtrinxerat. c. obſtrinxerant. pag: 597. l. 18. Kuſitania. c. Luſitania. pag: 511. l. 22. integrè, c. integræ. pag: 512. l. 18. Carolum VI. c. Carolum IV. & l. 19. Clemente Papa IV. c. VI. pag. 523. l. 5. Antonius. c. Antoninus. pag: 529. l. bene. c. penè. pag. 531. l. 27. Triſones. c. Friſones. pag: 533. l. 24. ae. c. ad. pag: 544. l. 31. Colatrava. c. Calatrava. pag: 547. l. 24. ab. c. ac. pag: 550. l. 22. impetrata. imperata. pag. 556. l. 2. Ciſterſtalenſis. lege, Eüſſertalenſis. pag: 558. l. 37. ab. c. ob. pag: 559. l. 36. propriùs. c. propiùs. pag. 568. l. 5. conceptum. c. conceptuum. pag: 573. l. 18. quem. c. quod. pag: 591. l. 4. impertinenda c. impertienda. pag: 593. l. 3. ſubſiſterent. c. ſubſiſteret. pag: 594. lin. 13. ſubſelijs, c. ſubſellijs. pag: 626. lin. 12. Pontificâ. c. Pontificiâ. pag: 654. l. 14. Philippi Regis. c. Philippo Regi. pag: 657. l. 35. neglexerit. c. neglexerint. pag: 657. l. ult: ſtaſtum. c. ſtatum. pa: 667. l. 6. poſt ly *Imperium*, add: *ſinè*. pag: 671. l. 26. illis. c. illic. pag: 675. l. 25. annuimus. c. annuamus. pag: 678. l. 18. & cum. c. ut eum. pag: 680. l. 13. Jvane. c. Joanne. pag: 702. l. 2. ediderint. c. addiderint. pag: 704. l. 15. alicui. c. alieni. pag: 706. l. 29. tribui. c. tribuere. pag: 711. l. 20. poſt ly *oculi*, add: *tui*. pag: 714. l. 24. illæ, c. ille. pag: 722. ly *Landecenſibus*, *ſeu*. omitt: pag: 733. l. 31. deurſum. c. decurſum. pag: 741. l. 36. ædibus. œdipus. pag. 751. l. 17. ly *dem*, omit: pag: 784. l. 10. illas. c. illac. pag: 786. l. 23. Fulionis, c. Fulconis. pag: 797. l. 9. favore. c. fervore. pag: 798. l. 34. Ludenſium. c. Lundenſium. pag: 799. l. 8. Ectuardum. c. Eduardum. pag. 803. l. 28. ſubſiſtere. c. ſubſtitêre. pag: 805. l. 2. exaltatione, c. exultatione, pag: 806. l. 1. ſuſpitatrici, c. ſoſpitatrici. pag: 806. l. 5. priúſque. c. piúsque. pag: 809. l. 26. poſcis. c. habere poſſis. pag: 815. l. 15. Valente. c. Volente. pag: 829. l. 1. gratiæ. c. gratias. pag: 834. l. 6. monitu. c. monita. pag: 834. l. 29. virgæ. c. virga. pag. 835. l. 28. autem. c. cutem. pag: 842. l. 12. circumferentur. c. circumferrentur. pag: 843. l. 27. pratat. c. patrat. pag: 846. l. 20. exercentes. c. exerentes. pag: 855. l. 24. poſt ly *choro* add: denigratos. pag: 863. l. ult. Patre, c. Pater. pag: 867. l. 35. illas, c. albas. pag. 869. lin. 27. effectibus. c. affectibus. pag: 871. l. 6. juſtè. c. juſti. pag: 875. l. 18. Innocentium III. Papam. c. Innocentius III. Papa. pag: 876. l. 12. Principes. c. Princeps. pag: 883. l. 21. poſt ly *acquirenda*, deleatur ly *ſua*. pag: 884. l. 37. Veſtrum. c. veſtram. pag: 903. l. 2. Dominus. c. Dominicus. pag: 907. l. 19. Virgine. c. Virginei. pag: 922. l. 23. percutit. c. perculit. pag: 925. l. 29. vobis. c. nobis. pag: 929. l. 32. poſt ly *literis* adde *conſtabilierat*. pag: 936. l. 22. poſt ly *deinceps*, adde *dicerentur*. pag: 949. l. 33. ly, *exhibendnm hôc locô integrè*, deleatur. pag: 952. l. 8. potentiariæ. c. Pœnitentiariæ. pag: 965. l. 21. Oratorij. c. Oratoris. pag: 965. l. ult: exercere. c. exerere. pag: 972. l. 5. Princeps. c. Principes. pag: 972. l. 12. tum. c. tam. pag: 978. l. 24. ſtimulatæ ipſæ. c. ſtimulatas ipſas. pag: 981. l. 20. penè. c. ponè. pag: 981. l. 33. quod. c. quid. pag: 988. l. 31. Novitijs. c. Notitijs. pag: 992. lin. 2. adere. c. ardere. pag: 992. l. 17. portionem. c. portentorum. pag: 992. l. 36. obſolverat. c. abſolverat. pag: 994. l. 36. ille, c. illi. pag: 996. l. 20. an. c. at. pag: 1007. l. 26. Anno 1196 1199. pag: 1009. l. 2. quantumcunque. c. quantamcunqne, pag: 1009. l. 18. A. 1108. c. 1208. pag: 1010. l. 5. fundatum. c. fundandum. pag: 1010. l. 27. effectum. c. effectu. pag: 1011. l. 18. ly, *ſubindè Rex & Cæſar acclamatus*. deleatur. pag: 1014. l. 33. ipſe, c. ipſi. pag: 1015. l. 26. excuſſit. c. exuſſit. pag: 1019. l. 12. quo. c. qua. pag: 1024. l. 7. poſt ly *nunc*, omitt: ly *velle*. pag: 1029. l. 32. diſſceſſuri. c. deceſſuri. pag: 1035. l. 26. poſt ly, *ſacra*, add: *adductus*. pag: 1045. l. 27. ubi. c. ubi. ubi pag: 1067. l. 11. fit. c. ſit. pag: 1072. l. 34. an. c. ante. pag: 1102. l. 26. ditione. c. ditiore. pag: 1115. l. 10. Lubucenſis. c. Lubecenſis. pag: 1143. l. 36. prætere. c. præterea. Poſt Epiſtolam dedicat: in Appl: Offec: Metrô 15. aquas corrige aquis.

Alias errorum minutias è circumſtantiâ ſenſûs velit ipſe Lector benevolus corrigere.

N. Ri. Pra.
Phr. R.Y. 4.XI.18